RMI P. FR. IOANNIS A STO THOMA VLISSIPONENSIS, ORD...

João : de Santo Thomaz, François Combefis, ...

R^MI P. FR. IOANNIS
A S^TO THOMA
VLISSIPPONENSIS,
ORD. PRÆDICATORVM

DOCTORIS THEOLOGI.

IN COMPLVTENSI ACADEMIA PRIMARII, PROFESSORIS publici, Supremi Hispaniarum Senatus Fidei Censoris, & PHILIPPO IV. Regi Catholico à sacris Confessionibus & Consilijs,

DE
SACRAMENTIS
IN GENERE; DEQVE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO, ET DE POENITENTIA; DISPVTATIONES ABSOLVTISSIMÆ.

Primùm prodeunt,

Opera & studio R. P. Fr. FRANCISCI COMBEFIS, eiusdem Ordinis, Conuentus sanctißimæ Annuntiationis Congregationis sancti Ludouici, Theologiæ Professoris.

[redacted]



[redacted]

PARISIIS,
Sumptibus ANTONII BERTIER, viâ Iacobæâ, sub signo Fortunæ.

M. DC. LXVII.

CVM REGIS PRIVILEGIO, ET SVPERIORVM PERMISSV.

[redacted]

CANDIDO LECTORI,

Fr. FRANCISCVS COMBEFIS Congregationis sancti Ludouici strictioris Obseruantiæ FF. Prædicatorum.

SAPIENTISSIMI Magistri Reuerendissimi Ioannis à sancto Thoma Vlisiponensis Philosophica scripta ac Theologica, ut primùm vulgata sunt, tanta statim luce Christiani orbis Academias, singulosque in illis, doctrinæ Thomisticæ paulò studiosiores, collustrarunt, vt certatim omnium communi calculo, fidissimus Angelici Præceptoris, idemque profundissimus, Interpres, ac nostro æuo, in eo genere tot conspicuis, vnus ipse ferè Princeps, ac quasi gregis Aries, meritò habitus sit. His splendoribus, hoc nitore eoque cultu è Complutensi primaria sancti Thomæ Cathedra, sic læto sidus coruscans radio, nec minus sanctitatis, quàm eruditæ prorsus mentis fulgores spargens, pulueri Scholastico breui Aula inuidit; sibi rapuit, potentissimoque Hispaniarum Monarchæ Regi Catholico, reluctantem licet vixque acquiescentem pro conscientiæ teneritudine, humilisque ac modesti Ascetæ Prædicatoris genio atque indole, à sacris Confessionibus præfecit. Hic Magistratus quantus sit, quanta Christiani orbis & Ecclesiæ vtilitate aliquot iam sæculis Nostris administratus, nec huius loci sit dicere, nec mihi satis facultas explicare. Id tamen vnum tacere non possim, Huic vel maximè tribuendum, quod tantæ sanctitatis tantæque eruditionis ac doctrinæ Lumina, vtroque orbe Hispanico, candelabro imposita, summique arce Sacerdotij suscepta, iam olim claruerint, nuncque clareant, pro summa eius auctoritate designandis eius rei suffragiis, & quod Episcoporum in Hispania creationes, Catholici Regis indulgentia, eius penè transigantur arbitrio; nulla Nostrorum inuidia, vna omnium ordinum omnisque militiæ gratulatione, pro iudicij, discernendis omnium meritis ac munerandis, æquitate. Nec hæc Nostrorum assertio, sed eorum liberè testimonium, qui grauius æmuli, nec

pro instituti ratione, tanta nuper in Doctorem Angelicum effutierunt (velut in eum ex omni orbe omnique librorum supellectili excita acie) quanta nec Belgium ferre potuit, priorque Lutetia in sapientissimis Magistris, quorum partes sunt probandorum librorum qui diplomate Regio muniendi sint, horruit, exagitauit, viperinos fœtus exterminauit: nec Belgio excluturo, nisi partim furtiuo illi prælo Auctor obrepsisset, partim etiam sæculari potentia, eius generis censendis operibus ac cohibendis, libertatem suffragiorum oppressisset. Sed diu tamen eo in munere, quem sic expetierat, Aula aut ferre non potuit, aut Deus, eius illi fruendi copiam non fecit. Extincta Aulæ orbique lucerna est, cùm necdum vel per eius in ea maioris operæ negotia, vel ipsius vitæ angustias, quos Theologicos Commentarios librosque omni diligentia elucubratus erat ac laborauerat præloque adornarat, lucem aspexissent; quidam etiam non satis ad eius gustum, aut per operas emendati, Lugduno prodiissent. Partem Compluti, partem Matriti, partem postremò Lugduni, quà ipsius cura, quà fidissimi socij Magistri Fr. Didaci Ramirez, quà demum ipsorum Lugduni Typographorum, prælum sustulerat. Rem sanè incommodam; ac cui vnum hoc remedij expectabatur, vt secundis curis recusa omnia, ipsa castigatiora (quò totus ipse Ioannes à sancto Thoma eximius sancti Thomæ Interpres, sibi constaret, omniumque facilè manibus tereretur) Lugduno antiqua Galliarum Metropoli, celeberrimo pridem literarum emporio, prodirent. Hæc nostra hæc Gymnasiorum orbisque Christiani Academiarum expectatio: in eam rem pridem concessum Regium diploma, alia aliorũ cauponatione haud satis legitima, in eorum Lugduni delatum manus, eorumque iuris factum, qui sanè in magnam rem iniuriam, penè labefactata, non exculta illius operum mole, traxere. Conclamatum iis ipsis, qui aliquam elimando, viri docti ac Magistri, conferendam putauerant operam: sed per Bibliopolarum, eorumque nutu Typothetarum & operarum temeritatem, præcipitationem, coniurationem, nihil frugis præstare potuerant. Exciuit rumor ac clamor, ut & ipse, Sodalesque, oculos adiiceremus: Menda num ferri possent, essentque qualia ferè typi pariant, vel si aliqua diligentia procurentur, dispicere cœpimus; antiquis noua contulimus, vtraque edita (neque enim vlla noua nouo hoc partu seu magis aborsu, præter corruptionum incredibile examen, Lugdunenses noui typi effuderunt) tantaque mox spurcitiarum sese aperuit Augia, tanta mendorum seges, vt ad specimen duntaxat, iis librum multasque eius pagellas implere licuerit; eiusque sarciendæ iniuriæ nomine, qua læsus Prædicatorum Ordo, læsa res Theologica ac literaria, læsa publica fides, læsum Gallicæ ingenuitatis nomen,

ipſaque Principalis indulgentia, ſanctiori Regis Chriſtianiſſimi Cõſilio offerre: cùm ampliſſimo diplomate paulò antè, nulla ſurreptione, erratorum illorum rumore concitus idem Chriſtianiſſimus Rex, nouam omnium adornãdam editionem ipſam caſtigatã, noua hac, quam repræſento, lucubratione DE SACRAMENTIS IN GENERE, DEQVE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO ET DE POENITENTIA, ceu colophone coronandam, meæ ipſius Sodaliumque fidei, in ſanctiſſimæ Annuntiationis Vrbis Pariſiorum ſtrictioris Obſeruantiæ, commiſiſſet. Et verò haud viſum committere, vt tam fœdo operi, quod aptum produci poſſet, ſingularis pro ſcholaſtices munere eruditionis ſingulare monumentum membrumque necteretur; vel vt noſtro ſilentio ac diſſimulatione, ipſa Auctoris poſtmodum legentibus exiſtimarentur, quæ ſic praua, erronea, hæretica, inſulſa, ſupra omnem numerum Typographi Lugdunenſes illi aſperſiſſent, ac verò etiam illius bona ſuppreſſiſſent. Prima hæc tentata via, vt editio editionem curaret; ſicque citra omne meritum, vel improbis eorum laboribus atque ſumptibus cautum eſſet, qui tam malè operam commodaſſent.

Et vt rem paulò altius repetam, ſuſpectam reddiderat Lugdunenſium Typographorum fidem, (eorum ſcilicet qui ſic bellè Auctori noſtro, eius recudendis Operibus, operam nauauerant) ipſa temporis locique ratio; ne præter ſocordiam (quæ vel vna in re tanti momenti planè punienda) prauæ aliquid mentis in meos Prædicatores, agente Zoilorum quopiam, eis incidiſſet; ac vel illi fraudem feciſſent, ſic tumultuario opere nitidiſſimum noſtræ huius ætatis Noſtratem Theologum commaculando, vel vt ſibi fieret paſſi eſſent. Eò certè res ſpectare videbatur, vt omnis in eo Prædicatorum Ordinis gloriatio, liuido poſtmodum, aut non ſatis lucido ac perſpicaci Legentis oculo, grandi illius reique Chriſtianæ labe, periret; ſuiſque ille luminibus ſorderet, dum malè fidus Interpres, in Theologiam ea inuexiſſe monſtra putaretur, quæ ſic inofficioſi typi quaſi plagio illi aſperſiſſent. Quidni enim in eo, cùm tanta in Noſtrûm alios quà ſuperiores, quà & æquales, ea ſugillandi cacoëthe, conclamata; ſic proſciſſa, traducta, eleuata (libellis in eam rem aliis aliiſque vulgatis,) eorum omnis eruditionis fama? Dormientium in Chriſto, nec ex vulgi fæce aut obſcurorum quondam Virorum, dirè ſolicitati Manes: ipſi in eis minores næui, quos vel typi procliuè adducant, vel ſcribæ ipſa manus per imprudentiam pariat, aut etiam liuoſus furor oculo caligante, ne extantia quidem, ſedulò ſibi deprehenſa ſomniet, moroſa nimis trutina penſitati: pleraque viuentium ſcripta dictaque, ipſa detorta, non magis Auctorum, quàm Zoilorum verbis, amarulentiæ felle conditis, verè monſtroſa, ſenſu horrentia atque diſſona, omnique animaduerſione digna; nec

rarò risu aut stomacho, pro barditate, seu etiam bile, qua illis affixa, schedisque ac libellis illita, excipienda. Quin nec ipsum mouit, ne & in eo sibi largius indulgerent, Angelici Præceptoris nomen, certansque in eo cum pari sanctitate vitæque candore illibatæ Theologiæ splendor. Detractus penè vtroque (cœli nimirum scholæque) axe: Nouum in eum Oraculum, & quasi ex tripode. Texta eius errorum, dissentanearumque opinionum, & à quibus meritò discedant Viri sapientes (atque vtinam sapientes, saniore in eum gustu sensuque futuri) Ilias: in quem meliori haud ita pridem Numine, sapientissimus æquè ac sanctissimus Pontifex Clem. VIII. (Petri verè æquitate, cuius præclarè ornauit Sedem, & ex qua, diuina, ipsaq; sancta ac vera prodeant Oracula) *Innumera absque vllo prorsus errore, in omni ferè disciplinarum genere, breuissimo tempore scripsisse,* Ciuem suum Neapolitanis Patronum gratulans ac quasi sententiam dicens, solenni diplomate pronuntiarat. Hæc nimirum Angelici Doctoris miracula, haud ipsa scriptis ab eo articulis minore copia; quæ vna, inter Cœlites vindicando, sanctorumque Doctorum albo adscribendo, sufficere, Romanorum Pontificum alter, ipse Sanctum vindicaturus, tantique Solis amore captus, sagaci planè mente ac pro Sedis maiestate, responderat. Hæc nimirum & in reliquis paulò iam adultioris Ecclesiæ Magistris, quos non sustulit Passionis falx ac Christi Martyrium, cum reliquo virtutum heroïcarum choro vitæque candore, potissima sanctitatis nota, illisque vindicandis luce clariora miracula. Hæc Augustinum, hæc Gregorios, hæc maxima quæque Ecclesiæ orbisque Lumina propensius consecrauere, quàm sanitatum dona; quanquam nec illis, aut meo Thomæ, hæc ipsa in vniuersum pro ratione Prouidentiæ defuere: qualia sagacissimis curis veréque religiosis, Religiosissimæ Societatis spectabilium Alumnorum Godefridi Henschenij ac Danielis Papebrochij, post Ioannis Bollandi τοῦ μακαρίτου, eaque palæstra ijs velut Antecessoris, gigantæos labores, nouo Vere, nouus Martius, ipse Sanctorum gemmis atque floribus fragrantissimus idemque micantissimus, auspicatiore iam prælo cusa, piorum omnium eruditorumque gratulatione, pro Græcorum maximè nouo conatu accessione, propediem producet. At nec Lugdunum, clarissima Galliarum ciuitas, eiusque quondam Metropolis ac earum solennis Conuentus sedes, pro Libraria facultate, qua inter orbis præcipuas hactenus meruit, suis erga Nos officijs, Nostratiumque præclaris monumentis omni typorum apparatu, castigatè sanè atque nitidè edendis, vnquam defuerat: acnec defuturum auguror, plerisque in ea ingenuis, & qui pristinam sibi laudem præclarè cudendis virorum eruditorum libris, hac Sociorum vel socordia, vel malitia nolint imminui,

doleantque, quam vel inuitis, ea labẽ inusſit. Vnum ipſum ad eam coniecturam, ne te, Lector, traham, reliquis omiſsis, iſtud ponam. Haud quidem illud tanti, vt nec tanti nomen meum & opera, qui minimus, ac penè nullus & inutilis, in Prædicatorum toga, ea pridem in ſanctiſsimi Roſarij Burdigalæ initiatus, meream. Aſteriana, non leui cura, alijs alijſque Codicibus, Regijs, Romanis, Excel. Viri Petri Seguierij Franciæ Cancellarij, dupla ſcilicet, ſeu etiam illa maiore ſegete, priore Auctarij mei tomo, auxeram: reliqua, etſi erudito Interprete, recenſueram, cuncta vtraque lingua repræſentaueram: abſolutiſſimi Oratoris Aſiatici Chryſoſtomo æqualis, nec vena diſparis, nobiliſſima monumenta, quà præcipuè ex meis nouis, vel Gratiæ in Paulo triumphos, vel Petri Primatum Eccleſiæ, vel Stephani charitatem, aut etiam Martyrum tropæa, ſingulari eloquentia ac ſtyli nitore ſententiarumque pondere exornat. Cuncta hæc auidè, recuſo Lugduni Leonis Papæ minorumq; aliorũ Patrũ ſyntagmati, ex meis inſerta; vna hac gratia, vna opera, vt mei vnius nomen expungeretur: nec fortè aliam conferre licebat ac reponere per linguæ Græcæ imperitiam, nedum Typothetis, ſed nec ipſi Zoili meo, quiſquis ille eſt. Supra coniecturã enim videtur, id à ſe operas deſignaſſe, ac niſi illo auctore, qui vnum Conſarcinatoris nomẽ in eo opere volebat extare: ea præſertim ratione, quod Valeriani Cemelienſis (Auctoris obſcuri) ſententias vindicare ſtudet, qua ille parte non ſatis ad amuſſim ſanæ doctrinæ ac Catholicæ librata lingua, in ſpeciem Chriſti Gratiæ videtur detrahere. In quas nolim hactenus pronuntiare; inquiſiturus forſan, ſi quando totum illud ſyntagma ad vſum maximè pulpiti (quod à me expectant flagitantque viri amici) noua mea recenſione aliquanto melius Pariſijs cudere liceat, nouoque alio ac pari ſyntagmate, ex Græcorum duntaxat celebriorum Auctorum Patrumque florentiſſimis Orationibus librisque pereruditis, cumulare.

Vt vt ſit, quauis vel ſtrue, vel Prouidentia aut caſu, ita nuper per Typographos Lugdunenſes, in quos ſtylum acuo, nobiſcum actum ſit; iuſto, puto, Lector dolori meo indulgebis, nec videbor admodum exceſſiſſe, quod in noſtro Ioanne à ſancto Thoma, Viro tanto, non diſſimulandam iniuriam duxi. Opem itaque aliquam ferendam, pro virili mea, operæpretium exiſtimaui, typiſque Pariſienſibus, Lugdunenſium depellendam labẽ; diligenter recenſitis omnibus & ad incudem reuocatis: adiunctis etiam quibus operæ aliquid pro mea tenuitate tanti nominis Theologo viderer allaturus. Erant proculdubio ex noſtris Pariſienſes Aliique Magiſtri Viri eruditiſſimi, & in puluere Scholaſtico, ipſaque Patrum ac Conciliorum doctrina ac traditione verſatiſſimi, à quibus maiora expectari poſſent, ſi eò libuiſſet curas ſuas diuertere, nec ſibi alia

vendicarent, quibus vel suo marte rem illi literariam ditant, vel Angelici Præceptoris scripta quæque egregiè illustrant, ac quicquid eius literæ est, solerter enucleant.

Cuncta itaque Auctoris nostri, pro facultate elimata, prioris secundæque editionis mendis, quoad liceret expurgata, ipsaque nitore suo procliuè allicientia, nullamque aut modicam offensionem habentia, nisi quam fortè ipsa rerum altitudo mysteriorum-
1. Cor. 13. 9. que ac theorematum profunditas ingerat, quãdiu ex parte cognos-
Eccle. 1. 18. cimus, additque laborem qui scientiam addit, accuratiore prælo ex Regij diplomatis amplissima facultate repræsentaturus eram, nisi ipsa sanctiore Regio Consilio Themis (qua vna expugnari solet) Miseratione, illudi sibi Lugdunensium Bibliopolarum astu, nimio propemodum candore suo, passa benignè esset. Nimirum intellexit id nos agere, hoc publicas rationes exposcere, vt mendis purus, quibus asperserant, legi posset noster hic Auctor insignisque Theologus; non ferenda quorum specimen feceram; negari ea non posse, in promptu esse probationem, allatis codicibus; singulis paginarum, linearum ac columnarum, numeris adscriptis: implorata Clementia, quæ virorum Principum Regumque, Dei simulacro, dos maximè propria peneque necessaria est; indulgendum aliquid, ne casso tanti laboris sumptu res illis priuata, qua vsi vtiliter in commodum publicum omnis generis librorum pridem editione, pessum eat; cuncta, & ad manum, emendaturos. Fucum agnouere, quibus non prorsus incomperta res Libraria est. Id pollicitos, quod nec animus esset præstare, nec facultas. Certè nec tentari res potuit; distracta exinde furtim exemplaria, nec vel vno mendo sublato: nouoque adeo Decreto iniunctum, nisi prioris Decreti indulgentia, adscriptisque in fronte operis ijsdem Decretis, nulla deinceps (sub graui quidem mulcta) ijs distrahenda. Quanquam nec ea diligentia, maioris aliquid factum operæ. At, num in finem illusa feret; nec pro iniuria, vel in seram vltionem, iusta Themis iras accendet? Erit forsan cùm exemplum faciet; quosque indulgentia non potuit, districtione tandem ad officium coget.

Interim verò, dum facta Lugdunensibus Bibliopolis ex Regio diplomate, cuius colore hæc nobis incidit remora, iam vergit προθεσμία, breuique expleto constituto tempore futurum est, vt & nobis libera sit facultas, producendi, qualem destinaueram, Ioannem à sancto Thoma, ipseque, Lector, eius auidus expectaueras; erit Deo auspice, vita comite, quo votis fiat satis, si modò dilata illa, tibi non lassescant, sed, quod illis procliue, etiam crescant: quò illis instinctus accensusque Parisiensis ipse Bibliopola, libens, nec magis suo quàm tuo commodo gestiens, largè prælo sufficiat. Ac, ne temporis vsura molestiam faciat, in antecessum ponit, aureum verè

eiusdem

eiusdem Auctoris necdum vulgatum Tractatum istum DE SACRAMENTIS IN GENERE, *&c.* in quo eius totam venã offendes, nec fortè displicebit, quam illi adhibui operam. Multus prælegendo fui, sublatis quæ passim rudis scriptoris manus (ipsa vix ferenda) aspersit & quorum multa seges, vel in ipsis in Hispania editis: vt vel hinc mei in reliquis laboris, Tibi specimen fiat. Reliqua impressionis lumina, maiusculas literas, interpunctiones, & si quid eiusmodi est, plusculum sedulus adieci. Summaria passim marginibus adscripsi, quibus tuum laborem plurimùm leuandum nouerim; vt vno quasi obtutu videas, quid Auctor, multa quandoque verborum ambage velit. Quod genus Notarum, scio non improbatum in alijs, quæ multa iuris publici feci: in quo etiam acumine ac solertia opus sit, ne vel ipsa Auctoris mens non magna satis fide atque integrè exprimatur, vel superfluis margines onerentur. Rerum etiam indicem, pro subiecta materia do satis locupletem: quibus omnibus vnam velim repẽdas gratiam, vt perseuerantiã in sancto proposito togaq; Prædicatoria, ipsa sancta, ipsa Apostolicis donis conferta, nec vllis bonis sanéque Christianis vnquam minoris habita, Tibi, publicæque rei ac literariæ, laboranti, propitio Numine impetres. Vale.

Ex Musæo nostro cellaque ascetica apud Prædicatores in sanctissimæ Annuntiationis Parisijs, VII. Idus Martii, anni M.DC.LXVII.

Auctoris Elogium Vitamque mihi ipse indulgere nolui, ne viderer falcem mittere in messem alienam: quod charissimus Sodalis & Commilito R. P. IACOBVS QVETIF, *adornandæ Scriptorum Ordinis Prædicatorum Bibliotheca, strenuam ponit operam; cuius hæc tibi illius lucubratiuncula specimen erit, vt & quæ in Manuele Caleca, postmodum, Deo auspice, eius à me repræsentatis Opusculis Theologicis ac Polemicis, proditura est.*

SYNOPSIS VITÆ

REVERENDISS. P. FR. IOANNIS A SANCTO THOMA Vlissipponensis, Ord. Prædicatorum Doctoris Theologici,

In Complutensi Academia primarij Professoris publici, Supremi Hispaniarum Senatus Fidei Censoris, & PHILIPPO IV. Regi Catholico à sacris Confessionibus & Consilijs.

Authore R. P. IACOBO QVETIF Parisino Conuentus SS. Annuntiationis eiusdem Ordinis.

ETSI Sapientem mundi Ciuem apposité satis antiqui dixerint Philosophi; virorum nihilominùs Illustrium ortu nobilitatas vrbes aut exitu, inuicemque sæpius exarsisse, quem ex illis ciuem sibi vt assererent, ortusque illius aut incolatus gloriam vindicarent, gnaro nemini dubium est. Neque enim est qui nesciat & septem olim Vrbes suum quamque voluisse Homerum, Athenienses que ipsos Smirnensibus illum & Salaminiis inuidisse; tanti videlicet quo ditati gloria viri fulgerent, cæterisque se præferrent. Haud absimili parum euentu mihi tam varié loquuti videntur, qui tam varia de IOANNIS nostri hactenùs ortu dixerunt, atque inter se de illius origine ita colluctati videntur, dùm illum Iberus ambit, Belga rapit & Gallus, iactat Pannonius, vindicat Lusitanus. Tantus quippe IOANNES omnibus illis visus est & habitus, qui gentis suæ quantumuis inclytæ iam ac superbæ, posset augere famam. Verùm qui eius originem aliò quàm ad superioris Pannoniæ gentem referre visi sunt, ortumve eius Lusitanis auferre, alienæ certè hi, vel nimiùm gloriæ inuidi, vel præpostero quodam ac cæco in patriam studio in errorem inducti, frustrà sibi blandiuntur, natiuoque solo virum tentant eripere. Noster siquidem, dubio procul Ioannes ortu Lusitanus est, origine Pannonius, qui ab Austrio Viennensi Parente, Matre Lusitana Lisboniensi, Olissipponæ natus est, nobili orbis Emporio, Regni totius Ciuitate Principe, Lustralique aqua tinctus septimo Idus Iunias anno ab humani generis reparatione suprà millesimum, quingentesimo octuagesimo nono, in Ecclesia & Parœcia sanctæ Mariæ *de Martyribus* vulgò nuncupata, quam & annos antè plus minùs septuaginta regeneratione sua celebrem fecit Illustrissimus Bracharensis Ecclesiæ Præsul, Ordinis vtriusque tùm Episcopalis, tum & S. P. Dominici clarissimum Lumen & Columen D. F. *Bartholomæus*, ab illa vulgò, *de Martyribus* appellatus, vir planè Apostolicus ac sanctitate conspicuus. *Ioanni* Genus vtrimque nobile fuit ac generosum: Paternum quidem *Poinsotiorum* Viennæ Austriorum in superiori Pannonia clarum, vnde Dominum *Petrum* Poinsotium, *Ioannis* Poinsotij filium, Parentem sortitus est *Ioannes* noster, Equestris Ordinis Virum, ipsa in Aula Cæsarea vel ab ineunte ætate Alberto Archiduci Austrio Sanctæque Rom. Ecclesiæ Cardinali mancipatum, cuius Aulicus & ab intimis Camerarij, vt vocant, Adiutor fuit; quo cum & migrauit in Hispaniam, ac subinde Lusitaniam, quem & in Belgium tandem supremum Ditionum illarum Principem ac Dominum sequutus est: Maternum verò GARZIORVM è gente duxit, apud Lusitanos Olissipponensesque vetustissima nobilissimaque, plurimis iam olim præcipuisque regni titulis honoribusque clara, Regij etiam Christi Ordinis Militaris stemmate sæpiùs insignita; à qua *Ioannis* Mater prodiit

Maria, Petri Conjux, Ludouici Garçez & Franciſcæ à Coſta filia. Hæc vera eſt & Germana *Ioannis* origo, genus & ortus, cuius & nuper ab Hiſpaniis allata nobis, productaque fides eſt, ex ipſis fontibus hauſta, tabuliſque Complutenſibus autenticis vernaculâ Hiſpanienſium linguâ, quam totidem fermè verbis hîc tibi latinè ſubiicimus.

Reuerendiſſimus Pater Magiſter F. IOANNES A S. THOMA *Vliſſippone natus eſt & Baptizatus in Paræciali Eccleſia Sanctæ Mariæ de Martyribus die nona menſis Iulij anni milleſimi quingenteſimi octuageſimi noni: Parentes habuit D.* PETRVM POINSOT *eiuſque Coniugem Dominam* MARIAM GARCEZ. *Generoſo fuit & illuſtri ſanguine cretus genitor, ortus è Vienna Auſtriorum Auguſta in ſuperiori Pannonia, vnde ille diſceſſit Alberti Auſtrij Archiducis Aulæ addictus & obſequio, cui Camerarius Adiutor aderat intimus, atque in pretio habitus. Paternique fuerunt Aui D. Ioannes Poinſot eiuſque vxor. Mater autem ortu fuit Oliſſipponenſis & origine, genere & ipſa nobilis, cuius maiores & proaui præcipuis regni dignitatibus & honoribus olim inſigniri promeruerunt à Regibus, quæ & parentes habuit ac conſanguineos Regij Chriſti Ordinis Torquatos Equites. Ioannis aui Materni fuere Ludouicus Garcez, illiuſque Coniux, Domina Franciſca à Coſta. Fuit autem Ioannes ſupremæ Generalis Hiſpaniarum Inquiſitionis, cæterarumque huiuſce Regni Cenſor & Conſultor, ſeu vt vocant Qualificator, nec non & Conimbricenſis apud Luſitanes.*

Hoc ſcilicet allatum nobis ex Hiſpania nuper ea de re monimentum: ex quibus prudens videris Lector, quàm ſubleſta fide tibi nuper Ioannis noſtri Catechiſmo præfatus Belga Hechtermannus Noſter aſſeruerit eum Luſitano Patre, Matre verò Belga ortum habuiſſe, qui Luſitana Matre, Patre Pannonio natus eſt: niſi nouo fortè Geographiæ calculo, eadem illi ſit Auſtriæ, ſuperiori ſve Pannoniæ & inferioris Germaniæ ſeu Belgiorum ſedes & regio. Sed hæc miſſa faciamus, Ioanneque noſtro ſuis reddito, vitam illius & geſta proſequamur.

IOANNES ergo noſter, gentilitio dicendus agnomine POINSOTIVS hiſce parentibus Oliſſipponæ natus, tenerè fuit & Chriſtianè educatus à puero, Conimbriamque miſſus ab illis, adoleſcens humanioribus literis imbuendus & artibus, quibus tam egregiam nauauit operam, vt & Lauream in illa Academia fuerit aſſequutus; ſacram ibidem mox auditurus Theologiam, ni Luſitaniâ excedere, Belgiumque migrare coactus fuiſſet à Parente, vocatus hac occaſione.

Cæſo Sebaſtiano Luſitaniæ Rege, infauſta illa in expeditione Affricana contra Muley Molucum Maroci Tyrannum ab eo ſuſceptâ, menſe Iunio anni 1578. Henricus Cardinalis ætate grauis & Sacerdotio, Sebaſtiani Patruus abauus, Rex eſt ſalutatus; qui infirma plerumque deinceps vſus valetudine, vix anno integro & dimidio parum fauſti prudentiſque regiminis exacto, fatis tandem conceſſit, ætate propè ſeptuagenarius, ineunte ſcilicet anno Chriſti 1580. pridie Kalendas Februarias, vltimus ille ſuperſtes Regiæ ſtirpis legitimus probatuſque ſurculus; Luſitano ſceptro plurium inde Principum exterorum, iure vel armis illud ambientium, diſputationi relicto. Antonius Ocratenſis Prior ex Ludouico Beienſi Ioannis III. Regis fratre altero & Yolanda dubia Conjuge Nothi regiæ ſtirpis Princeps, initio quidem à plurimis regni Proceribus Rex eſt acclamatus. Bragantinus verò Dux læua & origine ſatus è Regia Luſitaniæ proſapia, non ſuo quidem, ſed vxoris Catharinæ Eduardi Ioannis III. fratris Guimarenſis Dynaſtæ filiæ titulo Regnum ambiebat: ſed nec armorum nec amicorum ius ope fulciebatur. Philippus autem II. Rex Catholicus, multâ pecuniâ numeroſoque exercitu pulſo Antonio, ius ſibi ab Eliſabetha Luſitanica Emanuelis primogenita Caroli V. Imperatoris Parentis ſui Coniuge quæſitum indefeſſe proſequebatur, quâque arte & induſtriâ, quà & armis Regno tandem potitus eſt: pacatis rebus & populis, ac deuinctis ſibi regni Proceribus, in Comitiis Regni Generalibus Neobantiæ ſeu Tomari coactis ineunte anno 1582. Luſitaniæ Rex eſt ſalutatus. Vix Regni ſuſcepit ille habenas, cùm eo mox excedere, nouo iam in Gallum Belli vrgente apparatu cogitur, viceſque ſuas & noui illius ſceptri regimen alteri commendare. Luſitaniam Philippo properanti regnumque capeſſenti comes adfuerat Albertus ab Auſtria ipſi conſanguineus, Sanctæ tunc Rom. Eccleſiæ Cardinalis &

Archidux Austriacus, quem Regno recenter suscepto præfecit supremumque à se Lusitaniæ ditionis Proregem vnicum declarauit 1583. qui totis fermè tredecim annis felici prudentique regimine vsus, Lusitanis imperauit, ad annum scilicet 1596. quo sacrâ positâ purpurâ, ductâque Isabellâ conjuge Philippi filiâ, Belgiorum supremus Princeps & Dominus connubiali lege factus est. Eo igitur Lusitaniâ Hispaniisq; recedente, ac Belgium properante Petrus *Ioannis* nostri Parens, Alberti Cubicularius intimusque Aulæ domesticus, Principem sequutus itineri se adiunxit, Belgiumque peruenit, à quo postmodùm accitus vocatusque est *Ioannes* noster eius filius. Itaque Lusitaniâ relictâ, Louanium venit annos circiter 20. natus, Christi 1608. Theologiam auditurus: quo tunc tempore nouum huius Academiæ fulgebat lumen, nuper appulsus R. A. P. M. Fr. Thomas de Torres, Hispanus, Madritensis Conuentus sanctæ Mariæ de Atocha Ordinis Prædicatorum alumnus, à Reuerendissimo P. Hieronymo Xauierio tunc Ordinis Magistro Generali ante vnum alterumve annum missus, primariusq; Regens institutus; vir in paucis certè laudandus, qua pietate, qua eruditione, qua & cæteris animi dotibus, nulli secundus; quem extra domesticæ Ordinis Historiæ scriptores, commendant Valerius Andreas Desselius Fastis Academicis Louaniensibus ad annum 1607. accuratusque Hispaniæ Ecclesiarum Historiographus D. Gil. Gonçalez d'Auila tomo 2. Theatri Indicarum Ecclesiarum Hispaniæ pag 53. in Ecclesiæ Paraguiensis Antistitibus, vbi in hunc ferè modum de eo legitur: F. Thomas de Torres Ordinis Prædicatorum Ioannis ac Petronillæ de Gibaia Filius, Augusta Carpitanorum Matriti natus, Louaniensis S. Theologiæ Professor fuit emeritus, vnde reuersus in Patriam Zamorensis primùm, tùm & Matritensis S. Mariæ de Atocha Conuentus sui originalis, Prior electus; demùm & à Philippo II. Rege Catholico 21. Aprilis die, anni 1626. Præsul & Antistes Ecclesiæ Paraguiensis est nominatus, quam Sedem piâ prudentique administratione rexit & occupauit ad annum 1630. quo Limam tendens, ad Prouinciale Concilium vocatus, diem supremum obijt ipso in itinere positus. Sub huius ergo tantique Magistri auspiciis & disciplina, Louanij sacræ Theologiæ dedit operam Ioannes noster, mirosque in ea progressus fecit, qui & eam ob rem, vt assolet, & ob innumeras præclarasque, quibus pollebat plurimùm, animi dotes, cæteris carius habebatur à Magistro: cæteros etenim longè discipulos superabat, & ardore discendi & facilitate: adeò ut ex memoria sibi iam ante perspecta referre, potius quàm addiscere videretur. Sed & in eum impensius ferebatur Torrensis Præceptor, quòd singulari ingenitaque modestia præditum ac pietate videret. Baccalaureus exinde factus ac renunciatus in ea Facultate & Academia, dum laureandus stadium currit, de secessu deque abdicandis vltrò atque fugiendis mundi huius inquinamentis & illecebris, seria mentem eius primùm incessit cogitatio: quo sic vrgebatur, vt ad Magistrum sibi iam apprimè charum, plurimoque vsu familiari deuinctum, confugere, suamque illi mentem aperire decreuerit, opis aliquid ab eo reportaturus & consilij in re tanti momenti. Laudauit primùm Torrensis Præceptor Adolescentis ingenuitatem & consilij sanctitatem, explorauitque tandem & probauit, plurimarum discipuli partium morumque probe conscius; illique author fuit, vt Louanio relicto & Belgio, Madritum huius consilij causa contenderet, voti futurus compos, ac Prædicatorum Ordini, eidem cui & ipse Torrensis olim Magister, Conuentus Matritensis SS. Mariæ de Atocha nomen dederat, ipso sponsore, certò accensendus atque cooptandus familiæ. Libenter assensus est adolescens, variisque acceptis à Magistro ad præcipuos illius Prouinciæ Ordinisque Prælatos & Magistros literis, lętus discessit & alacer, atque Madritum profectus est. Regiam hanc appulsus Hispaniarum, Conuentum adijt, Priorique datis Torrensis Magistri epistolis, suscepti huius à se itineris causam consiliumque aperuit, sacro huic enixius postulans adscribi sodalitio: haud ægre cunctanterque votis illius & desiderio Patres annuerunt, qui virum sibi tantæ spei tantarumque dotium adiungi videbant. Summo ergò omnium consensu, summa & lætitia, eaque vel adolescentis Candidati præcipua, confecta res est, sacroque Prædicatorum amictu donatus. At Religiosam ille initians vitam (inquit Ramirez noster) & disciplinam, annorum tyrocinium virtutum canis spectabile reddidit, stupendumque prouectioribus, qui innatas potiùs, longoque sibi vsu familiares, quàm

labore partas virtutes exhiberet omnes. Nullus eo demissior aut abiectior, disciplinæ tenacissimus erat, somni cibique parcissimus, paupertatis amans, castitatem studiosè colebat: nullus eo rigidior aut orationi magis addictus. Ea demùm erat morum facilitate præditus & sinceritate, ea grauitate ac modestia, vt omnium in se amorem excitaret & stuporem. His certè &, plurimis alijs fulgens animi dotibus tyro nouus Ioannes intra domesticos lares, in publicum tandem prodire iussus est à Prælatis, Cõplutumque missus, qui celeberrimam Hispaniarum Academiam ac Diui Thomæ Aquinatis Collegium illustraret; iniquum omninò arbitrati sunt & tanta viri in terram effossa detinere talenta diutius, accensamque latere sub modio lucernam: *Nemo enim in absc ondito ponit eam, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.* Luc. 11.
Regiam, huic primùm addictus Collegio, adeptus est Cathedram Vespertinam, vicissim 33.
ac Primariam, totisque fermè quindecim annis sacræ Theologiæ publicum Regiumque inclytæ illius Academiæ Professorem egit, tùm & eiusdem sancti Thomæ Collegij Moderatorem. Erga Diui Thomæ doctrinam Angelicam, quam à Torrensi primùm Louanij hauserat, quâ & innutritus erat à puero, mirùm afficiebatur, à qua vel minimùm aberrasse vel recedere summa illi semper religio fuit. Totum itaque illi se deinceps addixit, ac in vno terendo, tenendo, assequendo, tradendo illustrandoque assiduus fuit Aquinate, cuius & acerrimus ille extitit propugnator, fidissimusq; semper audiit Interpres. Furtiuas omnes incertæ vel leuioris doctrinæ semitas auersatus, curiosarum ac futilium quæstionum ambages concertationumq; vanitatem inutilium aspernabatur, Regia hac vna Thomistica tutò incedens via Nec tamen ita se vni Scholasticæ permisit Theologiæ tricis & sentibus, vt & Topicæ alteri se Ioannes subduceret, quin eam ardentius est amplexatus: Illâ etenim acuitur ingenium, mens illustratur, suauique hominis intellectus luce perfunditur: alterâ mens impinguatur, vrgentur affectus, liquescit voluntas & inflammatur: plus autem ardere contendit ille, quàm lucere. Nihil ergo remisit à pristina viuendi ratione & austeritate, nihil ab orationis frequentia, solitis (vt plerumque alij) corporis afflictationibus nihil detractum voluit; quin & maiores iis & frequentiores addidit: somnus illi breuior & leuior, potus cibusque parcior, productior oratio & ardentior, familiariorque ac diuturnior silentij cellæque custodia. Lectionis & studij comitem posthac assiduam habuit & indiuiduam orationem; nec improbo tantùm studio conabatur abstrusas & arduas Theologiæ assequi difficultates, ieiunio & oratione vincebat: fuitque ab eius excessu (vt author est idem Ramirez Noster) qui se ab eo, dum viueret, excepisse testaretur, obscuram illi & implexam olim impeccabilitatis Angelicæ quæstionem ieiuniorum austeritate, orationisque tandem assiduitate diuinitùs impetrato lumine, fuisse perspectam. Cellæ sic additus erat, atque tùm ab exterorum, tùm & à communi frequentioreque consortio recedebat, vt positus in tumulo iacere, aut latere detentus ergastulo videretur. Paupertatis amore sic capiebatur, vt nec pro more vel eo quo erat gradu & loco, sibi quicquam seruare ausus fuerit, veritusque sit etiam literas reddenti Tabellario mercedem & stipendium sine Prçlati conferre facultate. Quæ ex repetitis operum suorum editionibus, aut aliundè quovis obueniebant modo pecuniæ, non sibi priuatoque seruabantur vsui & commodo, sed Prioris Atochensis permittebantur omnes arbitrio, vel communi Collegij sui Complutensis impendebantur subsidio. Morum ingenuitate omnium in se alliciebat animos; aspectu gratus, vultu & mente compositus, incessu grauis, occursu facilis & colloquio fuit: ab omni fuco simulationeque semper alienissimus. At licet tantus ab omnibus haberetur, longeque cæteris & gradu & merito prçcelleret, de se tamen adeo demissè sentiebat, vt nulli se non inferiorem arbitraretur: atque hinc illi tanta in arguendo aut respondendo lenitas & modestia, vt nec prouocatus nec concertationis vnquam feruore abreptus, verbo quemquam læserit pupugeritque. Lenitatem innatam dictis, factis modestiam præferebat. Nullum lacessere, nullum aspernari vel austero tumidoque Magisterij supercilio dedignari visus est: sed nec aliorum fortè disputando verbis impetitus procacioribus accendebatur aut reponebat, solus si modò ipse premeretur, non veritas. Indignum planè reputans & Christiana mansuetudine & Theologi dignitate, purissimæ diuinæque Sapientiæ maiestatem humanæ insipientiæ fœdare contagio,

Cassiod. mulierculárumque vel puerorum mordere rixantium more: *Ad iniurias enim illi prosiliunt qui se superatos turpiter erubescunt.* Sacrum quotidie summa cum animi deuotione ac præparatione celebrabat; nec ad tremendam Domini mensam, nisi præuia culparum vel leuissimarum Confessione & Pœnitentia audebat accedere. Subleuandis solandisque miseris vinctis & pauperibus plurimùm delectabatur, quos & frequens ac lætus adibat; quibus & quicquid potis esset opis & auxilij seu spiritualis seu temporalis promptus impendebat: nec enim eos verbo tantùm & exemplo recreare solarique contentus erat, sed & corporali quotidianoque fere cibo pascebat: quæ vel ex librorum editionibus, vel publicis muneris sui stipendijs, illius vsibus dispositionique, Prælatorum voluntate relicta permissaque erant, omnia in illorum sinus larga & prompta effundebat manu; tantumque illis afficiebatur, vt & de oblatis quotidiani prandij obsonijs, substracta sibi plurima vinctis & pauperibus distribuenda seruaret, vt ei cum Sancto Iob gloriari vere licuisset in Domino & dicere: *Si negaui*
Iob.31. *quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci; si comedi buccellam meam so-*
16. *lus, & non comedit pupillus ex ea: Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, &c.* Sed augebat Ioannis liberalitatem & pietatem, iuuabatque sacrum Quadragesimalis ieiunij tempus, cuius adeò rigidus austerusque fuit obseruator, vt solo pane cibatus & aqua, cætera reficiendis deferenda curaret indigentibus, pascendus ipse laboribus assiduis & inedia, virtutumque pene omnium interim exercitatione saginandus. Non vna tamen ciborum abstinentia & parcitate corpus subigebat, sed & illud inseruire spiritui, legique mentis obedire cogebat durissima tractatione, crebris illud & asperrimis contundens laceransque verberibus & disciplinis, quibus & tanta efflueret æstuaretque sanguinis hinc inde copia, vt non sola carni adhærens interula vel amictus interior, sed libri ipsi & paries, patulaque vndique omnis cellæ curta supellex aspersa cruore fulgeret.

Fidei Censor apud Conimbricenses varijsque in Hispaniarum Inquisitionibus, demùm & Generali, totiusque Regni suprema factus, vix dici possit quàm sedulus, quàm prudens ac vigilans in obeundo fuerit munere; quàm graues & multiplices ille pro seruanda tutandaque fide labores subierit. In arduis Fidei causis & confessibus, illius præcipuè consilij ratio habebatur. Vtque illius erat apud omnes authoritas plurima, pietatisque ac scientiæ fama, maiora illi plerumque Sancti Officij negotia committebantur, quibus integritatem & solertiam animique robur inuictum exhibuit. Morum integritati fideique puritati sacer ille generalisque Senatus Hispaniarum inuigilans, nouum fermentatæ doctrinæ vitandęque Lectionis authorum expurgatorium opus moliebatur; quod quantæ sit operæ, laboris & iudicij, quantas & arguat viri partes, nemo non videt: Ioannis id curæ, eruditioni fideique creditum est, cuius & opera studioque absolutum posteà, quantum illud est, eiusdem Senatus authoritate firmatum cusumque prodiit in lucem summo Hispaniarum prouentu, summo & Ecclesię Catholicæ commodo.

Dum sibi sic vacat & literis, sorte contentus sua ac tranquillitate gaudens, ab intimis deuinctissimisque sibi fratribus & discipulis, priuatis, non illius votis ac desideriis actis molestissima illisque succensendi nata est occasio: quoque ipsi magis addicti erant, hoc & iniquiores eos habebat & grauiores, qui priuatim hactenus inter Academicos Lusus cellæque delitias delitescentem ac quiescentem vel inuitum rapiebant sibiq; & Conuentui suo Madritensi præficiendum optabant & ambiebant. Bis illis succensus fuit, qui bis quietis illius & modestiæ pararunt insidias: bis eorum fefellit vota, qui bis illum Atochensis Regij Conuentus sui Priorem elegerunt, confirmandumque frustra curarunt: Literarum & otij studio captus, haud imperij, à quo nimirum toto abhorrebat animo, detrectauit onus, nec alieni unquam regiminis grauari pondere, vel exteriorum ac temporalium anxietatum sollicitudinumque vorticibus abripi passus est ac immergi. Immotus itaque Complutensi suo Sancti Thom. semper adhæsit Collegio, Professor emeritus ac Moderator, sciendi auidus, nesciri cupidus, cui dudum inclita hæc Academia Magisterij Lauream vel inuito detulerat, erudiendisque vacabat discipulis, proprijsque cudendis operibus, quorum hîc ad calcem tibi seriem adnotamus.

Portum se tutissimum arbitrabatur appulisse, quo tranquillam deinceps viueret vitam omnique solicitudine vacuam, nec ab irritis pulsatarum à se longius reiectarumque pluries, qua & aliàs in Ordine, qua & extra Ordinem non semel oblatarum dignitatum infularumque fluctibus tuto sibi timebat à scopulis. Altius ille tùm quiescebat; & ecce noua illi tempestas ingruit, iratique maris tandem abripitur fluctibus, tantùm non obruitur. Quis enim non obrutum credat, qui morientem se mortuumque luget & clamat? sic planè viro contigit; dum enim libris instat & cellæ securus, à Philippo Rege verè Magno verè Catholico huius nominis IV. vocatur ad Aulam, vnusque is è tantis ipse deligitur, qui Regio comes adsit indiuiduus ori & lateri, qui saluti illius instet & præsit, sitque illi ab arcanis Confessionibus intimisque Consilijs. Suscepit quidem qua par erat regia manu exaratas ea de re literas, quæ Compluti palam illi redditæ sunt, quibus & ea ipsa die Complutensi relictâ Cathedrâ & Collegio, Augustam Carpetanorum Regiamq; properare iubebatur, tacitusque & silentio legit, (inquit Ramirez noster Ioannis ipse gentilis eius & discipulus, testis forsan & ipse oculatus.) Toto pallens ore, lingua & oculis conturbatus, totoque deficiens pectore & animo, in has ille erupit voces: *Actum est de vita mea, mortuus sum: Orate pro me.* nihilque his addidit aut interrogantibus rei quicquam aperuit, quæ mox euentu ipso cunctis innotuit. Paruit ille Regi imperanti, Matritumque illicò perrexit, quò vel nolens accedere cogeretur; sed animo prorsus quaqua posset & id à se deprecandi oneris & honoris fugiendi, vel de eo suscipiendo Prælatum consulendi. Itaque non Regem statim Regiamve ille Matritum appulsus auidus adijt, sed Regiam Atochensis Conuentus sui domum; hasq; indidem suum ad Prouincialem Reuerendum admodum P. Mag. F. Didacum Lopez Prouinciæ suæ Hispaniæ Præpositum, tum Vicarium Generalem (quippe recens electus ille fuerat in Prouincialem, confirmationisque literas de more præstolatus, Vicariâ iam authoritate Prouinciæ præerat) Matrito dedit literas, tanta animi demissione & humilitate, tanto & regularis obseruantiæ zelo plenas ac refertas, vt & posteritati injurius sit & authori, qui alienis verbis mentem illius explicare velit; Religioque mihi fuerit æternum id viri tanti monimentum non consecrasse. Sic ergo ille vernacula quidem Hispaniensium lingua, quam Lectoris gratia latine reddimus.

Reuerende admodum Pater ..... omni plane confusione dignissimus essem infaustaque mihi omnia vererer, solus si mecum ipse in re tanti momenti, tam ardua, tenuitatisque meæ viribus adeo dispari solus consulerem, propriaque quicquam statuerem voluntate vel arbitrio, nec me totum obedientiæ Prælatorumque meorum permitterem imperio. Regiæ ipsius Majestatis (quam æternum seruet Deus incolumem) iubeor nomine, posthabitis Cathedra & libris, huc ad illam hac ipsa me accingam die, illique præsto sim, meam illi impensurus operam. Iam ergo Paternitati vestræ admodum Reuerendæ omnino incumbit attendere statuereq; quid mihi circa id agendum sit, cui iam alter ab ipsa non est, ad quem hîc in terra confugiam, S. Dominicus. Quidquid ipsa iusserit, eiusque ore prodierit, ipso Dei ore prolatum intellexero, id tantum audiam, quaque potuerim animi demissione ac fidelitate exequar. Si autem P. V. A. R. parere iusserit, meq; illuc proficisci velit: hoc primum ab illa humiliter postulo, mei nunquam vt obliuiscatur; cùm perspectum illi sit, me, quocunque tandem ire iubeat, gregis sui fore semper ouem & permanere. Deinde rogo mihi facultatem faciat ad regulæ normam Constitutionumque præscripta deligendi Confessarium, cui eam quam voluerit & viderit conferat authoritatem. Rogo etiam licentiam impertiatur ex pecuniis & stipendiis, quod ipsi consentaneum æquumque videbitur retinendi & expendendi; Vtque, quæ mihi obuenerint pecuniæ, penes Socium nostrum velut depositarium à P. sua A. R. specialiter deputatum asseruentur. Postremò, vt si qua mihi vtendum occurrerit dispensatione Regulæ vel Constitutionum velut non vescendi carnibus, non equitandi & id mihi facultatis largiatur, non tamen lineis ad carnem vtendi, circa quod mecum nec dispensatum velim nec dispensari debet aut vlla subest dispensandi causa. P. V. A. R. enixius & supplex oro, dignetur omnibus hisce respondere articulis, & ad cuiusque oram & marginem adnotare, vt ea memoriæ commendem. Paternitatem V. A. R. semper incolumem seruet Dominus, Matriti die vigesima Maij anni salutis humanæ 1643. P. R. A. R. Filius F. Ioannes à SanctoThoma. Hæc ad Prouincialem suum de sui in Regis Confessarium assumptione Ioannes noster;

quo Tyronem ac nouitium vel minimum nouissimumque demissiorem se præberet posse non arbitrer: adeò se non credebat sibi, adeò alienus erat à propria voluntate & arbitrio, vel ab aucupandis honoribus & titulis. Prælato igitur seu Prouinciale iubente & imperante, Aulæ se velut incerto mari committit, sui diffisus, obedientia tutus Regiam ingreditur ac Regi se sistit plurimaque ei ingerit, quibus à sui delectu susceptoque consilio dimoueret: nec dubium est præter solita infirmitatis propriæ ac tenuitatis argumenta, & illud præsertim auxisse & addidisse, maternæ originis suæ, qui Lusitana Lisboniensiq; natus erat matre; addit Baronius Noster (qua fide latet) & Gallo Patre, adeoque & gente satus hostili, Regique infensa ac perduelli; qua cum recens Hispaniensi excusso iugo, ac Bragantino Rege suscepto, cruentum illi & atrox bellum indictum initumque fuerat. At Philippus Rex his & similibus nec quidquam motus, à proposito delectoque viri non recessit, sed Aulæ sibique semper adesse voluit; cuius facturum se satis voluntati & desiderijs, operamque suam libenter impensurum spopondit Ioannes, si tamen duo prius ab eo obtinuisset, quorum certa consequutione, eius deinceps firmissimè addictus foret obsequio: Nullam videlicet sibi offerret vnquam & impertiretur dignitatem aut infulam; annuos & vt muneri suo addictos minueret census, seruatisque sumptibus sibi & Socio necessarijs, cætera pauperibus erogaret, aut eis eroganda sibi committeret & iuberet. Obstupuit Rex Catholicus, virique animum miratus, omni sic auaritiæ & ambitionis contagio vacuum, tantumque ac talem incidisse in hominem lętabatur, quem & idcircò maiori pretio habuit & reuerentia. Nec contentus ei velut perfunctoriè quotidianos aperire lapsus, integrum totumque se illi credere voluit, interioremque sui hominem aperire, pristinam omnem videlicet reuocando vitam & excutiendo. In eum itaque finem paulò post iubet pijssimus Rex & Catholicus, rogatque Ioannem, vt facilem illi certamque præscriberet methodum discussionis illius vel Confessionis generalis ineundæ. Paruit ille, verbisque leuissimum & paginis, scripsit ea de re, Regique inscripsit ac transmisit opusculum, verè forti pectore dignum & integro viro, non palpone, quam nec Aulæ artes & blanditiæ frangere possent aut insidiæ, nec Aulicorum primorumque potentia vel nimia authoritas à suo deterreret munere, à Regis promouenda salute dimoueret. Huic illum immortuum operi crediderim, qui non multo post tempore vita functus est & officio: vt verè dicatur huic immoriens operi, pro Regis Regnique salute fortiter mortem oppetijsse, lethalemque hanc illi fuisse opusculi operam, cui vix dum edito superstes adhuc viuere non licuit.

Cæterum Aulæ addictus, nec quicquam ille Aulæ vitijs inquinari passus est, aut mutata sede pristinos mutauit mores. Eadem illi in Regia ipsa, quæ olim in Collegio, viuendi ratio fuit: non victus delicatior, vestis pretiosior, cultus elegantior, sponda mollior: orationi, medias licet inter Aulæ ambages & tumultus positus, instabat frequentissime; de pristina vestium vilitate nec rogatus quicquam voluit immutare; aut de corporis afflictationibus aliquid imminuit & exercitijs. Eadem illi etiam pauper & curta cellæ suppellex, non picturis illa fulgebat elegantioribus & auro, non aulęis ornata, musiuove opere aut toreutices arte, perita manu laborata gloriabatur: Nuda semper, sed munda cella contentus fuit, stratoq; humili ac pluteo paucissimis, ijsque vsui necessarijs libris opportuno.

In Consilijs Regijsque quibus intererat omnibus, quà fidei aut regiminis politici, quà pacis ac Belli Consessibus & Consistorijs, suum ille iudicium non ad cuiusquam etiam Ministrorum aut Aulicorum Regis gratia potentium aures, sed ad Regis salutem populorumque vtilitatem & tranquillitatem accommodabat, doli expers & nescius fingere nesciebat aut dissimulare, animique sui sensa vel leuiter inflectendo aliorum etiam Regis, obliquis componere consilijs: nemini nouerat assentiri: si quid in publici priuatique cujusquam juris pręjudicium & injuriam ab ipso Rege vel Ministris attentatum nouerat, modeste quidem, sed intrepide monebat & arguebat emendandumque curabat: quo certe nomine nonnullam sibi apud Aulicos quandoque & Administros creauit inuidiam, quos fortè malè haberet Regis Confessarium, Regis vnius ac Regni saluti intentum, Populorumque ac pau-

perum

perum strictius addictum necessitatibus, prauis eorum quandoque consilijs artibusque contrarium experiri, communi vel ambitioni vel auiditati minus facilem & commodum, quod æquum, quod sanctum, quod Rege verè dignum Catholico Deoque acceptum, magis vanas nihil moratus regulas humanæ Politices, intrepidus vbique ingerebat; valideque vrgebat argumentis; nullum cuilibet displicendi, imminentisque sibi inde dispendij deprecatus periculum, modò rectè fungeretur officio, modò Regni Regisque saluti consuleret, Lesbia nulli nec Regi factus vsquam Religionis aut morum regula: Creuitque hinc in eum amor & obseruantia Regis, qui & virum vni sibi fidissimum addictissimumque & Regno probauerat, rectum, integrum & inconcussum. Eius ille præsertim vtebatur consilijs in rebus Fidei vel Ecclesiæ, in Insularum Dignitatumque Ecclesiasticarum ac censuum distributione; iudicijque illius à Rege potissima ratio habebatur, quòd censorem illum nouerat rigidissimum, perspicacissimum obseruatorē & vitiorum & meritorum; apud quem nec priuatus in suos aut sodales ac symmistas, aut affines & amicos vnquam præualeret affectus.

Nec iam Regio admotus lateri & auri, cæteris que gradu altior, pauperum consortium dedignabatur & alloquium. Qui literis cum quacunque de re conuenisset, responsum mox ab eo, grauioribus quantumcumque negotijs implicito, manu ipsius propria scriptum accipiebat. Omnibus sese facilem ille præbebat & obuium, miserisque præsertim ac pauperibus, quibus semper patebat aditus, reseratæque omnes erant illius & fores & aures, quos ille solebat excipere blandius, patienterque audire ac solari; quorum perpetuus apud Regem Intercessor & Patronus erat, quandoq; etiam importunus. Nec enim alacrior ille Regem adibat, quàm ei pauperum libellos, miserorumque petitiones oblaturus; cui grauiter aliquando fortè id impatienterque ferenti, modestè reponebat & instabat, se, quo fungebatur in eum munere, & Patrem audire Pauperum, quibus aut nullus esset ad illum aditus, aut difficillimus; sibi causam illorum à Deo commendatam & commissam, vocemque illorum proinde sibi datam esse & habere, qui Regiâ arcentur, qui & clamoribus suis cœlum ipsum penetrantibus ac petitionibus, negatam Regis aurem implere prohibentur; has germanas esse ac præcipuas Regis Confessarij, quas & obire deberet partes: quibus fractus Optimi Principis animus, libenter patienterque Ioannem audiebat, ac sustinebat pauperum causas agentem ac perorantem.

Regio muneris sui stipendio censuque annuo, oblatisque sibi quibusvis à Rege muneribus & pecunijs, sic vtebatur, vt ex illis primò suis ac Socij sumptibus omninò necessarijs occurreret, cætera, quæ immensa frequenter erant & plurima, miseris erogaret ac pauperibus, Viduis, Orphanis, Vinctis, Cœnobijsque sexus vtriusvis inopia laborantibus aut Militibus. Vidit & ipse aliquando Ramirez Noster Ioannis olim discipulus amantissimusque filius, cùm Regem ille secutus, Milites omnes Exercitumque recensentem, aureorum Philippicorum vim non modicam singulis ipse militibus fame ac penuria oppressis & pauperibus, larga numeraret porrigeretque manu. Atque hæc ab illo, in distribuendis Eleemosynis, militum ratio habebatur, quòd Regiæ Regijque essent ac publici juris & ærarij, quæ illi obuenerant munerique suo addictæ erant pecuniæ, quas proinde & in Regis Regnique commodum & defensionem, cui merebant milites, expendi cedereque conueniebat.

Obstupuit Aula Hispanica, mirabaturque se tantis Lusitani fulgere virtutibus, gaudebatque noui Regiæ huius firmamento exorti syderis luce perfundi; solis inuisa malis, bonis acceptissima, vel *Philippo* maximo Catholico verè & *Magno* Regi suauissima, qui vigilante *Ioanne* securus dormiebat; qui eo speculatore ac salutis suæ & populi custode & Vade, seu firmissimo tutus propugnaculo ac præsidio, sibi Regnoque timendum arbitrabatur nihil. Optabatque pijssimus optimusque Princeps, perpetuum sibi fore comitem ac superstitem. Optabant & boni omnes Virum in seros longosque annos Regno seruari incolumem; quem solo extorrem & inutilem sola inuidia vel iniquitas optasset. Fauit huic inuida mors & infida partesq; illius egit, quæ tantum inuidit eripuitq; Regi & orbi Virum: at non improuisa, etsi infida, etsi immatura, quæ optata illi venit, quæ & diu prænunciata præuisaque fuit; quam ante annum præscius ipse Compluti primùm & viderat & hauserat. Hanc ergo Fragæ lætus

aſpexit & ſuſcepit: (Nobilis hic eſt Aragoniæ locus ad Cingam poſitus, ac quã Flauiã Gallcaui Antiqui vrbẽ dixere.) Illic fortè Ioannes diuerterat, cum æſtuantis & malignæ febris ardoribus impetitus eſt, quos vt expertus eſt, morti ſeſe compoſuit. ac licèt mens illi pura, omnique ſordium labe immunis animus, ſeueriori tamen ac generali anteactæ vitæ totius diſquiſitione & repetitione, culparumque præteritarum omnium Confeſſione ſacramentali & Abſolutione mundari voluit, quo ſacrum Chriſti Corpus & Viaticum puriori mente ſuſciperet. Hoc quippe votis concupierat petieratque ardentiſſimis. Aderant Fragæ morienti Ioanni tùm fratres & amici non pauci Magnatumque plurimi, tanti viri periculo acciti. Non ſuſtinuit æger quietum ſe in lecto jacentem conueniri à Domino: vt accedentem audiuit, ſeque inuiſentem, fractis licet viribus, totoque morbi violentia luxato ac nutante corpore, aſſurgere venienti voluit & occurrere; humique deiectus ac genuflexus adorauit: tum veniam ab adſtantibus omnibus enixius petens, Deumque, quem præſentem credebat, quem ſuſcipere expetebat, quem & breui iudicem expectabat, teſtem aſſumens, ſupremo ſolemnique iuramento proteſtatus eſt (inquit Ramirez Noſter) ſe Philippo Regi nihil vnquam dixiſſe vel conſuluiſſe, quod è re ipſius, inque commune Regis ac Reipublicæ bonum Deique Opt. Max. ac Eccleſiæ obſequium cedere non arbitratus fuiſſet: Nec totis fermè triginta ab hinc annis quicquam ſcripto vel ore, ſeu ijs quos antè ſcripſerat, docuiſſe libris, quod Fidei Catholicæ Diuique Thomæ Doctoris Angelici doctrinæ conſentaneum cohærenſque non credidiſſet; hiſque dictis perfuſos lachrymis adſtantes intuitus, temperare juſſit & objurgauit: proq; impetranda ſibi, atq; adeò obtinenda peccatorum venia, non pro arcenda jam inſtante vicinaq; morte eaq; deprecanda, vel protelanda vita, fundendas monuit & rogauit: viribuſque ſe omnibus deſtitui ſentiens, ſacro petijt obtinuitque inungi Oleo. Demum & cunctis valedicens, mortiq; ſe componens, iam totus ſe ipſo major, venientem lætus & fortis mortẽ aſpexit: vnum mente Deum intuitus, eiuſq; miſericordia fretus, quam aſſiduè deprecabatur & implorabat: atque inter ſuauiſſima illi Ieſus, Mariæ & Dominici ſæpius ore & corde repetita nomina, ſole iam deficiente, luce fruiturus æterna, luci ſubduxit oculos, mortalitatemque expleuit & exuit immortalitate donandus, decimo ſeptimo kalendas Iulij, anno ſalutis humanæ milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, ætatis ſuæ penè iam integrè exacto quinquageſimo quarto, vt ipſo ſic vna cum ſole recedente, alterumque ineunte orbem, gemino orbata ſole Hiſpania, geminis immerſa offuſaque tenebris cætutire videretur.

SERIES OPERVM

R. P. F. IOANNIS A S. THOMA Vlissipponensis Ordinis Prædicatorum.

CVrsus Philosophicus sæpius in Hispanijs, Germania, Italiaque recusus ac varijs formis, qui primùm in Hispania 1637. prodijt, Dialecticam Philosophiamque Naturalem complectens.

Dialectica 4. partibus subdiuisa, Institutiones (quas Summulas dicunt) tum Porphyrij Isagogen ac Categorias, dein Prædicamentorum decem seriem; tandem & Libros Perihermenias ac Posteriorum Aristotelis absoluit.

Philosophia verò Naturalis, quæ de Ente mobili agit, partibus etiam 4. diuisa. Prima, Libros Physicorum octo partesq; duas continet, quarum prima de Motu in cõmuni eiusque principijs agitur; secunda verò de Motu Locali. Parte 3. de Motu Alterationis, seu Ortu & Interitu agit; Vltima tandem & 4. de Motu Augmentationis, seu Viuentis differit, Librosque de Anima exponit.

Prodijt hic Cursus Rationalis Naturalisque Philosophiæ Madriti 1. in 4. excusus 1632 & an. 1648. ibidem quintò recusus. Coloniæ etiam in 4. tomis 3 excusus ac Romæ 1638. apud Manelphum Manelphij in 12. tomis 9.

Cursus etiam Theologicus tomis octo distinctus hoc ordine.

Theologiæ Tomus I. Compluti 1. excusus 1637. in fol. apud Ant. Vasquez, Ianuæ iterum 1654. & Nouissima corruptissimaque ac mutila Lugdunensium typorum editione 1663. recusus in 1. partem D. Th. agit à qu. 1. ad 15. qu. de Attributis Dei, ex Typog. Benedicti Guaschi;

Theolog. Tom II. Lugdun. tantum; bis tamen excusus; ac 1. quidem typis Petri Prost an. 1643 autore editionem parturiente, 2. verò 1663. corrupta editione prædicta in eandem 1. partem D. Th. à quæst. 15. ad qu. 27. de cæteris Dei Attributis differit.

Theolog. Tomus III. Ibidem & toties recusus qua tomus præcedens in eandem 1. D. Th. partem, à qu. 27 ad calcem de Trinitate & Angelis differit.

Theol. Tom. IV. Matriti I. excusus 1645. autore iam vita functo cura R. P. Didaci Ramirez eiusdem Ordinis Conuentusque Atochensis Madritensis S. Th. Lectoris, ac iterum portentosa fœdissimaque Lugdunensi editione 1663. recusus. In 1. 2. D. Th. à qu. 1 ad 21. de Vltimo fine & Actibus Humanis agit.

Theol. Tom. V. toties & ibidem qua tom. præcedens iisdem typis excusus in 1. 2. à qu. 21. ad lxx. & à qu. cix. ad finem de Passionibus, Virtutibus ac Vitijs, ac demum de Gratia disputat.

Theol. Tom. VI. Matriti I. prodijt eodem R. A. P. Didaco Ramirez editionem adornante & curante an. 1649 in fol. dein & iterum. sed horrendis illis Lugdunensium typis 1663. in 2. 2. Th. à qu. 1. ad qu. 23. & qq. 64. 81. 83. & 88. &c. exponit. Vbi de Virtutibus Theologicis, de Authoritate Papæ, Homicidio, Irregularitate, Religione & Oratione disputat. Cui & subiecit Ramirez Quæstiones Quodlibeticas septem ex pluribus ab Authore olim agitatis selectas, quas Expositiuas nuncupat.

Theol. Tom. VII. qui Madriti I. Regijs Typis ann. 1656. eodem curante Ramirez excusus est in fol. dein & mendosissima Lugdun. ac nunquam pro modo satis vituperanda damnandaque editione 1663. recusus in 3. partem D. Th. à qu. 1. ad 26. de Incarnat. Domini N. I. C. agit.

Theolog. Tom. VIII. & vltimus hic est qui modò nostra hac primùm Parisiensi editione 1667. curisque nostris prodit in 3. Partem D. Th. à qu. 60. ac deinceps; in ea explicatis quæ sunt de Sacramentis in genere, & quæ de Venerabili Eucharistiæ Sacramento nec non de Pœnitentia; reliquis illi desideratis, siue tantæ operæ non putauit, siue per negotia alia vitæque annos non licuit.

Scripsit prætereа Ioannes noster à S. Th. vernacula Matritensium Hispaniæque linguæ Catechismum omniũ pene manibus tritum, totiesq; in Hispanijs recusum in 16. vt inutile sit editiones adnotare, cui titulũ fecit *Compendium doctrinæ Christianæ* &c. quod & Latinè reddidit ediditq; in 16. Bruxellis 1638. typis Francisci Viuion eiusdem Ordinis Belga R. P. Henricus Hechtermans S. Th. Licent. & Professor, qui plura de huius Opusculi Autore & editionibus præfatur.

Scripsit & prætereа instante iubenteq; Philippo Magno IV. Rege Catholico. cui tunc ab arcanis erat sacrisque Confessionibus, breuem & succulentam Generalis Confessionis faciendæ Methodum priuatis Regis vsibus traditam.

INDEX QVÆSTIONVM, DISPVTATIONVM, ARTICVLORVM, CONCLVSIONVM, DVBIORVM,

Tractatus de Sacramentis in genere, deque Venerabili Eucharistiæ Sacramento & de Pœnitentia,

Reuerendissimi Patris Magistri Fr. JOAN. à Sancto Thoma.

Quęstio sexagesima, de Sacramentis.

ORdo doctrinæ materiæ huius, de Sacramentis. 1.

Disputatio XXII. *De Quidditate & Essentia Sacramentorum.* 2. 2.

Art.I. *Vtrum Sacramentum sit in genere Signi.* 2. 2.

Sacramentum analogum ad plura, dicentia ordinem ad sanctitatem.

Sacramentum in genere Signi.

Ratio causæ non omnibus Sacramentis communis.

Dubium 1. *An Sacramentum sit in genere Signi.* 4. 1.

Dub.2 *An genus Sacramenti Signum sit, quod est Ens rationis.* 7. 1.

Sacramenta, Quomodo dicenda Ens rationis. 10. 1.

Dub.3. *Sacramentum, An Signum sacrum & secretum.* 11. 1

Dub. 4. *An sit de ratione Sacramenti esse causam realem alicuius sanctitatis.* 13. 1.

Dub.5. *An Sacramentum sit Signum practicum Gratiæ.* 16. 1.

Dub. 6. *An esse causatiuum Gratiæ per se competat Nostris Sacramentis.* 17. 1.

Art. II. *Vtrum omne signum rei sacræ sit Sacramentum.* 20. 2.

Sacramentum Signum rei sacræ vt sanctificantis nos. 21. 1.

Dub. 1. *An sit exacta Sacramenti definitio.* 21. 2.

Dub. 2. *An Noua & Vetera sint vniuocè Sacramenta.* 24. 1

Art. III. *Vtrum Sacramentum signum sit vnius rei tantum.* 26. 1.

Sacramentum, signum omnium, quæ ad nostram sanctificationem causandam concurrunt.

Sacramentum, rememoratiuum Passionis Christi, &c.

Dubium vnicum. *An Sacramenta omnia significent tria illa enumerata à S. Thoma.* 26. 2.

Art IV. *Vtrum Sacramentum sit semper res aliqua sensibilis.* 30. 2.

Sacramentum semper res sensibilis.

Dub.vnicum. *An sit de Essentia Sacramenti esse rem sensibilem.* 31. 1.

Art. V. *Vtrum requirantur determinatæ res ad Sacramentum.* 33. 1.

Vtendum rebus à Deo institutis in Sacramentis.

In Lege Naturæ, earum determinatio ex interiori instinctu.

Dub. vnicum. *An res Sacramentorum sint determinatæ, & à Deo.* 33. 2.

Art.VI. *Vtrum in significatione Sacramentorum requirantur verba.* 36. 2.

Congruum Sacramenta constare rebus & verbis.

Ex illis vnum, vt ex materia & forma.

In Sacramentis Antiquis non necessaria verborum forma.

Dub. 1. *An Sacramenta constent rebus & verbis, tanquam materia & forma.* 37. 1.

Dub. 2. *An horum vnio sit physica & realis, vt partium componentium Sacramentum.* 40. 1.

Art. VII. *Vtrum in Sacramentis requiran-*

tur determinata verba. 44.1.
Requiruntur determinata verba, Nam & res determinatæ. Valent in quacunque lingua prolata; assumenda quæ magis ex vsu.
De industria corrupte proferens, non videtur conficere, &c.
Dub. vnicum. *An requirantur determinata verba ad conficiendum Sacramentum.* 44.2.
Art. VIII. *Vtrum liceat aliquid verbis formæ addere.* 47.2.
Mutans verba cum intentione inducendi nouum ritum non receptum ab Ecclesia, non videtur conficere.
Mutatio vel additio, quæ sensum non tollat, non officit; secus verò, &c.
Dub. 1. *An sit semper inualidum Sacramentum, Ministro intendente inducere nouum ritum ab Ecclesia non receptum.* 48.1.
Dub. 2. *Quod peccatum, addere aliquid aut minuere in formis Sacramentorum.* 50.1.
Quæstio LXI. *De Necessitate Sacramentorum.* 53
Art. I. *Vtrum Sacramenta sint necessaria ad salutem.* 53.1.
Sacramenta sunt de necessitate salutis.
Dub. vnicum. *An vera sit conclusio S. Thomæ.* 53.1.
Art. II. *Vtrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta.* 56.1.
Non fuerunt necessaria. Emend. Conclusio est negatiua, *pro eo quod est*, affirmatiua.
Dub. 1 *An Sacramenta fuerint de facto in Statu Innocentiæ, in Adamo & Eua.* 57.1.
Dub. 2. *An si ille status perseuerasset, futura essent Sacramenta.* 59.1.
Art. III. *Vtrum post peccatum, ante Christum, debuerint esse Sacramenta.* 63
Debuerunt esse Sacramenta; eorumque Christus fuit causa finalis.
Sacramenta veteris Legis & Legis naturæ, vt determinatum & indeterminatum.
Sacramentum Melchisedec similius Eucharistiæ in materia; Agnus Paschalis & Mosaica, in re significata.
Dub. 1. *An in Lege Naturæ fuerint vera & propria Sacramenta.* 64.1.
Dub. 2. *An in Lege Naturæ & Veteri fuerint Sacramenta aliqua pro remissione peccatorum actualium.* 68.2.
Dub. 3. *An Passio Christi fuerit causa efficiens Sacramentorum & Gratiæ Veterum Patrum.* 71.1.
Art. IV. *Vtrum post Christum debuerint esse quædam Sacramenta.* 73.2.
Debuerunt esse, eaque à Veteribus distincta.
Quæstio LXII. *De principali Effectu Sacramentorum, qui est Gratia.* 75.1.
Art. I. *Vtrum Sacramenta sint causa Gratiæ?*
Sacramenta Nouæ Legis necessariò per aliquem modum causæ gratiæ.
Non satis est, Deum illis adhibitis hanc producere.
Sacramenta, causæ gratiæ instrumentales, non principales.
Dub. 1. *An Sacramenta causent Gratiam, & hoc sit de fide.* 75.2.
Dub. 2. *Vtrum omnia Sacramenta per se habeant, & secundum rationem genericam causare primam Gratiam.* 79.1.
Dub. 3. *Quæ dispositio necessaria ad accedendum ad* Sacramentum. 86.1.
Dub. 4. *Vtrum idem Sacramentum secundùm speciem, semper habeat eundem effectũ.* 90.1.
Dub. 5. *In quo tempore vel instanti Sacramenta causent gratiam.* 93.2.
Dub. 6. *Vtrum Sacramenta sublato obice & fictione, suum effectum habeant.* 98.2.
Per quid tollatur fictio. 99.1.
In qua mensura detur gratia recedente fictione. 100.1.
An Sacramenta causent physicè, vel moraliter recedente fictione. 102.1.
Dub. 7. *An res sensibilis esse possit instrumentum Physicum Gratiæ producendæ.* 104.1.
Quo influxu Instrumentum attingat Gratiam in se, Deine, an proprio? 105.2.
Gratia non creatur, sed educitur. 107.2.
Gratia non extra sphæram instrumenti; & quid illud operari dispositiuè. 108.2.
Nulla actio media inter Creationem & Eductionem; & vt Gratia in potentia Animæ. 110.2.
Virtus instrumentalis, An corporalis, vel spiritualis? 112.2.
Dub. 8. *Vtrum in instrumento requiratur præuia motio, vt eleuetur à Deo, ac quænam illa sit.* 113.2.
Virtus instrumentalis non est qualitas permanens. 114.1.
Non potentia obedientialis actiua. 115.1.
Non extrinseca Dei assistentia. 115.2.
Virtus instrumentalis in motione posita 116.2.
An motio per modum Auxilij, sufficientis vel efficacis, simultanei vel præuij, & cum quo identificetur. 117.2.
Motio, quid ponat in instrumento. 120.1.
Argumenta pro Qualitate. 123.1.
Pro Potentia Obedientiali Actiua. 125.2.
Virtus instrumentalis, an entitatiuè corporea,

vel spiritualis. 132.1.

Argumenta pro Assistentia Extrinseca. 134.1.

Dub. 9. *An Sacramenta Nouæ Legis sint causæ Physicæ Gratiæ, an morales.* 137.1.

Art. II. *Vtrum Gratia Sacramentalis aliquid addat super Gratiam Virtutum & Donorum.* 144.2.

Gratia Sacramentalis addit peculiares effectus.

Dub. vnicum. *An addat aliquid reale intrinsecum & permanens in Anima, an solùm aliquid per modum transeuntis & auxilij actualis.* 145.2.

Art. III. *Vtrum Sacramenta Nouæ Legis contineant Gratiam.* 152.1.

Continent vt signa illius, & vt causæ.

Art. IV. *Vtrum in Sacramentis sit aliqua virtus causatiua Gratiæ.* 153.2.

Necessariò *ponenda in Sacramentis virtus aliqua instrumentalis ad inducendum effectum.*

Virtus illa habet esse transiens & incompletum.

Art. V. *Vtrum Sacramenta habeant virtutem ex Passione Christi.* 154.1.

Virtus instrumentalis Sacramenti, ex instrumentali virtute Humanitatis Christi.

Gratia Sacramentalis specialiter communicatur ex Passione Christi.

Dub. vnicum. *An Sacramenta specialiter habeant virtutem ex Passione Christi.* 155.1.

Art. V. *Vtrum Sacramenta Veteris Legis Gratiam causauerint.* 156.2.

Non poterant propria virtute iustificare, id est, non deriuata à Christo & per Christum.

Virtus Christi mediante vsu exteriorum rerum (sicut per Sacramenta) Antiquis communicari non potuit, sed mediante fide &c.

Antiqui Patres iustificati per fidem Passionis Christi, & non per efficientiam Sacramentorum.

Etiam Circuncisio, & Remedium paruulorum in Lege Naturæ, causabat gratiam mediante fide Passionis Christi, & tanquam signum eius protestatiuum.

Dub. vnicum. *Vtrum Sacramenta Veteris Legis (maximè Circuncisio) aliquando gratiam causarent ex opere operato.* 157.2.

Circuncisio ex opere operato passiuè, non actiuè causabat Gratiam. 158.2.

Non dabat Gratiã adultis ex opere operato. 160.1.

Quæstio LXIII. Disputatio XXV.

De Effectu Sacramentorum, qui est Character.

Art. I. *Vtrum Sacramentum imprimat aliquem Characterem in Anima.* 165.1.

Sacramentum Characterem imprimit.

Art. II. *Vtrum Character sit spiritualis potestas.* 166.1.

Character spiritualis quædam potestas, ordinata ad ea, quæ sunt diuini cultus

Character non est propriè in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

Dub. 1. *An Character sit in aliquo genere reali absoluto? an verò in aliquo rationis, vel relatiuo.* 167.2.

Dub. 2. *Vtrum Character sit in specie potentiæ.* 173.1.

Dub. 3. *Vtrum Character ponatur in specie potentiæ, directè an indirectè.* 183.2.

Art. III. *Vtrum Character Sacramentalis sit Character Christi.* 187.1.

Character spiritualiter deriuatur à Sacerdotio Christi.

Art. IV. *Vtrum Character sit in potentiis Animæ vt in subiecto.* 187.2.

Character, non est in essentia Animæ, sed in potentia.

Character est in potentia cognoscitiua, id est, in intellectu.

Dub. vnicum. *Vtrum omnis Character sit in intellectu vt in subiecto.* 188.1.

Art. V. *Vtrum Character insit Animæ indelebiliter.* 192.2.

Character in Anima manet indelebiliter.

Character post hanc vitam remanet.

Art. VI. *Vtrum omnia Sacramenta Nouæ Legis imprimant Characterem.* 194.

Tria solummodo imprimunt, Baptismus, Confirmatio & Ordo.

Quæst. LXXIII. *De Sacramento Eucharistiæ.* 197.

Disp. XXVI. *De Quidditate, Necessitate & Institutione Eucharistiæ.* 198.

Art. I. *Vtrum Eucharistia sit verum Sacramentum à reliquis distinctum.*

Eucharistia verum Sacramentum, & à reliquis distinctum,

Art. II. *Vtrum Sacramentum Eucharistiæ supponat pro solis speciebus, an etiam pro corpore Christi.* 199.2.

Species consecratæ concurrunt tanquam partes essentiales & in recto: reliqua essentialiter extrinsecè. 200.1.

Hoc Sacramentum supponit in recto pro speciebus consecratis, non pro Corpore Christi 201.1.

Art. III. *Quæ sit vnitas specifica vel nu-*

merica Sacramento Eucharistiæ. 205.2.
Eucharistia vnum Sacramentum specie. 206.1.
Vnitas Numerica Eucharistiæ. 208.1.
Art. IV *Vtrum hoc Sacramentum sit necessarium in re vel in voto ad salutem & perseuerantiam.* 120.1.
Sumptio in re, non omnino necessaria. 120.2.
Eucharistia necessaria in voto vt finis Sacramentorum. 212.1.
Quæstio LXXIV. *De Materia Eucharistiæ quantum ad speciem.* 216.
Disputatio XXVII. *De Materia remota Eucharistiæ.*
Art. I. *Vtrum non possit dispensare, vt vna species consecretur sine alia.* 216.2.
Non potest Ecclesia dispensare; quippe cùm sit iuris diuini immediatè. 218.1.
Art. 2. *Quæ materia vera vel dubia consecrationis.* 221.2.
Materia certa, panis triticeus; ex tritici farina, aqua subacta; & igni cocta; dubia ex grano, quod est dubium an sit triticum. 222.1.2.
Quod panis azymus, vel fermentatus, qualitas accidentalis; in ea seruandus ritus laudabilis cuiusque Ecclesiæ. 223.1.2.
Materia Calicis vinum de vite: Agresta, ora mustum coctum, &c. non materia. 224.1.2.
Vinum congelatum, An Materia. 225.1.2.
Art. III. *Vtrum aqua vino infusa immediatè conuertatur in Sanguinem Christi, an sit necesse prius in vinum conuersam esse.* 226.1.
Quæstio LXXV. *De Conuersione Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Christi.*
Quæstio LXXVI. *De modo quo Christus est in hoc Sacramento.*
Quæstio LXXVII. *De Accidentibus remanentibus in hoc Sacramento.* 232.
Disputatio XXVIII. *De Transsubstantiatione, & his quæ ad illam sequuntur.*
Art. I. *Stabilitur fides existentiæ Corporis Christi in Eucharistia.* 233.1.
Nihil de substantia panis in Eucharistia. 236.2.
Art. II. *Quænam hæc conuersio, & quis eius terminus.* 239.2.
Terminus formalis conuersionis in Eucharistia. 240.2.242.2.
Art. III. *Corporis Christi in Sacramento mutatio metaphysica.* 247.1.
Transsubstantiatio alia actio à creatione. 248.2.
Art. IV. *Quæ sit præsentia Corporis Christi in Eucharistia., & quomodo cognoscatur.* 251.2.
Præsentia hæc singularis & sine exemplo: Non potest videri Christi Corpus in Sacramento oculo corporeo. 252.253.
In Eucharistia, quæ ex vi verborum, &c. 255.1.
Quæstio LXXVIII. *De Forma Sacramenti Eucharistiæ.* 256.
Disputat. XXIX. *De Forma Consecrationis, vtriusque speciei.*
Art. I. *Quæ verba sint essentialia, & quid formaliter significent.* 256.1.
Christi benedictio, An consecratio. 256.2.
Græcorum inuocatio post verba Dominica, vt fiat Corpus. 257.2.
Verba omnia in forma Calicis non essentialia. 257.2.
Art. II. *Vtrum verba physicè efficiant conuersionem, & pro quo instanti.* 261.2.
Physicè efficere, & in vltimo instanti prolationis extrinseco. 262.263.
Quæstio LXXIX. *De Effectibus Sacramenti Eucharistiæ.* 264.
Quæstio LXXX. *De Effectibus huius Sacramenti.*
Art. I. *Quinam illi, & quando conferantur.* 264.1.
Gloria Animæ; Gratia ex operæoperato; non prima per se & directè; sed eius augmentum 264.1.2.
Venialium remissio; Resurrectio corporum, &c. 265.1.2.
Tempus, ipsa traiectio specierum in stomachum. 266.1.2.
Art. II. *Vtrum per accidens hoc Sacramentum aliquando causet primam Gratiam.* 267.2.
Causare, sententia S. Thomæ. 268.1.
Q.Q. LXXXI. LXXXII.
Disputatio XXXI. *De sumptione huius Sacramenti, & de Ministro.* 270.1.
Art. I. *Quæ dispositio requisita ad dignam sumptionem huius Sacramenti.* 270.1.
Actualis deuotio non absolutè necessaria; secus peccati mortalis confessio, &c. 271.1.2.
Quæstio LXXXIII.
Disputatio XXXII. *De Sacrificio Missæ.* 273.
Art. I. *Quid sit Sacrificium, & quale sit in Lege Noua.* 273.2.
Sacrificium formaliter, & materialiter, &c. 276.1.2.
Quæ res offerenda in Sacrificio, & quæ

actione. 278.1.
Art. II. *Sacrificium Nouæ Legis, Quid sit, & in quo consistat.* 279.2.
In quo consistat Eucharistiæ Sacrificium.
Art. III. *De Valore & Applicatione Sacrificij Missæ.* 287.2.
Sacrificium Impetratorium, Propitiatorium, &c. valens ex opere operato, &c. 287. 288.
Valor infinitus, non effectus: Vnde eius determinatio; quibus prosit, &c. 289.290.
Art. IV. *De stipendio Missarum, & earum reductione.* 291.1.
Quomodo careat Simoniæ labe: An recipi possit & àdiuite; An minori stipendio per alium satisfacere liceat, cùm maius acceperis, &c. 291.292.
Quæstio LXXXIV. *De Sacramento Pœnitentiæ.* 293.
Disputatio XXXIII. *De Essentia, Necessitate & Institutione Sacramenti Pœnitentiæ.* 294.
Art. I. *Vtrum sit de fide, Esse Sacramentum per se, & ab alijs distinctum.* 294.295.
Art. II. *Quo tempore Christus Dominus instituerit hoc Sacramentum.* 297.2.
Institutum Christo iam suscitato, cùm in eam rem datus Spiritus Sanctus. 299.2.
Art. III. *Quæ sit forma* Sacramenti *Pœnitentiæ.* 300.2.
Verba necessaria in absoluente; quæ illa? 300.301.
Quis sensus formæ verborum. 303.1.
Art. IV. *Pro quo supponat* Sacramentum *Pœnitentiæ, & quæ sit illius Materia.* 305.1.
An Absolutio & Confessio sint totum Sacramentum, & pro illis suppon. t? 305.2.
Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. Peccatum dubium, quid? 306.307.
Materia proxima essent aliis; Qualis necessaria Contritio seu Attritio vt Sacramentum teneat, aut effectum habeat. 309.310. *&c.*
Confessio facta in absentia non valet: quid de moribundo. 314.315.
Art. V. *Quæ sit Res & Sacramentum in Pœnitentia: Esse Contritionem seu dolorem interiorem, multis vexatum.* 316. 317.
Art. VI. *Vtrum detur Sacramentum Pœnitentiæ informe.* 319.
Dari, defectu doloris sufficientis aut firmi satis propositi emendationis; Casus alij exclusi. 320 321. *&c.*
Quæstio LXXXV. Disput. XXXIV. *De Pœnitentia Virtute.*
Art. I. *Vtrum Pœnitentia sit Virtus & in qua specie Virtutis.* 326.
Pœnitentia est Virtus, à reliquis distincta. 327. *&c.*
Distingui à Charitate & Religione: non esse Iustitiæ speciem. 330 331. *&c.*
Art. II. *In quo genere causæ Contritio expellat peccatum.* 335.
Expellere effectiue moraliter, opinio sancti Thomæ. 336. *&c.*
Quæstio LXXXVIII. *De Reditu Peccatorum per Pœnitentiam dimissorum.*
Quæstio LXXXIX. *De Virtutum Recuperatione.*
Disputatio XXXVI. *De Recuperatione Gratiæ & Reuiuiscentia Meritorum.*
Art. I. *Quomodo dicatur Gratia restitui per Pœnitentiam, & An peccata per sequens peccatum redeant.* 353.
Art. II. *Quomodo per Pœnitentiam reuiuiscant Merita, quoad omnem quantitatem & gradum suum.* 356.

AD MATERIAM DE SACRAMENTIS IN GENERE, SAPIENTISSIMI Magiſtri Reuerend. IOANNIS à S. THOMA, R. P. Fr. Didaci Ramirez, Prologus.

IN hac Materia Magiſter non ſeruat ſtylum conſuetum in alijs Materiis; quia illam laborauit antequam ad Vniuerſitatem Complutenſem accederet; ideo nos, vt eam tradamus ſicut de manu ipſius accepimus, Typis illam mandamus ordine præſcripto; & quamuis Magiſter non vtatur titulo Diſputationum, nos inſerimus illum, vt ſeries Diſputationum connectatur cum aliis Materiis totius huius tertiæ partis; & ſic ſub qualibet quæſtione ſubmittemus Diſputationem, quæ diuidetur per articulos D. Thomæ, cum literali explanatione Magiſtri; & ſub ſingulis Articulis ſuccedent dubia, eo modo quo ab ipſo mouentur & diſputantur.

QVÆSTIO SEXAGESIMA.

DE SACRAMENTIS.

Ordo doctrinæ iſtius Materiæ de Sacramentis.

EA quæ de Deo Incarnato in hac 3. p. S. Thomas diſputauit, ita diſpoſita ſunt & connexa, vt prius egerit S. Doct. de his, quæ ad ipſum Verbum Incarnatum in ſeipſo ſpectant; deinde de his, quæ ad nos pertinent, quibus ſeipſum nobis communicauit. *Quia enim ad hoc natus eſt, & ad hoc venit in mundum, vt peccatores ſaluos faceret* 1. ad Timoth. 1. 15. Peccatores autem & debitores erant propter offenſam, & ſic pretio indigebant; & infirmi propter peccati vulnera, & ſic opus erat medicina; Neceſſarium fuit inſtituere aliqua media, quibus ipſa nobis redemptio applicaretur, & tanquam medicina curans, & tanquam pretium ſatisfaciens. Et

A hæc media, SACRAMENTA dicuntur; quia licet communicatio Dei ad nos fiat formaliter per gratiam, qua efficimur *Diuinæ conſortes naturæ*, 2. Petri. 1. 4. & diſpoſitiuè per fidem, iuxta illud ad Epheſ. 3. 17. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris*. & conſummatiuè per charitatem, vt ibidem ſubditur, *In chari-*
B *tate fundati & radicati*; ita etiam requiruntur exteriores quædam proteſtationes & ſymbola, quibus colatur Deus, Eccleſia viſibilis coadunetur & dignoſcatur viſibiliter, ipſaque ſanctificatio in virtute ſanguinis Chriſti nobis applicetur exterioribus ſignis ei communicando, & non ſolùm interioribus actibus. Vnde poſt-
C quam S. Thom. in 26. primis Quæſtionibus tractauit de his, quæ ad Myſterium ipſum pertinent, & de perfectionibus aut defectibus aſſumptis à Verbo, & quæ ex illis conſequuntur. Deinde de executione ipſa Incarnationis, & Chriſti Domini operibus tractauit à Quæſt. 27.

siue quantum ad ingressum eius in hunc mundum, ex Matre Virgine nascendo, siue quantum ad progressum in hoc mundo per conuersationem suam & doctrinam & miracula, quibus *pertransiit benefaciendo & sanando omnes*, Act. 10. 38. siue quantum ad egressum eius ex hac vita per passionem & mortem suam, qua *operatus est salutem in medio terræ*: Psal. 73.12. siue quantum ad regressum eius ad Patrem, quando *gloria & honore coronatus est, & constitutus super omnia opera Dei*: Psal. 8.6. Tandem ab hac Quæst. agit de Sacramentis, quibus incarnati Verbi virtus & redemptio ad nos deriuatur, & Ecclesiæ sanctificatio propagatur & dirigitur.

Et primò agit de Sacramentis in communi, à quæst. 60. vsque ad 66. deinde de vnoquoque eorum in speciali. In communi duo præcipuè considerantur, scilicet quid sint Sacramenta? & quot sint? idest, quidditas & numerus; definitio & diuisio. Quidditas autem, seu essentia alicuius rei consideratur per intrinseca & per extrinseca; quia debet considerari per omnes causas suas; sic enim scientificè tractatur de aliqua re, quando per causas suas cognoscitur. Ex quatuor autem causis, duæ sunt intrinsecæ, scilicet materia & forma; duæ extrinsecæ, scilicet finis & efficiens. Causas ergo intrinsecas, & quidditatem Sacramenti in communi considerat S.Thom. in quæst. 60. vbi quidditatem Sacramenti considerat, & metaphysicè & physicè; metaphysicè tribus primis articulis, ostendendo genus eius; scilicet, quod sit in genere signi, & specificam differentiam; scilicet, quod sit signum practicum significans rem sacram prout nos sanctificat. Physicè autem reliquis quinque articulis, ostendendo materiam & formam, ex quibus quasi ex intrinsecis causis componitur Sacramentum. Consideratur autem dupliciter hæc physica compositio, primò ex parte ipsarum rerum, quæ assumuntur ad constituendum signum Sacramentale, quæ sunt res & verba; in quibus, quia verba magis expressè & determinatè se habent ad significandum, rationem formæ sortiuntur respectu rerum, quæ minus determinatam & expressam significationem habent. Secundò sumitur compositio ex parte significationis, cadentis super totum illud constitutum ex rebus & verbis; ita quod extrema huius compositionis sunt illud constitutum ex rebus & verbis, & ipsa significatio: sicut in homine dupliciter consideramus compositionem physicam; primò ex materia & forma, ex quibus resultat natura. Secundò ex humanitate & supposito, ex quo resultat totus homo; & sic quidditatem Sacramentorum considerat S. Doct. in hac quæst. tam metaphysicè, quo ad genus & differentiam, quàm physicè, quo ad compositionem ex forma & materia; idest, verbis & rebus, & significatione & signo.

Deinde incipit inquirere de causis extrinsecis; quæ sunt duo, finis & efficiens; Et quidem finis est duplex, scilicet, finis causa, seu finis cuius gratia, & finis effectus; sicut solet dici, Quod vnumquodque est propter suam operationem; & vtrumque finem considerat S.Thomas. Primò finem cuius gratia, in quæst. 61. in qua agit de Necessitate Sacramentorum, ostendens propter quem finem Sacramenta sint ne-
A cessaria, idest, propter salutem humanam; non quidem ante statum peccati, sed post; tum ante Christi aduentum, tum post eius aduentum. Secundò considerat finem effectum, quem causant ipsa Sacramenta, qui est duplex, scilicet effectus principalis, scilicet Gratia sanctificans, de qua considerat quæst. 62. Quid sit gratia sacramentalis, quam Sacramenta causant, & qua virtute & modo eam causent, moraliter an physicè? Alius est effectus minus principalis, qui ordinatur non ad sanctificandum, sed ad constituendum Ministros Christi sanctificantis, siue passiuè recipientes eius ministeria, siue actiuè ministrantes; & hic effectus est Character, quo ipsi Christo configuramur in genere ministran-
B di; & per aliquot Sacramenta imprimitur, non per omnia; & de hoc effectu agit à quæst. 63.

Explicato autem fine, tam qui est causa, quàm qui est effectus; restat agere de alia causa extrinseca, scilicet efficiente; & hæc est duplex, Alia principalis, scilicet instituens Sacramenta, quod propriè pertinet ad illum, qui est caput Gratiæ, & Ecclesiæ; & sic Christus est causa Sacramentorum. Alia ministerialis, scilicet per quos Sacramenta nobis ministrantur: & de vtraque causa agit, quantum ad potestatem in Christo; quantum ad ministerium & intentionem ac fidem, in Ministris: & sic remanet explicata quidditas, seu quicquid perti-
C net ad naturam & essentiam Sacramentorum per omnes suas quatuor causas & effectus, siue per intrinseca & extrinseca. Restat deinde agere de diuisione Sacramentorum, & eorum numero & sufficientia; quæ sunt septem; & de eorum inter se comparatione & ordine; & hoc agit quæst. 65. Et sic manet explicata tota Materia de Sacramentis in genere, tam quo ad diffinitionem, quàm quo ad diuisionem. Nam à quæst. 66. incipit in speciali agere de Baptismo, & reliquis Sacramentis.

D
DISPVTATIO XXII.

De quidditate, & essentia Sacramentorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTRVM Sacramentum sit in genere signi? Prima conclusio, Nomen Sacramentum est analogum analogia attributionis ad plura, quæ dicunt habitudinem ad sanctitatem. In corpore, & ad 3.

Secunda conclusio, Sacramentum, vt in præsenti accipitur, est in genere Signi. Etiam in corpore.

E Tertia Conclusio, Ratio causæ non est prædicatum commune omnibus Sacramentis. Ad primum.

In hoc primo Articulo incipit S. Thomas tractare de quidditate & essentia Sacramentorum, à partibus diffinitionis. Primò à genere, scilicet à ratione Signi, quæ est ratio quasi generica illorum; Ad hoc autem explicandum, exponit significationem huius termini *Sacramentum*, scilicet quod est nomen analogum, tam in corpore, quàm in solutione ad 3. Et de hoc est.

Prima Conclusio; Quæ non aliter probatur, quàm explicando analogiam huius termini *Sacramentum*, quæ non est proportionis, sed attri- Sacramentum analogum.

butionis; & eius natura, seu essentia explicatur in diffinitione communi, ab omnibus recepta, scilicet, *Quorum nomen est commune, ratio autem per nomen significata, intrinsecè est in vno analogato, in aliis verò extrinsecè.* Exemplum huius adducit D. Thomas in corpore, *Sicut, inquit, à sanitate, quæ est in animali, denominatur sanum, non solùm animal, quod est sanitatis subiectum: sed dicitur medicina sana, in quantum est sanitatis effectiua: dieta verò, in quantum est conseruatiua ejusdem: & vrina, in quantum est significatiua ipsius.* Ex hoc exemplo sic intulit ad intentum; *Sic igitur Sacramentum potest aliquid dici, quod habet aliquam sanctitatem occultam, vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causæ, vel signi, vel secundum quamcumque aliam habitudinem.* Hæc D.Thomas. Vnde patet, quod hoc nomen *Sacramentum* est analogum attributionis, sicut *ly* sanum; quia potest denominare aliqua, quæ solum habeant habitudinem vel ordinem causæ, vel signi ad sanctitatem; & sic intulit D. Thomas ad 3. *Quod non erat æquiuocum, sed analogum.* Per quod manet conclusio probata; quæ est præambula ad sequentem; quia significatio nominis prius prælibari debuit, vt quæstio de re significata clarius procedat.

Secunda Conclusio est responsiua titulo Articuli, & in ea intendit D. Thomas dicere quomodo Sacramentum, vt specialiter nunc loquimur de Sacramentis, sit signum; & hoc S.Thomas ostendit ex allata communi ratione Analogorum Attributionis; Quia non repugnat ea, quæ ordinem dicunt ad aliquid vnum, denominari ab eo; plura autem dicunt ordinem ad Sacramentum; Nam non solum dicitur id, quod est sacrum secretum, & habet in se sanctitatem occultam, sed quod habet habitudinem ad hanc sanctitatem, siue causæ, siue signi, vel consultationis, aut aliquid aliud; ergo ab illo nominari possunt Sacramentum omnia ista, si omnibus illis idem nomen imponatur; ergo inuenitur Sacramentum quod sit signum sanctitatis occultæ. Quæ Ratio efficaciter probat dari aliquod signum, quod denominetur Sacramentum: & consequenter quod aliquid denominatum Sacramentum, sit in genere signi. Nec enim assignandum est genus in Sacramento ex vi nominis Sacramenti, quod analogum est; sed ex particulari ratione cuiuscumque analogati, quod Sacramentum nominatur, secundum quam in determinato genere constituitur. Et cùm vnum ex his, quæ nominantur aut denominantur Sacramentum, sit signum, Sacramentum constituitur in genere signi.

Vnde colliges (quod ad majorem seruit explicationem) quod titulus Articuli non intelligitur de ly *Sacramentum*, in suppositione indefinita, sed determinata, in hoc sensu, Vtrum aliquod ex his quæ denominantur aut nominantur Sacramentum, sit in genere signi. Et ita ly *Sacramentum* in titulo, nec supponit pro Sacramento Nouæ aut Veteris Legis, nec pro Sacramento analogo in communi indefinitè; sed pro Sacramento analogo in suppositione determinata; idest, An aliquod ex analogatis de ly *Sacramentum*, sit in genere signi. Vnde non probauit S.Thomas nostra Sacramenta aut antiqua esse in genere signi; hoc enim probari non debet, sed supponi; quia prædicata quidditatiua non possunt

A demonstrari de subjecto ex propriis alicuius scientiæ, vt dicitur 1. Posterior. Sed probauit inter analogata de ly *Sacramentum*, dari seu reperiri aliquod quod sit in genere signi. Et hoc pertinet ad Quæst. *An est.* Ad probandum autem aliquid esse, vt S.Th. dicit 1.p. quæst.2. ad 2. Medium quod assumitur, est quid nomen significet, seu quid nominis, non autem quod quid; & sic D. Thomas ex quid nominis, ostendit dari Sacramentum in genere signi; vnde optima est eius ratio, & ex propriis procedens.

Tertia Conclusio S.Thomæ, quam ponit solutione ad 1. explicanda est ex differentia quæ versatur inter Analoga, quæ denominantur ab B vno primo efficiente, & quæ denominantur ab vno primo in genere causæ formalis aut finalis; Etenim supponendum id quod Caietanus & Logici communiter dicunt de Analogia Attributionis, quod illa circuit omnia quatuor genera causarum; & aliqua denominantur ab aliquo vno, quod se habet in genere causæ formalis; alia ab vno quod se habet in genere causæ efficientis aut finalis, &c. Est tamen differentia, Quod ea quæ denominantur ab vno principali, quod se habet in genere causæ formalis, non possunt ex vi talis denominationis importare rationem causæ; quia causalitas formalis solùm conuenit formæ ipsi informanti; alteri verò quod non sit forma, C communicari non potest. Vnde ea quæ dicunt habitudinem ad id quod se habet vt forma, non possunt ex vi huius denominationis participare rationem causæ formalis, nisi fortè denominetur aliquid ab eo, quod est forma extrinseca, seu quasi exemplaris; quia ab ista fieri potest denominatio. Nos autem loquimur de eo quod denominatur ab aliquo principali, vt à forma intrinseca, sicut est sanctitas. Et simile est de causa finali; quia id quod est finis tanquam vltimum & finalizans, non potest alteri communicari, quod vltimum non sit. At verò ea quæ denominantur ab vno primo, quod se habet in genere causæ efficientis, possunt participare ab eo ra- D tionem causæ efficientis; quia hæc communicabilis est, vt patet in instrumentis & adiuuantibus, quæ omnia induunt rationem causæ efficientis.

Analogorum Attributionis vniuersalitas.

Eorum in genere causæ formalis & efficientis discrimen & proprietas.

Vnde si in ipso nomine principalis & primi à quo alia denominantur, importetur ipse ordo & ratio efficientiæ, quæcumque communicant in tali nomine, & denominantur ab illo, oportet quod ordinem efficientiæ induant & importent. Et ita quia medicina significat aliquid habens ordinem efficientiæ ad sanitatem, quæcumque denominantur à medicina, vt medicamentum, medicinalia, &c. oportet quod causalitatem dicant; & in genere causæ ponantur in ordine ad E sanitatem ex vi talis denominationis. Quia verò sanctitas secreta seu occulta, non dicit aliquid secundum ordinem efficientiæ, sed formalis aut finalis causalitatis, ideo ex vi denominationis à tali re non debet importari ratio causalitatis in analogatis, sed poterit in ratione signi aut alterius rationis se habere: & si in rationem causæ importet, non erit ex vi denominationis ab illo principali analogato, sed quia ex se ordinem dicit ad illud in genere causæ, sicut aliud in genere signi. Et interpretatio ista ex verbis ipsis S.Thomæ elicitur, dicentis, *Quod quia medicina se habet vt causa effectiua sanitatis: ideo omnia denominata à medicina, dicuntur in ordine ad*

primum agens, & important causalitatem: Vbi ratio importandi causalitatem, ad denominationem ab illo primo efficienti deducitur. Quia verò sanctitas, à qua Sacramentum denominatur, non significatur per modum causæ efficientis, sed formalis aut finalis; *ideò non oportet quod Sacramentum semper importet causalitatem*: quasi dicat, quod id non habet ex tali denominatione; si autem importat causalitatem, id erit quasi materialiter & per accidens.

Hæc sunt quæ explicanda occurrunt circa literam S. Thomæ, & quantum attinet ad primam conclusionem, satis videtur explicata, & fundata secundùm rationem à D. Thom. allatam; deinceps oportet alias conclusiones explicare, circa ea quæ in hoc Articulo controuerti possunt.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum secunda Conclusio, Quod Sacramentum sit in genere Signi, sit vera.

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Notandum quod in duplici sensu potest conclusio S. Th. intelligi. *Primò* sic, Quod cùm Sacramentum sit quoddam Analogum Attributionis, vnum ex analogatis in eo contentis sit in genere signi. Et sic intelligitur à D. Thoma, dum ostendit Sacramentum dici, non solum de eo quod est sacrum secretum, sed etiam de eo quod habitudinem habet ad tale sacrum secretum, siue in genere causæ, siue in genere signi. Alio modo potest intelligi conclusio, sic, Quod tale Sacramentum, (scilicet de quo in præsenti loquimur) habet pro genere rationem signi. Et sic etiam intenditur à D. Thoma, vt patet in vltimis verbis articuli; & sumitur conclusio ex communi Patrum consensu, appellantium Sacramenta signa; præsertim S Dionys. cap. 1. de Ecclesiastica Hierarchia & cap. 5. Aug. loco citato à D. Thom. in Argum. *sed contra*, & 19. contra Faustum cap. 16. & Epist. 5. & pluribus aliis in locis. Sumitur etiam ex Concil. Trident. sess. 7. Can. 6. vbi definitur, *Sacramenta Nouæ Legis continere gratiam, quam significant: & non esse solùm externa signa & notas quibus Fideles ab infidelibus discernuntur.* Et in sacra Scriptura, Circumcisio, quæ Sacramentum Antiquæ Legis fuit, vocatur sæpe signum, vt Genes. 17. & Rom. 4. Authoritates quidem istæ conuincunt Sacramenta esse signa; sed quod signum sit genus Sacramenti, disputationi relinquitur; præsertim quia authoritates prædictæ Sanctorum & Concilij, præcipuè loquuntur de Sacramentis Nouæ Legis, quæ certum est esse signa, cùm constent rebus & verbis, vbi verba rationem formæ obtinent; quod esse non posset, nisi Sacramenta nostra essent signa.

Sacramenta signa esse, docet fides.

Nihilominus de Sacramento in communi, siue Antiquæ siue Nouæ Legis loquẽdo, certa est conclusio posita, Quod sint in genere signi. Et probatur hoc fundamento, Nam de ratione essentiali & intrinseca Sacramenti est, quod sit aliquid externum & sensibile, dicens ordinem ad rem sacram; sed non potest per se & essentialiter petere quod sit res sensibilis & externa, nisi sit signum rei sacræ, ergo per se essentiale est Sacramento quod sit signum. Major patet, Quia Sacramentum essentialiter dicit, quod sit cæremonia exterior, & protestatio religionis humano modo facta, quod fieri non posset nisi sen-

Sacramentum essentialiter signum & in genere signi.

A sibiliter; quia hæc est hominum natura, vt sensibilibus & externis cæremoniis vtatur in suæ religionis protestatione; & cæremoniis & congregatione multorum eandem fidem protestãtium. Hoc enim fieri non potest, nisi aliquo externo & sensibili; & ad hoc Sacramenta deseruiunt. Min. prob. Nam si Sacramentum esset in genere causæ respectu rei sacræ, seu sanctificationis nostræ, non per se peteret esse aliquid sensibile, cùm causa sanctificationis nostræ si sit principalis, spiritualis sit; si instrumentalis, æquè bene corporea ac spiritualis esse potest. Ergo non quia causa est sanctificationis postulat esse quid sensibile, sed quia est signum; nec enim

B aliam habitudinem ad sanctitatem occultam dicere potest, nisi causæ, aut signi. Et præterea, Quia de ratione Sacramenti est quod sit externum protestatiuum religionis & fidei, ergo debet esse signum quo vnum ab alio discernatur. Rursus, si essentialiter ei conuenit esse signum, non potest competere tanquam differentia, cùm in hac ratione signi conueniant alia multa, quæ non sunt Sacramenta, vt sacrificia; signa speculatiua rerum sacrarum, vt imagines, &c. Ergo debet esse ratio signi ratio generica respectu Sacramentorum. Itaque cùm Sacramentum non constituatur in ratione externi ac visibilis nisi vt signum est, secundum rationem autem causatiui

C potiùs sit quid occultum (siquidem in his diuina virtus secretiùs operatur) fit vt ex his duobus, quæ in ratione Sacramenti possunt concurrere (scilicet ratio signi & ratio causæ) illa sit essentialis & generica ratio Sacramenti vt sic, secundum quod Sacramentum nominat quid externum ac sensibile; & ita in ratione essentiali Sacramenti humano modo dati & visibilis, includitur ratio signi; immò cætera quæ Sacramento conueniunt, rationi signi subordinantur, & non conueniunt sacramentaliter, nisi vt per significationem manifesta fiunt.

Soluuntur Argumenta.

D Primum Argumentum apud Magist. Nuño potest solui primò, dicendo, Quod sanctus Thomas, tractat hìc etiam de Scramentis vt sunt causæ; non quia hoc sit genericum seu genus Sacramenti, sed ratio valde specialis; vt pote solis Sacramentis Nouæ Legis conueniens; esse autem signum est omnibus commune; vnde non conuenit eis causare ex eo quod Sacramentum, sed quia Nouæ Legis sunt, seu continuantur cum passione Christi, & ab ea deriuantur. Secundò dicitur, Quod tractat hìc de Sacramentis vt sunt causa, non absolutè & purè, sed vt sunt causæ subordinatæ rationi signi; causant enim quod significant; & ita ratio signi est principa-

Ratio causæ vt se habeat ad Sacramenta nostra.

E lior & generica. Tertiò solutione Mag. Nuño, Quod causare conuenit Sacramentis ratione materiæ; significare verò ratione formæ. Quod non est accipiendum, quasi causare in Sacramentis Nouæ Legis sit materiale & secundarium, aut non sequatur rationem significandi; siquidem causant quod significant; sed quia id quod assumitur à Deo ad causandam gratiam, est illud sensibile externum, quod est substractum significationis ad placitum; non autem ipsa significatio, seu id quod significationis est causa, sed res sensibilis eleuata à Deo; & hoc est materiale in Sacramento; id autem quod formale est, & quod rem sensibilem Sacramentum constituit,

est signum; postea verò Sacramento constituto conuenit causare, non quia ad id assumatur significatio, sed res sensibilis substracta significationi.

Secundum Argumentum solutum est supra in tertia conclusione S. Thomæ; & vide etiam solutionem Nuño.

Tertium Argumentum rectè soluitur à Nuño, Quod Sacramentum etiam in specie ponitur in genere signi, secundum quod Sacramentum est, & in ratione talis artefacti seu compositi. Ratione tamen sui materialis (seu materiæ) quod substernitur sacramentali significationi, ponitur in genere actionis, vt ablutio, vnctio, &c.

Quartum Argumentum ex dictis in solutione ad 1. solui potest. Et dicendum, Quod generica ratio Sacramenti, quæ signum est, contrahitur per id quod intra rationem signi continetur formaliter, licet materialiter pertineat ad genus causalitatis. Vnde causare purè & absolutè non contrahit rationem Sacramenti, nec pro eius differentia ponitur; sed causare sacramentali modo, scilicet vt subordinatum significationi, seu vt causatiuum modo manifestatiuo & significatiuo; & sic est differentia Sacramentorum Nouæ Legis, quam Concilium ponit. Nec est inconueniens, Quod aliquid reale, vt subest alicui intentioni rationis, sit differentia aut ad modum differentiæ entis rationis; sicut generare scientiam in syllogismo demonstratiuo, & opinionem in probabili, cùm tamen genus syllogismi sit quid rationis.

Causare modo Sacramentali.

Secundò dicitur, Quod Sacramentum Nouæ Legis potest dupliciter accipi; Vno modo secundum rationem Sacramenti, & ea, quæ præcisè pertinent ad rationem Sacramenti; Alio modo secundum rationē Sacramenti in Lege Euangelica, & secundum subordinationem ad institutionem Christi. Dicimus ergo, Quod secundum institutionem Christi, & illa supposita, essentiale est Sacramentis nostris causare gratiam. Ex vi autem & essentia Sacramenti, id per se non sequitur; nec Sacramenta nostra vt descendunt à ratione genetica Sacramenti, habent causare, sed vt descendunt à peculiari institutione Christi, & deriuantur ab eius passione. Itaque institutio Christi hæc duo iunxit, & quod essent signa talia, habentia efficaciam à passione sua, & participantia ab ea causalitatem instrumentalem gratiæ, sicut & ipsa passio causatiua est gratiæ. Et ita huic institutioni, aut ea supposita, ita essentiale est Sacramentis nostris esse signa, sicut esse causas; licet illud primum genericum sit. Vnde institutio illa, licet vtrumque instituat (scilicet rationem signi & causæ) tamen vt institutio est Sacramenti, solùm respicit instituere signum; simul tamen habuit hoc signum instituere vt causam; & ideo per se conuenit vtrumque, non perseitate ex vi essentiæ Sacramenti, sed ex vi institutionis taliter factæ. Quia tamen id quod assumitur ad instrumentaliter causandum in Sacramento non est ipsa forma, seu ratio signi, sed id quod naturale & sensibile est in Sacramento, ideo dicitur conuenire essentialiter ratione sui materialis.

Causare Sacramentis vt essentiale, & per se, & vt reale in eis ac physicum.

Vnde sit tertia solutio explicatiua huius, Quod esse causatiuum potest dupliciter accipi; Vno modo quantum ad destinationem ipsius Sacramenti, vt sit causa; quia videlicet cùm ex se non habeat causare gratiam, ex institutione Christi Domini habent Sacramenta esse destinata ad

A causandum illam. Alio modo quantum ad susceptionem influxus physici instrumentalis, quem recipiunt Sacramenta à Christo Domino, & virtute passionis eius. Quantum ad hoc secundum, esse causatiuum gratiæ, aliquid reale est, & competit Sacramentis ratione sui materialis; nec se habet vt differentia contrahens rationem Sacramenti secundum se consideratam, quia reale quid est. Quoad primum verò essentiale est Sacramento secundum talem institutionem eius, quia institutio Christi Domini non solùm fuit destinare signa gratiæ, sed destinare signa causatiua gratiæ, & participatiua causalitatis instrumentalis ratione sui materialis. Et secun-

B dum hoc, esse institutum & destinatum vt sit causatiuum gratiæ, est differentia Sacramentorum Nouæ Legis; siquidem in Sacramentis differentia essentialis non est sumenda absolutè, sed supposita institutione, & secundum quod exposcit institutio Authoris eorum. Et sic dato quod id quod physicum est in causalitate Sacramentorum (scilicet suscipere influxum instrumentalem, & per illum attingere gratiam) non sit ratio quidditatiua & essentialis in Sacramentis, esse tamen destinata vt causent, essentiale ipsis est ex vi institutionis Christi Domini; & ratione talis institutionis, iudicandum est quid essentialiter conueniat Sacramento; non

C tamen ex vi Sacramenti præcisè & absolutè considerati. Et sic quod etiam sit essentiale Sacramento causare gratiam ex parte materiæ, sicut dicit Nuño, ex institutione Christi Domini petendum est, & non ex ipsa materia secundum se. Et ita S. Thomas Quæst. 62. art. 1. ad 1. dicit, ***Quod nostra Sacramenta habent perfectè rationem Sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacrum, non solùm per modum signi, sed etiam per modum causæ:*** & sic probat ibi, Quod nostra Sacramenta sint causa gratiæ, quia aliàs non transcenderent rationem signi, nec plus essent quàm signa gratiæ. Vnde nostra Sacramenta dupliciter sunt analogata huius nomi-

D nis *Sacramentum*, & secundum habitudinem signi, & secundum habitudinem causæ; licet quia ratio causæ est subordinata rationi signi, vnico modo dicantur Sacramentum.

Quintum Argumentum Mag. Nuño solui potest, dicendo, Quod esse cæremoniam religiosam conuenit Sacramento ratione materialis, non tamen ideo pertinere debet Sacramentum ad virtutem religionis, & ad prædicamentum qualitatis; quia non conuenit ei esse quid religiosum formaliter, sed objectiuè, idest, tanquam externum quoddam objectum, circa quod versatur religio interior & actus eius. Et similiter vsus exterior sacramenti erit actio religiosa, &

E actus religionis, non tamen ipsum Sacramentum, sed est objectum talis actus; sicut etiam sacrificium exterius, non est religionis actus formaliter, sed objectiuè & quasi materia circa quam. Et quod Sacramentum sit cæremonia religiosa, constat ex D. Thom 1. 2. Quæst. 101. art. 4. vbi cæremonias religionis antiquæ diuidit in Sacramenta, Sacrificia & Obseruantias. Et secundò dicitur, Quod Sacramenta considerari possunt dupliciter; Vno modo vt descendunt ab institutione Christi Domini, & sic solùm habent esse signa proportionata religioni; Alio modo vt subduntur Ministri intentioni & vsui suscipientium, & sic pertinent ad actum reli-

Sacramentum, sacra cæremonia, sed quasi materialiter.

gionis, si debitè fiant; vel ad actum irreligionis, A si indebitè. Sed prima consideratio est eis essentialis, non secunda.

Sextum Argumentum, scilicet quod Sacramenta sint entia rationis, tria inconuenientia apud Cabrera disputat. 1. infert. Primum, Quod si Sacramentum est ens rationis, non erit Sacramentum actu, nisi quando actu intelligitur & objicitur menti; siquidem esse entis rationis, est intelligi. Secundum, Quod aliàs Sacramentum esset dicendum ens rationis & secunda intentio, & sic entia rationis fluxissent à latere Christi. Tertium, Quod infans quando baptizatur cum debita intentione, non semper suscipiat actu sacramentum Baptismi; si quidem non B semper Sacerdos actu apprehendit illud; & ita actu non est. Sed in responsione huius, Supponimus quod certum est, Sacramentum pro formali esse ens rationis, vt patebit sequenti dubio. Et sic ad primum inconueniens dicitur, Quod ens rationis, licet pro formali habeat esse solum in intellectu, absolutè tamen potest dici esse ante operationem intellectus, ratione sui fundamenti proximi; quod sufficit vt absolutè & simpliciter dicatur esse Sacramentum, licet non sit secundum esse obiectiuum. Quomodo autem hoc sufficiat vt dicatur esse Sacramentum; cùm pro formali sit ens rationis, explicatur dupliciter,

Sacramentum, ens rationis; reale ex fundamento.

primò secundùm solutionem Cabrera, Quia C licet ens rationis solum habeat esse cognitum, & ratione sui fundamenti id non habeat formaliter, quia tamen ratione sui fundamenti est in proxima dispositione vt sit, & quod parum distat nihil distare videtur, ideò illud ens rationis dicitur esse ratione sui fundamenti proximi, ac simpliciter & realiter denominare subiectum. Quæ solutio præsertim habet verum in Sacramentis, & his quæ sunt artefacta moralia; quia licet ratione fundamenti proximi non dicantur formaliter esse talia entia rationis, formalitate quasi metaphysica aut physica, sunt tamen formalitate quasi morali; quia secundum moralem institutionem & æstimationem dicuntur esse; & D hæc moralis formalitas sufficit ad hoc, vt dicantur esse absolutè talia artefacta, quæ solùm moralia sunt.

Secundò explicatur secundum solutionem elicitam ex D. Thomæ doctrina, in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. ad 5. vbi dicit, *Quod ea quæ pendent à ratione ratiocinata, duplicem habent firmitatem, scilicet firmitatem sui esse, & hanc habent ab intellectu, sicut cætera accidentia: & firmitatem suæ veritatis, & hanc habent ex re cui conformantur, seu in suo fundamento*: & ita dicit, Quod rationes attributorum radicantur in intellectu, quantum ad sui esse; in essentia autem diuina, quantum ad firmitatem E suæ veritatis. Sic ergo, eo ipso quo entia rationis habent fundamentum proximum, taliter quod jam non chimæricè conueniunt subjecto, sed habent firmitatem suæ veritatis, idest, non sunt purè ficta & chimærica, jam habent simpliciter & absolutè esse sufficiens ad denominandum, licet non habeant formalissimum esse existentiæ in intellectu objectiuè: quia licèt mediante cognitione dicantur habere esse qualecumque sit, idest, objectiuum, non tamen mediante cognitione habent conuenire subjecto non fictè, sed mediante fundamento, quod habet res ipsa vt tribuatur, vel non tribuatur ei tale ens rationis; aliàs si solùm mediante cognitione conueniret, esset rationis ratiocinantis, & non ratiocinatæ. Quare posito fundamento, jam habent rationem conueniendi, licet non habeant esse actu quod est objectiuum, sed habent esse non chimæricum; & ita in his entibus alia est ratio conueniendi & denominandi, alia existendi.

Secundò Responderi potest ad hoc inconueniens, Quod illa entia rationis, quæ consistunt & fundantur in denominatione extrinseca, absolutè & simpliciter dicuntur esse, & denominant ante operationem intellectus; licet esse quoddam, scilicet relatiuum aut positiuum, non habeant nisi per intellectum; nec secundum illud denominent, nisi quando actu cognoscuntur. Pro quo est notandum, Quod quædam denominationes sunt fundantes esse rationis & respectum rationis, aliæ verò sunt consecutæ ad esse rationis, & ad respectum rationis. Primi generis sunt denominationes extrinsecæ, ab aliquo actu humano prouenientes; & tales denominationes absolutè denominant etiam si non sint, quia denominant extrinsecè; & ita absolutè dicitur aliquis Iudex aut Doctor, & absolutè dicitur Sacramentum; quia absolutè censetur manere denominatio institutionis, etiam si non sit in actu objectiuo relatio & respectus ille rationis, in quo ista consistunt. Secundi generis sunt denominationes, quæ purè pendent ab intellectu cognoscente, & ab illo attribuuntur rebus, vt esse Genus, Species, Vniuersale, &c. Nec enim aliquid denominatur tale nisi prout cognitum, & secundum quod est in intellectu. Hinc est quod propositiones & termini & alia, quæ sunt signa ad placitum, dicuntur etiam esse signa in libro clauso; quia ibi retinent denominationem signi, sicut & impositionis, licet non habeant actu intentionem & esse relationis objectiuum. Ex his patet ad tertium inconueniens. Ad secundum dicitur, Quod Sacramenta dicuntur absolutè entia realia, & non rationis, vt dicetur sequenti dubio; & sic non dicitur absolutè manasse ex latere Christi entia rationis. Item dicuntur manasse à latere Christi, non quantum ad institutionem & impositionem, sed quantum ad vim effectiuam sanctificandi, quam ex passione Christi & continuatione ad ipsam habent.

Denominationes extrinsecæ ante intellectum denominantes, & post intellectũ.

Sacramenta ex Christi latere.

Ad primum Argumentum Cabrer. rectè Respondet ipse, Quod non est de ratione signi quod sit manifestum, sed manifestatiuum; non autem manifestat actu, nisi illi cui significatio ipsa nota est. Sacramentum autem non habet significationem omnibus manifestam, quia constat ex rebus & verbis, res autem non ita expressè significant. Item Sacramentum non solum est signum, sed etiam signaculum, & ita non solum manifestat scientibus significationem, sed etiam claudit significationem, ne omnibus pateat; & sicut ænigmata sunt signa rei contentæ, non tamen omnibus manifesta, sed abscondentia & occultantia suum significatum, sic se habent Sacramenta.

Secundum Argumentum, in quo inquirit; An sit signum ad placitum, & absolutè sit dicendum ens rationis, sequenti dubio explicatur.

Quartum Argumentum soluitur clarè, dicendo, Quod signum vt sit actu signum, non requiritur quod significet alicui, aut percipiatur ab aliquo; id enim pertinet veluti ad effectum

signi, non ad rationem constitutiuam signi; quæ non consistit in eo quod est actu significare, sed actu esse significatiuum.

Quintum Argumentum non habet difficultatem; Constat enim Christum Dominum in Eucharistia, & Characterem in Baptismo, non esse sacramentum tantum, sed Sacramentum & res simul; vnde neque sunt signa, seu in genere signi per se, sed ratione eius quod est sacramentum tantum. Reliqua Argumenta ex Nuño solui possunt, aut difficultatem non habent.

DVBIVM SECVNDVM.

An genus Sacramenti sit signum, quod est ens rationis?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

PRo fundamento huius conclusionis est notandum, Quod in Sacramentis possumus considerare, & id quod occultum est in illis ex virtute Dei operantis, & id quod externum ac visibile, & ad rationem signi pertinens. Quando hîc genus constituimus in Sacramentis, non loquimur de Sacramẽto secundum virtutem suam & occultam Dei operationem, sed secundum essentiam & rationem Sacramenti, seu eius quod visibile est in ipso & sacramentale. Hoc ergo cùm sit signum, oportet quod sit ad placitum; Quia omnis ratio & essentia huius artefacti seu compositi, quod est sacramentum, fundatur in institutione. Institutio autem, supponit vnum & confert aliud; supponit enim materiam sensibilem seu elementum, & confert significationem. Vnde sicut respectu institutionis est quid materiale & præsuppositum ipsa sensibilis materia & elementum, ita respectu Sacramenti quod ex institutione resultat. Et sic genus quod conuenit Sacramento supposita institutione, non est illud, quod habet ex præsupposita materia, sed quod habet ex vi institutionis; quod est ratio signi ad placitum, & relatio rationis, vt statim ostendetur. Quare in artefactis, Aliud est genus, seu prædicamentum ad quod pertinent absolutè & simpliciter, seu in genere entis; aliud est genus quod eis competit, & ad quod pertinent supposita arte & ex vi artis. Simpliciter enim, & in genere entis artefacta pertinent ad prædicamentum suæ materiæ. Ex vi artis autem, & supposita arte, pertinent ad genus formæ, quæ eis per artem tribuitur. Sic in præsenti, Aliud est genus, ad quod simpliciter & in genere entis pertinet sacramentum; aliud ad quod supposita institutione, & ex vi sacramentalis institutionis pertinet; sicut aliud est genus gratiæ in genere entis, aliud in genere gratiæ & supernaturalis formæ. De hoc secundo inquirimus in præsenti, non de primo.

Et dicimus, Quod hoc genus est signum ad placitum, quod est relatio rationis. In prima parte conclusionis conueniunt omnes Theologi, & patet breuiter, Quoniam in rebus sensibilibus & externis non potest esse aliqua cònnaturalitas ad rem supernaturalem & effectum gratiæ, ergo non possunt esse signum naturale eius. Patet consequentia, Quia signum naturale fundatur in aliqua connexione signi ad signatum, quam naturaliter habet; ergo hac deficiente, non potest dari naturale signum. Constat autem manifestè, quod ex natura sua res sensibiles nul-

Genus per se Sacramenti, ratio signi, & quid rationis.

A lam habent connexionem aut respectum ad res supernaturales, & consequenter non possunt fundare rationem signi ad illas. Itaque solum id habent ex Dei institutione & placito, cùm naturaliter eis non competat.

Nec obstat, Quod habent aliquam proportionem & similitudinem naturalem cum effectu gratiæ, sicut ablutio in Baptismo significat interiorem effectum gratiæ abluentis cor; Hoc enim ex natura sua non habet determinatam significationem respectu gratiæ, licet habeat aliquam analogiam & comparationem, & ita significat valde in confuso, & in communi effectum gratiæ; scilicet vt analogicè conuenit cum ablutio-B ne, & comparationem habet ad ipsam; non autem determinatè & sacramentaliter illum significat; sic enim etiam multæ res externæ significant gratiam aut effectus supernaturales, nec tamen sunt Sacramenta; immò determinatè etiam signa speculatiua significant res sacras, vt Crux, Imagines, &c. & tamen non sunt Sacramenta, quia non sunt signa practica. Multa ergo desunt illis rebus, vt ex natura sua sint signa effectus supernaturalis, & multò plura vt sint sacramentalia signa; Ad hoc enim requiritur specialis destinatio & sacratio signorum, quæ rebus sensibilibus secundum se & naturaliter non competit.

C In secunda parte conclusionis, non conuenit cum cæteris Suarez 3. tom. 3. p. Disp.1. sect.3.8. *secundò obijci*, qui putat rationem signi ex impositione non consistere in relatione reali aut rationis. Et de reali relatione certum est, cùm impositio nihil ponat in re. De relatione autem rationis, probat, quia hæc tandiù est, quandiù cognoscitur ab intellectu; cùm non habeat aliud esse quàm cognosci; signum autem ex impositione, etiam nullo intellectu cognoscente, est signum & significat. Et sic inquit, quod hæc ratio signi solùm ponit denominationem quandam extrinsecam ab actu imponentis, moraliter verò est habilitas quædam, seu aptitudo exci-D tandi intellectum, vt aliam rem cognoscat; quia denominationes istæ, quatenus manent in memoria hominum, multum valent ad huiusmodi actiones morales & humanas; vt in Iurisdictione Iudicis, Doctoratu, &c. patet.

Cæterum Suarij hanc sententiam omnes Authores elidunt; nec enim difficultas vlla est, quod actus ille impositionis denominationem extrinsecam solam in re imposita causet, sicut visus in re visa, aut intellectus in re intellecta, & cognitio in re cognita. Cæterum quid sit ista denominatio extrinseca, Suarez non explicat; Cùm enim non ponat aliquid reale in re ipsa, vt Suarez fatetur, necesse est, vt ponat aliquid ratio-E nis; sicut priuatio, quæ in re quidem nihil est, aliquid tamen rationis esse dicitur; quia eo ipso quod non est aliquid reale, concipitur tamen ab intellectu ad modum formæ & alicujus positiui, ens rationis est: Cùm autem denominatio extrinseca non possit concipi vt priuatio aut negatio, concipietur vt relatio; nec enim alia sunt entia rationis quàm Priuatio & Negatio & Relatio, vt constat ex quæst. 21. de Verit. art. 5. Quod si denominatio omnis extrinseca, cùm non ponat aliquid in re, est tamen aliquid rationis tanquam relatio rationis, cur non & denominatio signi per impositionem? Negare autem quod denominatio extrinseca, vt esse visum,

Denominationes extrinsecæ formaliter, relatio rationis; vt quasi forma in re denominata cõceptæ.

esse cognitum, sit relatio rationis, est contra omnem Metaphysicam; cùm denominatio rationis, supposito quod non est aliquid reale in re denominata, non sit priuatio aut negatio, ergo debet esse relatio rationis. Et præterea, Quia licet impositio solùm ponat denominationem extrinsecam ab actu imponentis in re imposita, tamen imponere aliquid vt sit signum, est ordinare illud ad signatum, & non merè denominationem extrinsecam illi apponere, sed denominationem quæ illud ordinet ad signatum, & alicuius rei faciat esse signum, ergo aliquem ordinem seu respectum aut relationem in eo causat non realem, ergo rationis.

Et sicut esse Dominum in Deo, & esse Creatorem est relatio rationis; quia licet creatura nihil ponat in Deo, tamen cum ordine ad creaturas concipitur, quando vt Dominus aut Creator concipitur, ideoque est relatio rationis; sic esse signum ex impositione relatio rationis est; quia res imponitur & denominatur extrinsecè, non absolutè, sed in ordine ad significatum; & consequenter secundum relationem aliquam rationis. Ratio verò Suarez, vt statim videbimus, parum vrget; supponimus autem ex communi Authorum sententia, præter Suarez, Genus signi esse relationem, & signum in quantum signum consistere in ordine ad signatum vt ex 1. lib. Summul. habetur, & probabilius est essentialiter consistere in relatione secundum esse & non transcendentali, licet hanc supponat, & in ea fundetur.

Soluuntur Argumenta.

Antequam Argumenta ea proponamus, quæ tangunt difficultatem illam, Quomodo Sacramentum dicendum sit ens rationis, priùs aliqua quæ contra singulas conclusionis partes militant, oportet soluere. Et primò contra id quod dicitur, esse signum ad placitum; Nam Sacramenta debent significare secundum aliquam similitudinem & proportionem quam habent cum effectu suo, seu gratia quam significant, ergo non ad placitum, sed naturaliter debent significare; quia significatio fundata in similitudine & proportione naturalis est. Antec. patet, tum quia in definitione Hugonis de S.Victore, quæ à D.Th. approbatur in 4. Sent. dicitur *Quod Sacramenta secundum similitudinem significant gratiam, & eius causa existunt*: tum quia August. dicit Epist. 23. *Sacramenta quandam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt sacramenta; quam si non haberent, omninò sacramenta non essent*, ergo debent ex similitudine significare, siquidem sufficit ad significandum ex similitudine, quod habeat illam signum; siquidem eo ipso est conuenientia inter signum & signatum, & consequenter ratio significandi.

Respondeo, Quod licet absolutè loquendo non sit necessaria similitudo inter Sacramentum & effectum supernaturalem, illa tamen Sacramenta, quæ de facto instituta sunt, saltem in Lege Veteri & Noua, ex parte materiæ habent aliquam proportionem & analogiam, non quæ sit ratio significandi rem sacram, sed quæ sit congruitas vt assumantur & destinentur vt signa sacramentalia, & hoc est quod Augustinus docet, quod debent habere hanc congruitatem, sine qua non erunt Sacramenta; non quia hæc sit ratio formalis significandi in eis, sed quia se-

In Sacramentis ex se & ex materia, habitudinas ad significandum, non significatio.

A cundùm hanc congruitatem instituta sunt, & nisi eam haberent, non eo modo essent, quo sunt instituta.

Secundò oppones pro opinione Suarez Argumentum, quod supra positum est, Quia videlicet relatio rationis non est nisi quando cognoscitur; signum autem ex impositione etiamsi non cognoscatur relatiuè & comparatiuè, est verè & realiter signum, signique munus exercet, ergo non consistit in relatione. Hoc Argumentum diluitur ex solutionibus datis ad 6. præcedentis dubij. Et præterea dicitur, Quod in signo ex impositione, duo considerare possumus; Alterum esse impositum, quod est denominatio quædam extrinseca; Alterum esse ordinatum ad signatum, quod est relatio seu ordo rationis. Et

B quantum ad primum non indiget actuali cognitione intellectus, vt dicatur & denominetur impositum, bene tamen vt dicatur se habere relatiuè, & secundum relationem existere. Quoad secundum verò dicimus, Quod sicut Deus dicitur Dominus etiam nullo intellectu cogitante, licet formalis ratio Domini consistat in ordine ad rem subjectam; ita dicitur signum, nullo intellectu cogitante, licet ratio signi sit ad signatum; quia sufficit ad id fuisse impositum & destinatum respectu talis signati, vt dicatur esse illius signum. Licet enim ex vi talis destinatio-

C nis & impositionis non ponatur ordo in re, quæ est signum, & quæ sic destinatur; relinquitur tamen fundamentum proximum talis ordinis & relationis, ratione cuius absolutè & simpliciter denominatur in re ipsum signum, eo modo quo in re esse potest; scilicet non secundum formam intrinsecam relatiuam, sed secundum aliquid, quod non nisi per formam relationis concipi potest; sicut priuatio dicitur absolutè esse in re, non quia sit, sed quia fundamentum habet vt per formam positiuam concipiatur. Sic ergo illud quod in re non est relatio, ita tamen se habet vt nonnisi relatiuè concipi possit, dicitur esse relatio rationis; & quod ad instar potentiæ po-

Sacramentum ante intellectú.

D sitiuæ concipi potest, sed non relatiuæ, est ens rationis, quod est priuatio aut negatio. In his tamen omnibus, denominatio ipsa fit per id, quod à parte rei datur, & taliter cognoscibile est, non per id quod concipitur sic.

Itaque quando dicitur quod essentia signi consistit in relatione, & consequenter essentia signi in actu; ergo quandiu non consideratur relatio rationis, non est in actu signum, & consequenter nec denominatur actu signum Sacramentum. Respondeo illam primam consequent. esse æquiuocam, scilicet Essentia signi in actu, consistit in essentia relationis in actu; & ideò distinguitur; Essentia signi in actu quantum ad positi-

E uum & entitatiuum conceptum consistit in essentia relationis in actu, concedo; quantum ad denominatiuum, nego; sed consistit in fundamentali essentia relationis; seu in eo, quod non nisi relatiuè concipi potest. Et instatur in priuationibus & negationibus, quæ quantum ad priuatiuum conceptum sunt in re, & denominant ante operationem intellectus, non quantum ad positiuum, idest, vt ad modum entis conceptæ; ita similiter ratio signi ad placitum, non dicitur esse actu in re secundum aliquem actum positiuum existendi in ipsa re (siquidem nihil in ipsa re ponitur per impositionem) sed dicitur esse actu in re, quantum ad id quod deno-

minationis

minationis habet fundantis relationem rationis, hoc est, conceptibilis per modum relationis. Et hoc sufficit vt denominetur signum, sicut in priuationibus simile fundamentum sufficit vt aliquid denominetur priuatum.

Tertiò opponitur, Quod D. Thom. sæpe docet artefactum poni in duplici genere, scilicet suæ materiæ, & suæ formæ; & principaliùs in prædicamento suæ materiæ, vt constat ex Quodlib. 11. quæst. 6. ad 3. & in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 1. quæstione 2. ad 4. ergo etiam Sacramentum principaliùs ponitur in genere suæ materiæ; & consequenter non in genere signi, nec relationis rationis. Respond. Artefacta quidem in genere entis simpliciter poni in genere suæ materiæ, non tamen in genere artis, seu quod habent ex vi artis. S. Thom. autem hìc non inquisiuit de genere Sacramenti in ratione entis, sed in genere sacramentali: Commune est enim omnibus artefactis, vt in genere entis sint ratione materiæ; sed hìc inquirit de genere quod habent in quantum Sacramenta, & ex vi institutionis sacramentalis; & ideò dicit poni in genere signi, sacramentaliter loquendo, non entitatiuè.

Quartò objicies, Quia si genus Sacramenti est relatio rationis, simpliciter & absolutè Sacramentum dicetur ens reale & ens rationis, quod est absurdum. Sequela patet, Quia quidditatiuè est ens rationis, siquidem genus eius est relatio rationis; & consequenter quidditatiuè de eo prædicatur, & sic simpliciter erit ens rationis, siquidem id quod est quidditatiuè tale, est simpliciter tale: similiter entitatiuè est ens reale & quidditatiuè, si quidem entitatiuè pertinet ad genus suæ materiæ, quod est quid reale; & sic vt hæc est quidditatiua, *Album est corpus ratione suæ materiæ*, sic ista est quidditatiua, *Sacramentum est ens reale ratione materiæ*.

Respond. negando quod hæc debeat absolutè & simpliciter concedi, *Sacramentum est ens rationis*, sed solùm cum addito, scilicet Sacramentum pro formali est ens rationis. Licèt enim quidditatiuè sacramentaliter genus eius sit ens rationis, sed non quidditatiuè entitatiuè. Cùm enim in genere entis non pertineat ad prædicamentum suæ formæ, sed suæ materiæ; neque entitatiuè dicendum est ens rationis simpliciter, sed secundum quid, & cùm addito. In genere autem entis non pertinet nisi secundum quid & cum addito ad genus entis rationis; quia forma artificialis in quantum artificialis, non pertinet ad rationem naturæ aut entis naturalis; immò vt sic non est in genere entis, sed est aliquid consecutum ad ens, sicut intelligibile aut cognoscibile; sic enim artificiale est aliquid descendens ab intelligibili, cùm sit forma ab intellectu data & deriuata. Est autem aliud genus entis, aliud cognoscibilis, vt notat Caiet. 1. p. quæst. 1. art. 3. Vnde non debet artefactum denominari ens, ab eo quod est forma, sed à materia; præsertim quando pro forma habet aliquid morale, seu ens rationis; tunc enim debet simpliciter denominari ens à materia.

Sacramentum non simpliciter ens rationis; sed pro formali.

Itaque ex triplici capite non debet Sacramentum denominari quidditatiuè ens reale & ens rationis. Primò, Quia in quocumque concreto accidentali, non ex æquo includitur forma & subjectum; sed forma directè, & subjectum ex connotato & consequenter; nec ex æquo intrat quidditatem talis concreti id quod ad subjectum pertinet & quod ad formam; & sic non potest simpliciter quidditatiuè dici vtrumque, & sic album non est simpliciter substantia quidditatiuè, sed ratione connotati. Secundò, Quia ratio entis est ratio vniuersalissima & transcendens, vnde dicitur tam de concreto, quàm de abstracto; & simpliciter dicitur de toto concreto, secundum id quod simpliciter in illo inuenitur de ente; secundum quid autem tantum, id quod minùs principaliter & secundum quid includit. Concretum autem supponit pro subjecto, & artefactum pro suo materiali. Vnde cùm hoc sit aliquid reale, ens dictum de illo in concreto debet etiam esse ens reale; alioquin non supponerent pro eodem. Cùm etiam in genere entis principale sit materia, & secundum quid artificialis forma, præsertim si quid morale est, consequenter ens quod simpliciter de illo dicitur, non debet esse ens rationis, sed ens reale. Et quia in prædicationibus non solùm attenditur ad rem significatam, sed etiam ad modum significandi; si ex parte significandi importat ens reale, pro quo supponit ex parte modi significandi, non potest dici quod sit aliquid rationis absolutè.

Tertiò, Quia licèt artefactum sit concretum accidentale, tamen est differentia inter concretum accidentale secundum accidens naturale, aut secundum accidens artificiale; simpliciter enim sumitur quidditas & realitas, seu entitas in artificialibus ex parte materiæ, non in accidentibus naturalibus. Cujus ratio est, Quia accidentalia concreta solùm includunt subjectum ex parte modi significandi, & quasi de connotato; Vt enim dicunt Metaphysici, Abstractum & concretum accidentis, solùm differunt ex parte modi significandi, non ex parte formæ. In abstracto autem subjectum non importatur; solum ergo importatur in concreto ratione modi significandi. Vnde concretum accidentale, solum includit subjectum vt materiam *in qua*, seu materiam inhæsionis, non vt materiam *ex qua*; & ideò ex parte modi existendi seu inhærendi, non ex parte quidditatis absolutè, eam includit. At verò artefactum includit materiam, non solùm vt concretum accidentale & ex parte modi essendi, sed ex quidditate sua & ordine intrinseco ad finem; quia artifex eligit materiam in ordine ad suum finem proportionatam; Vnde non includit illam tanquam materiam *in qua*, seu inhæsionis, & quæ teneat se ex parte modi essendi, sed tanquam materiam *ex qua* construitur ipsum artefactum; & cùm sit materia *ex qua* tanquam ens in actu, & non vt materia in potentia, inde est quod dicit totam substantiam rei; quæ est ratio Aristotelis & D. Th. ad probandum Materiam esse puram potentiam. Videatur S. Doctor Opusc. 15. cap. 7. Vnde materia in artefactis includitur non solùm ex modo significandi, sed ex parte quidditatis, & tanquam materia ex qua; & sic cùm non sit sola pars, sed principalis ratio totius artefacti, ab illa simpliciter denominabitur in entitate sua, quod sit realis aut rationis.

Materia, tota artefacti substantia.

Addendum verò est pro artefactis rationis, Quod ex vi propriæ rationis aliqua composita rationis includunt materiam, seu subjectum suum vt cognitum, quia solùm denominant illud vt cognitum, sicut Genus, Species, & cætera intentionalia logica; alia sunt quæ denominant materiam non vt cognitam, sed vt in re, sicut relatio Domini aut Creatoris in Deo, relatio Iudicis aut Doctoris, aut pecuniæ, &c. Et ea quæ sunt primi

generis, simpliciter dicuntur entia rationis, quia materiam includunt prout in cognitione, & non vt in re. Quæ autem sunt secundi generis, dicuntur simpliciter entia realia, licèt pro formali sint ens rationis, quia includunt materiam prout in re & ens simpliciter dictum & sine restrictione, semper applicatur & cadit supra id quod principale est. Et ita Sacramentum dicitur ens reale simpliciter, & non ens rationis; sed pro formali tantum. Quare quando dicitur, Quod Sacramentum quidditatiuè est ens rationis, distinguitur; Quidditatiuè pro formali, concedo Quidditatiuè pro entitate simpliciter, nego. Et cùm ex parte modi significandi importet ly Sacramentum illud formale entis rationis prout in materia reali, & non prout in materia vt cognita; & ad prædicationes faciendas non solùm attendatur ad res significatas absolutè, sed ad modum quò significantur, inde est quod istud prædicatum *ens*, dictum de Sacramento, debet dici secundum rationem entis realis, & non rationis; quia entitatiuè simpliciter non dicit ens rationis, sed pro formali; & ex parte modi significandi importat ens reale pro materia, sicut *ly* Iudex, *ly* Cæcus, pecunia, &c.

Sacramentum simpliciter ens reale.

QVOMODO SACRAMENTVM dicendum sit ens rationis?

HInc patet ad illam replicam, Sacramentũ non est ens rationis absolutè, ergo neque signum ad placitum absolutè; siquidem signum ad placitum per se est ens rationis. Non valet hæc consequentia, ob diuersam appellationem in ly signum, aut in ly ens rationis; hoc enim, propter suam vniuersalitatem, de ly ens dicitur de subjecto ratione entitatis, & ideò falsam reddit propositionem. Primum verò, scilicet signum, non importat hanc vniuersalitatem, nec dicitur ratione entitatis de subjecto, sed ratione sui formalis; sicut non valet, Animal non est ens rationis, ergo non est cæcum, quia cæcum est ens rationis. Item etiam, Ens rationis non est genus signi absolutè, ergo non pro formali solùm.

Quintò objicitur, Quod si genus Sacramenti est relatio rationis, non potest differentia eius esse aliquid reale. Videmus autem quod differentia Sacramenti in Sacramentis Nouæ Legis est esse effectiuum & causatiuum gratiæ, quod aliquid reale est, ergo non potest pro genere habere aliquid quod sit relatio rationis.

Respond. de hoc Argumento infra latiùs esse agendum, vbi inquiretur quomodo conueniat ratio signi & ratio causæ in nostris Sacramentis. Interim dicimus, Quod esse causatiuum gratiæ, quantum ad id quod reale & physicum est, non est differentia essentialis Sacramenti; quia ratio causatiui pertinet ad rationem occultam Sacramenti, non manifestatiuam; & ita non intrat quidditatiuè id, quod est Sacramentum tantùm, quia hoc debet esse aliquid visibile & externum; significatio autem licet etiam sit occulta, est tamen manifestatiua, idest, ratio qua Sacramentum redditur manifestatiuum; virtus autem operatiua non est manifesta, nec manifestatiua, seu reddens Sacramentum manifestatiuum. Vnde in ratione Sacramenti tantum, non est eius differentia causare, sed taliter significare; scilicet significare gratiam vt præsentem, & modo practico & vt dandam per Christum, & per eius instrumenta, quæ

Ratio causæ quasi præsuppositiuè essentialis, non per se differentia in esse Sacramenti.

A sunt ipsamet Sacramenta, Vnde præsupponit ipsa Sacramenta causare gratiam, non tamen causare pertinet ad differentiam constitutiuam Sacramenti, licèt quasi præsuppositiuè dicatur ei essentiale esse hoc, quod est causare. Datur ergò alia differentia essentialis in Sacramentis Nouæ Legis secundum rationem sacramenti, scilicet significare taliter, scilicet gratiam præsentem dandam per passionem Christi, & per ipsamet Sacramenta; non autem ipsum causare est differentia, licèt possit dici quod pertinet ad Sacramentum essentialiter quasi præsuppositiuè, supposito quod instituit non solum esse signa, sed & causas gratiæ.

B Secundò dicitur, Quod causare dupliciter potest sumi; Vno modo purè & secundum se, & sic nullo modo est differentia essentialis Sacramenti, de quo in præsenti loquimur, sed pertinet ad alium modum analogatorum in ratione Sacramenti, scilicet ad causam rei sacræ; sicut passio Christi Domini est sacramentum, quia est causatiuum rei sacræ: Alio modo sumitur causatiuum non purè & absolutè, sed sacramentaliter, idest, vt modo significatiuo & externo applicatur; & sic erit differentia essentialis, non ratione sui, sed ratione sacramentalitatis suæ.

Causare sacramentaliter, differentia.

Tertiò dicitur, Quod esse causatiuum gratiæ non est essentiale Sacramento vt Sacramentum est, C sed vt instrumentum humanitatis Christi, & deriuatum à passione eius. Hoc autem connectitur cum Sacramento, non ex vi & essentia Sacramenti, sicut differentiæ connectuntur cum genere, sed ex institutione Christi Domini, qui Legem Euangelicam condidit; in qua, sicut dicit S. Thom. 1. 2. quæst. 106. art. 1. & 2. fit justificatio non ratione scripturæ, qua traditur Lex; sed ratione Spiritus & gratiæ, quæ per illam datur, juxta quod dicit Apostolus ad Rom. 1. 16: *Non erubesco Euangelium; virtus enim Dei est.* Vnde oportuit quod Sacramenta, quæ sunt fundamenta talis Legis & columnæ eius, non solum haberent signum exterius, sed Spiritum intus operantem gra- D tiam. Hoc autem non habetur ex vi Sacramenti, aut essentiæ Sacramenti vt sic, sed ex vi Sacramenti Christo conjuncti, & ab eius passione deriuati. In his autem quæ ex institutione alicujus pendent, non est attendendum ad rem genericam, quomodo in ea contineantur differentiæ, aut connectantur cum illa, sed quomodo contineantur & conjungantur in institutione instituentis. Et ideò esse instrumentum gratiæ, & esse eius signum conjunguntur per se in nostris Sacramentis perseitate sacramentali, non physica aut methaphysica, idest, perseitate instituentis. Eo autem modo quo Sacramentum est instrumentum, est causatiuum.

Ex Christi institutione.

Sextò arguitur, Quia si Sacramentum est si- E gnum ad placitum, erit mutabile; sicut signum ad placitum potest deponi à sua significatione. Respondeo, Esse mutabile respectu sui instituentis, qui est Deus, non respectu vt entis illo, qui est Ecclesia.

Septimò dices, Si Sacramentum habet pro genere ens rationis, erit ens per accidens, & non erit definibile. Patet, Quia constat ex ente reali & rationis; pro materiali enim est ens reale, pro formali habet esse ens rationis; & sic quidditatiuè habebit esse ens rationis pro formali, & pro materiali ens reale, quod est esse ens per accidens. Item, Quia cùm ens rationis non habeat quidditatem, non erit definibile; & sic de Sacramento non dabitur definitio.

Respond. Non esse ens per accidens Sacramentum sacramentaliter loquendo, sed physicè & entitatiuè; vt autem aliquid simpliciter dicatur ens per accidens, non sufficit quod entitatiuè includat plura, sed quod non includat illa secundum ordinem ad aliquid vnum. Quæ est doctrina S. Th. 7. Methap. lect. 17. diligenter notanda, vbi inquit, Quod *compositum quandoque sortitur speciem ab aliquo vno, quod est vel forma, vt patet in corpore mixto; vel compositio, vt patet in domo; vel ordo, vt patet in syllaba & numero; Quandoque verò compositum sortitur speciem ab ipsa multitudine, vt patet in aceruo & populo, & aliis huiusmodi; & in talibus totum compositum non est vnum simpliciter, sed solum secundum quid.* Quapropter cùm ens per accidens non sit ens simpliciter, sed secundum quid, dicendum est Sacramentum non esse ens per accidens, quia sumit speciem suam ab aliquo vnò, idest, ab vna forma sacramentali, seu institutione; licet enim plura entitatiuè includat, includit tamen illa ordinatè & in ordine ad vnum, à quo speciem Sacramentalem sumit; & ideo simpliciter vnum est, & non per accidens.

Sacramentum ens per se, non per accidens, & definibile.

Nec debet dici, Quod fundamentaliter est plura, non verò formaliter; Nam vt fundat relationem seu ordinem sacramẽtalem, vno modo fundat, quia secundum vnam institutionem; & ideo simpliciter vnum est etiam fundamentaliter. Negatur etiam non esse definibile Sacramentum, licèt sit ens rationis, quia ens rationis etiam definibile est, quando habet fundamentum; sic enim Logica definit intentiones, & proprias earum passiones demonstrat. Quæ verò sunt purè chimærica, illa non sunt definibilia; quia nec quidditatem habent, nec fundamentum eius. Quæ verò quidditatem habent fundatam in re, & formaliter in ratione, definiri possunt. Nec instari potest, Quod etiam in genere significationis Sacramentum est multiplex, & non habet vnitatem; Nam verba habent significationem & res etiam, & sic sunt plures significationes. Respond. enim, Quod in genere significationis quasi physicè sunt plura, quasi sacramentaliter non nisi vnum; quia vtraque illa significatio, facit vnam significationem sacramentalem. Alia enim est institutio vocis ad significandum politicè, alia ad significandum sacramentaliter.

DVBIVM TERTIVM.

An Sacramentum debeat esse signum sacrum & secretum?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

PRo cujus intelligentia, est notandum, Quod signum aliquod esse sacrum, potest sumi vel ex parte rei significatæ, vel ex parte rei significantis. Dicitur signum sacrum ex parte rei significatæ, quia id quod significatur per illud, sacrum est & sanctum. Et hoc modo nulli dubium est Sacramentum esse signum sacrum; quia significat gratiam, Christum Dominum, & eius passionem, quæ sacra sunt. Ex parte autem rei significantis dicitur signum sacrum, quia res illa quæ significat rem sacram, etiam in se est quid sacrum & religiosum. Et sic etiam Sacramentum est signum sacrum, quia est signum religiosum, & ritum ac cæremoniam religiosam includens. Vnde S. Th. 1. 2. quæst. 101. art. 4. dicit Quod *cæremoniæ veteris Legis rectè diuiduntur in Sacrificia, Sacramenta & Obseruantias*; & sic Sacramenta sunt cæremoniæ quædam ac ritus religiosi; & consequenter sunt quid sacrum ex parte ipsius signi, seu rei significantis; sicut etiam sacrificium aliquid sacrum & religiosum est ex parte signi externi & visibilis. Item etiam; Quia Sacramenta in hoc distinguntur à sacrificio, quod sacrificium ordinatur ad exhibendum Deo cultum, sacramentum verò ad disponendum cultores ipsos, vt tradit D. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 5. ergo Sacramentum debet ex parte signi seu rei significantis esse quid sacrum & religiosum, siquidem est illud, quo quis sacratur, seu initiatur & protestatur aliquam religionem.

Sacramentum, signũ sacrum, ex re significata, & significante.

Soluuntur Argumenta.

Sed objicies primò, Nam si Sacramentum est signum sacrum, non solum ex parte rei significatæ, sed ex parte rei significantis, ergo jam Sacramentum non solum dicitur Sacramentum, quia signum, sed quia habens in se aliquid sacrum; seu quia est in se aliquid sacrum; & sic duplici modo dicetur analogatum de ly Sacramentum.

Respond. primò, Quod Sacramentum ex parte rei significantis dicitur esse signum sacrum, sed non occultum, sed externum ac manifestum, tanquam visibilis quædam cæremonia ac ritus externus; & ita ex ea parte non dicitur Sacramentũ, quasi sacrum secretũ, seu habens in se sacrum secretum. Secundò Respond. Quod Sacramentum est sacrum ex parte rei significantis, tanquam ritus & cæremonia seu signum, non tanquam res; & ideò non dicitur habens sacrum secretum, sed significans; religiosè tamen & modo sacro; & quia modus iste sacer & religiosus non est in ipso vt in forma sacra, sed vt in signo rei sacræ, ideò non extrahit ipsum ab analógato quod est signum.

Secundò objicies, Nam si Sacramentum est quid sacrum ex parte rei significantis, ergo pertinet ad virtutem Religionis, & non ad genus signi; genus enim signi est longè diuersum à genere Religionis, cùm illius genus sit relatio, istius verò qualitas. Consequentia autem prob. Quoniam in tantum est Sacramentum quid sacrum ex parte rei significantis, in quantum est actio quædam religiosa, & religioso ritu facta; actiones autem alicujus virtutis sunt in eadem specie cum ipsa virtute, ergo Sacramentum in quantum quid sacrum pertinet ad virtutem Religionis, & non ad genus signi.

Mag. Nuño dub. 1. concedit sequel. Nec inconuenit, quod materialiter loquendo Sacramentum sit in genere Religionis, & formaliter in genere signi; nam secundum diuersas considerationes pertinet res aliqua ad diuersa prædicamenta; & ita Sacramentum, verbi gratia Baptismus, si consideretur in quantum actio, pertinet ad prædicamentum actionis; in quantum ordinatur ad significandã gratiam, est in genere signi; vt ordinatur ad cultum diuinum, in specie virtutis Religionis. Non est autem inconueniens quod aliquid secundum diuersas rationes pertineat ad diuersa genera. Responderi etiam potest, Quod Sacramentum, cùm sit cæremonia externa, non pertinet ad religionem quasi formaliter, sed quasi objectiuè, & materia circa quam externa; & ideo non debet poni in genere religionis, sed in genere signi; licèt ipse vsus Sacramenti, quo quis exercet illud aut suscipit, religiosa actio esse debeat.

Sacramentum, vt ritus sacer, ad religionẽ spectat, & quasi materialiter, vel objectiuè.

Tertio oppones, Nam Sacramento nec conuenit

esse quid sacrum ex parte rei significantis accidentaliter, neque essentialiter, ergo nullo modo. Non essentialiter; quia ad essentiam Sacramenti solùm pertinet significatio, seu ratio signi, quod est genus & differentia talis signi; ratio autem ritus, aut cæremoniæ sacræ non pertinet ad genus aut differentiam hujus signi, ergo non conuenit ei essentialiter. Non accidentaliter, Quia Sacramento non est accidentale ordinari ad cultum Dei, quatenùs disponit cultores eius, & per ipsum fit protestatio & initiatio religionis; sicut sacrificio non est accidentale esse ordinatum ad cultum Dei; ergo non conuenit ei accidentaliter, siquidem per se & intrinsecè ad hoc ordinatur.

Conditio per se annexa Sacramento.

Respond. Verum quidem esse, quod hoc non sit genus Sacramenti, cùm non sit signum neque differentia Sacramenti, cùm omnibus differentiis conueniat; sed est conditio quædam per se annexa & requisita in Sacramento in communi, tenens se ex parte materiæ Sacramenti; quia videlicet debet imponi & institui in signum rei sacræ, id quod sacrum est & religiosum, seu quod per modum cæremoniæ & ritus sacri exhibetur; & id necessarió comitatur omne Sacramentum; quia Sacramentum est signum protestatiuum rei sacræ, & religionis initiatiuum & sacratiuum; & ideò tali modo debet institui, quo aliquis externo ac publico ritu initietur & protestetur talem religionem; & ideò exigit significatio illa habere pro materia, id quod est sacrum & religiosum; sicut securis vt scindat, requirit materiam duram & compactam, licet durities non sit ratio scindendi, sed acuties; in materia tamen dura, & non in alia.

Quartò objicitur de Matrimonio, quod est verum Sacramentum, & tamen non est cæremonia sacra, sed contractus naturalis, subditus legibus Reipublicæ, ergo. Minor prob. Nam Matrimonio in Lege Noua solùm est addita significatio sacramentalis, non verò aliquis ritus, aut cæremonia sacra; sed quomodocumque fiat ille contractus ciuilis, redditur matrimonium; ergo non est ex parte rei significantis, seu materiæ cæremonia sacra.

Confirmatur in Eucharistia, quæ est Sacramentum permanens, & consequenter habet pro materia aliquid permanens, ergo non aliquam actionem, & consequenter neque cæremoniam aut ritum, quia hæc necessarió debet esse aliqua actio.

Confirmatur secundò, Nam in Lege Naturæ erant vera Sacramenta, & tamen in ea non erat materia Sacramentorum determinata à Deo, sed per Reipublicæ ordinationem, vt infrà dicitur art. 6. ergo non erant illa Sacramenta cæremoniæ sacræ, nec aliquid sacrum ex parte rei significantis, sed aliquid subditum ordinationi Reipublicæ.

Matrimonium ipsũ sacra cæremonia.

Respond. Matrimonium dupliciter considerari; Vno modo vt est contractus ordinatus ad faciendum conjuges secundùm rationem politici & naturalis contractus, & officium naturæ. Alio, vt est contractus ad faciendos conjuges sanctos, & repræsentantes conjunctionem Ecclesiæ & Christi. Primo modo non est cæremonia sacra, secundo vero modo est sacer ritus; & ideo à Christo Domino institutus est iste contractus, non solùm vt significaret rem sacram, sed vt significaret tanquam cæremonia sacra.

Item Eucharistia.

Ad Confirm. Resp. Eucharistiam esse Sacramentum per modum cibi, qui ordinatur ad sumptionem, & fit per consecrationem. Vnde licèt per modum permanentis non habeat aliquam cæremoniam aut ritum, habet tamen illum in sui consecratione & sumptione; ac proinde Eucharistia vt consecrata retinet rationem cæremoniæ, non pro sui permanentia; sed pro sui consecratione & sumptione.

Ad secundam Confirm. Respond. Quod Sacramenta Legis Naturæ erant determinatæ materiæ à Reipublicæ institutione; quia tamen materiæ illi, quam designabat Respublica, conferebatur à Deo significatio sacra, consequenter etiam fiebat ipsa materia & cæremonia, quæ à Republica instituebatur, quid sacrum ac religiosum & religiosè tractandum.

Quintò objicitur, Ratio cæremoniæ seu ritus sacri vel consistit in ratione signi religiosi, vel in ratione actionis religiosæ; Si in ratione signi religiosi, est ipsa formaliter essentia Sacramenti, quæ consistit in ratione signi sacri, ac proinde religiosi; & sic falsò dicetur, id solùm materialiter pertinere ad rationem sacramenti, & non formaliter, si quidem formalissima ratio Sacramenti est signum sacrum. Si verò consistit in actione religiosa, non omni Sacramento conueniet in communi, siquidem non omne Sacramentum in actione consistit, nec habet actionem pro materia; Et deinde, Quia cùm actio non pertineat ad essentiam Sacramenti, sine tali actione seu cæremonia saluabitur essentia Sacramenti, & erit Sacramentum.

Cæremonia, professio diuini cultus; ipsa Sacramentis annexa.

Respond. Rationem cæremoniæ, vt constat ex D. Thom. 1. 2. quæst. 99. art. 3. & 4. consistere in aliquo exteriori opere, vt est professio seruitutis Dei, & specialis determinatio cultus eius; & ideò præcepta cæremonialia determinatiua cultus secundùm tales vel tales hostias aut munera, & tales similitudines distinguntur à moralibus illis, quæ respiciunt ipsum cultum, seu colere Deum absolutè. Quare pro materiali cæremonia dicit actionem seu opus externum, pro formali verò significationem, seu similitudinem aliquam, quæ exprimat professionem seruitutis diuinæ, & determinet specialiter cultum Dei, secundum has vel illas similitudines aut significationes; Sacramenta autem omnia aliquod externum opus petunt, siuè formaliter; quia in vsu consistunt; siuè virtualiter; quia consecratiua actione fiunt, & ad actionem etiam ordinantur. Habent etiam significationem & determinationem cultus Dei secundùm similitudines & significationes peculiares, & ita habent rationem cæremoniæ, quæ comitatur omne Sacramentum, ratione tamen materialis, quod est actio & opus externum.

Sacramentum, sacrũ secretum.

Quod verò secretum signum sit Sacramentum, constat clarè; Quia Sacramentum principaliter dicit sacrum, seu sanctum occultum, ergo Sacramentum, quod est signum, debet esse occultum, & significare occultè. Vnde illud propriè dicitur Sacramentum, quod non debet omnibus aperiri & notum esse, nec significatio eius esse cuilibet peruia, sed quasi clausa & abscondita. Neque est hoc contra rationem signi, de cujus ratione est quod sit manifestatiuum rei significatæ, & consequenter non debet celare & abscondere illam. Dicimus enim, Quod de ratione signi est quod sit manifestatiuum, non tamen quod significatio eius sit omnibus manifestata, sed quod cognoscentibus significationem suam sit manifestatiuum; Sicut lingua Græca nescienti significationem, potiùs celat significationem quàm manifestat, & tamen signum est. Et ænigma, signum est rei significatæ,

occultum tamen; quia nescitur eius significatio. Et hoc ideo est, quia Sacramentum non solùm est signum, sed signaculum; nec solùm constat verbis, sed rebus; nec solùm est speculatiuum & ordinatum ad cognitionem, sed practicum & ordinatum ad opus. Vnde oportet quod habeat significationem reconditam, & quod sit occultum, & non omnibus manifestum significatum eius.

DVBIVM QVARTVM.

Circa 3 con. Art.

An sit de ratione Sacramenti in communi quod sit causa realis alicuius sanctitatis?

CONCLVSIO EST NEGATIVA, contra Suarez disp.1. sect.2.

Sacramentum ex se signũ, non causa sanctitatis.

ET pro eius intelligentia est notandum, Quod sanctificatio potest sumi propriè pro sanctificatione interiori, siue fiat per infusionem gratiæ, quæ est sanctitas perfecta, siuè per remissionem venialium; seu pro sanctitate, quæ consistit & fit per denominationem intrinsecam alicujus formæ; vel potest sumi sanctificatio impropriè pro deputatione ad aliquod sacrum, aut pro habilitatione in aliqua irregularitate, seu inhabilitate, quod fit per denominationem extrinsecam. Secundò etiam notandum est, Quod Sacramentum esse causam sanctificationis potest dupliciter intelligi; Primò ex ratione & vi Sacramenti, seu ex vi institutionis suæ. Secundò veluti ab extrinseco, seu ratione operantis, in quantum per virtutem religionis imperatæ à charitate vtitur tali Sacramento, & meretur per illud sanctificationem aliquam.

Igitur de ratione Sacramenti in communi est, quod per illud deputetur aliquis ad aliquid sacrum, seu ad cultum Dei, quia vt S. Thomas dicit 1. 2. quæst.102. art.5. *Sacramenta propriè dicuntur illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus, ad quandam consecrationem: per quam scilicet deputabantur quodammodò ad cultum Dei*. Et quæst. 101. art. 4. dicit, *Quod ex parte colentium duo possunt considerari, scilicet eorum institutio ad cultum diuinum, quod fit per quandam consecrationem, vel populi vel ministrorum: & ad hoc pertinent Sacramenta*. Cùm ergo Sacramenta debeant esse quędã externæ protestationes religionis, oportet quod per illa habeat quis huiusmodi consecrationem seu deputationem; sicut etiam per sacramentum militare deputatur quis ad militiam, vt S.Thomas notauit circa causalitatem Veterum Sacramentorum in 4. distinct. 1. quæst.1. art.5.

Deputatio ad rem sacram, vt signum, non vt aliquid causans.

Cæterùm deputatio hæc & consecratio, non fit per aliquam formam inhærentem, & intrinsecùs denominantem; ideoque neque exigit causam realem quæ ad illam terminetur; nec debet respectu huius Sacramentum dici realis causa; sicut neque ei qui ad officium aliquod deputatur per iuramentum, aut aliam cæremoniam, dicitur cæremonia illa conferre consecrationem aut deputationem, sed esse signum, quo fit talis deputatio; sicut quando inuestitur Episcopus per annulum, Canonicus per librum; hoc enim non excedit rationem signi, vt docet S.Thomas quæst.62. art.2. explicans D. Bernar. qui dicit, *Quod sicut inuestitur Canonicus per librum, &c. sic diuisiones gratiarum diuersis sunt traditæ Sacramentis*. vbi inquit S. D. *Quod iste modus* A *non transcendit rationem signi: & sic liber est quoddam signum, quo designatur traditio canonicatus: & secundum hoc Sacramenta Nouæ Legis non essent plusquam signa gratiæ*. Igitur secundum D.Thom. Cæremonia deputans & consecrans ad aliquam religionem, non excedit rationem signi; & sic Sacramentum ex eo quod sit protestatio externa, & deputatio ad aliquam religionem, non est causa, sed signum consecrationis & deputationis illius.

Relicta ergo sanctitate ista impropria, quæ est deputatio ad aliquod ministerium, seu consecratio; restat videre an saltem sit de ratione Sacra- B menti conferre sanctitatem, vel veram, vel legalem? Dicitur autem legalis sanctitas, emundatio carnis, idest, ab aliqua irregularitate, seu impedimento, quod à Lege apponebatur, quo stante non erat quis idoneus accedere ad sacra, & ad cultum diuinum. Sanctitas autem verà consistit in emundatione à peccato; perfecta quidem in emundatione à peccato mortali per infusionem gratiæ; imperfecta autem, à veniali sine gratiæ infusione, vti fit per Aquam benedictam. Cùm autem Sacramentum sit quid sacrum & religiosum, & vsus eius religiosus & virtuosus, non repugnat ex hac parte esse causam sanctitatis, eo modo quo opus meritorium est causa gratiæ aut C augmenti eius; sed hoc non est de ratione Sacramenti vt sacramentum est, & in genere sacramenti; sed vt opus religiosum est, & à charitate imperatur.

Sanctitas legalis aut vera, non ex ratione ipsa Sacramenti, vt ex causa: eius ratio, esse signũ.

Sumendo autem Sacramentum secundum esse & rationem sacramenti, & in proprio genere, non secundum rationem operis meritorij, dicimus non esse de ratione sacramenti conferre aliquam sanctitatem, siue perfectam, siue imperfectam, siue legalem. Ratio est, Quia de ratione Sacramenti solum est ordo ad id per quod specificatur, scilicet ad objectum quod significat, ergo omnis ordo qui non fuerit ad tale objectum, non erit ei essentialis, sed accidentalis. Objectum autem à quo specifica- D tur Sacramentum est significatum eius, seu res sacra, & sanctitas occulta; Ab illa enim denominatur; & sicut sanum vrinæ & medicinæ non potest essentialiter respicere nisi sanum animalis, sic neque signum sacramentale nisi sanctitatem occultam. Ordo ergo qui non fuerit ad sanctitatem occultam, non erit essentialis & per se in sacramento, quod est signum denominatum à sanctitate occulta. Cùm autem certum sit, quod de ratione Sacramenti in communi non est respicere sanctitatem occultam per modum causæ, vt patet in Sacramentis Veteribus, quæ fuerunt vera sacramenta, & respicere aliquid quod non sit sanctitas occulta (scilicet sanctitatem legalem) sit extra rationem sacramenti specificam & essentia- E lem, fit vt esse causam cujuscumque sanctitatis, siuè perfectæ siuè legalis, non sit de ratione Sacramenti.

Præterea causare sanctitatem imperfectam & remissionem venialium inuenitur in sacramentalibus, nec postulat aut constituit rationem sacramenti; minus causare emundationem legalem, sicut modò dispensatio ab irregularitate aut à censuris, quæ est quædam emundatio legalis, vt sic dicam, non exigit nec constituit rationem sacramenti: ergo causare sanctitatem legalem non est de ratione sacramenti; nec similiter causare sanctitatem perfectam, vt probatum est. Nec causare vnam aut alteram disiunctiuè est de ratio-

ne sacramenti, cùm vtraque ratio præsupponat A constitutam essentiam sacramenti; Etenim causare sanctitatem occultam pertinet ad aliud genus sacramenti, seu ad aliud analogatum hujus nominis Sacramentum, scilicet ad id quod se habet vt causa sanctitatis occultæ; & ideo illi analogato, quod se habet vt signum talis sanctitatis, non conuenit essentialiter, cùm sit alterius generis; causare autem non sanctitatem occultam, sed sanctitatem legalem est extra omnia genera sacramenti, quæ dicunt habitudinem & analogiam ad sanctitatem occultam, ergo vtrumque causare accidentaliter aduenit rationi sacramenti, de qua in præsenti tractamus.

Adde etiam quod sanctitas legalis propriè non causatur, quia non est quid reale, sed sicut traditio canonicatus non fit per libri exhibitionem, tanquam per causam, sed tanquam per signum; sic neque sublatio irregularitatis, vel emundatio ab impedimento aliquo carnali, non fit per cæremoniam sacramentalem, tanquam per causam, sed tanquam per signum, quo ostenditur & reputatur vt mundus.

Soluuntur Argumenta.

Sed objicies primò ex Suarez, Nam omnia Sacramenta, quæ hactenus instituta sunt, habuerunt causare aut veram sanctitatem, aut legalem; ergo de ratione sacramenti, eo modo quo institutum est à Deo, est causare aliquam sanctitatem. Antec. patet inductiuè; Nam omnia Sacramenta Nouæ Legis causant gratiam perfectam, omnia Antiquæ Legis causabant legalem; Circumcisio etiam veram. Sacramentum Legis Naturæ pro paruulis causauit veram sanctitatem, ergo nullum fuit quod non causaret aliquam.

Confirmatur, Nam essentia & ratio Sacramentorum, non potest à nobis aliunde cognosci, quàm ex institutione Dei, secundum quod de facto posita est, non secundum id quod de potentia absoluta poterat; institutio autem Sacramentorum, vt de D facto posita est, semper habet annexam aliquam causalitatem sanctitatis, saltem imperfectæ; ergo aliquid causare est de ratione sacramenti, vt de facto instituti.

Respond. primò ad anteced. negando inductionem illam sufficientem esse; Nam probabilius est in Lege Naturæ non solùm fuisse Sacramenta in expiationem peccati originalis, sed etiam in expiationem actualium; quod adhibere deberent, qui peccabant, cum contritione vera; & illud non conferebat sanctitatem veram, quia operabatur ratione contritionis; neque legalem, cùm non esset tunc lex, quæ varias illas irregularitates induxerat. Secundò ad consequent. Respond. Quod vt aliqua inductio probet aliquid esse de ratione E alicuius, non sufficit probare quod omnibus competat; sed taliter illis, quod non aliis. Emundatio autem ab istis legalibus, potest competere & sacramentalibus nostris, & sacrificiis antiquis; Nam modò per absolutionem in foro interiori tollitur censura, per aquam benedictam veniale, & per sacrificia antiqua, quæ offerebantur pro peccato, expiabatur quis; & per baptismata varia mundabatur quis ab immunditia aliqua legali. Quapropter si hoc inueniebatur in aliquibus antiquis sacramentis, id non erat ex essentia ipsa, & vi rationis sacramentalis, sed per accidens, in quantum erant quædam sacramentalia pro materiali, quæ ad id deseruiebant. Non ergo ex inductione illa colligitur esse de ratione sacramenti, sed competere sacramentis siue accidentaliter siue non accidentaliter.

Ad confirmationem Respond. Quod institutio Sacramentorum, sicut de facto posita est, ex essentia sua solùm habet respicere sanctitatem occultam vt signum; quod autem habeat causare, siue hanc ipsam sanctitatem, quam significat, siue aliam, ex essentia sua non habet; nec id fit per institutionem Sacramenti, secundum quod respicit essentiam sacramenti constituere, sed prout respicit accidentale quid in illo; scilicet id quod adjungitur cæremoniis sacramentalibus ex institu- B tione diuina. Per se enim solum postulant Sacramenta ad constitutionem suam habere significationem à diuina institutione; at verò quod cæremoniæ ipsæ sint institutæ etiam à Deo ad aliquid causandum, extra rationem, seu institutionem constitutiuam Sacramenti est.

Sicut enim in Lege Naturæ determinabantur cæremoniæ a Republica, & significatio sacramentalis à Deo, vt infra dicetur; & ita institutio circa cæremonias non est de essentia sacramenti, quod à Deo sit; ita quidquid tali cæremoniæ prouenit præter significationem, à Deo præter rationem sacramenti est; & sic quod causet sacramentum ra- C tione sui materialis, seu cæremoniæ adjunctæ, licèt ex institutione Dei habeatur, non tamen ex institutione vt tribuente essentiam, quæ in significatione consistit, sed vt dante aliquid accidentale.

Secundò objicies, De ratione Sacramenti est quod sit cæremonia ordinata ad cultum Dei, & non ad cultum Deo exhibendum, sicut sacrificia, sed ad disponendos cultores Dei, vt constat ex S. Thom. 1. 2. quæst. 101. art. 4. ergo de ratione Sacramenti est, vt aliquam dispositionem conferat cultoribus; hoc autem aliqua sanctificatio est, saltem imperfecta; ergo de ratione Sacramenti est quod illam conferat.

Confirmatur, Quia sicut vestimentum dicitur, quo vestimur, & ornamentum, quo ornamur; ita Sacramentum dicitur, quo sacramur; & à sacrando dicitur Sacramentum, ergo de ratione sacramenti est quod per illud sacremur, & sic conferatur nobis aliquid sacrum.

Respond. Quod Sacramentum est cæremonia ordinata ad cultores Dei disponendos & sacrandos, in quantum est protestatio quædam externa religionis, qua quis initiatur per sacramenta, ad hoc autem non requiritur quod causet aliquid; Nam quantum ad sanctitatem occultam talis religionis, sufficit quod significet illam, & non requiritur quod causet. Quantum vero ad initiationem, seu deputationem ad talem religionem aut ministerium eius, non requiritur causalitas, sed significatio, vt supra ostendimus.

Item secundò dicitur, Quod sicut est de ratione sacrificij quod ordinetur ad cultum Dei per modum signi externi, & non per modum alicuius causalitatis, sic de ratione Sacramenti est quod ordinetur ad cultores Dei per modum signi sanctitatis eorum, non per modum causæ. Quod verò alterius sanctitatis sit causa, quæ non est dispositio cultorum Dei, per accidens est & extra rationem significationis sacramentalis, quæ est forma essentialis sacramenti. Ex vi enim talis formæ non requiritur quod sit causa; sola autem hæc forma essentialis & sacramentalis est constituens sacramentum.

Ad confirmat. dicitur, Quod Sacramentum non dicitur à sacrando actiuè, sicut medicamentum, sed à faciando formaliter vel finaliter, idest, à sanctitate occulta, vt dicit hîc S. Thomas ad 1. & ita non sequitur quod debeat esse causa, sed sufficit quod sit signum; quia id quod denominatur à causa informante, non denominatur per modum causæ.

Tertiò obijcitur, Nam de ratione Sacramenti est quod sit signum practicum, ergo quod sit non solum repræsentatiuum, sed etiam causatiuum; De ratione etiam practici est, quod sit operatiuum; si ergo Sacramentum est signum practicum, sacramentum est signum operatiuum; Cùm autem essentialiter non sit operatiuum gratiæ perfectæ, debet esse operatiuum vel gratiæ, vel saltem sanctitatis legalis.

Respond. Quod quomodo Sacramentum sit signum practicum; infrà latiùs dicetur; Nunc respondemus, non consistere rationem signi practici in eo quod sit operatiuum sui signati; sufficit quòd sit signum promissiuum, seu quasi explicatiuum mentis practicæ, respectu significati, vt judicetur esse practicum; Nam Sacramenta Vetera respectu sui significati, quod est gratia, non erant operatiua secundum rationem sacramenti, & tamen erant signa practica secundum rationem sacramenti. Non ergo requiritur ad rationem signi practici quod sit causatiuum sui signati. Quod verò sit causatiuum alterius quam signati, impertinens & per accidens est respectu essentiæ sacramenti, quæ sumitur respectu sui significati; nec constituitur in ratione practici signi per hoc, quod sit operatiuum non sui significati, sed alterius. Quare ad rationem signi practici sufficit, quod significet suum significatum vt in exercitio dandum, non per causalitatem ipsius signi, sed per causalitatem alterius causæ, significatam tamen per hoc signum; quia sufficit ad rationem signi significare causationem, non verò requiritur quod causet significatum; Hoc est, sufficit significare rem non in ordine ad repræsentandum præcisè, seu vt repræsentabilis est præcisè, sed vt causatur & datur, sicut infra melius dicetur.

Sacramentum ex se signum practicum, etsi non effectiuum.

Deinde dicitur, Quod vt sit signum practicum, sufficit quod repræsentet rem vt datur ratione vsus, seu exercitij ipsius, non autem ex vi & causalitate ipsius sacramenti. Et ideò non requiritur quod Sacramentum causet aliquo modo, sed quod in exercitio eius detur, ab alia tamen causa, & ex vi alterius causalitatis.

Quartò objicies, Nam de ratione Sacramenti est, vt saltem sit causa moralis sanctificationis; sed causa moralis est vera & propria causa, ergo de ratione sacramenti est causare aliquam sanctificationem, saltem vt moralis causa. Antecedens est certum, Quia de ratione sacramenti est vt per eius vsum aliquis mereri possit, & saltem ex opere operantis acquirere sanctificationem, ergo de ratione eius est vt sit saltem causa moralis sanctificationis.

Confirmatur, Nam si de ratione Sacramenti non est aliquam conferre sanctitatem, saltem imperfectam, non est aliqua ratio cur transitus Maris rubri & Manna, & illa verba Christi, *Remittuntur tibi peccata*, &c. excludantur à ratione sacramenti; siquidem hæc omnia significabant gratiam vt dandam in genere causæ finalis aut formalis, & non solum speculatiuè significabant rem sacram, vt erat sacramentum in se. Quod autem non essent cæremoniæ stabiles, hoc materialiter & per accidens se habet ad rationem sacramenti, ergo non ex parte essentialis rationis sacramenti (scilicet significationis) excludebantur.

Nec moralis causa sanctitatis, vt Sacramentum est.

Respond. Quod Sacramento conuenit esse causa moralis, non ex ratione sacramenti, sed ex ratione virtutis & intentionis cui subditur. Si enim religiosè & debitè fiat aut suscipiatur, meretur; secus verò si irreligiosè & indebitè. Hoc autem non est sacramentum ipsum esse causam, sed debitum eius vsum; non prout vsus est sacramenti, sed prout debitus ac religiosus, & à charitate imperatus. Hinc est quòd apud S. Thomam quæst. 63. infra, ponitur. Character in specie potentiæ & non habitus; quia per illum non determinatur quis ad bene vel malè agendum, sed ad agendum, vel suscipiendum simpliciter sacramenta. Igitur aliud est in Sacramento essentia, aliud quod bene vel malè fiat; & consequenter tanquam causa moralis concurrat ad sanctificationem aliquam.

Ad confirmat. Respond. Illa numerata in Argumento excludi à ratione Sacramenti, tum ex parte eius quod necessariò & per se ex parte materiæ præsupponitur à sacramento; scilicet quod sit cæremonia & ritus in aliqua religione, vt constat ex S. Thoma 1. 2. quæst. 101. art. 4. vbi cæremonias diuidit in Sacramenta, Sacrificia, &c. Debet autem talis cæremonia ita esse permanens, sicut religio cujus cæremonia est; tum etiam ex parte formalis rationis; quia non habuerunt significationem sacramentalem, idest, practicam gratiæ, quia significabant illam tanquam figuræ quædam, & speculatiua signa, non vt ad opus adhibita; & ideò neque in exercitio eorum dabatur gratia ratione significationis eorum.

Nec obstat quod significabant gratiam vt dandam; Nam significabant ly, *dandam*, veluti objectiuè, non vt rationem formalem, seu conditionem necessariam suæ significationis. Gratiam autem dandam, speculatiuè significari posse, certum est; quia pro objecto repræsentationis habetur gratia danda, & non gratia præcisè; sed tunc gratia vt danda pertinet ad signum practicum, quando ly, *danda* est conditio, aut ratio ipsius significationis; quia scilicet significat secundum ordinem & applicationem ad dandam & præbendam gratiam, vt sequenti dubio explicabitur.

Quintò objicies, Si de essentia Sacramenti solùm est significare gratiam, & habere rationem signi, & omne quod est causare accidentale ipsi est; sequitur quod Sacramenta Nouæ & Veteris Legis essentialiter sint eiusdem perfectionis, quod est absurdum. Et sequela patet, Quia in ratione signi non possunt excedi sacramenta Veteris Legis à nostris, sed solum exceduntur in causando; vt constat ex differentia, quam Sancti communiter ponunt, ergo non est solum de ratione sacramenti significare, nec in eo præcisè potest consistere eius essentia.

Confirmatur, Omne Sacramentum est institutum ad conferendam sanctificationem non ponentibus obicem, taliter quòd in eius exercitio gratia conferatur; aliàs non haberemus vnde distingueretur signum hoc à signis speculatiuis eiusdem gratiæ; ergo principaliùs sacramentum est institutum ad causandum gratiam, quàm ad significandum. Patet consequent. tum quia per hoc distinguitur à signis non sacramentalibus, quia efficit, seu est causa eius, quod significat; tum quia res debet denominari ab eo, quod principalius est; cùm

autem causare sit principalius quàm significare, oportet quod ab illo denominetur sacramentum.

Respond. negando sequel. Et dicimus, Quod Sacramenta Veteris & Nouæ Legis, etiam in ratione signi sacramentalis, differunt, significant enim Sacramenta Nouæ Legis expressiùs, efficaciùs & salubriùs; & sic in latitudine signi sacramentalis practici longè excellentiora sunt nostra; magis enim conjuncta sunt cum suo significato. Et præterea dicitur, Quod licèt Sacramenta nostra haberent causare essentialiter, non tamen inde sequitur, quod de ratione sacramenti in communi esset causare, siue gratiam, quæ est significatum eius, siue aliquam aliam sanctitatem imperfectam; quia hoc causare competit specialissimè Sacramentis Nouæ Legis, non autem ex ratione communi sacramenti.

Distincta Vetera & Noua Sacramenta, etiã in ratione signi

Ad Confirmationem Respond. Quod Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem, non potest verificari de omnibus sacramentis, etiam antiquæ Legis; quia collatio gratiæ non erat in illis sacramentis ex vi ipsorum sacramentorum, sed ex vi dispositionis operantium: Vnde non exigebant solùm pro dispositione non ponere obicem, sed positiuè contritionem & actum charitatis habere. Conferre autem gratiam ex vi dispositionis & operis operantis, non est illam sacramentaliter conferre & causare, sed meritoriè; & ex subordinatione ad religiosum & debitum vsum, non ex vi sacramenti. Nos autem hîc solùm negamus Sacramento in communi esse sacramentaliter causam.

Quod autem dicitur distingui per hoc à signis speculatiuis, quia efficit quod significat; Negatur hoc; quia signum speculatiuum & practicum differunt fine, quia scilicet speculatiuum intendit solum repræsentare signatum, practicum autem componere & conjungere illud cum subjecto, siue id fiat per causalitatem ipsius signi, siue per causalitatem alterius; significatam tamen à signo illo, & habente se illo signo vt explicans mentem illius, qui causat, secundum quod causat; vt mox explicabitur.

Sextò arguitur, De ratione Sacramenti est, vt non solum sit signum, sed etiam medicina salutaris, ergo de ratione eius est quod sit causatiuum, & non solùm significatiuum. Consequent. patet, quia medicina dicit genus causæ efficientis ad sanitatem, vt S. Thom. dicit solutione ad 1. Anteced. prob. Ideò in statu innocentiæ non essent sacramenta, quia non indigerent medicina, vt dicit S. Thom. in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 2. quæst. 2.

Respond. Sacramentum esse medicinam sacramentali modo, & ideò significatiuè; non autem necessarium est etiam quod effectiuè, ex parte ipsius signi, sed sufficit quod ratione operis operantis habeat effectum aliquem.

DVBIVM QVINTVM.

An Sacramentum vt sic sit signum practicum gratiæ?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Constat ex S. Thom. art. 2. solutione ad 1. vbi dicit, *Creaturas sensibiliter significare aliquid sacrum, vt bonitatem & sapientiam Dei, in quantum sunt in se ipsis sacra, non autem in quantum nos per ea sanctificamur, & ideò non possunt dici sacramenta.* Et eadem ratione solutione ad 2. excludit quædam signa Veteris Testamenti a ratione sacramenti.

Vt autem explicetur conclusio, Notandum est, quod signum practicum dicitur illud, quod deriuatur & descendit ab intellectu practico. Intellectus enim, cognitionem & conceptus suos per signa à se deriuata explicat; sed sicut est duplex intellectus, scilicet practicus & speculatiuus, sic est duplex signum ab vtroque intellectu deriuatum, scilicet practicum & speculatiuum. Et sicut intellectus vt sit practicus non debet extrahi à latitudine intellectus, sed intra limites intellectus habet rationem practici; sic vt signum sit practicum non indiget extrahi à latitudine signi, & induere rationem causæ; sed intra genus signi habet rationem practici, in quantum scilicet deriuatur ab intellectu practico. Intellectus autem practicus & speculatiuus, in hoc differunt, vt dicit S. Thom. 6. Ethic. lect. 2. Quod bonum intellectus speculatiui, est verum absolutè; bonum autem intellectus practici, non est verum absolutè, sed vt concorditer & conformiter se habet ad finem rectum, seu ad opus quod intendit. Vnde mensura veritatis speculatiuæ est res vt est in se; quia ex eo quod res est vel non est, intellectus est verus vel falsus; mensura autem veritatis practicæ non est res vt est in se, sed vt concordat cum fine intento & recto.

Sacramentum vt signum practicum.

Ex quo fit, Quod intellectus practicus, quando respicit objectum exterius, non respiciat illud ad acquirendam cognitionem, sed ad hoc vt res ad finem aliquem intentum dirigatur, aut perducatur. Et sic respicit rem non resoluendo & abstrahendo ab ipsa cognitionem, sed potius componendo illam cum aliquo, secundum quod intendit aliquem finem, ad quem perducere intendit aliquid; & sic respectu illius finis compositiuo modo procedit. Et hinc est quod intellectus practicus præsupponit actum voluntatis; quia non dicit cognitionem puram, sed directiuam cum intentione finis; & supponendo intentionem finis dirigit ad illum. Quod S. Thom. explicauit loco citato dicens, *Quod finis est homini à natura: ea autem quæ sunt ad finem, non sunt nobis determinata à natura, sed per rationem.* Et sic rectitudo appetitus per respectum ad finem, est mensura veritatis in ratione practica.

Supponendo ergo appetitum circa aliquem finem procedit intellectus practicus, dirigendo ad illum finem, siue ille finis sit ipsa factio rei, siue donatio aut collatio, siue quæuis alia compositio. Ab hoc ergo intellectu deriuatum signum, dicitur practicum; quia per illud non intendit intellectus manifestare præcisè rem, sed manifestando perficere exteriùs intentionem & directionem intellectus practici; & ita in contractibus videmus, quod signa perficientia contractum, habent vim ab intellectu practico perficiendi ipsum, & perducendi ac dirigendi ad finem exteriori modo, id quod intendit intellectus. Contingit autem quod intellectus intendat non solum rem perducere ad finem, sed etiam de nouo producere in esse; & tunc etiam instrumentis ipsis communicat virtutem vt artificiosè rem ipsam perficiant.

Itaque intellectus practicus, exterioribus his præbet vim perducendi ad finem intentum, vel producendi in esse rem, quam intendit. Et sicut intellectus speculatiuus, signis, quæ ab ipso deriuantur, est causa manifestandi, & dat illis vim & rationem

rationem manifestatiui; sic intellectus practicus, signis quæ ab ipso procedunt, dat vim dirigendi & perducendi in finem, & instrumentis vim producendi in esse secundum artem. Et ideò dicuntur signa practica, quia licet manifestent, non tamen sistunt, neque pro fine habent manifestare, sed ad intentum finem perducere & exteriùs dirigere; sicut intellectus practicus, licèt habeat cognoscere, non tamen cognitionem habet pro fine, sed per cognitionem dirigere & perducere ad finem: Quod ergo intellectus practicus habet intra, signum practicum habet extra; scilicèt non habere pro fine manifestare; licet manifestatiuum sit; sed ad finem exterius perducere & dirigere; & ideò modo compositiuo procedere. Quod autem ipsum signum vltra hoc sit causa rei in suo esse, & perducat illam, siue physicè, siue moraliter, est extra rationem signi practici; & competet ei ex aliquo extrinseco; sed de ratione eius solũ est, quod eo modo quo intellectus practicus intendit finem aliquẽ & illum respicit interiùs, sic signum practicũ illum respiciat exterius.

Sic ergo Sacramentum essentialiter habet esse signum practicum, quia essentialiter habet institui à Deo, non vt purè nobis repræsentet rem sacram, sicut imago aut figura aliqua, sed vt ad sanctificationem nostram ordinetur, & nos per susceptionem sacramentorum initiemur & sacremur, & sanctificationem nostram assequamur; ergo in illis signis non intendit institutor eorum solam repræsentationem, sed vtentium sanctificationem & consecrationem; ergo non habent illa signa pro fine cognitionem, & sic non sunt speculatiua; sed habent pro fine opus (idest, consecrationem & sanctificationem nostram) & sic sunt signa practica.

Ex quibus colligitur contra Mag. Cano, Non esse necessarium vt Sacramenta sint signa practica, quod efficiant physicè, quod significant; alias sola nostra Sacramenta essent signa practica; sed sufficit quod taliter sint signa, quod non habeant pro fine cognitionem, sed vlterius ad aliquem finem ordinentur; sicut id sufficit ad intellectum practicum, quamuis talis intellectus, non sit physicè effectiuus rei, sed solùm directiuus.

Soluuntur Argumenta.

Objicies primò, Sacramenta antiqua non fuerunt causa gratiæ, sed solum signa, ergo non habebant pro fine nisi repræsentationem, non autem significationem, & tamen erant vera sacraměta; ergo non est de ratione sacramenti quod sit signũ practicum.

Confirmatur, De ratione practici est quod sit operatiuum, sed non est de ratione Sacramenti quod sit operatiuum sui significati (scilicet gratiæ) ergo nec quod sit signum practicum gratiæ. Antecedens certum est, Quia practicum & operatiuum idem sunt; praxis enim est idem quod opus, & practicum idem quod operatiuum. Min. prob. Quia si est de ratione Sacramenti quod sit operatiuum gratiæ, ergo de ratione sacramenti est, quod non solum constituatur in genere signi, sed etiam in genere causæ respectu gratiæ, seu rei sacræ; quod tamen negat S. Thom. art. 1.

Respond. negando consequent. Non enim est contra rationem signi, quod habeat pro fine opus; sed contra rationem signi speculatiui, sicut de intellectu practico diximus; Eodem enim modo regulanda sunt signa, & sic Sacramenta antiqua fuerunt tantum signa, idest, non extra latitudinẽ signi; inde tamen non fit non fuisse practica; quia practi-
A cum signum non est extra latitudinẽ & genus signi.

Ad Confirmationem Respond. distinguendo majorem, De ratione practici est quod sit operatiuum, quasi efficienter & physicè, nego; quasi significatiuè moraliter, concedo. Sic autem Sacramentum operatiuum est gratiæ, in quantum est signum respiciens sanctificationẽ potius quàm repræsentationẽ; sicut etiam promissio, aut exterior quilibet contractus, signum operatiuũ est quasi moraliter, & secundũ quod pro fine habet opus. Vnde dicitur, Quod ad rationem signi practici sufficit, quod sit operatiuum ex fine, non autem ex genere causæ efficientis; Dicitur enim practicum differre à spe-
B culatiuo, fine, seu habere pro fine opus, non autem esse causam efficientem eius. Et sic signa hæc habent pro fine opus, scilicet sanctificationem nostram, vt nobis danda, vel de præsenti, vel de futuro; non tamen est de ratione eorum quod effectiuè se habeant ad hoc signatum, sed id pertinebit ad excellentissima signa practica.

Secundò Arguitur, Ad rationem Sacramenti non sufficit habere sanctificationem pro fine, nisi etiam causet sanctificationem; ergo ratio signi practici non bene constituitur in illo, ex ordine ad sanctitatem vt ad finem; sed oportet quod efficienter sit causatiuum; hoc autem non conuenit omni Sacramento, ergo neq; conuenit esse signum practicum.
C Anteced. prob. Nam multa sunt signa quæ habent pro fine sanctificationem; quia scilicet excitant ad deuotionem & ad sanctitatem, vt Imagines sacræ, Serpens æneus in Lege Veteri, quem quicumque aspiciebat, sanabatur; vbi pro fine habebat opus, & tamen non erat signum practicum; Concio etiam habet pro fine excitare ad sanctitatem, nec tamen est signum practicum; ergo oportet vt aliquid sit signum practicum, quod non solum habeat pro fine significatum, sed etiam in genere causæ efficientis; & sic vt sit Sacramentum, oportet quod non solùm pro fine habeat gratiam, sed etiam in genere causæ efficientis.

Respondetur, Quod practicum habere pro fine
D opus, potest dupliciter intelligi; Vno modo quasi passiuè; quia scilicet ordinatur & dirigitur ad opus aliquod vt ad finem, ab aliquo dirigente & ordinante sicut medium, quod assumitur passiuè, & ordinatur ad aliquid obtinendum: Alio modo quasi actiuè, quia scilicet est ordinans & dirigens ad finem; & habet pro fine ad quẽ dirigit aliquod opus, non verò sistit in cognitione: Primo modo habere pro fine opus, non sufficit ad rationem signi practici; sed secundo. Et huius ratio est, Quia practicum inuenitur in signo deriuatum à practico, quod est in intellectu: Practicum autem intellectus non respicit finem vt directum ad illum, sed vt dirigens & ordinans; quia est principium operationis.

Signum practicum quasi actiuè, vt ad finem dirigens, proprium Sacramenti.

Imagines autem sacræ, & concio & similia signa,
E adhibentur ab intellectu vt media ad consequendum finem aliquem; & ideò solùm passiuè habent esse ordinata, non autem habent esse signa practica; quia prius supponuntur esse significatiua & repræsentatiua, & deinde ordinantur & adhibentur pro medio ad aliquod opus. Vt autem sit aliquid signum practicum, oportet quod ex ipsa ratione practica intellectus participet significationem, & ordinationem ad finem; & sic quasi actiuè & directiuè habeat pro fine opus, non quasi passiuè, & quid assumptum pro medio ad finem.

Secundò Respondetur, Quod practicum habere pro fine opus, debet intelligi formaliter, idest, quod ex formalitate sua habeat respicere illud sub

C

ratione operis; non tamen quod respiciat aliquod, quod materialiter est opus. Et sic respicere ipsum opus vt signandum, non facit rationem practici; sed respicere opus vt operandum, & non in ordine ad signandum tantum, sed in ordine ad exercendū; & ita non sufficit respicere opus, vt sit practicum.

Quod si instes, Ergo oportet quod practicum non solùm respiciat opus, & sit operatiuum eius quasi ex fine, sed etiam in genere principij efficientis & actiui; ergo malè dicimus quod non requiritur ad practicum genus efficaciæ. Prima consequent. patet, Quia non potest actiuè dirigere aliquid in finem, nisi habeat actiuitatem & efficaciam; ergo oportet quod in genere causæ efficientis practicum se habeat ad opus, & consequent. signum, quod participat practicum ab intellectu, habeat rationē causæ efficientis respectu signati; aliàs non potest practicū dicere rationē principij actiui.

Respond. Non esse de ratione practici quod actiuè comparetur ad rem, quæ est opus & finis eius, sed ad directionem in finem; & ita debet esse actiuè dirigens, non autem actiuè efficiens rem ipsam. Vnde non est de ratione practici quod sit operatiuum rei, sed quod pro fine habeat operationem circa rem, tanquam dirigens ad huiusmodi finem, & non vt directum ad illum. Datur ergo actiuitas in practico respectu directionis operis, non tamen respectu rei, quæ est opus. Quare practicum debet esse operatiuum ex fine, idest, tanquam dirigens ad finem; non tamen requiritur quod sit operatiuum in genere causæ efficientis; & signum practicum debet esse operatiuum ex fine, tanquam manifestans huiusmodi directionem, & exterius dirigens, sicut intellectus interius. Sicut autē non est necesse quod intellectus interius sit efficiens, & habeat principium efficiendi, sic nec quod exteriùs signum sit efficiens; sed sufficit quod habeat pro fine opus (seu operationem) non vt assumptum & ordinatum ad talem finem, quasi ab extrinseco, sed vt ordinans & dirigens ad talem finem, vtpote practicè illum respiciens.

Intellectus autem respicit finem vt mouens ad illum; quia in ratione dirigentis est mouens, sicut voluntas est mouens quoad genus efficientis & quoad exercitium Quare practicus intellectus respicit finem per modum mouentis, & non vt moti, seu medij assumpti ad finem, & similiter signum descendens ab intellectu practico, respicit pro fine operationem non vt medium assumptum, sed vt dirigens significatiuè, & exteriùs, seu exteriùs mouens & perficiens. Non autē ad hoc necesse est quod effectio ipsius operis fiat per talem cognitionem, aut per signum deriuatum a tali cognitione; quia in ratione practici sufficit, quod ex fine & directione ad eum sit operatiuum, non autem quod vt causa efficiens ipsum respiciat; sed id erit de perfectione practici: saluaturque vere ratio practici, si quod per aliam causam efficitur, ab ipso in finem dirigantur intentum.

Tertiò Arguitur, Ratio signi practici in eo consistit, quod efficiat id quod significat; sed non omnia Sacramenta efficiunt quod significant, ergo non omnia sunt signa practica. Mai. prob. Nam si practicum non efficit quod significat, solum repræsentabit quod significat; solùm autem repræsentare quod significat, inuenitur in speculatiuis signis; ergo oportet quod ampliùs aliquid habeat circa suum signatum, quàm repræsentare illud; hoc autem est efficere, seu practicare & operari illud, ergo oportet quod signum practicū efficiat quod significat; aliàs

A non apparet in quo cōsistat ratio practici in signo.

Respond. Quod signum practicū efficere id quod significat, non debet intelligi de efficientia physica & productiua in esse (hæc enim non requiritur ad rationē practici) sed de efficientia quasi morali, id est, directiua & ordinatiua in finem. Et sic signum practicum efficere quod significat, non aliter habere potest, quàm ipse intellectus practicus; & sicut intellectus practicus non debet efficere vt sit practicus producendo, sed quasi ordinando & dirigendo, & secundum moralem rationem, sic & signum à tali intellectu deriuatum. Vnde quod sit practicum hoc signum, consistit in eo quod significet, habendo B pro fine non repræsentationem, sed sanctificationem, seu opus sanctitatis. Quod autem efficiat id quod significat, & quod habet pro fine; non est de essentia practici vt practicum est, licet ei conuenire possit

Quid intellectus practicus, & vt dicatur.

Si autem dicas, Causa moralis verè est efficiens; intellectus autem practicus respicit opus pro fine tanquā causa moralis, quia facit moraliter id quod significat, ergo in genere causæ efficientis constituitur per rationem practici, saltem moraliter. Et sic sicut est de essentia Sacramenti esse signum practicum, erit etiam de essentia sacramenti esse causam, & poni in genere causæ efficientis, saltem moralis; siquidem in ratione signi includit rationem causæ C efficientis, & sic in illo genere ponitur.

Respond. Absolutè loquendo non esse de ratione practici, quod sit causa moralis sui objecti; Dicitur enim à D. Thoma, 1. p. quæst. 14. art. 16. Deum habere simpliciter cognitionem practicam malorum, nec tamen dicitur Deus causa moralis mali; sufficit ergo quod intellectus practicus ordinet suum objectum ad aliquod opus, & non sistat in cognitione rei, habens ipsam pro fine, non tamen requiritur quod ordinatio ista se habeat vt causa per modum principij efficientis, sed per modum ordinantis ad finem, qui sit opus; siue ex hoc dicatur ipsum causare, siue non.

Sciemia malorum in Deo practica; non ipsa efficiēs mala.

Et nota, Quod aliud est intellectum practicum D esse causam influentem realiter in potentias executiuas & voluntatem; aliud esse causam influentem in objectum suum externum. Primum verum est; secundum autem, est falsum; quia sufficit ordinare, aut permittere, aut impedire aliud. Quæ omnia non ponunt aliquem realem influxum in re extra, sed solùm denominationem; non tantum cogniti, sed ordinati; & ideò practici actus denominatio est. Quare ex eo quod sit signum practicum, non ponitur in genere causæ, sed in genere signi; tum quia ratio practica id non exigit, sed ad illam sufficit ordinatio & directio, siue sit causa siue non; tum quia licet ordinatio illa dici possit, quod aliquo modo sit causa, quod hoc sit illius, v.g. quod sanctificatio tribuatur subjecto, & pertineat ad illud; ta- E men totum hoc non excedit rationē signi, quando exterius perficitur, sicut S. Thomas dicit à simili quæst. 62. art. 1. Quod licet denarius plumbeus sit pactio quod dentur centum libræ, aut traditio annuli sit signum inuestituræ Episcopalis, quæ sunt signa practica, non tamen hæc dicuntur excedere genus signi, quia vt S. Thomas notat in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. pactio ista exterior est causa per accidens, & conditio sine qua non, & ideo non influit in effectū, nec opus est quod trāscendat rationē signi.

Constat autem Sacramēta veteris legis, solùm se habuisse vt pacta gratiæ, iuxta quod de Circumcisione dicitur Gen. 17. 7. *Erit pactum inter me & semen tuum*. Pactum autem, & Sacramenta quæ sunt

signa sicut pactum, non excedunt genus signi. Nec A dicuntur esse causa talium rerum, Quia licèt hæc ordinentur ad opus, seu exercitium & traditionem illam, non verò ad solam cognitionem; tamen quia supponunt efficientiam fieri per aliud, & ipsa solùm exteriùs ordinant, præcipuumque munus eorum est explicare intentionem ordinantem ad finem operis, seu exercitium, quod est proprium munus signi, non verò operari per positiuum influxum, & ponere in esse ipsum finem & opus, ideò non dicuntur esse in genere causæ, licèt illam ordinationem actiuam moralem habeant, non tam facere, quam explicare; sed non præcisè explicare & manifestare, sed ad finem operis dirigere.

Quartò objicitur, Nam Sacramenta antiquæ B legis non solùm significabant gratiam futuram, quam promittebant, sed etiam præsentem, si quando ex opere operantis dabatur; sed illam præsentem non respiciebant vt signa practica, quia non erant signa practica gratiæ præsentis, ergo non omnia sacramenta erant signa practica respectu gratiæ significatæ.

Confirmatur, Nam Sacramenta sæpè frustrantur suo effectu, ergo non sunt signa practica. Patet consequent. Quia signum practicum efficit suum significatum, ergo quando frustratur ab efficientia, frustratur signo, quod practicè debet significare; & tamen videmus quod manent sacramenta, etiam si frustrentur ab effectu, ergo C non est de ratione sacramenti quod practicè significet suum significatum.

Respond. Verum esse quod Sacramenta illa significabant gratiam, etiam præsentem, si dabatur ex opere operantis; Erant enim illa sacramenta signa practica gratiæ, quæ per Christum danda erat in genere causæ finalis, quia finis illius erat Christus, & quæ dabatur tunc per Spiritum & fidem Christi; perficienda autem erat posteà ab ipso Christo. Cùm ergo essent signa practica gratiæ per Christum dandæ, non solùm significabant gratiam secundum quod in futuro perficienda erat per Christum & passionem eius, sed etiam secundum quod modò ex fide Christi mediante opere D operantis ipsius suscipientis dabatur; & ita erat signum practicum præsentis gratiæ, licèt non effectiuum principium.

Ad Confirmationem Resp. Quod Sacramenta non frustrantur suo effectu ex parte sui, sed ex parte dispositionis suscipientium; Sicut enim Sol de se semper lucet, ex defectu tamen alicuius impedimenti oppositi, in aliquo loco non lucet; sic sacramentum de se semper habet effectum, quantum est ex vi sua, licet ex indispositione suscipientis in ipso effectum non relinquat.

DVBIVM VLTIMVM.

An esse causatiuum gratiæ per se competat nostris Sacramentis? E

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

IN qua tamen explicanda non conueniunt Authores. Quidam enim censent conuenire rationem causæ Sacramentis nostris tanquam propria passio. Sic Mag. Soto. Alij conuenire, non tanquam propriam passionem; nec tamen omninò per accidens, sed per se tanquam conditio necessaria, & per se requisita in Sacramentis nouæ legis, supposita diuina institutione; ad eum modum quo causare, seu generare scientiam conuenit syllogismo demonstratiuo; & sicut agere per contactum conuenit agenti physico; Non enim est illi ratio formalis agendi, nec accidentalis conditio, sed per se & necessariò requisita. Eodem modo per se est ista, *Sacramenta Nouæ Legis causant gratiam:* non quia esse nouæ legis sit ratio formalis, sed quia est conditio per se requisita vt causent.

Alij vt magis explicent hanc sententiam, distingunt duplicem connexionem; aliam quam habet causalitas à significatione, tanquàm à conditione requisita ex institutione diuina; aliam quam habet significatio istorum sacramentorum à causalitate vt à modo completiuo & terminatiuo significationis eorum. Cùm enim Sacramenta nostra significent gratiam, non vtcunque, sed vt dandam per eademmet sacramenta, vt per instrumenta passionis Christi; manifestum est ad veritatem significationis sacramentalis, necessariam esse causalitatem sacramentorum; aliàs enim non verificaretur eorum significatio. Et tamen respectu primæ dependentiæ, verum est quod causalitas se habet vt conditio per se requisita ex institutione Christi, & ea supposita. Respectu verò secundæ, causalitas se habet vt modus completiuus significationis sacramentalis, non tamen vt ratio formalis; & ideò talis dependentia & perseitas non fundatur in nuda institutione Christi, sed in ipso modo significandi, quem habent nostra Sacramenta.

Alij dicunt, per se conuenire causalitatem nostris Sacramentis ex parte materiæ, quia videlicet institutio Christi Domini voluit sacramenta nostra esse instrumenta physica gratiæ; & supposita hac institutione, per se conuenit nostris sacramentis esse causas gratiæ; quia tamen esse causas & instrumenta non conuenit illis ratione significationis, sed ratione materiæ, & rei quæ assumitur vt instrumentum, quia solùm assumitur pro instrumento ens reale, non verò id quod rationis est, ideò dicitur conuenire hoc sacramentis nostris per se materialiter.

Dicimus ergò, Quod dupliciter possumus loqui de Sacramentis Nouæ Legis; Vno modo, secundùm rationem & genus signi, & talis signi; taliter quod respiciamus solum id, quod in latitudine & genere signi, in genere & specie conuenit. Alio, secundum quod Sacramentum Nouæ Legis includit non solum institutionem in genere signi sacramentalis, sed etiam institutionem talem Christi, qua factum est Sacramentum Nouæ Legis, & subordinatur institutioni Christi; qui non solùm voluit illa esse signa, sed etiam instrumenta suæ passionis, sicut conueniebat Legi Euangelicæ. Secundum primam considerationem, Dicimus quod esse causam & habere causalitatem realem & instrumentalem, est extra genus signi, & Sacramentis Nouæ Legis solum conuenit essentialiter præsuppositiuè; quia scilicet instituta sunt hæc Sacramenta ad significandam gratiam, non vtcumque, sed dandam per ipsamet sacramenta; quæ significatio vera esse non potest, nisi præsupponendo quod ipsa causant gratiam. Et hoc est quod dicit tertia sententia, Quod se habet ratio causatiui in Sacramentis, vt modus completiuus significationis Sacramentis Nouæ Legis.

Ratio causæ in Sacramentis Nouæ Legis & præsupposita, & per se illis conueniens.

Iuxta secundam autem considerationem, Sacramentis Nouæ Legis conuenit per se esse instrumenta & causas gratiæ, non ex ratione ipsa sacramenti præcisè, sed vt nouæ legis sunt; tum

quia institutio Christi per se etiam voluit quod Sacramenta instituerentur, & essent sacra instrumenta suæ passionis; & ideo vt subordinantur huic institutioni, per se hoc conuenit illis, tum quia Lex Euangelica non solum includit scripturam & instructionem externam, sed etiam spiritum internum, ratione cuius iustificat, vt latè docet S.Thom. 1. 2. quæst. 107. art. 2. & quæst. 27. de Veritate art. 4. Vnde Sacramenta, quæ sunt velut columnæ & fulcimentum Religionis huius, oportet quod non solùm habeant rationem signi exterioris, sed etiam spiritum intus operantem, qui est virtus Christi iustificans, à passione eius deriuata. Et ideò sicut per se conuenit illis esse B signa, & externas cæremonias Legis Euangelicæ, sic conuenit eis non solum signa esse, sed & causas iustificantes, sicut Euangelium.

Causa gratiæ sacramentaliter.

Responderi secundò potest, Quod esse causam gratiæ potest dupliciter sumi. Vno modo purè & nudè, alio modo sacramentaliter; seu causam exteriùs significatam, seu exteriorem & sensibilem factam per rationem signi, & consequenter subordinatam rationi signi. Dicimus ergo, Quod esse causam gratiæ vt sic, & nudè consideratam, non potest per se competere rationi Sacramenti Nouæ Legis; quia genus signi, quod est Sacramentum, & genus causæ non possunt perseitatem aliquam dicere, si vnumquodque secundum se sumatur; C cùm dicant diuersa genera. At verò causare modo Sacramentali, seu exteriùs manifestato, & significato, pertinet per se ad rationem Sacramenti talis, scilicet Euangelici; quia tunc jam non sumitur solùm vt causa, & in solo genere causæ, sed in genere etiam signi, seu exterioris manifestantis.

Quare causa vt sic gratiæ, non dicit aliquid manifestum, nec aliquid manifestans, seu quod sit ratio manifestandi; sed potiùs aliquid occultum & occultè procedens atque operans; ideoque ad rationem Sacramenti, quæ est quid exterius & sensibile manifestum, non potest per se pertinere. Causa autem sacramentaliter se habens, & exte- D riùs manifesta & facta sensibilis mediante signo, non est extra rationem signi sacramentalis, seu Sacramenti: & per se conjungitur cum illo, non perseitate physica, sed perseitate sacramentali, & ex institutione Christi dimanante.

Soluuntur Argumenta.

Sed objicitur primò, Nam istæ duæ rationes, scilicet causandi & significandi ita se habent in nostris Sacramentis, quod ab inuicem separari possunt, ergo per accidens conjunguntur. Consequentia patet, Quia si separari possunt, adest & abest vna ab alia sine subjecti corruptione, & consequenter accidentaliter se habent, & per acci- E dens conjunguntur. Anteced. verò prob. Quia bene potest Deus facere Quod maneat Sacramentum significans & non causans; potest etiam facere quod sit causans & non significans; & aliàs ex natura sua significatio & causalitas non postulant conjungi, & simul esse, ergo taliter conjunguntur quod ab inuicem separari possunt.

Nec dici potest, Quod supposita institutione per se sunt conjuncta, licèt si seorsum respiciantur non per se postulent conjungi; Nam duæ formæ, quæ ex se absolutè sunt separabiles, etiamsi ex aliqua actione aut institutione Dei simul sint in eodem subjecto, non propterea per se conjunguntur; vt si Deus institueret quod homo albus esset simul Musicus, non per se conueniret album Musico, sed per accidens.

Respondetur nihilominus, Quod formæ, quæ ex sua propria ratione naturales sunt, quantumuis ex instituto aut extrinseca actione conjungantur, non faciunt vnitatem per se; cùm naturalis vnitas ex naturali formarum conuenientia & proportione pendeat, non ex instituto alieno. Quandò autem formæ non sunt naturales, sed artificiales, & ex institutione pendentes, vnitasque ex illis resultans artificialis & ex institutione est, non requiritur quod per se vniantur secundum naturam, sed per se secundum institutionem eius, qui instituit, cùm & vnitas totius resultantis ex institutione pendens sit. Cætera Argumenta quæ tangunt de conjunctione formæ rationis, qualis est significatio, & realis, qualis est causare, quomodo per se vniantur, suprà tractata sunt; & quomodo etiam pertineant ad rationem generis & differentiæ; Supposita enim institutione non est difficile hæc conjungere, licèt secundum naturam suam considerata perseitatem non habeant. Et in hac distinctione stat solutio omnium Argumentorum.

Solum quæres, Qua perseitate conueniat Sacramentis Nouæ Legis esse causatiuum gratiæ, primo, an secundo modo? Respondetur distinguendum esse, Nam Sacramentis Nouæ Legis vt sunt nouæ, & vt subordinantur institutioni Christi, qua voluit esse sua instrumenta, per se competit primo modo tanquam differentia, quia per hoc essentialiter distinguitur ratio Legis Nouæ à Veteri. Si autem considerentur eadem Sacramenta Nouæ Legis, non vt subordinantur institutioni illi, qua Christus voluit illa esse sua instrumenta, sed qua voluit præcisè esse signa, sic non conuenit eis primo modo per se, sed quasi reductiuè; quia competit eis tanquam modus cõpletiuus essentiæ, & quid præsuppositum essentialiter ad significationem quam illis dedit Christus Dominus; scilicet vt significarent gratiam dandam ab ipsis sacramentis. Absolutè autem & sine distinctione Sacramentis Nouæ Legis non conuenit, vt differentia essentialis esse causatiuum; quia *ly* Sacramentum semper supponit pro sacramento, vt subordinatur præcisè institutioni signi, non vt subordinatur institutioni instrumenti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum omne Signum rei sacræ sit Sacramentum?

IN hoc Articulo pergit D. Thom. ad explicandam differentiam Sacramenti in communi, sicut in præcedenti genus eius inquisierat. Et cùm determinasset quod genus Sacramenti est signum, & constet omne signum essentialiter respicere rem signatam, & ab illa accipere formalem sui rationem, necessariò ex parte rei significatæ inuestiganda erat à S. Thom. differentia essentialis sacramenti; cùm signum non accipiat differentiam talis aut talis signi nisi ex parte significati. Et quia de genere Sacramenti, vt dictum est, iam egerat in præcedenti articulo; ideo in præsenti non solùm differentiam quærit, sed de integra diffinitione Sacramenti; & ideo titulum proponit, An omne Signum rei sacræ Sacramentum sit; quasi dicat, An ex ratione signi, quam dixi esse genus,

& ratione seu habitudine ad rem sacram prout A sanctificat nos, vt ex genere & differentia, consurgat definitio Sacramenti?

Conclusio est affirmatiua, quam probat D. Th. in Argumento *sed contra*, & explicat in corpore. In Argumento *sed contra*, probat, Quia à multis traditur hæc definitio Sacramenti, *Quod sit signum rei sacræ*; & elicitur ex S. Augustino; omnis autem definitio conuertitur cum definito, & conuenit omni definito, ergo si definitum per istam definitionem est Sacramentum, omne quod fuerit signum rei sacræ, est Sacramentum. In corpore explicat eandem conclusionem (cùm enim sit definitio, probatione non eget, sed explicatione) non ita curando de illis duabus vocibus, *Signum*, & ly *Rei sacræ*; quia supponit ista duo B competere essentialiter sacramento, prout nunc de sacramentis loquimur; sed explicat quomodo intelligendum sit, Quod sit signum rei sacræ, vt verè constituat sacramentum; scilicet, vt sit tali modo signum rei sacræ, vt significet illam quatenus sanctificat nos. Quod enim Sacramentum dicat habitudinem ad rem sacram, & dixerat 1. 2. quæst. 101. art. 4. & 102. art. 9. & præsupponit ex ipsa ratione Sacramenti, etiam analogicè sumpti, prout dixerat præcedenti art. Sacramentum enim est analogum quoddam, quod de principali significato dicit sacrum secretum, & occultam sanctitatem; de minùs principali autem dicit, signum aut causam habitudinem habentem ad rem sacram.

Cùm ergo præced. art. analogata ista distinguens S. Thomas, dixerit se loqui de analogato quod est signum, planè probatum mansit, & quod esset signum, & quod esset rei sacræ; aliàs si rei sacræ non esset, neque analogatum esset de ly Sacramentum.

Sacramentum vt signum rei sacræ.

Restat ergo in hoc Articulo explicare; ad definitionem integram & Sacramenti differentiam attingendam, formalitatem qua deberet istud signum respicere rem sacram, vt per hoc differret ab aliis signis rei sacræ, quæ non sunt sacramenta. Dicit ergo, Quod illud propriè est Sacramentum, vt in præsenti de Sacramentis agimus, *quod est signum rei sacræ*; non quomodocumque, sed *vt sanctificans nos.* Et probat hoc, Quia signa propriè dantur hominibus, quia ipsis proprium est per nota ad ignota peruenire, quod facit signum. Et ideò (infert D. Thomas) Quasi dicat, *Ex hoc sequitur, Quod Sacramentum, quod est signum rei sacræ, vt præced. art. dictum est, debet esse alicuius rei sacræ ad homines pertinentis; quia scilicet in eius cognitionem sacramentaliter homo ducitur, & secundum cæremoniam ac protestationem externam.*

Res sacra ad homines pertinens.

Res autem sacra, seu sancta ad hominem non pertinet, nisi prout illum sanctificat; igitur Sacramentum, vt de illo in præsenti loquimur, est signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines.

Quod si dicas, Illam probationem non videri validam, Signum propriè datur hominibus, ergo debet esse rei pertinentis ad homines; nisi enim hæc probatio præsupponat tale signum esse practicum, nihil probat; cùm multa signa dentur ad cognoscendum res, quæ ad homines non pertinent; præsupponere autem Sacramentum esse signum practicum, est supponere quod probandum erat.

Respond. Non negare D. Thomam, Aliqua signa significare rem sacram, prout ad hominem non pertinet, vt patet solutione ad 1. & 2. sed quod vult ostendere, est, Quod inter signa omnia rei sacræ, quæ dantur homini, illa propriè erunt Sacramenta, quæ dantur de re sacra prout ad ipsum hominem pertinet; ista enim propriè homini erunt Sacramenta, quia sunt signa hominis propriè, non solùm ex parte signi, quia scilicet homo eis vtitur; sed ex parte rei significatæ, quia ad hominem pertinet.

Dupliciter enim signum pertinet ad hominem, & est ei proprium; Vno modo quia illo vtitur, & ex illo elicit cognitionem, & sic mediante cognitione facit significatum ad se pertinere, & esse sibi proprium, quia sibi cognitum. Alio modo signum propriè datur homini, & propriè pertinet ad hominem; quia res signata fit propria ipsi homini, & ei accommodatur, & vt sic significatur à signo. Et hoc secundo modo intelligit D. Thom. quod si hominibus propriè dantur signa, illud propriè erit sacramentum respectu hominis, quod rem significatam habuerit appropriatam pertinentem ad ipsum hominem; tale enim erit signum commune omnibus. Præsertim quia S. D. hîc non loquitur de signis rei sacræ quomodocumque, sed de signis, quæ & ipsa sacra sunt in se, & cæremoniæ religiosæ & sacræ, vt docuerat 1. 2. quæst. 101. C art. 4. & 102. art. 5. talia autem signa sacra ex parte ipsorum signorum debent esse de re pertinente ad ipsum hominem, aliàs enim frustrà darentur ipsi cæremoniæ sacræ.

Tunc enim currit ratio S. Thomæ, Quod si hominibus propriè dantur signa etiam religiosa & sacra, illa inter omnia signa rei sacræ dicentur sacramenta, quæ propria sunt homini, non solum vt signa, sed etiam vt sacra; talia enim propriè dantur homini. Quæ autem signa sunt propria homini, etiam vt sacra, oportet quod significent aliquid sacrum pertinens ad hominem; nec enim homini sacra sunt, nisi quia rem sacrã, quam significant, vt ad hominem pertinentem, in ratione sacri D significant, & consequenter quæ sacrant hominem.

DVBIVM PRIMVM.

An hæc definitio sit exacta & quidditatiua?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Varias esse Sacramenti definitiones testatur S. Thom. in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 1. dum per quinque quæstiunc. quinque explicat definitiones Sacramenti. Ex illis tamen hîc in 3. p. vbi non Commentatoris sed Magistri vice fungitur, ex illis omnibus eligit hanc, quæ communior est, & D. August. & ideò in Catec. Pij V. tanquam omnibus compendiosior & planior approbatur; quod E & indicauit Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. dum inquit, *Commune hoc esse Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem.* Vnde hoc ipso quod non posuit aliquid amplius esse commune Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, planè censuit hoc omnibus esse commune, tanquam sufficientem definitionem Sacramentorum in communi.

Sacramenti definitio accuratior, & essentialis.

Ratio autem hujus, quod sit exacta definitio, ex duobus accipi potest; Primum est, Quia omnes conditiones, & ea quæ ad sacramentum concurrunt & requiruntur, in his particulis continentur; & ita ex hac definitione omnes difficultates

soluuntur, quod esse signum optimæ definitionis Aristotel. asserit 4. Physicor. textu 31. Secundum est, Quia traditur per genus & differentiam, vltra quæ nihil amplius requiritur ad constituendam essentiam rei quæ definitur; & consequenter hinc ostenditur esse quidditatiuam definitionem.

Primum patet, Quia sex conditiones requiruntur ad rationem Sacramenti; Prima, quod signum sacramentale sit sensibile; secunda, quod sit ad placitum; tertia, quod habeat significationem occultam; quarta, quod sit cæremonia religiosa, & in diuinum cultum ordinata; quinta, quod sit signum permanens in tali religione; sexta, quod sit signum practicum. Hæ omnes conditiones in prædicta definitione continentur.

Prima in eo quod dicitur, *signum*. Cùm enim loquamur de Sacramentis traditis hominibus, oportet quod intelligatur signum humano modo datum, & conuenienti ad naturam humanam, quæ per sensibilia ducitur ad spiritualia; & ita signum humano modo datum, sensibile est. Secunda conditio continetur in ly *rei sacræ*; Constat enim quod res corporalis, qualis est sacramentum, non potest ex natura sua habere vim ad designandam rem sacram spiritualem, præsertim sacramentali & practico modo; & sic oportet quod sit ex placito instituentis. Tertia conditio etiam continetur in ly *rei sacræ*, Nam res corporea & sensibilis, præsertim vbi non solùm verba, sed res includuntur, non potest perfectè exprimere & repræsentare rem spiritualem; cùm non habeat proportionem perfectam & vniuocam physicè cum illa, ergo debet repræsentatio illa manere obscura & occulta; præsertim quia à causa occulta sunt instituta hæc signa, idest, à Deo; & ad rem occultam signandam, scilicet gratiam.

Quarta conditio elicitur & continetur in duabus illis particulis, scilicet *rei sacræ prout sanctificantis nos*: Nam si est signum rei sacræ prout nos sanctificat, oportet quod tale signum religiosè nobis proponatur & applicetur; siquidem per illud sanctificamur Deo, & sic ad cultum Dei ordinatur. Quod & constat ex D. Thom. 1. 2. quæst. 101. art. 4. Quinta conditio ex eisdem particulis constat; Si enim est *Signum rei sacræ sanctificantis nos*, cùm sanctificatio nostra debeat esse necessariò requisita & permanens in religione quam profitemur, quandiu talis religio durat, oportet etiam quod durent illa signa, quibus nobis applicatur sanctificatio in tali religione, & protestatio illius. Sexta conditio continetur in vltima particula; Quia si significat rem sacram prout sanctificat nos, finis eius est sanctificatio nostra, & non cognitio rei sacræ in se; & ideò practicè ad illum se habet, & non speculatiuè.

Tradita definitio per verum genus & differentiam.

Secundum, scilicet quod tradatur in hac definitione genus & differentia Sacramenti, probatur, Nam esse signum est prædicatum genericum sacramenti; si quidem est commune & vniuersale sacramento & non sacramento; & est ei essentiale; ergo habet omnes conditiones generis. Est commune sacramento & non sacramento, vt patet in signis, quæ non sunt sacramenta. Est essentiale, quia vt ostendit S. Thom. præced. art. ex tribus analogatis, quæ sub nomine sacramenti continentur, id de quo in præsenti loquimur, est quod habet habitudinem signi ad rem sacram occultam, ergo huic analogato essentiale est esse signum. Non est transcendentale, quia ratio signi continetur sub relatione. Relatio autem non est transcendentale prædicatum, ergo multo minus ratio signi.

Similiter traditur per differentiam essentialem; Nam essentialis & constitutiua differentia signi, est formalis ratio, qua respicit significatum determinatum; In præsenti autem & ponitur determinatum significatum, scilicet res sacra nos sanctificans, & formalis ratio respiciendi, scilicet prout sanctificat nos, vbi reduplicatur finis talis signi, ex quo constituitur in ratione signi practici, per quod differt a reliquis signis, quæ non diriguntur practicè ad sanctificandum nos; ergo datur per genus & differentiam.

Quod verò non sint istæ particulæ aliquid positum loco generis & differentiæ, sed verum genus & differentia, patet, Quia quando accidens in abstracto definitur, eisdem particulis eodem loco positis sicut quando definitur in concreto, solumque variantur nomina in concreto & in abstracto, talis difinitio data in concreto eodem modo est essentialis sicut data in abstracto, vt patet quando dico *Quod album est coloratum disgregans visum*, definitio est essentialis per proprium genus, &c. quia posita albedine in abstracto, per proprium genus & differentiam definitur, *Quod sit color disgregratiuus visus*.

E contra verò, qui definit in concreto simum, Quod *est nasus curuus*, ponit ly *nasum* loco generis, & non pro proprio genere, quia in abstracto dicitur *Curuitas nasi*; vbi mutatur ratio generica. In præsenti autem, si ratio Sacramenti definiretur in abstracto, diceretur Quod est significatio practica rei sacræ, ergo in concreto per proprium genus definitur, dicendo, *Quod est signum rei sacræ practicum*, seu *in quantum sanctificat nos*. Et ita non definitur hîc sacramentum per subjectum, quia ly *signum* non est subjectum sacramenti; & sic non definitur per aliquid quod ponatur loco generis, sed per ipsum genus.

Exclusa signa rei sacræ à ratione Sacramenti.

Ex his autem plura excluduntur à ratione Sacramenti, quæ videntur esse signa rei sacræ. Omnia enim verba sacra, & imagines sacræ excluduntur; tum quia sunt signa speculatiua, & non practica; tum quia non habent significationem occultam; tum quia non sunt cæremoniæ religiosæ. Et eisdem rationibus excluditur Transitus per Mare rubrum, Petra fundens aquas, Serpens æneus, Verba Christi Domini, dicentis, *Remittuntur tibi*, &c. *Sacramentalia* excluduntur, quia non significant rem sacram perfectè sanctificantem, sed solùm quandam dispositionem ad gratiam, aut feruorem gratiæ, quem excitant.

Aqua benedicta.

Qua ratione intelligendum est cap. *Aquam*, de Consecratione, distinctione 3. vbi dicit Alexander Papa, *Aquam sale conspersam benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur: Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat, magis aqua sale aspersa diuinisque precibus consecrata populum sanctificat atque emundat*. Loquitur enim Pontifex non de sanctificatione perfecta, quæ fit per gratiæ infusionem, sed de dispositiua, quæ etiam sanctificatio dicitur, quia aliquid inquinamenti tollit. Sicut enim cinis vitulæ non perfectam emundationem causabat, sic nec aqua benedicta; inde enim texit argumentum Pontifex. *Sacrificium* excluditur per illam particulam, *In quantum nos sanctificat*:

Sacrificiũ. nam Sacrificium in hoc à Sacramento distinguitur, teste D. Thom. 1. 2. quæst. 101. art. 4. Quod sacrificium ordinatur ad exhibendum cultum ipsi Deo in se, sacramentum autem versatur circa cultores disponendos & sanctificandos, vt sint apti ad cultum Dei.

Nec obstat quod etiam sacrificium sit expiatiuum & satisfactiuum pro pœna debita; Non enim hoc habet primo & per se ex ratione sacrificij, quod ordinatur semper, & fit in signum seruitutis debitæ Deo, sed quasi secundario; quia scilicèt offertur aut dirigitur in Deum ad expiandum vel satisfaciendum, aut etiam ad impetrandum, aut in gratiarum actionem; sicut etiam opera virtutis ad satisfaciendum diriguntur. Vnde ab intrinseco, & quasi ex obiecto suo & institutione sua non habet sacrificium disponere cultores, sed veluti ex directione extrinseca. Nostrum autem Sacrificium vim satisfactiuam habet ex opere operato, scilicet in quantum deriuatur, & repræsentat Sacrificium Christi, & vnum cum illo censetur, & similiter id habet à principali offerente, qui est Christus, non ex obiecto & ratione sacrificij.

Soluuntur Argumenta.

Obijcies, Sacramentum est ens per accidens, cùm constet ex pluribus entibus in actu, ergo non debet definiri. Prob. anteced. Quia constat ex ente reali & rationis, quæ per se non possunt coniungi, scilicet ex re sensibili & forma sacramentali. Confirm. Quia ens rationis non habet quidditatem, & sic non est definibile; Sacramentum autem pro formali est ens rationis, ergo non est definibile.

Respond. Est ens per accidens in genere sacramenti, & signi & artefacti, nego; in genere physico seu entitatiuo, transeat; & sic constat ex pluribus entibus in actu in genere entis & physico, non in genere sacramenti & signi. Ad probationem similiter; Constat ex ente reali & rationis, quæ non possunt per se coniungi in genere entis, verum est; in genere signi & artificialis sacramenti, nego.

Instabis, Vnitas sequitur entitatem in se, ergo entitatem simpliciter vnitas simpliciter; sed simpliciter sacramentum est plura entia, & non vnum, ergo simpliciter vnitatem non habet. Item, Vnitas sacramenti est vnitas secundum quid, vt S. Thom. dicit in 4. ad Hanibal. dist. 1. quia est vnitas relatiua; ergo sacramentum non est vnum simpliciter. Item, Physicè est ens per accidens, ergo realiter non habet vnitatem nisi per accidens; & sic realiter sacramentum non est vnum, sed secundum rationem.

Ad primam instantiam Resp. Quod vnitas transcendentalis & entitatiua sequitur entitatem absolutè, vnitas autem artificialis aut moralis, sequitur entitatem non absolutè, sed vt subest arti aut institutioni morali. Et ideò si hæc est vna, simpliciter in illo genere habet vnitatem, licet non in genere entis. Vt autem aliquid dicatur simpliciter vnum, quando est compositum, sufficit quod sortiatur speciem ab aliquo vno, quod vel sit forma, vel compositio, vel ordo, vt egregiè S. Thom. dicit 7. Metaph. lect. 17.

Ad secundam instantiam Respond. quod vnitas secundum quid dupliciter sumitur; Vno modo vt opponitur vnitati per se, id est, substantiali; alio modo vt opponitur vnitati simpliciter, id est, quæ A non est per accidens; primo modo dicitur vnitas sacramenti esse secundum quid, quia est accidentalis, id est, relatiua; sicut omne accidens est ens secundum quid, & consequenter vnum secundum quid; secundo autem modo non est vnum secundum quid, quia vt sit aliquid vnum secundum quid, id est, per accidens, oportet quod species eius sumatur a multitudine partium collectarum, vt populus, aceruus, vt S. Thom. citatus dicit.

Ad tertiam instantiam dicitur, Quod sacramentum realiter moraliter, seu fundamentaliter est vnum. Eo enim modo quo forma sacramentalis B datur in re, eo modo præbet vnitatem realem; scilicet moraliter & fundamentaliter supposita institutione; sicut esse Iudicem aut Doctorem est vnum, licèt tales formæ sint entia rationis, quæ fundamentaliter & moraliter præbent denominationem in re.

Si instes, Etiam in genere signi est multiplex; Nam verba signa sunt, & res etiam instituitur vt signum, ergo etiam in ratione signi est ens per accidens. Respond. In ratione signi sacramentalis non esse multiplex, sed vnum, quia signum sacramentale postulat constare ex illis rebus & verbis, & in ratione sacramenti tantùm subest vni institu- C tioni, & sic est vnicum signum in ratione sacramenti; esto in alio genere, vt subest pluribus institutionibus, plures habeat rationes signi.

Ad Confirmationem Resp. Quod ens rationis non habet quidditatem realem, sed tamen habet obiectiuam, & secundum illam definiendum est; quia sicut intelligibile est, ita & definibile, præsertim quando ens rationis non est quid purè fictum & chimæricum, sed habet fundamẽtum in re.

Quomodo Sacramentum dicendum sit ens reale & non ens rationis, licèt quidditatiuè includat pro formali ens rationis, habes supra præced. art. dub. 2. Admittendum est enim artefactum essentialiter & quidditatiuè formam includere; Licèt enim in genere substantiæ & entis, materia arte- D facti sit tota eius substantia & suppositum, in genere tamen artefacti habet speciem ex forma artificiali; & quando non habet formam artificialem, non est artefactum in actu, sed in potentia; ergo artefactum in actu formam essentialiter includit. Sicut enim sine forma humana non datur homo essentialiter, sic sine forma artificiali non datur artefactum essentialiter.

Et hoc in omni concreto accidentali verum est, Nam siue sumatur concretum illud vt compositum *ex his*, vel vt compositum *huic*, essentialiter includit formam. Primo modo, patet; Quia vt compositum *ex his*, dicit subiectum & formam vt partes ex quibus componatur, atque adeò essentialiter includit ea, ex quibus componitur. Secun- E do modo etiam patet; Quia vt compositum *huic*, dicit de formali formam, & de connotato subiectum, cui inhæret, & cui coniungitur & componitur; ergo essentialiter tunc includit formam & in recto, subiectum autem ex parte modi significandi aut inhærendi.

Sed quæres, Quando dicitur quod Sacramentum significat rem sacram in quantum nos sanctificat, cùm *ly* sanctificare importet causationem sanctitatis, quam causalitatem significet Sacramentum, formalem an efficientem, vel finalem? Resp. Omnia ista genera causarum significari à Sacramento, vt art. 3. latiùs dicitur. Significat enim Christum, qui est causa efficiens sanctitatis; Sacramenta signa gratiæ demonstratiua.

gratiam, quæ est causa formalis; gloriam, quæ est finalis?

Sed an semper debeat significare gratiam vt formaliter causantem, an sufficiat significare illam in genere causæ finalis, & dandam aliquando? dubium est. Resp. tamen, Omnia Sacramenta, etiam Antiqua, signasse gratiam non solùm in genere causæ finalis, sed etiam formalis; & vt signa demonstratiua, non solùm vt prognostica. Ratio est, Quia talia erant sacramenta, vt in exercitio eorum gratia conferretur; Erant enim signa practica, & significabant gratiam vt in exercitio dandam, saltem ex vi dispositionis recipientium; ergo significabant gratiam non solùm vt dandam in futuro tempore, sed vt tunc in exercitio conferendam; quod præsertim in Circumcisione apparet.

Nec enim vlla ratio afferri potest, quod si per vsum Sacramentorum dabatur gratia, & illa ordinabantur vt cæremoniæ per quorum vsum sanctificarentur, & disponerentur cultores Dei, quomodo non significabant ipsam gratiam, quæ in eorum vsu dabatur, sed solùm illam quæ post Christi tempore danda erat. Nec hoc negat D. Thom. quamuis dicat Sacramentum significare gratiam *per modum causæ formalis vel finalis*; Abstrahit enim, vel potiùs includit vtrumque, Sacramentum (saltem veteris legis) non tamen caret significatione gratiæ per modum causæ formalis.

Dices, Artefacta debent definiri per materiam, cùm hæc sit tota substantia eorum; ergo male definitur Sacramentum per signum. Resp. Hoc esse verum quando physicè definiuntur, non quando metaphysicè per suum genus & differentiam. Secundò hoc esse verum, quando definiuntur in particulari, non quando definiuntur in communi, vbi determinatam materiam non includunt. Cætera Argumenta, aut in Nuño & Cabrer. super istum art. satis clara sunt, aut ex his, quæ nos exclusimus à ratione Sacramenti.

DVBIVM SECVNDVM.

An Sacramentum Nouæ & Veteris Legis vniuocè conueniant in genere Sacramenti.

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Sacramenta vniuocè Noua & Vetera.

CVius explicatio constat ex his, quæ requiruntur vt aliqua vniuocè conueniant. Vniuoca enim dicuntur, *Quorum nomen commune est, ratio verò significata est eadem.* In præsenti autem relicta communitate nominis, quàm constat conuenire Sacramentis Veteris Legis, res significata per nomen & definitionem sacramenti, scilicet esse *signum rei sacræ sanctificantis nos*, manifestum est quod sit eadem in Sacramentis nouis & antiquis. Nam ipsa verè & propriè, & non secundum quid erant signa rei sacræ; & non denominatiuè, aut participatiue a nouis Sacramentis, si quidem verè & proprie, & non secundum quid instituta à Deo fuere, vt signa & cæremoniæ religiosæ in ordine ad sanctificationem hominum. Similiter fuerunt signa rei sacræ perfectè sanctificantis homines, idque practicè; Nam fuerunt signa gratiæ dandæ in fide Christi, siue tunc in exercitio, siue pòst tempore legis gratiæ. Fuerunt etiam signa ipsius Christi, qui est fons gratiæ.

Apparet id in Circumcisione, quæ signum erat iustificationis paruuli, aut circumcisi adulti, in fide suscipientis aut circumcidentis. Et in aliis

A etiam Sacramentis, secundum dispositionem accedentium dabatur gratia vtentibus illis signis, vt sacris & religiosis. Practicè etiam id significabant, Quia non erant instituta & data ad hunc finem, vt per ea solùm populus cógnosceret gratiam & res sacras, sed vt verè per exteriora illa signa protestaretur religionem, initiareturque illa, & sanctificationem acquireret, religiosè illa accipiendo & debita dispositione, in fide Christi; & promissiones etiam erant venturi Christi, gratiæque & gloriæ dandæ per illum. Promissiua autem signa & pacta, practica sunt, & non solum speculatiua, vt patet in humanis contractibus; vbi promissio
B exterior non est signum speculatiuum, sed practicum & obligationem inducens.

Constat ergo quod ex institutione sua peculiari Sacramenta antiqua habuerunt omnia, quæ ad definitionem sacramenti requiruntur; & sic vniuocè fuerunt sacramenta. Constat & hoc ex S. Aug. 19. contra Faust. Et sicut religio vetus & noua vniuocè conueniunt in ratione religionis; ita & sacramenta, quæ talium religionum sunt symbola, & veluti columnæ ac exteriores protestationes, debent vniuocè conuenire.

Soluuntur Argumenta.

C Sed obijcies primò, Nam Sacramenta Antiqua non conferebant gratiam, sed erant vacua elementa, ergo non poterant vniuocè conuenire cum sacramentis nostris, quæ in ipsa ratione sacramenti habent continere gratiam & conferre illam. Confirmatur, In nostris Sacramentis illud est essentia, quod est principalius; est autem principalius conferre & continere gratiam, ergo hæc est eorum essentia; in hac autem non conueniunt vetera sacramenta, ergo. Confirmatur secundò, Quia de ratione sacramenti est, quod sit signum practicum, & consequenter efficit, quod significat; sacramenta autem vetera non efficiebant quod significabant, ergo non erant signa practica, & consequenter nec vniuocè sacramenta.

D Resp. Probare Argumentum, Quod non conueniebant sacramenta vetera cum nostris in ratione specifica & differentiali, non tamen quod non conueniebant in ratione generica; Ratio enim generica sacramenti non est continere suum significatum, sed practicè illud significare, siue efficiat illud & contineat tanquam instrumentum, siue ex eius vsu & dispositione vtentis detur. De ratione enim essentiali signi practici, non est quod causet per ipsam rationem signi, sed quod manifestet & sensibilem faciat intellectum practicum; & ita ordinetur ad opus, siue illi communicetur virtus operandi, siue non; Sufficit enim quod ad opus vt ad finem ordinetur. Et sicut intellectus
E practicus non est necesse quod influat in obiectum exterius efficienter, sed sufficit quod operatio fiat mediante alio, vt patet in Architectonico, qui non exequitur opus, sed ordinat; ita neque signum oportet quod eam efficientiam & virtutem habeat, vt sit practicum, sed sufficit quod id quod intellectus intus cogitat practicè, signum exterius manifestet etiam practicè; id est, cum ordinatione ad opus, & non ad cognitionem tantùm, etsi non cum efficientia ad opus.

Ad 1. Confirmationẽ Resp. primò, Quod id quod est principalius in vna re est essentiale, sed non essentiale per modum generis, sed per modum differentiæ; & ita esse causatiuum gratiæ est principale

in

in Sacramentis nostris, & ideò non est genericum A eorum prædicatum, sed differentiale; & ita non oportet quod in eo conueniant sacramenta antiquæ legis, sed vt in generico prædicato conueniant.

Secundò Resp. Quod causatiuum gratiæ, licèt ex se sit quid nobilius quàm significare, tamen eo modo quo in sacramentis reperitur, non est quid nobilius. In sacramentis enim non est ratio causandi vt quid primò ei competens, sed vt participatiuè ab alio deriuatum; scilicet à Christi passione, & sic non vt constitutiuum sacramenti, sed supponendo eius essentiam, & communicando ei hanc virtutem, vt vices eius gerat. Esse au- B tem signum conuenit ei primo & per se, & non deriuatiuè & denominatiuè ab alio. Item etiam non conuenit eis causatiuum purè, sed subordinatum significationi sacramentali. Causant enim quod significant; & ita licèt causare vt sic nobilius sit quàm significare, tamen causare vt sacramentaliter & significatiuè, & cum subordinatione ad significationem, non est nobilius & principalius.

Ad secundam Confirmationem, patet ex dictis; De ratione enim signi practici, non est quod efficiat ex ipsa ratione signi, quasi in ea habens virtutem efficiendi, sed quod ordinetur ad opus vt ad finem principalem, siuè exerceatur hoc opus me- C diante virtute ipsi signo communicata, siue ei ab extrinseco adjuncta; nempè mediante dispositione vtentis, aut quid simile, vt explicatum est; præsertim quia nec de ratione intellectus practici est, quod habeat efficientiam in ipsum objectum externum.

Secundò objicies, Nam figura & figuratum non possunt vniuocè conuenire, sicut homo pictus & viuus; vetera autem Sacramenta fuerunt figura & vmbræ nouorum, ergo non possunt vniuocè dici Sacramenta, sicut nec vmbra & res adumbrata.

Respondetur, Quod quando figura & figuratum taliter se habent, quod figuratum non est D etiam figura, sed res, & figura est purè figura talis rei, non conueniunt vniuocè. Quando verò figuratum est etiam simul figura & signum intrinsecè, non repugnat vniuocè conuenire. Exemplum Theologicum est in nostro Sacrificio & Sacrificio Christi; hoc enim figura est & signum commemoratiuum sacrificij cruenti, & tamen vniuocè cum illo est sacrificium. In naturalibus verò videmus, quod signum signi & imago imaginis, vniuocè in ratione imaginis conueniunt. Licèt enim in quantum hæc est figura, & illud figuratum eius, se habeant sicut pictum & verum; tamen in quantum hoc figuratum habet se vt figura respectu prototypi, vniuocè conuenit cum imagine sua in ratione signi, & imaginis vnius E tertij, quod ab vtroque repræsentatur. Sic autem gratia, quæ est quid repræsentatum à Nouis & Veteribus Sacramentis, vnicè ab vtrisque repræsentatur, licèt perfectiùs à nostris, respectu quorum etiam antiqua se habebant vt signa & imago.

Ex quo sequitur, Quod quamuis intrinsecè sacramenta vetera fuerint vmbræ & imagines nostrorum sacramentorum, tamen non ideò habebant rationem prioris & posterioris, quæ sufficeret ad analogiam, licet haberent rationē prioris & posterioris in ipsa ratione particulari & specifica, sed non in generica; quia etiam nostra sacramēta erant imagines & signa gratiæ; & sic respectu gratiæ, quæ est significatum vtriusque sacramenti, licèt perfectiora sint nostra quàm antiqua, tamen propriè etiam antiqua gratiam significabant, & erant signa illius, licèt etiam essent signa nostrorum; Prioritas enim & posterioritas hæc, non tollit vniuocationem signi & imaginis, sicut in exemplis adductis patuit de signo signi, &c.

Tertiò objicies, Nam significare rem vt præsentem aut vt futuram sufficit constituere analogiam in signis, vt patet, Quia verbum significans de præsenti est verbum, & significans de futuro aut de præterito non est verbum, nisi secundum quid & analogicè; ergo similiter sufficiet constituere analogiam in sacramentis, & ita vetera non erunt sacramenta; quia significabant Christum futurum; nostra erunt vera sacramenta; quia significant præsentem gratiam.

Resp. primò, Quod significare vt præsens aut futurum, licèt constituat analogiam in ratione particulari verbi, non tamen in ratione generica signi vel termini; & similiter licèt in ratione particulari sacramentorum, qua vnum est instrumentum gratiæ, aliud non, non detur vniuocatio; manet tamen in ratione generica sacramenti & signi.

Secundò Resp. Quod Sacramenta antiqua non solùm significabant gratiam futuram, & in genere causæ finalis illam respiciebant, sed etiam præsentem; aut saltem hoc non erat eis repugnans; non præsentem quæ daretur ex vi ipsorum, seu ex vi operis operati, (hoc enim proprium est nostrorum Sacramentorum) sed quæ daretur in vi fidei dispositionisque suscipientis. Circumcisio enim, constat quod præsentem gratiam significabat, & sic non repugnabat illis præsentem gratiam significare. Et sicut fides, ex eo quod respiciat Christum venturum aut præsentem vel præteritum, non est diuersa, sic & antiqua sacramenta, quæ illi fidei innituntur, non propterea sunt analoga cum nostris, quia Christum venturum respiciebant.

Quod si instes, Nam ex hoc sequi videtur, neque specie differre à nostris; sicut neque fides antiqua & nostra specie differunt. Resp. Negando sequel. & disparitas est; Quia fides antiqua & nostra eandem formalem rationem in specie habebat, scilicet primam veritatem reuelantem; qua ratione formali vna manente, quantumcumque materialia objecta varientur, non fit specie diuersa fides. At verò Sacramenta quæ in antiqua lege erant, & quæ in noua, distinctam formalem rationem significandi rem sacram habent; præsertim quia distincta institutione innituntur, ex qua speciem recipiunt; Nam antiqua significabant illam minùs expressè & minus efficaciter; non vt exhibitam, sed vt exhibendam; Et sicut religio quæ colebat Christum venturum, & quæ præsentem, distincta debet esse & diuersis vti cæremoniis, ita & diuersis sacramentis, quibus fit protestatio & initiatio talis religionis.

Ad rationem enim Sacramenti non solùm pertinet facere cognoscere Christum & gratiam, sed etiam ipsam exhibere, cùm sit signum practicum; distincta autem ratio est in eo signo, quod exhibet ex vi sua præsentem gratiam, aut quod non exhibet ex vi sua, sed in vi fidei aut dispositionis suscipientis. Variatur ergo ratio formalis Sacra-

menti & cæremoniæ sacramentalis.

Quartò objicies D. Thom. qui in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 5. dicit, quod *Sacramentum analogicè diuiditur per Sacramenta Nouæ & Veteris Legis, sicut sanum in habens sanitatem, & in significans illam.*

Sacramentum analogū S. Thomæ, ex aliorum opinione.

Resp. primò D. Thom. retractasse illam sententiam, vt dicunt interpretes; quia in hoc art. & sequenti quæst. 61. per plures articulos, docet vetera sacramenta fuisse vera sacramenta, præsertim 3. Cùm enim 1. art. inquisiisset D. S. An sacramenta essent necessaria ad salutem? planè de veris & propriis sacramentis locutus est; Cùm autem posteà art. 3. determinauerit, ante Christum post peccatum fuisse sacramenta, & hoc probat ratione art. 1. quia scilicet necessaria sunt ad salutem, oportet quod de veris etiam sacramentis loquatur, aliàs consequenter non procederet.

Secundò Resp. D. Thom. ibi se habuisse vt Commentatorem, & varias explicasse definitiones Sacramentorum. Cùm autem in illa quæst. 3. inciderit sermo explicandi definitionem Magistri, quæ dicit quod *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt imaginem gerat, & causa existat:* manifestum est quod in hac definitione non possunt vniuocè conuenire sacramenta antiqua, ratione vltimæ particulæ. Et sic D. Thom. vt Commentator definitionis Magistri, & secundum hanc definitionem optimè dixit, Non vniuocè se habere sacramenta vetera & noua, quod non dixit explicans alias definitiones.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Sacramentum sit signum vnius rei tantum?

EX articulo elicitur duplex conclusio. Prima est, Quod Sacramentum non est signum vnius rei tantùm, sed omnium illorum quæ ad sanctificationem nostram causandam concurrunt; & tanquam efficiens, & tanquam forma, & tanquam finis.

Secunda conclusio, in calce corporis, Sacramentum (intellige de nostris) respectu Passionis Christi est signum rememoratiuum, respectu gratiæ est demonstratiuum, respectu gloriæ est prognosticum.

Primam conclusionem probat S. Thom. primò in Argum. *sed contra*, in aliquo peculiari Sacramento, & in corpore articuli, generaliter de omnibus. In peculiari Sacramento apparet quod Eucharistia & significat Corpus Christi verum, quod sub speciebus continetur; & mysticum, scilicet vnionem Fidelium, vt dicit August. & colligitur ex 1. ad Corint. 10. 17. *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus.* Et præterea gratiam significat, quam præbet manducantibus; ergo plura significat hoc Sacramentum.

Sacramentum, quarum rerum signum.

In corpore articuli id explicat S. Thom. Quia Sacramentum, vt constat ex præced. art. propriè dicitur quod significat sanctificationem nostram, seu rem sacram prout sanctificat nos; in sanctificatione autem nostra tria considerantur, scilicet per quem fiat, qua forma fiat, ad quid, seu ad quem finem fiat. Fit enim per Christum mediante eius passione; fit formaliter à gratia, vt à forma sanctificante nos; fit in ordine ad gloriam, seu vitam æternam, quæ est finis sanctificationis nostræ; hæc ergo omnia significant Sacramenta.

Circa quam rationem notandum est, Quod sanctificatio hominum, licèt sufficienter fiat per gratiam, tamen cùm Sacramenta non sint data hominibus nisi post peccatum, vt pòst dicetur, & nos de illis tantùm loquimur, non potest sanctificatio nostra fieri quomodocumque per gratiam, sed per gratiam vt redimentem, & vt datam per Redemptorem Christum. *Nec enim aliud nomen datum est sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri.* Act. 2. 12. Et, *De plenitudine eius omnes accepimus*, Ioan. 1. 16. Oportet ergo Sacramenta, quæ significant sanctificationem nostram vt post peccatum factam, quod significent Redemptorem, seu gratiam sancticantem per Redemptorem. Et cùm gratia intrinsecè dicat ordinem ad vitam æternam, non potest significari sanctificatio nostra mediante gratia, nisi significetur etiam vita æterna, cuius gratia est semen & participatio, & in cuius intrinseca ratione ille finis includitur; nec potest respici gratia, nisi & finis ille ita intrinsecùs respiciatur.

Sed difficultas est, An virtualiter solùm & quasi consecutiuè significetur gloria? an etiam formaliter, quasi expressa ac formali significatione in illud significatum tendat.

Respondetur, Quod vnica impositione Institutor Sacramentorum illa omnia significata complexus est, vel formaliter omnia illa respiciens, quod certius videtur, cùm formali cognitione & perfectissima attenderit Deus ad omnia illa, quæ Sacramentis volebat significari, & mysteria omnia illa expressa ac formali cognitione tunc attenderit, vel virtualiter; Hoc enim parum interest ad propositum; Nam eo ipso quod instituebatur signum practicum gratiæ dandæ per Christum, in qua gratia includitur intrinsecè ordo ad gloriam, consequenter includebatur significatio gloriæ, vt per gratiam obtinendæ; sicut imago vestigij consequenter significabat bouem.

Existimo tamen, Sine dubio formalissimè intendisse Deum non solùm gratiam, sed & Christum & gloriam, cæteraque mysteria; quia licèt inter se illa significata connexa sint, & non disparatè ac dissolutè significentur à Sacramento, intendebat tamen Deus formaliter illorum omnium tradere signa & non solùm vnius, & aliorum virtualiter.

DVBIVM VNICVM.

Vtrum omnia Sacramenta significent illa tria enumerata à S. Thoma?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

PRo qua notandum est, Quòd cùm Sacramenta sint signa ad placitum & ex institutione, tota eorum significatio ex institutione petenda est. De institutione autem constat de fide, Significare Sacramenta gratiam sanctificantem nos; Nam ita definitur in Florentino & Tridentino, vbi sæpè ponitur hæc differentia inter vetera & noua Sacramenta, quòd illa tantum significabant gratiam, hæc verò & significant, & causant simul; ergo constat manifestè gratiam sanctificantem ab omnibus Sacramentis tam veteribus quàm nouis ex in-

Sacramentorū significatio cōmunis Antiquis & Nouis.

ſtitutione ſua ſignificatam eſſe. Quòd autem ſignificent Chriſtum Dominum & gloriam, partim ratione elicitur, partim de aliquibus Sacramentis ſpecialiter colligitur ex Scriptura. De Baptiſmo enim conſtat Rom. 6. 3. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte eius baptizati ſumus.* De Euchariſtia conſtat, 1. ad Corinth. 11. 26. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc*, &c. *mortem Domini annunciabitis*, &c. De Matrimonio conſtat, ad Epheſ. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* De veteribus etiam Sacramentis ſub ratione totius legis comprehenſis, dicitur ad Heb. 10. 1. quòd *Vmbram habens futurorum bonorum*, &c. Conſtat autem quòd præcipuum bonum futurum erat Chriſtus. Et dicendo *bonorum*, clarè ſupponit non vnius rei tantum, ſed plurium fuiſſe ſigna.

Ratione verò ſatis prob. Concluſio ex ratione D. Thomæ. Nam in ſanctificatione noſtra, vt modò fit & per Sacramenta datur, impoſſibile eſt præſcindere quod ea ſignificetur vt gratia Redemptoris, & non vt data aut danda per Chriſtum, cùm per Sacramenta non deſcendat niſi vt ſunt virtutes Chriſti, aut illis adjungebatur fides Chriſti. Et præſertim noſtra, quæ cùm ſint inſtrumenta Chriſti, magis intimè cauſam principalem quàm effectum reſpiciunt. Gloria etiam ſeu vita æterna ſignificari debet ab ipſis, non ſolùm quia ad hunc finem inſtituta ſunt Sacramenta, vt per ea acquiramus vitam æternam (Finis enim propter quem inſtituuntur ſigna, diſtingui debet à re ſignificata) ſed quia eſt etiam res ſignificata à Sacramentis; quia ſignificant gratiam non ſolùm vt imperfecta eſt, ſed vt conſummata; *Gratia enim Dei, vita æterna*, vt dicit Apoſtolus Rom. 6. 23. Vnde ſi ſignificarent gratiam, & non vitam æternam, diminutè ſe haberent ad ſignificandam ſanctificationem noſtram perfectam & conſummatam.

Soluuntur Argumenta.

Objicies primò, Quia ſequitur ex hoc, Non eſſe Sacramentum ſignum vniuocum, ſed ſaltem analogum. Nec obſtat ſolutio D. Thomæ, Quòd ſignificat illa vt ordinata, Nam neque poteſt illa vt ordinata ſignificare; neque etiam ſi ſignificet, hoc tollit quin ſit analogum. Primum patet, Nam ſignificata per Sacramentum ſunt partim ſubſtantia & accidens, vt Chriſtus & gloria; partim ens reale vt prædicta, & ens rationis vt mors Chriſti; quæ omnia nullatenus ordinari poſſunt. Secundum probat. Nam analoga attributionis ſignificant vnum de principali, & alia vt ordinata ad ipſum; ſicut ſanum ſignificat de principali habens ſanitatem, & cauſam aut ſignum ſanitatis vt quid ordinatum ad ſanitatem, & ideò analogum eſt; ergo ſimiliter ſi Sacramentum ſignificat gratiam vt ſanctificantem, Chriſtum vt cauſam ſanctitatis, gloriam vt finem talis ſanctitatis, analogicè analogia attributionis ſignificabit, præſertim quia terminus ſignificans formam & cauſam formæ, eſt analogus, vt patet de ſano; ergo ſimiliter Sacramentum ſignificans gratiam & cauſas gratiæ, erit analogum ſignum.

Reſpondetur, ſolutionem ſancti Thomæ optimam eſſe. Et pro eius explicatione & replicatum ſolutione, Notandum eſt in primis,

A Quod ſignum eſſe analogum, vel vniuocum vel æquiuocum, non habet locum in Sacramentis; quia eſſe vniuocum vel analogum, ſolùm dicitur de nominibus non de rebus; & ideò oportet quod illa plura quæ ſignificantur, nominentur eodem nomine. Vnde res quæ ſunt ſigna poterunt dici ſigna ambigua, ſicut ea vocat S. Thom. ſolutione ad 1. non verò ſigna æquiuoca vel vniuoca, &c. Vnde in Sacramentis non cadit analogia, vel vniuocatio. Vt autem ſit ſignum ambiguum, vt dicit ſanctus Thomas, oportet quod ſignificet multa quorum vnum non ordinatur ad aliud. Vbicumque autem ſignificat plura vt ordinata inter ſe, non eſt ambiguum, B & aliàs non eſt capax quod ſit analogum, vel vniuocum; manet ergo ſignum certum & determinatum.

Deinde aduertendum eſt, Aliud eſſe ſignificare plura, ex eo quod dicunt ordinem inter ſe, vel ad vnum, ſeu vt ſunt in vno; aliud eſſe ſignificare plura vt ordine quodam ſunt vnum, aut ex eis efficitur vnum. Significare enim plura primo modo, non denotat quod ex parte ſignificati ſit vnum tantùm, ſed quod plura ſint ſignificata ſimpliciter, & ſolùm proportionaliter aut ſecundum quid vnum; quia videlicet ſignificatio, quæ fertur ad vnum ſignificatum, deriuatur ad ſignificandum aliud, ex eo quod dicit ordinem & ha- C bitudinem ad primum; vel ſaltem ſignificat vnum, quod non ſimpliciter eſt vnum in his in quibus reperitur, ſed proportione eſt vnum & inæqualiter ad ea deſcendit. Et ideo tale ſignum analogum eſt, quia plura quæ ſignificat, non ſignificat vt vnum efficiunt, ſed vt inæqualiter & proportionaliter participant vnum.

Quæ autem ſecundo modo ſignificant plura; non analogicè ſignificant; quia non ſignificant illa plura vt conueniunt, aut participant aliquid commune, quod proportionaliter ſit idem, & ſimpliciter diuerſum; ſed potiùs ſignificant illa plura vt efficiunt vnum ordine quodam, & ſunt vnum ordine quodam.

D Igitur ad Argumentum dicitur, Quòd Sacramentum, licèt ſignificet plura, tamen non eſt ſignum ambiguum; quia non ſignificat illa plura vt plura, ſed vt vnum efficiunt ordine quodam. Et minus ſignum æquiuocum, quia non ſignificat plura vt omninò diuerſa, & ſecundum diuerſas ſignificationes. Nec eſt analogum, quia non ſignificat plura vt partes ſubjectiuas, & vt participant aut conueniunt in aliquo communi, quod inæqualiter ad ea deſcendat; nec ſignificat vnum, & poſteà deriuatur ſignificatio eius ad ſignificanda alia vt dicunt ordinem ad illud vnum, ſicut analoga attributionis; ſed ſignificant plura vt efficiunt vnum, & concurrunt in ratione ſancti- E ficationis, non vt partes ſubjectiuæ & participantes aliquam rationem ſuperiorem, ſed potiùs vt concurrentes ad illam.

Sacramentum, quod multa ſignificat, nihil ſignũ ambiguum, aut nomen analogum.

Et ideo ſignanter dixit ſanctus Thomas, Quod quando ſignificantur plura ſecundum quod ex eis efficitur quodam ordine vnum, non eſt ſignum ambiguum; & ſubdit quod *Sacramentum ſignificat illa tria, ſecundum quod quodam ordine ſunt vnum.* Non dicit quòd ſignificat illa ex habitudine quam vnum habet ad aliud (ſic enim eſſent analoga attributionis, vt dixerat art. 1.) ſed ſignificat illa vt ſunt aut efficiunt vnum ordine quodam.

Ad id quod dicitur in Argumento, ſignificare

ſubſtantiam & accidens, &c. Reſpondetur, Non ſignificare illa vt entia ſunt, ſeu entitates quædam, qua ratione ſunt penitus diuerſa; ſed vt ſunt & concurrunt ad vnam rationem ſanctificationis, tali modo factæ, idest, per Christum; ſicut nomen *homo*, ſignificat Animam & corpus, quorum vna eſt ſubſtantia ſpiritualis, aliud corporalis; & Reſpublica ſignificat multitudinem hominum ſub lege viuentium & ſub Principe; vnde ſignificat ſubſtantiam, ideſt homines; & accidens, ideſt, legem; & ens rationis, ideſt, ordinem rationis, qua vnus homo legaliter & moraliter ſe habet ad alium; ſic Sacramentum ſignificat ſanctificationem noſtram, in qua debet B intrare gratia; & Redemptor, qui eſt fons gratiæ; & conſummatio ipſius gratiæ, quæ eſt gloria.

Ad ſecundam probat. dicitur, Quòd Sacramentum non eſt analogum attributionis, quia non ſignificat illa vt nomen quod ſit illis commune, ſed vt ſignum factum ex elemento & verbis, quod ſignificat illa plura vt efficiunt vnum. Item etiam non ſignificat illa plura ſecundum quod vnum denominatur ab alio, aut ſecundum quod participant aliquam rationem communem, quaſi ſignificet vnum principaliter & alia denominatiuè, quia dicunt habitudinem ad illud. Vt enim aliquod ſignum ſit analogum, oportet quod ſignificet vnam rationem, quæ ſit partim eadem C partim diuerſa, & proportionaliter ſolùm eadem; Sacramentum autem, verbi gratia ablutio Baptiſmi, non ſignificat rationem partim eandem partim diuerſam, quia non ſignificat aliquid commune & participabile à multis, ſed ſignificat tanquam ſignum externum plura in indiuiduo, ſecundum quod concurrunt & efficiunt vnum. Et ſic ea quæ ſignificant plura, non vt conueniunt in aliqua ratione communi, ſed vt efficiunt & concurrunt ad vnum tertium, non ſunt analoga, ſicut poſuit S. Thom. exemplum de nomine *homo*, quod ſignificat materiam & formam, non vt conueniunt in aliquo communi, ſed vt efficiunt vnum tertium. D

Ad id quod vltimò ſubditur, de termino ſignificante formam & cauſam, quod eſt analogus, Reſpond. Quòd ſi ſignificet illa vt conueniunt in aliqua ratione communi proportionaliter eadem, tunc erit analogus; ſi autem ſignificet illa prout ex eis efficitur vnum, aut ordine quodam ſunt vnum, vt ſanctus Thomas dicit ad 1. tunc nullo modo erit analogus, ſed ſimplex quoddam ſignum, ſignificans vnum quid. Et ideò hoc nomen *cauſa*, in probabili ſententia poteſt ſuſtineri quod ſit analogum; quia ſignificat plura vt conueniunt in vna communi ratione. De eſſentia enim analogi & æquiuoci eſt, quod ſit nomen commune.

Secundò objicies, Nam Sacramentum habet E aliquod ſignificatum principalius, ſcilicet gratiam aut Chriſtum, aliud verò minus principale, ergo non eſt vniuocum, ſed analogum. Reſpondetur, Habere ſignificatum principalius, hoc eſt expreſſius, ſcilicet gratia; non tamen principalius in denominatione aut participatione alicuius ſuperioris, & ideò non eſſe analogum.

Tertiò objicies, Multiplicantur ſignificata Sacramenti, ergo & ſignificationes; ergo Sacramentum non manet vnum; quia vnitatem habet à forma, forma autem eſt ſignificatio; & ſicut homo duas habens humanitates non diceretur vnus homo ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſcilicet ratione ſuppoſiti; ita ſi multiplicantur ſignificationes, non erit vnum Sacramentum ſimpliciter; ſicut etiam propoſitio æquiuoca vocatur propoſitio plures.

Reſpondetur primam conſequentiam non valere; neque ea data valere ſecundam; Nam plura illa ſignificata, vnica ſignificatione ſignificantur; ſicut & vnica inſtitutione imponitur ſignum ad ea ſignificanda; Sicut enim homo, vt dicit S. Thom. ſignificat animam & corpus vnica ſignificatione, ſic & ſacramentum ſua ſignificata. Nec etiam valet ſecunda conſequentia. Nam ſignum ex eo quod habet plures ſignificationes, non dicitur plura ſigna, ſed vnum habens plures ſignificationes; ſicut habens plures veſtes non dicitur plures veſtiti, ſed vnus veſtitus pluribus veſtibus; Quod præſertim eſt verum in formis accidentalibus, quæ multiplicantur ad multiplicationem ſuppoſiti, ex quo habent vnitatem & ſubſiſtentiam.

Et eadem ratione, quando ſuppoſitum induit plures humanitates, dicitur à D. Thoma eſſe vnus homo ſimpliciter, & plures ſolùm ſecundum quid; ideſt, plures habens naturas; Nam licèt ſubſtantiæ multiplicentur ex multiplicatione formarum, ideſt, quando formæ ſuæ naturæ relinquuntur in modo ſubſiſtendi, vt ſcilicet afferant ſecum ſua ſuppoſita; Quando tamen trahuntur ad ſuppoſitum præexiſtens, habent ſe ad modum formarum adjectiuarum, in quantum præſupponunt ſuppoſitum in quo ſint; & ideò ab illis non numeratur ſubſtantia, ſed à ſuppoſito. Similiter quando Philoſophus dicit, Æquiuocam propoſitionem eſſe plures, non negat eſſe vnam propoſitionem, quæ conſtat ex termino æquiuoco, aut terminum æquiuocum eſſe vnum; ſed dicitur plures; quia plures continet ſignificationes, licèt ſit vna.

Quartò objicies, Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ in quantum nos ſanctificat; ſola autem gratia nos ſanctificat intrinſecè, Chriſtus autem & gloria extrinſecè, ergo ſolam gratiam ſignificat, & non Chriſtum; aut ſaltem non eſſentialiter habet Chriſtum ſignificare, ſed ſolam gratiam. Patet, Quia eſſentialiter ſolùm habet ſignificare id, quod eſt de eſſentia ſanctificationis noſtræ; ea verò quæ ſunt extra eſſentiam ſanctificationis, non poſſunt eſſentialiter ſignificari à Sacramento.

Confirmatur. Tota eſſentia ſigni ſacramentalis ſaluatur in eo, quod ſignificet ſanctitatem ſanantem & ſanctificantem nos expreſsè & formaliter; Nam ſignum, quod ſic ſignificat, eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos, ergo eſſentialiter non petit Sacramentum ſignificare etiam Chriſtum & gloriam expreſsè & formaliter, ſed ſufficit quòd ſignificet illa vt includuntur in ipſa gratia implicitè & virtualiter, quia hoc impoſſibile eſt ſeparari à gratia, quòd ſignificetur ipſa, & non id quod implicitè eſt in ea.

Circa hoc Argumentum, Cabrera Diſp. 1. huius art. cenſet Sacramentum eſſentialiter quidem ſignificare gratiam, Chriſtum verò & gloriam non eſſentialiter, ſeu non quaſi de eſſentia ſignificationis ſacramentalis, ſed quaſi de integritate & complemento; ſolam verò gratiam ſignificare eſſe de eſſentia ſignificationis ſacramentalis. Intelligit autem eſſe de integritate & complemento ſignificare Chriſtum & gloriam expreſsè & forma-

liter; Nam implicitè & virtualiter, prout in gratia continentur, non negat esse de essentia significationis, sicut est ipsa gratia, quæ talia virtute continet.

Christus & gloria, essentialiter per se significata, non sola gratia.

Nihilominus tamen dicendum videtur, Quòd licet Christus & gloria se habeant vt causæ extrinsecæ nostræ sanctificationis, intrinsecè tamen significantur à nostris Sacramentis, non solum intrinsecè quasi de integritate aut completiuè, sed intrinsecè essentialiter; non loquendo de essentia Sacramenti quasi metaphysicè & secundum diuersos ordines rerum, sed supposita institutione & ordinatione præsenti Dei. Videturque id colligi ex discursu S. Thom. qui ex essentialibus Sacramenti probauit Sacramentum significare illa tria, scilicet quia significat nostram sanctificationem, quod constat essentiale esse Sacramento. Ex quo infertur, & quod id omnibus Sacramentis conuenit, & quod essentialiter; Nam si esset solum de complemento & integritate significationis sacramentalis, non rectè inferretur ex essentiali significatione; id enim quod est de integritate & complemento rei, sine quo essentia eius saluari potest, non rectè infertur ex vi essentiæ, aut essentialium rei conuenire ipsi: Optimè enim instari potest consequentia D. Thom. Sacramentum ordinatur ad nostram sanctificationem; in nostra sanctificatione continentur hæc tria, ergo Sacramenta illa significant; Negari enim potest ista consequentia, siquidem sine significatione horum trium saluatur essentia Sacramenti.

Ratio verò conclusionis est; Quia Sacramenta non sunt signa sanctificationis nostræ abstractè & purè, seu prout præcisè ponitur in nobis effectus sanctitatis quasi physicè aut metaphysicè consideratus, sed debent esse signa sanctitatis vt moraliter datur, & secundum modum quo datur de facto secundum præsens decretum, quo Deus instituit sanctificare homines; & ideò debent significare gratiam, quæ modo est, quæ est gratia vt redemptiua, & mediante aliquo Redemptore data. Nam non indiguit homo Sacramentis sensibilibus ad sanctificationem suam, nisi quatenus indiguit gratia vt reparante, & supposito peccato. & sic indiguit Sacramentis quæ significarent Reparatorem, seu gratiam per Reparatorem dandam.

In alio autem ordine rerum significarent gratiam & non Christum, nec vt complementum; Deum autem significarent vt productorem gratiæ. Nam etiam in statu innocentiæ sanctificabatur homo per gratiam, tamen tunc nulla fuerunt Sacramenta, nec homini necessaria erant, vt S. Thom. determinat quæst. 61. art. 2. Fuerunt autem homini necessaria Sacramenta post peccatum, quando nullus sanctificari poterat nisi per Christi fidem, cuius protestationes sensibiles sunt Sacramenta; & ideo institutum est à Deo vt sensibiliter homo protestaretur Saluatorem suum, vt per ipsum sanctitatem consequeretur, vt docet S. Thom. quæst. 61. art. 2.

Igitur Sacramenta, secundum quod data sunt homini, non solùm vt indigenti gratia, sed reparatione & Reparatore, magis & essentialius (si dici potest) significant Saluatorem, quàm salutem. Et sicut voces habent significare res & conceptus essentialiter, supposita institutione sua; quia ad exprimendum conceptus nostros inuentæ sunt, & significandas res quas concipimus; non tamen significare conceptus est de integritate so-

A lùm & complemento significationis vocum, sed de essentia; sic Sacramenta supposita institutionē diuina, quod fuerunt instituta non ad significandam gratiam vt sic, sed ad significandam gratiam vt dandam per Saluatorem, necessariò debent ex vi essentialis significationis Saluatorem significare; & hoc expresè ac formaliter. Sicut enim voces non significant conceptus vt virtualiter continentur in rebus, sed expresè ipsos significant; sic Sacramenta expresè significant Saluatorem, quia significant gratiam vt dandam per Saluatorem, & non aliter; sicut voces conceptus vt conceptus significant.

B Quare sicut posset quidem dari gratia sine Christo de absoluta potentia Dei, & mutando præsentem rerum ordinem; stante tamen hoc ordine, impossibile est aliter habere propitiationem, quam per sanguinem ipsius; sic Sacramenta licèt absolutè essent Sacramenta in alio rerum ordine instituta, tamen in præsenti nequaquam possunt essentialiter dari Sacramenta, nisi Saluatorem significent; quia gratiam vt dandam per ipsum, & fidem ipsius, significare debent. Similiter & gloriam, Nam essentiale Sacramentis est, vt salutem significent, non temporalem, sed æternam. Protestatur enim homo per susceptionem Sacramentorum æterna bona se expectare, & non so-

C lùm temporalia. Æterna autem salus esse non potest aut bonum aliquod, nisi in gratia consummata, seu gloria; illa ergo etiam essentialiter significatur. Fateor non æquè omnibus Sacramentis id conuenire; sed quædam confusiùs, quædam expressiùs hæc significare; omnia tamen aliquo modo significant, etiam antiqua.

Ad Argumentum ergo dicitur, Quòd Sacramentum essentialiter solùm habet significare id quo essentialiter fit sanctificatio, distinguitur; Quo fit quantum ad substantiam solùm, nego; quantum ad substantiam & modum essentialiter ei connexum, concedo; Vel etiam essentialiter secundum modum à Deo decretum & determina-

D tum, id est, per Saluatorem, concedo; quasi metaphysicè aut physicè, nego; nempe fit essentialiter per gratiam vt reparantem, & supposita indigentia reparationis. Item essent Sacramenta ex sola significatione gratiæ, quantum ad essentiam genericam sacramenti, non quantum ad specificam, quæ ex speciali modo significandi sanctificationem secundum ordinem à Deo institutum consurgit. Et hoc maximè nota.

Ad Confirmat. Resp. Quòd *signum rei sacræ sanctificantis nos*, debet intelligi quod sit *sanctificantis nos*, eo modo quo Deus instituit ex vi decreti, & ordinis præsentis, & non aliter. Cùm enim sit signum practicum, non debet significare san-

E ctitatem nisi eo modo, quo danda est ex vi præsentis decreti. Vnde oportet quod expresè & formaliter significet gratiam vt dandam per Saluatorem; & consequenter expresè Saluatorem significet ex vi essentiæ significationis sacramentalis. Nam sicut sanctificatio nostra essentialiter, supposito decreto diuino, petit dari per Christum; sic Sacramenta, supposito eodem decreto, petunt significare sanctificationem dandam per Christum.

Adde quòd Sacramenta possunt considerari dupliciter. Vno modo vt signa gratiæ præcisè; alio modo vt signa quæ adhibentur à Deo vt media necessaria ad gratiam. Posset enim saluari ratio Sacramenti sine necessitate ipsius ad gratiam in alio ordine rerum. Primo modo non est ei essen-

tiale significare Christum, per quem gratiam assequamur; secundo modo essentiale est; quia hæc signa adhibentur à Deo ad assequendam gratiam mediante Christo, & non aliter ex vi suæ institutionis signi sacramentalis.

Quintò obijcies, Nam S. Thom. solut. ad 3. dicit, Quod *sufficit ad rationem Sacramenti, quod significet perfectionem, quæ est forma; nec oportet quod solùm significet perfectionem, quæ est finis:* ergo sufficienter saluatur essentialis significatio Sacramenti, per hoc quod significet gratiam, quæ est forma sanctificationis.

Resp. Sensum S. Thomæ esse, Quod non solùm debet significare formam seu perfectionem quæ sit finis, sed etiam illam quæ sit forma; & non oportet quod significet solùm eam, quæ est finis. Etenim arguebat D. Thom. in illo argum. 3. ex his, quæ præced. art. solut. ad 3. dixerat; scilicet *Quod res denominantur à fine & complemento: dispositio autem non est finis*, & ideo ad rationem Sacramenti non sufficit significare dispositionem ad sanctitatem, sed ipsam perfectionem sanctitatis. Ex his ergo texit argumentum S. Thom. *Sacramentum propriè debet significare finem sanctificationis, & non dispositionem: sic autem est vita æterna, ergo solum illam significat Sacramentum.*

Respondet. S.Th. explicando solutionem suam præced. art. Quod ad rationem Sacramenti sufficit significare perfectionem, seu finem qui est forma, & non dispositio. non tamen excluditur per hoc quod etiam significet perfectionem quæ est forma. Quando dixit *denominari aliquid à fine, & ita Sacramentum debere significare perfectionem sanctitatis, non verò dispositionem:* intelligit, quod id quod requiritur ad rationem Sacramenti, est quod significet perfectionem, quæ est forma; & hoc sufficit respectu huius, quod est significare perfectionem, quæ est dispositio; non autem solum debent significare perfectionem, quæ est finis. Vnde illud *sufficit*, refertur ad id quod se habet vt dispositio, non respectu eius quod se habet vt finis, & excludit dispositionem, non finem.

Sextò obijcies, Sacramenta vetera non erant rememoratiua respectu Passionis Christi, nec aperiebant ianuam regni cœlestis, ergo non conueniebat illis hæc triplex significatio. Item Sacramenta quæ modò ministrantur in oleo, non apparet quomodo significent Christi mortem, cùm oleum sit signum spiritualis lætitiæ, ergo non omnia Sacramenta illa tria significant. Denique plura quàm tria videntur significare, cùm significent Resurrectionem, Ascensionem, &c.

Resp Argumentum probare quod non æqualiter omnia Sacramenta significant hæc tria, nec eodem modo; Sacramenta enim vetera non rememoratiuo modo significabant Christi mortem, sed prognostico, & tanquam finem; similiter promissionem gloriæ non vt proximè introducentia in illam, sed vt à longè salutantia respiciebant. Sacramenta verò, quæ modò ministrantur in oleo, mortem Christi significant, ex qua habent efficaciam, licèt non ita determinatè & expressè sicut alia; significant tamen illam secundum quod medicinalis est, & oleum est medicatiuum; aut quatenus in sanguine Christi vngimur tanquam eius athletæ, &c. Resurrectionem verò & Ascensionem & Passionem significant Sacramenta, vt in persona Christi continentur, & ideo non efficiunt distinctum significatum ab ipso.

Septimò dices, Eucharistia expressiùs & principaliùs Christum Dominum significat; quia verba consecrationis cum expressiùs significant, ergo non in omnibus Sacramentum expressius significatum est gratia.

Respond. Mag. Nuño ita sentire, quod in Eucharistia principalius significatum est Christus; in alijs enim constat principalius esse gratiam, non principalitate dignitatis, sed expressionis, ex vi institutionis, respectu cuius est principalius attentum, quia est formalis sanctitas. Nihilominus oppositum tenet Cabrera, Nam cùm Sacramentum in genere, pro principali significato habeat gratiam, eo quod formalis sanctitas est; non potest disconuenire ab illo sacramentum in particulari. Et in hac sententia dicendum est, Quòd Eucharistia licèt non consistat in vsu, sed in materia permanenti consecrata, tamen etiam non significat gratiam vt in vsu & actu sanctificantem, sed per modum alimenti vt refectiuum est animæ; & ita significat Christum, non vt in se sacrum est, sed vt cibus noster est, & mediante gratia nos sanctificat. Vnde & verba consecrationis significant Christum per modum cibi & potus spiritualis, ac adeo principale ibi significatum est gratia cibans & potans mediante Christi præsentia.

Principalius significatum in Eucharistiâ, Christus; Nuño. Imò gratia; Cabr.

Qui tamen velit dicere cum Nuño, De ratione Sacramenti in communi solùm esse pro principali significato habere, vel sanctitatem intrinsecè, vel extrinsecè sanctificantem, & in particulari determinari hoc Sacramentum ratione formæ verborum ad signandum expressiùs hoc, quàm illud; quia tamen soli vni conuenit expressiùs significare causam extrinsecè sanctificantem, quàm intrinsecè, absolutè dici quod gratia est expressius significatum Sacramenti, probabiliter satis loquetur; Neque officiunt Argumenta Cabreræ, cùm nullo modo tollatur vniuocatio in Sacramentis; si quidem Sacramentum in communi non dicit determinatè quod sit expressius significatum, sed relinquit formæ cuiuscumque in particulari, licèt ferè omnia inclinent in hoc, quod expressius sit gratia.

Articvlvs Qvartvs.

Vtrum Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis?

Conclvsio est affirmativa.

Probat eam S. Thom. primò in argumento *sed contra* ex authoritate August. tract. 80. in Ioan. dicentis, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum; elementum autem est quid sensibile, ergo res sensibiles ad Sacramentum requiruntur.* In corpore art. prob. D. Thom. conclusionem ex duobus principijs; Primum est, Quod modus connaturalis homini ad perueniendum in cognitionem aliquam intelligibilium, est per sensibilia. Hoc per se clarum est, cùm iste sit finis, ob quem anima spiritualis vnitur corpori; vt scilicet per sensus acquirat cognitionem. Secundum est, Quod signum est per quod aliquis deuenit in cognitionem significati. Ex quibus infert, Quod cùm res significatæ per Sacramenta sint spirituales & intelligibiles, & Deus vnicuique prouideat iuxta modum proprium & connaturalem, consequenter oportuit quod signi-

Sacramentum quid sensibile.

ficatio illorum signorum, per quæ debuit peruenire homo & acquirere istam cognitionem, in aliqua re sensibili compleretur, vt conformiter ad naturam humanam traderet illi signa ad acquirendam cognitionem rerum spiritualium.

Aduertendum est autem S. Thom. per ly *Res sensibiles*, non intelligere solùm rem permanentem, vt distinguitur à verbis, sed omnem rem sensibilem, etiam verba. Vt enim constat de Sacramento Matrimonij & Pœnitentiæ, sufficiens eorum materia sunt verba aut nutus. Igitur intelligit omnem rem sensibilem; & sic ratio eius optimè concludit, & non solum secundùm congruentiam.

Pro ampliori explicatione solutionis ad 1. Nota quod quando dicit S. Thom. *Signa primò & principaliter dici de rebus sensibilibus*; non excludere à vera ratione signi signa formalia. Hæc enim differentia inter signa formalia datur & instrumentalia, quod signa formalia non deseruiunt ad acquirendam cognitionem, quasi ex vno deueniendo ad aliud, sed ad formandam cognitionem, seu tanquam formæ, quibus fit ipsa cognitio tanquam per similitudines obiecti. Instrumentalia verò signa deseruiunt ad acquirendam cognitionem, tanquam ex quodam extrinseco, ex quo acquiritur cognitio alterius rei. Et hoc modo loquitur D. Thom. de signis; Nam de illis loquitur quibus homo acquirit cognitionem modo sibi connaturali, & quæ ducunt ipsum ad cognitionem alterius tanquam quid notum, seu primò innotescens ad minus notum, seu incognitum. Et sic manifestum est, Quod ratio signi modo humano non conuenit spiritualibus rebus, cùm non possint esse primò notæ, aut notiores ad minus nototum cognitionem acquirendam; nec sunt signa quasi acquisitiua, & inductiua in cognitionem modo humano, licèt sint signa spiritualia, quæ sunt signa formatiua cognitionis sicut conceptus; neque hoc negat D. Thom.

DVBIVM VNICVM.

An sit de essentia Sacramenti quod sit res sensibilis?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Sacramentum essentialiter quid sensibile.

PRæcipuum fundamentum huius conclusionis, sicut & aliarum, ex ipsa institutione petendum est. Cùm enim Sacramentum sit signum ad placitum, eius essentia ex institutione & placito instituentis accipienda est. Cùm autem instituens attenderit ad modum connaturalem hominis, cui proprium est vti signis sensibilibus, nec conuenienter possit cognitionem haurire mediantibus signis nisi sensibilia sint, ideò elegit materiam sensibilem, vt in ea signa sacramentalia institueret. Et ideò sicut ex natura rei, id est, ex modo connaturali hominis, signa tali naturæ accommodata sensibilia esse debent; ita sacramentalia signa vt sint humana, seu homini conuenientia & accommodata, sensibilia esse oportuit. Si autem insensibilia essent, homini accommodata non essent, sed Angelo aut Spiritui separato; quibus tamen propriè non conuenit vti signis ad cognitionem acquirendam, quia non acquirunt cognitionem ex rebus externis, sed ex infusione specierum.

Quòd si dicas, Nam Sacramenta non ordinantur ad præstãdam hominibus cognitionem, sed sanctificationem, ergo cùm sanctificationem æquè præ- A stare possint signa spiritualia & sensibilia, licèt ad cognitionem acquirendam non deseruiant, nihil obstabit. Resp. Quòd licèt ordo Sacramentorum, seu ordinatio non sistat solùm in cognitione, aliàs essent signa speculatiua; tamen non sine cognitione ordinantur ad sanctificationem; Aliud enim est quod non habeant pro fine, & sistant in cognitione, aliud quod sine cognitione id faciant; Quæcunque enim significatio, etiam practica, ad cognitionem ordinatur; sicut & ipse intellectus practicus vera cognitio est; Et sic significatio practica cognitionem etiam parit & efficit, licèt eius finis non sit in cognitione sistere, sed opus per- B ficere; non tamen sine cognitione. Ac propterea eo ipso quod significatio instituta est, eo modo quo signa hominibus conueniunt debuit institui, vt sensibiliter ducant in significatum.

Quapropter optimè S. Thom. colligit, Essentiale esse signis sacramentalibus esse sensibilia, non ex respectu ad significatum suum præcisè, sed ex ordine ad eos, qui debent vti talibus signis; quia debent esse humana, & hominibus dari vt illis vtantur ad sanctificationem. Artefacta autem essentialiter postulant materiam suo fini congruentem; & ita cùm Sacramenta sint signa sanctificationis hominibus dandæ, necesse est quod pro materia habeant id quo homines vti possunt C in significatione pro hac vita; scilicet signa sensibilia.

Probat ergo ratio D. Thomæ de omnibus Sacramentis, quæ in quocumque rerum ordine darentur hominibus, dummodò modo humano & hominibus congruenti darentur. Sic enim ex natura ipsa rei, & intrinseca ratione procedit ratio S. Thom. De facto autem loquendo de Sacramentis, de fide est conclusio S. Thom. cùm constet ex Scriptura, Sacramenta antiqua omnia, in aliquo sensibili ritu esse tradita: De nostris verò constat ex Tridentino & Florentino, & ex communi & perpetua Ecclesiæ traditione. Sumi etiam potest ratio conclusionis ex fine Sacramenti, quia sci- D licet, vt August. dicit 19. contra Faust. cap. 11. *In nullum religionis nomen homines coadunantur, nisi aliquo signaculorum aut sacramentorum visibili consortio.* Vnde cùm ad hoc ordinetur Sacramentum, vt multitudo hominum [illegible] religionem colat, externa signa esse oportet.

Alias rationes congruentiæ, scilicet, quia hoc congruit homini, qui constat ex corpore & anima, vt haberet Sacramenta corporea cum spiritu gratiæ; & congruit institutori, qui est Christus, habens naturam humanam & diuinam; & congruit omnipotentiæ Dei, quæ ostenditur in hoc, quod in sensibilibus rebus spirituale remedium præstet; & congruit humiliationi hominis, vt qui peccando subiecerat se sensibilibus creaturis, in suo re- E medio vtatur sensibilibus rebus. Has & similes congruentias vide in Nuño, Gabrera & Suarez.

Soluuntur Argumenta.

Obijcies primò, Quia etiam posset Deus rem spiritualem instituere in signum gratiæ dandæ, quæ tunc sine dubio esset Sacramentum; esset enim signum sacrum rei sanctificantis nos.

Signum Angelicum & humanum.

Ad hoc dupliciter Resp. Primò, Quòd illud signum non esset humanum, nec homini accommodatum, sed Angelo, aut puro Spiritui; nunc autem loquimur de Sacramento homini accommodato, quo Deus colitur non purè spiritualiter, sed

à creatura constante corpore & anima; ideoque sensibilem exigente ritum. Sicut etiam sacrificium, si esset purè spirituale, non esset homini conueniens; nec sacrificium secundum quod de illo loquimur ordinariè, sed alterius generis.

Secundò Resp. solutione S. Thom. ad 1. Quod res illa spiritualis non esset per se signum, sed ratione alterius, scilicet secundum quod manifestaretur per aliqua signa exteriora; & ideò per se non seruiret ad rationem Sacramenti. Quo pacto, inquit D. Thom. non repugnat aliqua quæ non sunt sensibilia, dici quodam modo Sacramenta; videlicet illa, quæ dicuntur res & sacramenta, vt Contritio in Pœnitentia, Character in Baptismo, Christus Dominus in Eucharistia, &c.

Sed replicatur contra hanc solutionem, Nam conceptus & verbum interius est res spiritualis, & per se sumptum est verè & propriè signum; tum quia est similitudo naturalis repræsentans obiectum potentiæ, tum quia verbum interius est ratio significandi verbo exteriori, vt in quæst. 4. de Verit. ait S. Thom. ergo ipsum verbum significatiuum est, & per prius significat, vt ibi S. Thom. dicit, quàm verbum exterius.

Resp. Quod conceptus & verbum sunt signa formalia, de quibus in præsenti non loquitur S. Thom. nec ad propositum sunt; Nam signa formalia sunt formæ intentionales, quibus ipsa cognitio formatur & fit; non autem signa ex quibus acquiritur cognitio, & ex quorum cognitione manuducitur intellectus ad alia. Hæc enim sunt propriè signa humana, & homini data; sicut proprium est homini ex vno manuduci ad aliud, & ex vno acquirere cognitionem alterius. Talia enim signa sensibilia esse debent, cùm ex sensibilibus manuducatur intellectus humanus ad intelligibilia. Et licèt conceptus sit similitudo naturalis rei, tamen non habet hanc similitudinem tanquam quid manuducens ad aliud, sed tanquam quid informans, & formaliter causans ipsam cognitionem, non vt id per quod acquiritur cognitio; & ideò non habet rationem signi, sicut in præsenti requiritur; sed habet alium modum signi, scilicet formalis, quem S. Thom. non negauit rebus spiritualibus per se immediatè conuenire, sed tanquam ad præsens impertinens non meminit.

Signũ formale, alienum à ratione Sacramenti.

Et similiter, Licèt conceptus & verbum interius sit ratio significandi verbo exteriori, & per prius significet quàm illud, non tamen eodem modo; sed est ratio significandi tanquam signum formale, & tanquam medium significandi res extra, & tanquam imponens voces externas, & tanquam significatum etiam ab eis; & per prius significat significatione formali, quæ est expressior & magis similis obiecto, quàm instrumentalis, & illa quæ est ad placitum; non tamen habet eandem rationem significandi, de qua in præsenti loquimur; licèt altiori modo, & expressiori sit signum.

Obijcies secundò, Media debent esse proportionata fini; Finis autem Sacramentorum est quid purè spirituale, ergo & Sacramenta debent esse spiritualia, & non sensibilia. Si dicas esse proportionata media ad finem vt acquirendum ab hominibus; sic enim oportet quod per sensibilia ad illum ducantur. Contra, Nam Sacramenta non habent aliquam similitudinem sensibilem cum re spirituali, cùm nullo modo sint signa naturalia, sed ad placitum; ergo minus apta sunt ad finem dictum.

Confirmatur, Nam in lege naturæ paruuli iustificari poterant per solum actũ interiorem fidei parentum, & tamen non iustificabantur sine Sacramento; ergo aliquid purè spirituale deseruiebat Sacramento. Item in lege noua Matrimonium solo interiori consensu contrahi poterat, vt dicitur 27. quæst. 1. cap. *Sufficiat*, ergo Sacramentum non requirit rem sensibilem pro materia. Denique Sacramentum appellatur Contritio interior, Character, Christus Dominus contentus in Eucharistia, &c. & tamen non sunt quid sensibile, ergo.

Resp. ad Argumentum, Optimam esse traditam solutionem, licèt aliqui etiam dicant, Finem Sacramentorum non tam esse sanctificationem nostram, quàm cultum Dei externum; ideoque externa Sacramenta adhibenda esse. Sed optima est solutio data; Ea enim quæ spiritualia sunt, quando homini applicata accipiuntur, sensibilibus medijs accipi debent, cùm sit natura hominum per sensibilia duci ad intelligibilia.

Ad Replicam Respond. Sacramenta non ducere principaliter ad rem spiritualem ex similitudine, quam habeat cum illa, licèt verum sit quod res assumptæ ad materiam Sacramenti, congruentiam aliquam habeant cum effectu quem præbent; non tamen in illa congruentia (quæ solam analogicam similitudinem importat) fundatur ratio significationis sacramentalis, sed in institutione Christi Domini; quæ tamen sufficiens est vt ad rem spiritualem per signa sensibilia nos deducat, non tanquam per signa naturalia, sed tanquam per signa sacramentalia, & ad placitum, quæ mediante fide effectum suum monstrant, non naturaliter cognitionem sacramentalem generant, quam intendunt.

Ad Confirmat. Resp. Quod si qui dixerunt iustificari paruulos sola fide interiori, consequenter concedere debebant iustificari sine Sacramento. Cæterùm falsa est illa sententia, cùm constet ex S. Thom. quæst. 61. art. 1. necessaria esse Sacramenta ad salutem, necessitate medij & præcepti. Quare nunquam paruuli iustificati sunt sine aliquo sensibili signo. Quod attinet ad Matrimonium, dicimus ipsum perfici solo consensu, non interiori, (nec enim hoc ibi dicit Pontifex) sed consensu foris explicato, & modo ad contractus necessario exposito; quod non obscurè textus indicat, dicens, *Sufficiat solus secundum leges consensus*, &c. Consensus autem secundum leges non potest esse solùm interior, non explicatus extrà; & hic solus dicitur sufficere, quia sine ipso, licèt alia non apponantur, frustratur matrimonium.

Sola fides nunquam profuit paruulis.

Quod Hæretici obijciunt, Esse contra Christianam libertatem, quod subijciatur homo rebus sensibilibus, & conuertatur ad vacua & egena elementa; & quod peius est, protestamur Deum indigere creaturis sensibilibus ad nostram sanctificationem, friuolum est, nec responsionem meretur; Non enim subijcitur homo his sensibilibus, secundum quod in illis relucet ratio sensibilis & temporalis, sed secundum quod in his traditur spiritus gratiæ, & signa sunt diuini beneficij. *Et sicut placuit Deo per stultitiam Crucis saluos facere credentes*, 1. Cor. 1. 21. *& in ligno euacuare decretum chirographi, quod erat contra nos*, Col. 2. 14. & per carnis assumptionem nos transferre in gloriam filiorum Dei; sic placuit per aquam

aquam regenerare nos in Baptismo, & in cæteris Sacramentis gratiam suam conferre; non quia his indiguerit Deus ad sanctificandum nos, sed quod potius suam omnipotentiam maximè ostendat, in eo quod per res ita abiectas nostram voluerit sanctificationem perficere.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum requirantur determinatæ res ad Sacramenta.

DVæ Conclusiones eliciuntur ex art. Prima in corpore. In Sacramentis oportet vti determinatis rebus per diuinam institutionem ab ipso Deo procedentem.

Secunda in solutione ad 3. Hoc enim in statu gratiæ & veteris Legis factum fuit à Deo; in statu verò Legis naturæ, ex interiori instinctu hominum determinabantur signa ista sensibilia.

Antequam probentur hæ conclusiones, explicandum est quid intelligat S. Doct. nomine rerum, cùm quærit, *An requirantur determinatæ res ad Sacramenta?* Et dicimus quod nomine rerum intelligit S. Thom. non solùm id, quod se habet vt materia respectu formæ physicæ, & partialis huius totius, sed etiam id quod se habet vt materia respectu formæ totalis, quæ est significatio; sicut enim in compositis naturalibus (v. g. in homine) inuenimus compositionem, & ex materia & forma (scilicet ex corpore & anima) & ex supposito & humanitate, sic in composito sacramentali, & inuenitur compositio ex rebus & verbis, vt ex materia & forma, & inuenitur compositio ex re sensibili, & significatione. Et cùm vtramque in his articulis S. Thom. explicet, etiam nomine rerum vtroque modo intelligit res, scilicet & prout comparantur ad verba, & prout ex rebus & verbis conflata materia comparatur ad significationem. Et quia compositio ex rebus & verbis non est omnibus Sacramentis communis, cùm non inueniretur in Sacramentis Veteris Legis & Naturæ; & D. Thom. in præsenti art. loquitur de omnibus Sacramentis, etiam antiquæ legis, fit consequens, Quòd quando quærit An sint res determinatæ, loquatur de rebus non vt distinguntur contra verba, & se habent vt materia verborum, sed vt distinguntur contra significationem, & sunt materia totius significationis, siue sit materia constans aliàs ex rebus & verbis, siue non. Et sic sensus quæstionis est, An requirantur res determinatæ, id est, materia determinata, seu id quod concurrit vt materia, & vt res sensibilis ad sacramentum, An debeat esse quid determinatum?

Igitur prima conclusio ostenditur à D. Thom. ex eo quod materia Sacramentorum non debet institui ad arbitrium humani iudicij, sed ex institutione diuina; & consequenter oportet res ipsas ita esse determinatas hominibus, vt indeterminari non possint; si quidem non ab arbitrio eorum pendent vt mutentur, sed ex diuina institutione, quæ omnino determinata est. Cùm ergo consequentia ista nota sit, de antecedente solùm curat D. Thom. Illudque probat, Quia in Sacramentorum vsu duo reperiuntur; Vnum est ex parte hominis ad Deum; Quia scilicet per vsum Sacramentorum Deum colit & protestatur; Aliud est ex parte Dei ad homines, quatenus per ritum

A illorum intendit Deus sanctificare homines. Igitur licèt ratione primi (scilicet cultus exhibendi Deo) videretur posse ad hominem pertinere determinare res, quibus colere Deum debebat; tamen ratione secundi, impossibile est id ad hominem pertinere, quia sanctificatio hominis est solum in potestate Dei, (id est, gratiæ largitio) & non in potestate hominis; Nullus autem potest determinare quod est in potestate alterius, sed sua; ergo non potest homo determinare, quibus rebus sanctificationem suam assequatur, & consequenter neque signa sanctificantia se.

B Secunda conclusio ostenditur à D. Thom. solut. ad 3. ex authorit. August. contra Faust. Quia diuersa Sacramenta diuersis temporibus congruebant. Et in Lege quidem Naturæ, propter obscuritatem illius status, in quo Deus non dederat legem per se, mouebantur homines à Deo interiori instinctu, & eodem etiam determinabantur res & materiæ Sacramentorum & sacrificiorum. In statu autem, in quo per se ipsum Deus dedit Legem, in veteri quidem eam ordinando per Angelos in mente Mediatoris, in Noua autem loquendo nobis in Filio, & per ipsum legem ferendo, pertinuit etiam quòd à Deo instituerentur, & determinarentur res, quibus Sacramenta confici debebant, sicut & ritus alij re-
C ligionis & fidei, quæ fundabatur.

DVBIVM VNICVM.

An omnia Sacramenta res determinatas postulent ad significationem sacramentalem, eaque determinatio debeat fieri à Deo.

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

PRo cuius intelligentia est Aduertendum; Quod requiri determinatas res ad significationem sacramentalem potest intelligi, vel supposita iam institutione, vel ex natura Sacramenti,
D etiam ante institutionem; quasi ea sit natura Sacramenti, vt petat institui in materia determinata. Et quidem supposita institutione, non est dubium quin materia Sacramentorum determinata sit; si quidem institutio Sacramentum determinat & constituit, & consequenter materiam ex qua constat, & in qua signum illud sacramentale exercetur determinat. Cùm enim debeat esse Sacramentum religiosum signum permanens in religione aliqua, oportet quod certam & determinatam habeat materiam, & permanentem in tali religione.

Facta verò institutione, non est amplius in potestate vtentium eam mutare, cùm ad id authoritatem non habeant; & sic respectu vtentium,
E debent res ad Sacramenti materiam requisitæ esse determinatæ, cùm non possint ab eis mutari. Ex natura autem rei Sacramenta petunt in materia determinata poni, secundum quod significationi eorum necessarium est, & non ampliùs; Quia cùm Sacramenta sint signa nostræ sanctificationis, non solùm ad placitum quomodocumque significantia, sed supponendo congruentiam & similitudinem quandam cum re significata, sicut ex D. August. constat. Epist. 23. *Sacramenta quandam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt sacramenta; quam si non haberent, omnino sacramenta non essent.* Et Lib. de Catechizandis rudibus, cap. 26. *Ideò*

Sacramentorum determinata à Deo materia.

oportet quod pro sacramentorum materia non quælibet res sumatur, sed illa solum quæ aliquam talem congruentiam aut similitudinem habet: & ideo determinata esse debet: Sicque Sacramētum petit, vt non solum ex suppositione institutionis, sed ex congruentia, quam requirit cum effectu, determinata sit.

Quod autem à Deo determinata sit materia Sacramentorum, satis ostenditur ratione S. Thom. Vbi tria explicanda sunt; Primum, Quod nomine materiæ non intelligimus quascumque cæremonias ac ritus ad Sacramentum concurrentes, quæ vocantur etiam sacramentalia (hæc enim Ecclesiæ authoritate variè mutari possunt) sed nomine materiæ intelligimus id, quod ad significandum sacramentaliter imponitur, & suscipit in se significationem sacramentalem, quæ ex instituto diuino ei prouenit.

Secundum est, Quod materiam Sacramentorum esse determinatam a Deo, semper debet intelligi conformiter ad significationem sacramentalē, quæ ei imponitur; & ita non oportet quod in omnibus Sacramentis materia sit determinata in vltima specie, aut indiuiduo quasi physicè; sed sufficit in aliquibus, quòd quasi genericè sit determinata materia secundum physicam considerationem, licèt specificè tantùm sacramentalem, secundum modum hominibus accommodatum; vt quod in Sacramento Pœnitentiæ sit confessio dolorosa, quantum sufficit ad rationem iudicij in foro conscientiæ exercendi, in Matrimonio sit contractus naturalis inter marem & fœminam, quomodocumque fiat sufficienti modo ad contractum, &c. In alijs verò Sacramentis determinatur materia magis in specie, vt quod fiat in aqua aut in oleo, aut pane; & in Sacramentis veteribus, quod fieret Circumcisio in tali parte, aut Agnus comederetur, &c.

Tertium est, Quod quando dicitur Materiam Sacramentorum esse immediatè determinatam à Deo, non excludit medium, seu mediatorem quasi promulgantem, aut deferentem illam institutionem, sed excludit medium quasi instituentem. Et ita hæc differentia fuit inter Sacramenta ante legem & post legem, quod ante legem plura ex illis instituebantur à Deo non immediatè, sed mediante Republica, quæ non erat solùm deferens, aut promulgans, sed verè instituens Sacramentorum materias; ex instinctu tamen interiori Dei; post legem autem datam, siue veterem, siue nouam, solus Deus fuit instituens; & ita dicitur immediatè instituisse Sacramentorum materias.

Et Ratio D. Thom. est satis congrua, Quia sicut lex non dabatur tunc a Deo immediate, ita nec Sacramenta talis legis dari debebant immediatè à Deo, cùm Sacramenta sint protestationes quædam exteriores, quæ in aliqua lege fiunt; & non alio modo tradenda sunt Sacramenta & instituenda, quam ipsa lex & religio, cuius sunt Sacramenta; Igitur sicut tunc non erat lex tradita à Deo nisi mediante instinctu interiori, ita nec Sacramenta. Fatendum tamen est, adhuc ante legem scriptam, peculiaribus viris aliqua Sacrificia aut Sacramenta fuisse tradita, à Deo, sicut Circumcisio, quæ non est ex lege, sed ex Patribus; & si quæ alia Sacramenta aut Sacrificia Deus specialiter aliquibus tradidit.

Ante Legem ex instinctu per homines instituta sacramenta.

Soluuntur Argumenta.

Objicitur primò, Nam in Sacramentis Gratiæ, Legis Matrimonij non habet materiam determinatam, ergo. Anteced. prob. dupliciter, Primò, Quia id quod modò haber rationem materiæ, postea habet rationem formæ. Cùm enim ex consensibus contrahentium constet materia & forma Matrimonij, consensus vnius potest aliquando esse materia (scilicet si priùs proferatur) & potest habere rationem formæ, si posteà proferatur; ergo non habet determinatam materiam. Secundò prob. Quia ante Concilium Tridént. erat sufficiens materia Matrimonij consensus contrahentium clandestinus, qui modo non est materia Matrimonij, ergo non habent Sacramenta ex institutione Christi determinatam materiam.

Respond. Circa materiam & formam Matrimonij triplicem esse opinionem, Primò enim Mag. Cano censuit, etiam ante Concil. Trid. non fuisse validum Matrimonium nisi præsente Sacerdote, quantum ad rationem Sacramenti, licèt in ratione talis contractus esset validus: Et ita ipse Sacerdos est minister conficiens Sacramentum, & formam tribuens; contractus verò factus à contrahentibus est materia. Et consequenter in hac sententia est dicendum, quod modò tacente Sacerdote non fit sacramentum Matrimonij, etsi coram illo contrahatur.

Cani opinio, Formā in Matrimonio esse Sacerdotis verba.

Sed non potest sustineri hæc responsio; Tum quia Trident. tanquam vera Matrimonia agnoscit ea, quæ antè fiebant clandestinè; quæ tamen inter fideles non poterant esse verè matrimonia nisi essent etiam sacramenta; cùm inter fideles Matrimonium sit eleuatum ad rationem sacramenti; nec dari possit verum Matrimonium nisi sit eleuatum: Tum quia modò Matrimonium verum fit assistente Sacerdote & tacente; ac denique, Quia nulla verba Sacerdotis explicant coniunctionem maritalem practicè, sed id sufficienter explicatur per verba contrahentium, ergo non debent verba Sacerdotis habere rationem formæ.

Alia sententia est, Quod ipsæ expressiones, seu consensus expressi à contrahentibus per verba vel nutus, habent rationem materiæ & formæ; taliter quod ille qui prius exprimitur, se habeat vt materia; & qui posterius, vt forma. Et hoc sufficit ad determinationem materiæ (scilicet quod sit consensus prius expressus) tunc enim habet rationem determinabilis, & verba posterius prolata habent rationem determinantis; sicut in numero, vltima vnitas dat formam numeri; & quæ non se habet vt vltima, est materia. Sic Nuño & Soto.

Nihilominus tamen adhuc est difficilis hæc sententia, Tum quia possunt simul proferri verba contrahentium, & tunc non erit aliquis consensus prior aut posterior; & consequenter neque materiæ aut formæ rationem habebit; Tum etiam, quia contrahentium expressiones æqualiter se habent ad constituendum Matrimonium, & prioritas aut posterioritas non ponit maiorem, aut minorem determinationem & actualitatem in ratione contractus. Sicut enim in alijs contractibus (v.g. in emptione) quod prius vendens proferat consensum vel posterius, non perficit contractum in ratione contractus, sed ratio traditionis aut acceptionis; sic neque in contractu Matrimoniali. Vnde cùm ratio prioris aut posterioris multum materialiter & per accidens se habeat in formali ratione contractus, non potest ipsum perficere.

Aliud est in numero, Nam numerus est quan-

titas discreta; & consequenter oportet quod perficiatur, non per extensionem continuatam, sed per diuisionem vnitatum. Vnde quousque ponatur ei vltima vnitas, manet interminatus & indecisus numerus; & sic oportet formaliter determinari per vnitatem vltimam, seu per vnitatem quæ sit terminus; cùm vnitatum diuisio sit perfectiua numeri. Sic autem non currit in præsenti; cùm pluralitas consensuum non efficiant contractum secundum quod diuiduntur & plures fiunt, sed secundum quod in vnam rationem perficiuntur, Et qualis illa sit quærimus.

Auctoris opinio; acceptationem, quæ sit formalius, habere rationem formæ.

Tertia sententia est, Quod in contractu, & consensibus expressis ab vtroque contrahente, & à duobus ipsis procuratoribus, aliquid seruit pro materia, & aliquid pro forma. Mutua enim traditio, seu explicatio traditionis ab vtroque facta, est materia; ratio verò acceptationis ab vtroque etiam facta, & verbis explicata, habet rationem formæ. Ratio est, Quia in omni contractu traditio est quid materialius & imperfectius, & aliquid determinabile per acceptionem, ergo etiam in contractu matrimoniali, traditio habet rationem materiæ, & acceptatio, formæ. Cùm autem Christus Dominus non addiderit nouum formam aut materiam contractui isti, vt faceret Sacramentum, sed id quod erat contractus eleuauit ad rationem sacramenti, id etiam quod formalius erat in contractu, mansit vt forma sacramentalis, & quod materialius, vt materia.

Omittimus hic sententiam illorum, qui putant corpora contrahentium esse materiam, & consensus expressos, formam; Corpora enim sunt solùm materia remota, non proxima; cùm non suscipiant rationem significationis sacramentalis; nisi medio contractu & coniunctione corporum: Coniunctio ergo ipsa sensibiliter expressa debet habere rationem materiæ proximæ; Nec enim ex corporibus contrahentium componitur sacramentum, sed ex contractu; materia autem proxima est ex qua sacramentum componitur. Vide alias sententias in Ledesma.

Quid Tridentini iuris in materia Matrimonij.

Ad secundam probationem Respond. Concil. Trident. non mutasse materiam Sacramenti, vt materia Sacramenti est, & vt determinata est à Christo Domino. Etenim Dominus solùm determinauit, quod contractus à legitimis personis factus esset materia Sacramenti. Quæ verò sint legitimæ personæ, vel non, Christus Dominus non determinauit, sed id reliquit Ecclesiæ suæ & Reipublicæ determinandum. Ecclesia autem prouidens multorum abusibus, statuit non esse personas legitimas ad contrahendum Matrimonium, nisi quæ coram Parrocho contraxerint. Hoc ergo non est mutare materiam Sacramenti, sed rem illam, quæ erat materia secundum tales, vel tales conditiones, à ratione materiæ submouere.

Quare aliud est dicere, Quod Ecclesia possit mutare materiam Sacramenti, veluti in sensu formali, seu secundum quod materia est Sacramenti; aliud est quod possit rem, quæ est materia Sacramenti, separare à ratione materiæ, seu ab eo quod requiritur ad rationem materiæ. Primum quidem est falsum, & secundum, verum. Nam cùm materia Matrimonij sit ipse contractus naturalis, & in quantum contractus naturalis subsit Reipublicæ, potest Respublica ea addere vel tollere, quæ vt contractus talis ritè fiat, requiruntur; & ideò rectè potest statuere vt solùm sub his conditionibus & non sub alijs factum teneat. Et sicut qui corrumpit formam panis, non tollit, aut mutat materiam Eucharistiæ, sed solùm facit quod ista res non sit amplius materia Eucharistiæ; & si modò deponerentur illa verba, *Ego te baptizo*, à sua significatione, non mutaretur forma Baptismi, sed efficeretur vt illa vox non esset ampliùs apponenda in formam; sic qui mutat contractum Matrimonij, non mutat materiam Sacramenti, quæ solùm est contractus debito modo, & a legitimis personis factus; sed efficit quod illa res, quæ antè erat materia, iam non sit.

Sed Replicabis, Nam Ecclesia non mutauit contractum matrimonialem vt contractus naturalis est, sed vt Sacramento conficiendo deseruit; Nam vt est contractus naturalis, etiam modò factus sine Parrocho, habet totam rationem naturalis contractus, ergo formaliter mutauit materiam Sacramenti, seu contractum illum quatenùs est materia deseruiens sacramento, & non solùm quatenùs est res, quæ erat materia.

Respond. Quod in Republica Christiana contractus factus clandestinè, nec etiam est matrimonium in ratione contractus naturalis; Nam cùm Respublica Christiana habeat potestatem ordinandi ea, quæ corporalia sunt, & ad naturam pertinent, quatenus subseruiunt fini supernaturali; & apud Christianos Matrimonium non contrahatur validè nisi ordinetur ad finem supernaturalem Sacramenti, ideò irritatus est iste contractus naturalis in Republica Christiana, vt pote perniciosus respectu finis superioris; & sic nec in ratione contractus naturalis manet, quod manifestè patet; Quia qui clandestinè contrahunt, nullam obligationem inducunt in tali contractu, ergo nullo modo est firmus, sed totaliter inualidus. Extra Rempublicam autem Christianam non est irritus, quia ad Ecclesiam non pertinet de his qui foris sunt iudicare; Nec vna Respublica potest statuere circa contractus, nisi respectu eorum qui sibi subduntur.

Secundò obijcies, Nam Sacramentum Pœnitentiæ solùm in verbis consistit, ergo non habet determinatam rem, quæ est materia. Consequent. patet, Nam S. Thom. loquitur hic de rebus vt distinguntur contra verba; & ita si in Pœnitentiæ Sacramento non sunt res, sed solùm verba, non habet determinatas res. Anteced. patet, Nam ex parte Pœnitentis solùm est confessio, ex parte Sacerdotis solùm absolutio.

Nec dici potest, Quod ex parte materiæ remotæ includit res, scilicet peccata, quæ subijciuntur clauibus. Contra enim est. Quia potest contingere quod quis confiteatur solùm peccata, quæ in verbis consistant, ergo tunc nullo modo constabit ex rebus. Possunt etiam actus Pœnitentis, qui sunt materia proxima, esse solùm nutus, ergo non habet rem determinatam pro materia. — In Sacramento Pœnitentiæ, quid res & verba.

Resp. In Sacramento Pœnitentiæ, rem seu materiam proximam consistere etiam in verbis; distingui autem à S. Thom. res à verbis, non à quibuscumque verbis, sed à verbis vt obtinent rationem expressiorem sacramentalem, & consequenter rationem formæ. Verba autem non vt expressiorem significationem sacramentalem, sed potiùs significationem determinabilem per alia verba, non inconuenit quod non computentur pro verbis (licet in se verba sint) sed pro rebus;

quia non ſunt verba vt ſacramentaliter accipiuntur, id eſt, vt expreſſius determinant materiam a ſe inſignificatiuam, ſed potius ſunt verba determinabilia ab alia expreſſiore ſignificatione verborum; & ideo pro materia computantur, non pro forma ſacramentali, eſto in ſe verba ſint.

Dicitur etiam, Quod materia Pœnitentiæ non ſunt verba ſolùm, ſed etiam nutus, vel quidquid ſufficienter dolorem peccatorum manifeſtare poteſt, explicando peccata; forma autem non poteſt eſſe nutus, ſed ſolùm verba abſolutionis; & ſic materia diſtinguitur adhuc à verbis, & vocatur res. Nec propterea eſt indeterminata, quia licèt non habeat vnitatem in ſpecie vltima quaſi phyſicè, habet tamen in vnitate generica, quæ eſt ſufficiens ad vnitatem ſacramentalem; Quia benè ſtat, quod id quod in vno genere non habet vnitatem niſi genericam, pro alio (videlicet pro ſacramentali) habeat vnitatem vltimam & ſufficientem. Quod verò materia remota ſint res aut verba, parum intereſt; quia ſolùm pro materia remota reſpicit peccata quæcumque illa ſint, & in quacumque materia, aut modo fiant. Vnde vbi eſt ratio peccati, eſt materia remota; non quia verbo aut opere patratum, ſed quia peccatum.

Tertiò objicies, Nam in lege naturæ non fuerunt Sacramentorum materiæ immediatè determinatæ à Deo, ergo neque in lege veteri & lege gratiæ. Anteced. conceditur à S. Thom. & conſequent. prob. Nam ideo colligit ſanctus Thomas Materiam Sacramentorum determinari à Deo, quia ipſe eſt cauſa ſanctitatis noſtræ; ſed etiam erat cauſa ſanctitatis in lege naturæ, ergo eodem modo debebat vtrobique materias determinare; vel ſi non in illa lege, neque hîc. Similiter ſicut Sacramenta ſunt modò Eccleſiæ fundamenta, ita & in lege naturæ, ergo ſicut ex hac ratione debuit Deus per ſe immediatè Sacramenta modò inſtituere, ita & in lege naturæ; vel ſi hoc non obſtante id non fecit in lege naturæ, neque modò.

Confirm. Quia Sacramenta legis ſcriptæ, ita ſe habebant ad cauſandum gratiam, ſicut Sacramenta legis naturæ, ergo ſi ex eo quod Deus cauſat gratiam, debuit per ſe illa Sacramenta inſtituere, etiam in lege naturæ. Confirm. ſecundò, Quia licèt ſolum authoritatiuè Deus ſit cauſa Sacramenti, ſicut & gratiæ; tamen miniſterialiter etiam alij poſſint ad id concurrere; ergo non bene colligitur, ex eo quod Deus ſit cauſa gratiæ, debere per ſe inſtituere Sacramenta; cùm poſſet id alteri committere vt ſua authoritate id faceret.

Reſp. ex illa ratione S. Thomam quaſi ex optima congruentia colligere, Sacramenta debere à Deo determinari. Modus autem, quo à Deo determinari debet materia Sacramentorum, non colligitur à D. Thom. ex illa ratione, ſed in ſolutione ad 3. explicatur ex congruentia ſingulorum ſtatuum; Nam cùm Sacramenta ſint exteriores quædam proteſtationes religionis, in qua ſanctificamur; ſicut ipſa lex prodit à Deo, ſic & exteriores Sacramentorum materiæ. Et ideo quando lex non erat ſcripta, ſed ſecundum naturam, inſtinctu interiori determinabantur Sacramenta, & eorum ritus; ſecus verò quando lex ipſa à Deo immediatè dabatur. Itaquè non ex eo præciſè quod Deus ſit cauſa productiua gratiæ probat D. Thom. debere Sacramenta immediatè à Deo determinari,

A ſed ex hoc adiuncta congruentia dandi ipſam legem, & conſtituendi religionem; ex hoc enim determinatur modus dandi, ſcilicet immediatè à Deo vel mediatè. Et eodem modo dicimus, Quod in omni ſtatu Sacramenta ſunt fundamenta Eccleſiæ; ſed non in omni ſtatu immediatè à Deo Eccleſia fundatur, & ſic nec Sacramenta.

Ad primam confirmationem Reſp. Illam rationem D. Thom. probare ſimpliciter, quod Deus debeat inſtituere Sacramenta, ſiue mediatè, ſiue immediatè. Ex congruentia autem quadam probat magis quod debuit Deus inſtituere immediatè Sacramenta legis veteris, quàm legis naturæ;

B Tum quia ipſe per ſe immediatè talem legem dedit, tum quia licèt non cauſarent gratiam, nimis tamen accedebant & exprimebant merita, & paſſionem Chriſti, ex qua omnis cauſatio gratiæ eſt; & ex particularitate hac, congruebat vt immediatè à Deo inſtituerentur.

Ad ſecundam confirmat. dicitur, Quod bene poteſt Deus mediante alio, cui commiſerit authoritatem ſuam, inſtituere Sacramenta; & fortaſſe ita fecit in lege veteri, quæ ordinata eſt per Angelos in manu Mediatoris, vt dicitur Gal. 3. 19. Sacramenta autem noſtra ob ſui excellentiam & maximam cum Chriſto Domino coniunctionem, ab ipſo Verbo diuino incarnato immediatè facta

C ſunt, & ex latere ipſius in Cruce fluxerunt. Cæterùm etiam poſſet dici, Quod in lege veteri immediatè ſunt inſtituta à Deo; & licèt mediauerit Angelus & Moyſes; non mediauerunt vt inſtituentes, ſed vt deferentes mandata Domini & promulgantes. In lege autem naturæ Reſpublica erat vt inſtituens, mediante tamen interiori Dei inſtinctu.

Articvlvs Sextvs.

Vtrùm in ſignificatione Sacramentorum requirantur verba.

D

Prima concluſio, congruum eſt quod Sacramenta conſtent ex rebus ſenſibilibus & verbis; præſertim quando ſignificatio ipſa perfecta eſt.

Secunda concluſio ſolutione ad 2. In Sacramentis ex rebus & verbis fit quodam modo vnum, ſicut ex materia & forma, in quantum per verba perficitur ſignificatio rerum.

Tertia concluſio ſolutione ad 3. In Sacramentis veteris legis non erat neceſſaria forma verborum ad expreſſionem ſimilitudinis, erat tamen vſus verborum in his, quæ ad cultum Dei pertinebant.

Primam concluſionem oſtendit S. Thom. Tum in Argum. *ſed contra* ex authoritate Apoſtoli, id

E in Baptiſmo docentis, Epheſ. 5. 26. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ* & authoritate Aug. tract. 80. in Ioan. id vniuerſaliter dicentis de omni Sacramento, *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum:* Tum etiam in corpore art. ex tribus, ad quæ dicunt habitudinem Sacramenta, & à quibus pendent; ſcilicèt ratione cauſæ ſanctificantis per ipſa Sacramenta reſpectu hominum, qui ſanctificantur, & reſpectu ſignificationis ſacramentalis. Ex parte quidem cauſæ ſanctificantis, cùm illa ſit Verbum incarnatum, fit quod ad hoc vt Sacramentum ipſi perfectè conformetur, congruum eſt quod conſtet ex re ſenſibili & verbo; & ita Sacramentis, quæ ab ipſo Verbo incarnato proceſſerunt, hoc maximè congruit.

In Sacramentis Nouæ legis, verba congrua.

Ex parte vero hominum suscipientium; quia constant anima & corpore, vt eis perfectè proportionetur medicina quæ in Sacramentis adhibetur, oportet quod constent ex re sensibili vt materia, & verbo vt forma; vt per sensibilem rationem, corpus tangant, & per inuisibilem virtutem verbi animam abluant. Ex parte verò significationis, constat inter omnes significationes, quibus homines adinuicem vtuntur & communicantur, principaliorem locum obtinere verba, quæ expressiùs & meliùs conceptum significant. Vt ergo significatio sacramentalis esset expressior, oportuit quòd adhiberētur verba, vt per ea determinaretur significatio magis imperfecta rerum; sicut aqua potest humiditatem significare & frigiditatem, &c. accedente autem verbo, *Ego te baptizo*, determinatur ad significandam ablutionem animæ.

Secundam conclusionem explicat S. Thomas, Quia bene stat quod res, quæ sunt in diuerso genere, fiant vnum in alio genere; & sic verba & res in ratione signi sacramentalis, fiunt vnum, quia non sunt nisi vnum signum. Et quia in ista ratione signi datur aliquid perfectius & actualius in significando, quod determinet aliud minus perfectum in significando, habebunt se sicut materia & forma.

Tertiam conclusionem ostendit S.Thom. Quia significatio Sacramentorum erat obscurior & minus perfecta, & sic non indigebat verbis tanquam formantibus & determinantibus ea in genere signi.

DVBIVM PRIMVM.

Circa 1. con. D.Thomæ.

An necesse sit Sacramenta constare rebus & verbis tanquam materia & forma?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

ET in illa loquimur solùm de Sacramentis Nouæ Legis, non Antiquæ; Nam ritus Sacramentorum veteris legis sine verbis conficiebatur, vt constat in Circumcisione, & aliis quorum materia nullo modo includebat verba; sed si quæ adhibebantur erant ad diuinum cultum spectantia, aut in gratiarum actionem, vel benedictionem aut deprecationem, non tamen in materiam aut essentiam sacramenti. Ratio verò præcipua huius ex institutione pendet, Quia sic instituta legimus illa Sacramenta, vt sine verbis tota earum significatio impleretur. Congruentia verò sumitur ex his; quæ docet S. Thom. solut. ad 3. Quia illis minus expressè significare conueniebat; & ideò minùs exprimente significatiuo constare debebant; verba autem sunt maximè significatiua inter homines, ergo non erat illis congruum constare verbis.

Pro intelligentia ergo Conclusionis notandum est, Quòd duo in illa dicimus, Primum est, quod omnia Sacramenta Nouæ Legis constant rebus & verbis. Secundum est, quòd res istæ, & Verba se habent tanquam materia & forma. Et prima pars constat ex institutione Christi Domini, qui omnia Sacramenta nouæ legis sic instituit; & congruentia D.Thom. præsertim vltima satis id conuincunt; Nam in noua lege oportuit Sacramenta fidei eius apertiora & expressiora esse, quàm in quolibet alio statu; vtpotè cùm fides ipsa etiam determinatiùs & expressiùs res credendas proponat. Si autem ex solis rebus constaret significatio sacramentalis, obscurior esset, cùm res sint minùs determinatæ ad significandum præsertim spiritualia, quàm verba; cùm hæc, ex eo quod à conceptione descendunt, determinatiùs significent.

Res & verba in eis, vt materia & forma.

Igitur vt significatio quoque sacramentalis magis sit determinata & expressa, verbis debuit perfici. Constat etiam id ex sacris literis, vbi in plurimis Sacramentis, vt in Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia, & Extrema-Vnctione verba ponuntur, & res declarantur. Ac denique in Concil. Florent. definitur Omnia Sacramenta Nouæ Legis constare verbis & rebus, explicanturque singulorum materiæ & formæ, prætetquam Matrimonij.

Secundà pars sumitur & ex Concil. Florent. citato & ex Trident. etiam sess. 14. cap. 1. dicente, *Sacramentum Pœnitentiæ constare ex materia & forma*; & ex communi Theologorum consensu, quorum vna vox est, Sacramenta debere habere materiam & formam, nec Ecclesiam posse mutare materias, aut formas Sacramentorum, quia sunt de eorum essentia. Et ratio sancti Thomæ est satis efficax; Quia vbi vnum est determinans & aliud quasi determinabile, ibi datur proportio materiæ & formæ; significatio autem rerum est multum indifferens & indeterminata & obscura, verborum autem determinatior & expressior, ergo hæc determinat illam; & sic habet se respectu illius vt forma. Vnde aqua, quæ de se potest esse indifferens ad significandam ablutionem vel refrigerium, determinatur per verba Baptismi, vt ablutionem spiritualem designet.

Sed est difficultas, Quomodo rationem formæ & materiæ habeant res & verba; Nam vel id habent ratione suæ significationis, sibi propriæ, quæ est ordinis naturalis; vel ratione alicuius significationis à Christo Domino eis adjunctæ, & supernaturalis: hoc secundum dici non potest, Nam significatio prouenìens ex institutione Christi Domini est vnica, cadens super res & verba, ergo ratione illius verba non determinant res, aut è contra; cùm sit vnica in verbis & rebus. Primum verò est omnino impossibile, cùm significatio, quam aliàs habent verba, impertinens sit vt determinet significationem rei in ordine ad significationem sacramentalem.

Suarez disp. 2. sect. 1. in fine, partiales agnoscit significationes, contra Caiet. hìc, taliter quod aqua verbi gratia, habet partialem significationem, & verba partialem; & inde componitur tota significatio; licèt addat quod hæ partes essentiales non habent significationem sacramentalem, nisi in ordine ad totum, quod componunt.

Nihilominus tamen dicendum est, Quod significatio sacramentalis est indiuisibilis, cùm sit forma totius Sacramenti, quæ est significatio, seu relatio significationis, quæ indiuisibilis est, & conuenit indiuisibiliter toti Sacramento, sicut forma domus toti domui. Dicitur tamen determinare materiam, seu verba determinare elementum, non ratione alicuius significationis sacramentalis quasi partialis, sed ratione modi determinatioris & expressioris in significando; secundum quod venit in vsus hominum; quæ in elemento indifferentior est & laxior. Vnde S. Thom. nunquam dixit, Quòd significatio rerum determinatur per significationem verborum, sed quòd per verba perficitur & determinatur significatio rerum; quia scilicet cùm verba obtineant principatum in significando respectu hominum, quia per verba distinctius pos-

Vna significatio sacramentalis; in qua verba expressiora rebus.

sumus conceptus nostros repræsentare, ideo verba significatiua adjuncta rebus, efficiunt quod significatio sacramentalis sit expressior & distinctior; quia verba significatiua, efficiunt rem istam melioris significationis capacem.

Et hoc per significationem suam propriam efficiunt, non absolutè, sed vt à Deo assumitur & verbis conjungitur; sicut paries determinat fundamentum vt domus fiat, non absolute, sed vt ab artifice ad id assumitur. Etenim licèt significatio sacramentalis sit ex impositione Christi Domini secundum potestatem supernaturalem, tamen supponit in re, quæ eligitur ad talem significationem & instituitur, congruentiam & similitudinem cum re significata; & quantò amplior fuerit congruentia & similitudo, tantò amplior & expressior recipitur significatio sacramentalis; Accommodauit enim semper Deus materiam conuenientem significationi. Cùm enim significatio sacramentalis respectu gratiæ sit solùm ad placitum, modus significandi expresè vel obscurè, ex materia cui superuenit talis significatio, habetur. Vnde ad habendum modum istum significandi distinctiùs simul cum aliqua obscuritate & mysterio, adhibentur res & verba, vt his sic conjunctis superueniat significatio sacramentalis.

Vnde cùm in Sacramentis Nouæ Legis debeat esse significatio maximè distincta, quantum ratio Sacramenti patitur, ideo elegit Dominus materiam ad id valde accommodatam; Videlicet pro ea parte qua sacramentalis significatio debet esse mysteriosa & occulta, apposuit res; pro ea parte qua maximè significatiua, adhibuit verba, vt ex vtroque fieret apta materia significationi sacramentali, qualem requirebat Lex Euangelica. Non ergo determinatio per modum materiæ & formæ fit in ipsa significatione sacramentali, quæ vnica est, sed in ipsa materia, quæ tali significationi subjicitur, vt congrua fiat, & similitudinem sufficientem habeat respectu significationis sacramentalis ita expressæ; quod melius in secundo Argumento explicabitur.

Quare verba & res habere se vt materia & forma, non intelligitur in ipsa significatione sacramentali, sed vt resultet in illis vnica significatio sacramentalis; nec intelligitur respectu compositionis, quæ fit ex significatione & materia (hæc enim potius est ex accidente & subjecto) sed intelligitur respectu compositionis ipsius materiæ, quæ antecedit & subjicienda est significationi sacramentali; & sub hac ratione; vt scilicet subjiciatur: Respectu enim huius significationis, verba ipsa materialiter se habent. Hæc ergo materia constat essentialiter ex rebus & verbis; sicut inter partes domus, vna inuenitur quasi perfectior, & formalior altera; omnes tamen simul sunt materia respectu figuræ domus.

Soluuntur Argumenta.

Objicitur primò, In Sacramento Pœnitentiæ non sunt res, sed sola verba sunt; in Sacramento Matrimonij, nec etiam verba requiruntur, sed sufficiunt scripturæ vel nutus; ergo non omnia Sacramenta constant rebus & verbis.

Confirmatur, Nam de ratione Sacramenti est vt habeat significationem occultam, ergo non debet solis verbis constare pro materia & forma; sic enim non habet occultam significationem, sed solùm distinctam.

A Respond. In Sacramento Pœnitentiæ etiam esse res & verba; Non quia sint res distinctæ entitatiuè & sensibiliter à verbis, sed quia in ipsis verbis Pœnitentis & Ministri, quædam induunt proprietates rei, & quædam retinent vim verborum, & determinationem. Induunt autem proprietatem rei in duobus; Primo quidem, Quia sunt quid indeterminatum, & determinabile vlterius in ratione significationis; verba autem Ministri sunt vltimò determinantia in ordine ad absolutionem peccatorum in ordine gratiæ. Secundo, Quia sumuntur verba Pœnitentis non tam vt ratio significatiua, quàm vt actio dolorosa, & exteriùs B dolorem exprimens peccatorum, cui superueniunt verba Sacerdotis vt significantia absolutionem, & significatione sua actionem illam dolorosam determinantia. Ac denique habent se hæc vt perficientia judicium; quorum illud quod se habet vt perficiens, est forma; quod vt perfectibile, materia.

Similiter in Matrimonio non requiruntur verba quantum ad materialitatem verborum, idest, vocem dearticulatam, sed quantum ad formale; scilicet perficientia significationem contractus, quæ sufficienter perficitur aut verbis aut nutibus, aut scripturis, dummodo id apponatur quod in re verum contractum perficit; quod quia ordinariè fit verbis vocalibus, dicitur constare verbis.

C Ad Confirmationem Resp. Debere Sacramenta constare rebus, etiam si materialiter illæ res verba sint, dummodo videlicet rerum proprietatem induant, non verborum; sic enim sufficienter occultatur significatio Sacramenti, esto materialiter sint verba quantum ad vocem, & sonum etiam exteriùs exprimentem.

Secundò objicies, Nam forma constituens Sacramentum non sunt verba, sed significatio; nec significatio verborum, cùm hæc sit ex placito hominum, significatio verò constituens Sacramentum sit ex placito Dei, ergo malè ponitur constare ex verbis vt forma; aliàs in Sacramento esset duplex forma, scilicet verba, & significatio, qua in D genere signi constituuntur Sacramenta.

Confirmatur, Nam si verba sunt forma, id habent ratione suæ significationis; aliàs enim non habent vnde sint forma. Similiter etiam res sunt materia ratione suæ significationis imperfectè significantis, ergo jam est duplex significatio in Sacramento, quod ex his duobus fit; præsertim, quia vna significatio ex his partialibus non tollit aliam. Significatio enim verborum non tollit significationem elementi, aut è contra; ergo vtraque manet, & sic sunt plures significationes, saltem partiales; Ac denique, Quia significatio vnius non communicatur aut commiscetur significationi alterius, ergo manent plures, & non vna. Anteced. constat, Nam vna est naturalis, scilicet signi-E ficatio elementi; alia ad placitum, scilicet verborum; ergo communicare & commisceri non possunt in ratione signi.

Respond. ad Argum. Formam in Sacramento dupliciter sumi; vno modo vt distinguitur contra subjectum, & sic dicit ipsam formam quasi artificialem, quæ est accidens superueniens subjecto: Alio modo sumitur forma non vt distinguitur contra subjectum, sed vt distinguitur contra partem subjecti magis materialem & imperfectam, licèt vtraque subjiciatur vni formæ artificiali, ex quibus totum resultet artefactum. Primo modo verba non se habent vt forma sacramentalis; hæc enim significatio est ex impositione Christi Domini

proueniens; secundo verò modo, forma sunt; Non repugnat tamen, quod id quod se habet vt forma respectu vnius, materialiter se habeat respectu alterius; sicut diaphaneitas est forma aëris, & materiale lucis. Ex hoc autem non sequitur Esse duplicem formam in Sacramento, quasi eiusdem actualitatis, & non subordinatas; sed duas, quarum vna respectu alterius forma non est, sed materialiter se habet.

Ad confirmationem Resp. Verba esse formam ratione suæ significationis, non quomodocumque, sed eleuatæ & acceptæ à Christo vt determinet significationem imperfectam materiæ, ad hoc vt vtraque simul recipiat significationem sacramentalem. Vel potiùs ratione modi significandi expressioris, qui est in verbis, vt adjunctus rebus per diuinam ordinationem, fiat vna materia expressius signatiua, & capax significationis sacramentalis expressioris & perfectioris.

In Verbis enim est considerare significationem ipsam ad placitum humanum, qua significant perfectiùs quàm res; & hæc significatio sic considerata non habet rationem formæ respectu alicuius materiæ, licèt habeat congruentiam vt assumi possit tanquam forma, aut id quod subjiciatur significationi sacramentali. Est deindè considerare quod verba sic significantia assumantur à Christo Domino vt conjuncta cum materia tali, imperfectiùs significatiua; tunc habet esse forma illius materiæ in ordine ad sacramentalem significationem, non quomodocumque, sed vt à Deo assumpta & eleuata ad hoc ministerium. Deinde verò his duobus sic conjunctis & se determinantibus; non secundum se, sed in ordine ad sacramentalem significationem, superuenit significatio huiusmodi tanquam forma vltima.

Quod in aliis artefactis videre est, Nam parietes verbi gratia sunt forma fundamenti, non absolutè, sed vt assumpti & collocati per artificem in ordine ad domum; postea verò superuenit eis forma integra domus. Quare ibi manet significatio verborum & elementi, non significatio sacramentalis, sed veluti antecedens & præsupposita ad significationem sacramentalem. Hæc autem inconueniens non est quod multiplicetur, sed sacramentalis significatio vna est, superueniens his duobus aliàs significantibus, sed non sacramentaliter. Et ita materia non tollit significationem verborum, aut è contra, sed ex illis duobus sic conjunctis, efficitur vna sacramentalis indiuisibilis in vtroque recepta; in vno vt in determinante, in alio vt in determinabili. Nec oportet ad hoc, quod significatio vocis communicetur significationi elementi, sed quòd ordinatione diuina conjungatur ei, & determinet illam in ordine ad sacramentalem significationem suscipiendam, quæ vna est.

Nec tamen composita est significatio resultans, quia significatio non resultat vt compositum, sed vt forma artificialis ex conjunctione artificiali resultans; & ideò simplex esse potest: Sicut in lapide aut equo, esse existentiæ resultat ex compositione formæ cum materia, nec tamen existentia est composita, cùm sit forma vltima: Et figura domus resultat ex compositione partium, nec tamen est cōposita qualitas. Resultant enim hæc vt forma vltima, non vt res composita, seu compositū ipsum. Nec ideo tolluntur significationes, quas verba ex placito humano, aut elemētum naturaliter habent; sed conjunguntur hæc in ordine ad aliam significationem sacramentalem; Et quod hæc determinet illam, est ex ordinatione diuina coniungente illam, quæ ex natura rei expressior est, vt sit forma & determinatio eius, quæ minus expressa, non absolutè, sed in ordine ad hunc effectum; scilicet vt eis tribuatur, & resultet significatio sacramentalis, & hæc vna relatio est in vtroque. Sic in pluribus trahentibus nauim, vna relatio est trahentium; sed plures supponuntur, non in ratione trahentis, sed in ratione applicantis se vnius ad alterum, quibus superuenit relatio trahentis.

Tertiò objicitur, Nam in Matrimonio verba ab vtroque coniuge prolata sunt paris formalitatis & determinationis; nec est maior ratio cur consensus viri verbi gratia, habeat rationem formæ, quàm consensus fœminæ, ergo ibi verba non se habent per modum formæ. Ad huius enim contractus essentiam, fœminæ & viri consensus æquales sunt, licèt quoad regimen vir caput sit.

Nec potest dici, Illum consensum esse materiam, qui prius exprimitur, Tum quia potest vterque simul exprimi, & erit verum Matrimonium; Tum quia non assignatur tunc forma certa & determinata, sed quicumque consensus fuerit vltimus, quod est per accidens.

Nec etiam potest dici, Quod illi consensus ad inuicem sunt determinabiles & determinantes; & quatenùs determinabiles, habent rationem materiæ; quatenùs determinantes, formæ. Contra enim est, Nam sicut implicat eandem rem secundum eandem rationem formalem esse simul in actu & in potentia; sic implicat eundem consensum secundum rationem consensus conjugalis esse simul formam & materiam, determinabile & determinatum; præsertim quia id quod est materia in his signis, debet esse indifferens & indeterminatum ad plura significanda, & determinari per formam; quod in his contractibus non est inuenire.

Respondetur, Verba coniugum consentientium paris formalitatis esse, non secundum omnem modum considerata, sed quantum adhoc quod est se inuicem determinare; & ita si adæquatè considerentur, pares sunt; non verò si inadæquatè; idest, quatenùs considerantur vt determinans, aut vt determinabile adinuicem. Nec requiritur adhoc quod consensus vnius prius proferatur, quàm consensus alterius, cùm materia non debeat tempore præcedere formam, sed potentialitate & indeterminatione. Sic autem est, quod consensus illius contractus vt procedit ab vno, est complebilis per alterius consensum in constitutione contractus; secundum verò quod terminat consensum procedentem ab alio, est completiuus & forma; quod est dicere, secundum rationem traditionis esse materiam, secundum acceptationem esse formam; quia vt traditio, procedit à tradente; vt acceptatio, terminat illum, qui ab alio procedit; Sicut in relatiuis mutuis, vnum adinuicem specificat aliud; quia secundum quod procedit relatio ad terminum, est specificabilis ab illo; secundum verò quod terminat aliam relationem, est specificatiua illius. In Matrimonio vt verba & res.

Vnde patet solutio ad Replicam, Quia id non fit secundum eandem rationem, sed secundum diuersas; scilicet quatenus traditio, aut quatenus acceptatio, quod in omni contractu interuenit; & sic non sunt in actu & potentia secundum eandem rationem. In consensu enim coniugali vtraque ratio includitur & formalitas, sicut in quolibet contractu. Nec oportet quod materia sit indif-

ferens ad plura significanda, indifferentia quasi contrarietatis, quia videlicet multas & diuersas in se significationes includat, sed indifferentia contradictionis, quia scilicet hanc determinatam, & completam non includat. Hinc est quod in Trident. & Florent. Conciliis, non declaratur materia & forma Matrimonij, sicut in aliis Conciliis; Quia cùm contractus esset materia & forma, quæ variari potest in literis scriptis aut nutibus, non fuit necesse verba & res declarare specialiter, sed id relinquere Doctorum opinionibus, quas in hac parte Concilia non voluerunt destruere.

De Sacramentis Veteribus non oportet disputare; Licèt enim verbis non constiterint, saltem omnia, tamen vnumquodque conueniebant in ratione signi cum nostris Sacramentis, sicut conueniunt in ratione signi nutus, verba & scripturæ, & alia signa apud nos.

DVBIVM SECVNDVM.

An ista materia & forma sacramentalis adinuicem vniantur physicè & realiter, vt partes componentes Sacramentum?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Materiæ & formæ in Sacramentis, vera vnio & realis.

PRo cuius intelligentia est notandum, duplicem hîc considerari compositionem in quolibet Sacramento. Altera est ex significatione & subjecto significationem recipiente; Altera est ex verbis & rebus, ex quibus fit integrum subjectum recipiens significationem. Sicut in domo, & est compositio ex pariete, & tecto & fundamento, & est deinde compositio ex omnibus istis entibus conjunctis, & figura domus. Et de ista quidem secunda compositione non loquimur in præsenti; cùm enim significatio hæc sit aliquid rationis, vtpote significatio ad placitum, & ad compositionem realem requirantur extrema realia, non est dubium quod ex illis non fiat realis compositio. Præterquam quod in compositione ex subjecto & accidente, subiectum non se habet propriè vt pars, cùm non habeat esse a toto resultante, quod est quid per accidens, sed potiùs ad suum esse trahat alterum extremum, scilicet accidens, & sic in vno esse communicant. Sed de hac compositione nihil ad præsens.

De compositione autem illa, scilicet ex rebus & verbis, quia ibi sunt extrema realia, dubium est, An realiter etiam vniantur, & tanquam partes? Et dicimus quod sic. Etenim vnitas signi sacramentalis, non solùm attendenda est penes vnitatem significationis, sed etiam (& maximè) penes vnitatem subjecti significationis. Terminus enim licèt plures habeat significationes, est tamen vnum signum, si sit vna vox numero, & vnum subjectum vestitum pluribus significationibus. Quare vt signum dicatur vnum simpliciter & absolutè, oportet ex parte subiecti vnitatem esse, & non solùm ex parte significationis.

Cùm autem Sacramentum sit signum, vt sit aliquid reale absolutè & simpliciter ratione subjecti, oportet quod habeat vnitatem non solùm quantum ad id formale quod rationis est, sed quantum ad id quod reale est; aliàs simpliciter non diceretur Sacramentum ens reale, si non esset vnum ens reale. Est enim eadem ratio entis, & vnius entis. Oportet ergo ex parte entitatis realis assignare vnitatem aliquam; & ita ille qui fecit quod hæc conuenirent in vnum subiectum reale, & in vnum instrumentum reale, effecit etiam quod ad inuicem se determinarent, non solùm in ratione signandi expressiùs, sed etiam in ratione subiecti realis, & vnius realis Sacramenti, pro ea etiam parte qua reale quid est.

Quod autem se habeant vt partes componentes verba & res, patet; Quia Sacramentum non est ens reale simplex, sed compositum, compositione aliqua saltem imperfecta; essentialiter autem ad hanc compositionem requirit verba & res, cùm essentialiter constet ex materia & forma; ergo oportet materiam & formam concurrere tanquam extrema componentia, & consequenter tanquam partes compositi.

Sed quia ad rationem compositionis realis non sufficit extrema esse realia, sed oportet quod conjunctio realis sit, videndum est quomodo in Sacramentis res & verba reali modo coniungantur? præsertim cùm non coniungantur res & verba ratione suæ realis & physicæ entitatis, sed ratione suæ significationis, quæ coniunctionem realem & physicam præbere non potest.

Sacramentum, vnum realiter.

Respond. Ita coniungi res & verba in significatione, quod etiam coniunguntur in subiecto significationis; ita quod significationi sacramentali vnum præbent subiectum, quod sit vnum realiter Sacramentum. Et ideo coniunctio illa realis est, in quantum ad vnam significationem sacramentalem accipiendam à Christo Domino assumpta sunt, vt essent eius subiectum. Et sicut assumuntur tam verba quam res à Deo vt instrumentum gratiæ, sic non mirum quod realiter vniantur vt sint vnum signum, sicut vniuntur vt sint vnum instrumētum. Coniunctio autem qua realiter vniuntur, non est sola indistantia loci, aut temporis inter verba & res, licèt hæc requiratur vt conditio, non tamen physica, sed moralis; sed etiam determinatio vnius ad alterum ex ordinatione diuina, vt faciant vnum signum & vnum subiectum reale sacramentalis significationis, & assumantur vt vnum instrumentum ad producendam gratiam.

Etsi fortè quando adhibetur forma non existat actu materia, seu actio ipsa, quæ pro forma ponitur; ipsa tamen forma sola non induit significationem sacramentalem, aut assumitur vt instrumentum, sed vt coniuncta cum determinatione relicta ex illa ratione. Itaque ista vnitas realis, & vnio seu coniunctio realis Sacramentorum, non est tanta sicut in rebus permanentibus inuenitur; sed illa quæ sufficit vt absolutè dicatur Sacramentum vnum realiter, supposita ordinatione diuina, quæ tales res in illam sacramentalem significationem ordinauit. Vt autem aliquid sit vnum, sufficit quod ordine sit vnum; vt constat ex his quæ docet S. Thom. 7. Metaphy. lect. 17. Quod si ordo ille realis non sit, sufficit quod fundamentaliter sit quid reale, vt in eo vniantur verba & res tanquam in reali vniente.

Et hoc fundamentum talis ordinis manet, etiam si actu nón maneat materia; Manet enim habitudo & determinatio eius ad formam, seu id quod cum forma sufficiens est fundare relationem illam rationis, in qua vniuntur. Cùm enim sit relatio rationis ratiocinatæ, fundamentum reale supponit; & in hoc vniuntur res & verba vnitate reali; & sicut vnitates numeri, & clausulæ orationis, quæ faciunt vnitatem realem, (saltem illam quæ non sit vnitas per accidens & solùm moraliter, sed etiam physicè) vnum quid sunt in ratione subiecti, seu fundantium vnam perfectam rationem,

tionem significationem sacramentalem.

Igitur coniunctio realis materiæ & formæ in Sacramentis, est ordo fundamentalis quo ista duo ordinantur, vt sint vnum subiectum reale significationis sacramentalis; & sicut plures trahentes nauim sunt vnum in ordine trahendi, ita res & verba sunt vnum in ordine fundamentali, quo vniuntur, vt sint subiectum reale significationis sacramentalis. Et quia in ista coniunctione resultat vnum subiectum reale significationis sacramentalis, in quo subiecto vna pars determinat aliam, id etiam est compositio realis & physica; in quo amplius habet, quàm trahentes nauim, in quo vnus non determinat alium.

Forma in Sacramentis, nō quid extrinsecū.

Ex quibus patet, Non rectè comparari formam Sacramenti verbalem, seu verba ipsa, formæ extrinsecæ specificanti, sicut obiectum respectu potentiæ aut habitus, ex qua desumatur forma intrinseca Sacramenti, idest, significatio; Non enim hoc modo se habent verba; sed vt forma determinans materiam, quæ est res; & vtraque suscipit significationem sacramentalem, ad modum quo in rebus artificiosis vna pars respectu alterius se habet vt formalior, & vtraque recipit formam artificialem totius, vt patet in domo. Et ratio est, Quia forma extrinseca signi, solùm est signatum; nec est inuenire aliud formale extrinsecum, à quo specificetur. Sacramentum autem signum est, respectu cuius forma, idest, verba, non se habent vt signatum, nec respectu totius Sacramenti, vt patet, cùm significatum eius sit gratia; nec respectu materiæ, cùm huius significatum non sint verba; sed respectu eiusdem significati verba se habeant expressiùs quam res; & ideo ab eius significatione perficiuntur. Igitur verba non se habent vt forma extrinseca, sed vt signa expressiùs significantia, & determinantia minus perfecta, vt ex vtrisque consurgat vna sacramentalis significatio, vtrique tanquam vni subiecto conueniens.

Cabrera notatus, nō distinguens formā partis, & totius.

Vlteriùs verò ex hoc colligitur æquiuocè processisse Cabrera disp. 2. super hunc art. non distinguendo inter compositionē ex materia & forma in Sacramentis, & compositionem ex re & significatione. Etenim prima compositio, solum est compositio *ex quibus*; quia scilicet ex materia & forma fit vnum compositum, cui conuenit sacramentalis significatio. Nec ista forma (videlicet verba) comparatur ad materiam, (scilicet ad elementum) vt accidens ad subiectum, seu vt forma accidentalis; sed habet se respectu illius vt pars expressiùs & formaliùs significans, cui postea simul cum altera compositione aduenit significatio sacramentalis. In secunda compositione, verum quidem est quod altera pars est accidens; cæterùm in compositione accidentis, & consideratur compositio *ex his* (scilicet respectu huius aggregati ex subiecto & accidente) & respectu huius forma se habet vt pars, cùm ex illa fiat tale aggregatum; & consideratur compositio *huic*, scilicet in quantùm accidens coniungitur subiecto, & sic non est pars subiecti, cui vnitur illa forma; est tamen essentialis ipsi artefacto, vt jam supra dictum est art. 1.

Nos autem hîc non loquimur de ista cōpositione ex significatione & subiecto, sed de compositione quam facit materia & forma, vt resultet significatio sacramentalis, illis vt subiecto conueniens. Et quia Sacramentum essentialiter petit pro subiecto habere hoc, quod constat ex tali materia & forma; ideò dicuntur illæ partes essentiales Sacramēto, seu constitutioni eius. Et miror citari ab isto Authore

A Caiet. quod neget formam non facere essentialem compositionē cum rebus sensibilibus; cùm expressè hoc artic. Caiet. in fine commenti dicat, Non dici relationem signi compositam ex materia & forma, sed quod relatio talis signi non adest nisi composito ex talibus, determinabili & determinante, &c. Quare verba & res compositum faciunt, cui superuenit significatio sacramentalis, & in quantum tale compositum, quod sit subiectum, efficiunt, realiter componunt; quia subiectum illud reale est, & vnum etiam est, sicut Sacramentum ens reale est.

Soluuntur Argumenta.

B Obijcitur primò, Nam in compositione physica materiæ & formæ, oportet formam inesse materiæ & eam attingere, & realiter afficere; verba autem non tangunt res, neque realiter afficiunt, cùm maneant in aëre, ergo non physicè cōponunt cum illis.

Confirm. Nam multoties quādo forma profertur, jam materia non est actu præsens, vt in Sacramento Pœnitentiæ, quando post confessionē factam absolutio datur aliquo tēpore interposito; Similiter materia manet forma trāsacta, vt in Eucharistia manet ratio Sacramenti, etiam postquam forma non est; & in Sacramento Matrimonij, quod inter absentes fit, consensus vnius non est actu quando alter consentit de præsenti, ergo in his non potest fieri cōpositio realis & physica; siquidem hæc requirit præ-C sentiam, & actualem existentiam extremorum.

Nuñi opinio, ipsa improbata.

Respond. Mag. Nuño putare, quod quando materia & forma simul adsunt, Deus efficit vt verba perducantur vsque ad materiam, & tangant illam, & realem aliquam determinationem, seu modum in illa ponant, ratione cuius compositio realis fiat; & sic fieri hoc compositum artificiosum multò melius, quando res & verba sunt simul.

Præsentia moralis materiæ & formæ.

Cæterùm neque ista necessaria sunt, cùm sufficiat moralis præsentia materiæ & formæ, neque in illis consistit formaliter conjunctio realis, quam in ratione subiecti habent materia & forma; Alia enim coniunctio est per modum materiæ & formæ, alia D per modū indistantiæ. Præterquam quod ille modus coniunctionis, non habet solidum fundamentum. Vnde enim constat quod diuina virtute deferuntur verba, vt percutiant & tangant ablutionem aut vnctionē, &c. Ac deniq; neque id generale est in omnibus Sacramentis; In Pœnitentia enim, post absolutā actionem pœnitētis datur forma, quæ non potest percutere & tangere materiā, quæ præcessit; & simile est in prolatione cōsensuum in Matrimonio.

Quare dicendum videtur, Quod licèt verum sit quod requiratur præsentia aut indistantia moralis materiæ & formæ, siue in tempore siue in loco, vt materia & forma Sacramentorum vniantur & coniungātur tamen id in quo formaliter consistit vnio realis est, in quantum fiunt vnum subiectum reale E significationis sacramentalis, & fiunt vnum in ordine sacramētali, non formali (hæc enim realis non est) sed in fundamentali. Nec enim illa relatio rationis est rationis ratiocinantis, sed ratiocinatæ; & sic fundamentum reale supponit, siue mediatè siue immediatè; idest, siue proximum siue remotum, ratione cuius vnum dicitur realiter subiectum sacramentalis significationis, constans ex materia & forma. Vtraque enim vnum subiectum facit, & vnum Sacramentum realiter, & quod sit ens reale.

Vt autē in artefactis (vt in domo v.g.) partes eius fiant subiectū formæ artificialis, idest, figuræ, debēt vniri inter se, non solū ratione indistantiæ physicæ, sed etiā ratione modi artificialis, quo coniunguntur

in ordine ad suscipiendā formam artificialem; licèt requiratur ad hoc indistātia realis; sic requiritur indistantia moralis in Sacramentis, modo tamen reali artificiali in vnum subiectum reale conueniunt. Et hoc quidē ita fit, quando formaliter, & ratione propriæ entitatis concurrunt materia & forma; Quando enim jam aliqua illarum præsens non est, dicetur solutione ad confirmationem.

Ad quam confirmat. Mag. Nuño cit. Resp. quod transeunte materia (v.g. confessione pœnitentis) manet ipse pœnitens determinatus & modificatus per modum realē, quem antea non habebat, cui per formam cōiungitur; & aduenit nouus modus realis productus à verbis sacramētalibus, & ex vtroq; fit vnum cōpositum, & vna physica & realis cōpositio.

Quod si quis instat, Quia ista compositio est ex modis, & nō ex rebus & verbis. Resp. fieri ex modis, in quantum sunt virtutes rerum; & ita dicitur cum proprietate fieri cōpositio ex rebus, sicut cōpositio ex elemētis reperitur in mixtò, cùm tamen elementa non sint nisi virtualiter in illo. Sed sanè tunc videtur incidere in opinionē Cabr. Quia mixtum non componitur ex elementis, vt ex partibus, sed componitur ex illis partibus, quibus virtute insunt elementa; ergo similiter Sacramentū non componetur ex materia & forma, vt ex partib. sed cōponetur ex partib. quibus virtute inest hæc materia & forma.

Resp. ergo, Subiectum reale susceptiuum significationis sacramentalis, non esse solam formam, sed actus pœnitentis; non quidem in se existentes, sed virtualiter adhuc permanētes. Sicut enim virtualiter dicitur manere amor finis, & non solùm moraliter, sed virtualiter realiter; licèt vt realiter maneat, requiratur etiam quod non tanto tēpore antè facta fuerit, vt non censeatur moraliter manere intentio finis; ita dolorosa confessio manet virtualiter in homine in ordine ad effectum sacramentalē, ratione cuius potest illa materia realiter vniri cum forma, media sua virtute, sicut vniuntur elemēta in mixto. Sed addendum insuper est, in hoc differre à compositione elementorū, quod in mixto elementa non se habent sic, quod vnum determinet aliud, tanquàm materia & forma; in Sacramento verò sic. Et ideo habent se vt partes componentes; elementa verò, non. Id enim quod in virtute manet in Sacramento, non manet tanquam materia de se antecedens, & quod solùm virtute postulet intrare cōpositionem, sicut elementa, quæ ex ratione sua essentiali solùm virtute habent intrare mixtum; at verò materia sacramentalis, non competit mediante virtute sua, quia solùm virtualiter postulet intrare compositionem Sacramenti; sed quia de se postulat quidem formaliter componere, defectu tamen præsentiæ mediante sua virtute id facit; quia hoc artefactum non solùm reale, sed etiam morale est. Et ita habent se sicut mouens & mobile, quæ debent esse simul per realem indistantiam, sed possunt etiam virtualiter iungi.

Quod si instes, Nam non manet virtute confessio dolorosa exterior, sed solùm in virtute interiori; siquidem virtus illa, ratione cuius virtualiter manet, non est quid corporale & externum; Quomodo enim, aut in qua parte corporis manet? ergo non potest componere Sacramentum; siquidem illud ex sensibilibus solùm componitur.

Resp. Sacramentum non componi in illa virtute secundum entitatē suam, sed ratione eius quod repræsentat ac refert; & cùm referat confessionem dolorosam expressam ac significatam jam exteriùs, ratione eius componit, non tam ipsa virtus, quàm

A significata confessio; & ideo nihil interest cuius entitatis virtus illa sit, cùm non ratione entitatis componat. Neque enim ipsa pars Sacramenti est, sed id, quod in ea continetur; sicut etiam in mixtis, elementa continentur virtute qualitatum, quæ sunt accidentia quædam, compositio tamen mixti ex elementis non est compositio accidentalis, sed substantialis; nec enim ex accidentibus mixtum componi dicitur, quando ex elementis componitur, licèt virtute qualitatum componatur.

Secundò objicies, Nam quando Petrus & Paulus portant lapidem, aut homo & calamus scribit, non fit ex illis aliqua physica & realis compositio; similiter quando fit contractus aliquis emptionis aut B venditionis, non fit ex illis verbis significatiuis aliquid reale, licèt inde resultet contractus quidam; sed omnia ista moralem solùm coniunctionem & vnionem habent, ergo similiter Sacramenta

Confirm. Quia solùm vniuntur materia & formà in Sacramentis in ratione vnius signi; signum autē est ens rationis, ergo non requiritur quod physicè & realiter vniātur, sed morali quadam vnione, quæ sit quid rationis. Deniq; Conc. Flor. tria numerat, ex quibus Sacramentum componitur; scilicet Materia & Forma, & Minister; sed ex ministro non cōponuntur realiter, ergo neq; ex materia & forma.

Resp. In illis exemplis disparitatem esse, quia illa C omnia non se habēt ad inuicem vt materia & forma in ordine ad componendum vnum signum, & vnum subiectū reale significationis sacramentalis & ideo non facere compositionem physicam & realem. In contractibus enim per verba illa perficitur obligatio & virtus contractus, non tamē constituitur subjectum reale alicuius alterius significationis, sicut fit in Sacramentis. Similiter Petrus & Paulus solùm vniuntur in ratione trahentis, & ordine quodam sunt vnū; non tamen in ratione vnius subiecti realis vniuntur, sicut Sacramentorum forma & materia.

Ad confirm. Resp. Quod materia & forma non vniuntur solùm in ratione illa formali signi, quæ est ens rationis, sed etiam in ratione subiecti; quia D ex vtroq. fit vnum subiectum sacramentale, sicut & vnū signum; & cùm hoc debeat esse reale, aliàs Sacramentum ens reale non diceretur absolutè & simpliciter, oportet quod reali aliqua vnione conjungantur. Ad dictum Concilij clarè patet, quod Minister componit vt conficiens; materia autem & forma, vt partes, & vt subiectum significationis sacramentalis; ideoque realiter debent vniri, non sicut Minister.

Ex quibus etiam patet, quomodo non vniantur realiter voces significatiuæ ad constituendam propositionem, etiam si in ratione prædicati & subiecti vniantur; Non enim vniuntur in ratione vnius subjecti realis, sicut in sacramento; Nam significatio propositionis in vocibus vna non est, sed ex multis E constans. Intentio verò secunda in primis non immediatè conuenit subiecto reali, sed vt cognito: Deinde verò non inuenitur in voce significatiua, vt in subiecto, sed vt in instrumento intellectus, vt tradit Soto in Antepræedicam.

Tertiò objicies, Nam conjunctio ista & cōpositio realis, non fit per informationē realem, sicut se res habet in materia & forma substantiali aut accidentali; neque per indistantiam loci aut temporis, vt dictum est; neq; per compositionem aut ordinem, cùm non componantur partes illæ inter se modo corporali externo physico, sicut partes domus, & sicut oportet componi Sacramenta quæ sensibilia sunt; ordo autē seu relatio quam acquirere possunt,

non est realis, sed veluti moralis aut rationis, ergo non apparet quomodo compositio ista sit physica.

Compositio in Sacramentis vt physica.

Respondetur, Compositionem hanc fieri secundum ordinem quendam, quo determinant se adinuicem verba & res, vt sint vnum subiectum sacramentale; qui ordo fundamentaliter est quid reale, & formaliter quid rationis. Reducitur autem ista compositio ad illam, quæ per informationem fit; siquidem est ex materia & forma, determinabili & determinante; & ad illam quæ fit virtualiter, sicut mixtum ex elementis, quando actu ipsa materia & forma non concurrunt.

Et præterea est alia compositio ex materia & significatione, tanquam ex subiecto & accidente, ad quam prima ordinatur, quæ est ex materia & forma; sed de hac in præsenti non loquimur. Et ideo compositio hæc ex materia & forma maximè assimilatur illi, quæ est ex numeris ad suscipiendam vltimam vnitatem; quæ vniuntur realiter, quatenus fundamentalem ordinem habent vt numerentur ab intellectu, sub vna forma ternarij aut quaternarij, &c. Nihilominus de aliis etiam participat compositionibus, vt vidimus. Habet enim similitudinem materiæ & formæ; ordinatur ad compositionem ex accidente & subiecto, habet de virtuali compositione sicut elementa; item de compositione & indistantia, secundum quod se sæpe tangunt realiter, & saltem indistantiam exigunt moralem: habent etiam de ordine, in quo vniuntur secundùm fundamentum illius, & vt sunt subiectum eius.

Quartò obiicies ex Cabrer. Nã in artificiosis tota essentia est materia, vt dicit S.Th. ergo cùm Sacramenta sint artefacta, non potest forma sacramentorum esse de essentia, sed de perfectione eorum; & sic neq; pars essentialis & intrinseca sacramẽti est.

Confirmatur, Quia nulla res artificialis componitur ex materia & forma tanquam ex partibus essentialibus; Sacramentum autem quoddam artefactum est, ergo. Major probat. Nam *Album*, verbi gratia, non componitur ex corpore & albedine, vt ex partibus; cùm enim album supponat pro substantia seu corpore, & albedo sit accidens, non potest esse pars corporis, seu albi supponentis pro corpore; aliàs etiam figura in artefactis diceretur pars componens istius domus, & præsertim quia Aristoteles in Antepræd icamentis dicit, Accidens non inesse subiecto tanquam partem.

Confirmatur secundò, Nam verba in Eucharistia verbi gratia non possunt esse forma intrinseca Eucharistiæ, ergo neque pars intrinseca & essentialis. Anteced. patet, Nam forma Eucharistiæ est simul efficiens ipsius Eucharistiæ, ergo non potest esse forma intrinseca; nunquam enim forma intrinseca, efficiens esse potest eius, cuius est forma.

Confirmatur tertiò, Illud est Sacramentum, cui inest significatio sacramentalis; sed hæc non semper inest compositio ex materia & forma, sed aliquando soli formæ, aliquando soli materiæ; ergo non semper forma & materia sunt partes componentes sacramentum. Minor prob. Nam non semper totum compositum est impositum ad significandum sacramentaliter, sed altera pars; vt in Sacramento Pœnitentiæ sola absolutio sacerdotalis significat totum effectum sacramentalem; è contra verò in Eucharistia, sola materia significat, & est totum sacramentum; forma autem non significat sicut Eucharistiæ sacramentum requirit, permanenter, sed solùm efficit ipsam Eucharistiam, & significationem habet in fieri, non in facto esse; & sic sola materia significat in facto esse.

Respondetur, ad Argumentum dupliciter, Primò falsum esse quod in artefactis tota essentia sit materia. Aliud enim est quod tota substantia sit materia, quia solùm ratione materiæ pertinent ad Prædicamentum Substantiæ, & solùm supponunt pro materia; aliud est quod tota ratio essentialis artefacti, in quantum artefactum, sit materia; cùm constet speciem & essentialem rationem artefacti pendere à forma artificiali. Et quando dicitur, Quod artefacta perficiuntur per formam, ly *perficiuntur*, non dicit accidentalem, sed essentialem perfectionem; sicut homo perficitur per rationale, quia ibi terminatur eius essentialis compositio.

Substantiã artefacti, sola materia; non essentia.

Secundò Resp. Quod hîc non loquimur de compositione sacramenti ex subiecto & significatione, quæ est forma artificialis, sed ex verbis & rebus, quæ sunt materia & forma, in quantum ex illis fit vnum subiectum reale sacramentalis significationis. Ex institutione enim diuina assumptum fuit pro subiecto compositum hoc; & ideo supposita tali institutione, essentialiter & intrinsecè illud subiectum petit talia extrema & partes componentes. Vnde non est ad propositum compositio ex forma & subiecto, ex forma artificiali & materia.

Ad primam Confirmat. eodem modo Resp. Primò quidem falsam maiorem. Ad cuius probationem dicitur, Quod in albo & inuenitur compositio *ex his*, respectu aggregati ex corpore & albedine; & in hac compositione albedo est pars; & reperitur compositio *huic*, secundum quod albedo trahitur ad esse corporis, & illi inhæret; & sic non est pars. Et sic etiã figura non est pars; & sic Aristoteles dicit Accidens non inesse vt partem; quia considerat cõpositionem, seu coniunctionẽ eius vt huic.

Secundò dicitur, Quòd in artefactis, verbi gratia in domo, & est compositio partium adinuicem, vt parietis cum tecto & fundamento, &c. & hæc ex partibus est; & est compositio ex figura & materialibus, & hæc partes non dicit; quia accidens non est pars simul cum substantia. Compositio Sacramenti ex materia & forma verbali, assimilatur primæ cõpositioni artefacti; & de hac loquimur in præsenti: Compositio verò ex significatione & materia, assimilatur secũdæ; & de hac non loquimur in pręsenti.

Ad secundam Confirm. dicitur, Formam verbalem Eucharistiæ vtramq; rationem habere, & esse perfectiuam significationis specierum panis, sicut verba expressius significant quàm res; & secundum hanc considerationem componit cum speciebus ad modum formæ intrinsecæ, vnum subiectũ significationis sacramentalis; non quia informando id faciat, sed secundum ordinem quemdam & coniunctionem, vt explicatum est. Habet etiam esse instrumentum diuinæ virtutis ad efficiendum ipsum Sacramentum Eucharistiæ, & ponendum Corpus Christi sub speciebus; nec est inconueniens, quod id quod ex institutione diuina est forma componens, sit etiam instrumentum compositionis; sicut potest Deus mediante anima vt instrumento, resuscitare & vnire illam corpori, & efficere ipsum corpus; & tunc esset forma intrinseca corporis & efficiens, sed non efficiens principale, sed vt instrumentum Dei; sic & in præsenti.

Forma verborum vt pars, & manens in Eucharistia.

Potest etiam dici, Quod verba non componunt Sacramentum Eucharistiæ secundum se & entitatem suam, sed virtute qua manent in speciebus, vt supra dictum est: & ideo aliud est quo componunt intrinsecè, aliud quo sunt efficientia, scilicet secundum entitatem suam.

Ad tertiam confirmationem Resp. negando minorem. Et ad probat. dicitur, Quod in Sacramento Pœnitentiæ, confessio dolorosa exterius expressa, significat sacramentaliter gratiam dandam virtute clauium; quia subjicit se illis, & ita significat ipsam contritionem vt formatur charitate, & passionem Christi dolorosam vt dantem gratiam virtute clauium; nec id sola forma significat sacramentali modo. Eucharistia etiam significat ratione verborum, cùm species ipsæ non significent Christum nisi vt determinatæ à verbis. De se enim indifferentiam & indeterminationem ad id habebant; & ideo verba etiam significant sacramentaliter; non permanenter ratione suæ entitatis, quæ B transit; sed permanenter ratione determinationis, quam in speciebus relinquunt; & in fieri ratione suæ entitatis, quæ quia postea virtualiter manet in speciebus, ipsa verba dicuntur significare, & componere ratione virtutis suæ realis & determinationis, sicut elementa componunt mixtum.

Articvlvs Septimvs.

Vtrum in Sacramentis requirantur determinata verba?

Prima conclusio in corp. Determinata verba requiruntur ad conficiendum Sacramentum, multò magis quàm determinatæ res seu materia, C cùm forma sit principium magis determinatum quàm materia.

Secunda conclusio solut. ad 1. & 2. In quacumq; lingua proferantur verba, dummodo eundem sensum reddant, conficitur Sacramentum; illa tamen verba seu voces assumendæ sunt, quibus principalius & communius homines vtuntur in illa lingua.

Tertia conclusio, Qui ex industria profert verba corruptè, non videtur perficere Sacramentum, cùm non videatur intendere quod facit Ecclesia.

Quarta conclusio, Si ex errore, vel lapsu linguæ varientur verba, attendendum est ad sensum quem reddunt, sic corrupta; si enim totaliter auferăt sensum locutionis, non conficitur sacramentum; si verò non totaliter auferatur sensus, sed saltem per D accommodationem significent, adhuc conficitur.

Quinta conclusio, Quando corruptio verborum fit in principio dictionis, regulariter loquendo aufert sensum, magis quàm si ex parte finis contingat; magis tamen attendenda est quantitas corruptionis, quàm ista regula.

Verba Sacramentorum determinata. Principalis conclusio S.Thom. optimè probatur ab ipso in corpore articuli; Quia verba se habent per modum formæ, respectu rerum, quæ se habent vt materia in Sacramentis; in his autem quæ componuntur ex materia & forma, forma est principium determinationis materiæ; cùm sit finis ac terminus eius, determinatam ei præbens actualitatem, & esse in eo in quo est forma; igitur magis requiritur determinata forma quàm determinata E materia; & ita si res sensibiles debent esse determinatæ ex institutione diuina, quia materiæ sunt ad sanctificationem nostram sacramentaliter ordinatæ, multò magis id quod est forma talis materiæ, determinata esse debet vt expressiorem & determinatiorem significationem tribuat.

Mutatio materialis non officit. Secunda conclusio explicatur, supponendo quod variatio verborum potest esse vel in materiali vocis, vel in formali sensus. Et rursus formalis sensus sumi potest, vel secundum formalitatem significationis & impositionis vocis, vel secundum formalitatem sensus intenti, qui idem reddi potest, siue A secundum hanc significationem, siue secundum illam. Et quidem variatio verborum in materiali sono vocis, non refert, dummodò idem sensus reddatur. Sic enim dicit August. *Quod verbum operatur in Sacramento, non quia dicitur, sed quia creditur:* hoc est, non secundum exteriorem sonum, sed secundum sensum, in quo creditur. Ergo manente sensu & significatione, quantumcumque mutetur materialis sonus verborum, nihil de forma verborum determinata minuitur.

Rursus in aliquibus Sacramentis instituta est forma verborum à Christo Domino, ita vt significatio illorum verborum si varietur, confici non possint; vt patet in Sacramento Baptismi, Eucharistiæ, & in aliis sacramentis; in quibus determinata significatio verborum esse debet, secundum vsum & veritatem sacramenti requisita. In Matrimonio autem requiritur determinata significatio verborum, solùm quantum est necessaria ad perficiendum contractum naturalem inter legitimas personas, quibuscumque verbis aut significationibus id fiat, dummodo contractus sufficienter celebretur; & ita determinatio formæ, non ex significationibus vtcumque, sed vt perfectiuis contractus sumenda est; in aliis autem vt significant veritatem & vsum sacramenti.

Tertia conclusio S.Th. videtur sic intelligenda, Quod qui profert de industria verba corruptè, hoc est, intendendo ipsum sensum corruptum, & sciendo esse corruptum; tunc enim directè est contra intentionem Ecclesiæ, nec potest per accommodationem saltem reduci ad bonum sensum. Industria enim duo dicit, & scientiam, & intentionem; & non solum quia scienter corrumpit, sed quia intendit corruptum sensum, non conficit.

Quarta conclusio intelligenda est, Quod ille tollit totaliter sensum locutionis, qui nec ex proprietate sermonis, nec ex accommodatione vsus potest debitum sensum & veritatem reddere ad sacramentum requisitam; aliàs verò conficitur; & ideò contingere potest, quod vox quæ seorsum alium sensum reddit, vt tamen pars corruptæ prolationis, non propriam sequatur significationem, sed accommodationem eius, qui licet corruptè proferat, intendit tamen verum sensum. Et quidem ordinariè magis iudicatur corrupta prolatio, quando ex parte principij dictionis fit mutatio, quàm quando ex parte finis; licèt quantitas potius corruptionis attendenda sit. Aliqua enim corruptio est totaliter sensum destruens, ita quod nec corruptè & barbarè saltem potest reddere sensum requisitum; & alia corruptio est, quæ reddit sensum barbarum & corruptũ, sed non totaliter illũ alienat, etiam respectu accõmodationis & vsus. Quod asseritur in 5. concl.

Dvbivm vnicvm.

An requirantur determinata verba ad conficiendum Sacramenta?

Conclvsio est affirmativa.

Pro cuius intelligentia est aduertendum, Quod cùm in verbis sint duo, scilicet & materiale, quod est subiectum significationis; & formale, quod est significatio reddens sensum. Cùm autem determinatio verborum requiratur ratione sensus seu significationis, quia determinant materiam vt expressiùs significetur sacramentale significatum, secundum quod dicit August. tract. 80. in Ioan. *Operari verbum in Sacramentis, non quia dicitur;* idest, ratione materialis soni; *sed quia creditur,*

id est, ratione sensus, qui fide tenetur; fit quod stante eodem sensu & significatione, remaneat determinatio verborum requisita; ea autem sublata, tollatur determinatio. Contingit autem diuersis materialibus eandem inesse significationem; idem enim pluribus solet verbis ac distinctis vocibus significari, tam in diuerso idiomate, quàm in eodem: Contingit etiam diuersis vocibus, aut diuersimodè prolatis eandem non inesse significationem, nec reddi eundem sensum.

Et hoc dupliciter, Vno modo, quia non inest eadem, attendendo ad impositionem absolutè; quia re vera illa vox absolutè aliam impositionem habet. Alio modo, quia non solum quoad impositionem, sed etiam quoad vsum, & accommodationem hominum diuersam habet significationem. Et è contra contingere potest, quod aliqua ex impositione diuersimodè significantia, ex accommodatione & vsu hominum idem significent, propter similitudinem vnius vocis cum alia, quatenùs potest dici quodammodo alia, saltem corruptione, scilicet propter hominum sic vtentium accommodationem.

Igitur omnis illa mutatio, seu corrupta prolatio, quæ veritatem & sensum in Sacramentis intentum non reddit, saltem secundum accommodationem hominum, censetur verborum sacramentalium mutatio, & sublatio validitatis sacramenti. Et ideò quando est tanta corruptio in verbis, vt non retineant sensum & veritatem, vtroque modo quacumque intentione proferantur verba, nihil fit. Quando verò corruptio non est tanta, quin saltem per accommodationem & vsum possit ad rectum sensum trahi, & tanquam lapsus linguæ reputari, tunc oportet intentionem ipsam Ministri indagare; Si enim intendit facere quod facit Ecclesia, conficit, quia tunc de industria non corruptè profert; industria si quidem, intentionem includit. Si verò non intendit facere quod facit Ecclesia, non conficitur sacramentum; quia de industria corruptè protulit, etsi aliàs potest ad debitum sensum, saltem per accommodationem, reduci. Dum tamen non constiterit de intentione ministrantis ex exterioribus, iudicandum est & præsumendum non fuisse sacramentum confectum.

Ex quo colligitur, Quod mutatio impositionis vnius verbi, nihil variat de sacramenti forma, nisi sensus ipse corrumpatur; aliàs enim reputatur vt pars corruptæ orationis, cuius sensus in accommodatione manet integer; Et sic oratio dupliciter est corrupta. Vno modo in sensu, quem debet facere; Alio in prolatione, seu oris sono. Quando est corrupta primo modo, non conficitur sacramentum, quia tunc nec per accommodationem, nec per impositionem significat: Quando verò secundo modo est corrupta, si intentio indebita non impediat, fit sacramentum, & eadem verba manent.

Sed quid si sciens & videns quis proferat formam corruptam, vt, *In nomine Patrias & Filias, &c.* callens linguam Latinam, & aduertens se sic proferre, intendens tamen facere quod facit Ecclesia, censebitur-ne tunc sola corrupta prolatio, & per accommodationem integer sensus; an etiam veritatis sensus sublatus. Resp. Quod etsi sciat linguam Latinam, si non aduertenter, aut si ex naturali impedimento linguæ proferat corruptam illam orationem, censetur mutatio solum accidentalis; si autem aduertenter sciens linguam Latinam, & non ex impedimento proferat corruptè, malitiosè id facit, & non videtur posse habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, vt S. Thom. dicit ad 3. Non enim solùm corruptè profert, sed intendit sensum corruptum, sciens illum Ecclesiæ non esse.

Sed instabis, Nam ipse solùm intendit proferre aduertenter, quod alius profert balbutienter; vnde intendit substantialem sensum Ecclesiæ, modo tamen corrupto prolatum; Nam quod aduertenter vel balbutienter id faciat, non videtur variatio esse substantialis, sed accidentalis.

Respond. Quod speculatiuè talis bene potest intendere sensum illum; practicè verò, non apparet quomodo illum intendat. Nam si aduertit verba illa, quæ profert, habere significationem distinctam à verbis veræ formæ, quomodo potest intendere significationem veram, quæ in illis verbis non inuenitur secundum se, & vt rectè prolatis? In illis autem vt balbutienter prolatis non inuenitur significatio peculiaris, sed per accommodationem illa inuenitur, quæ intendebatur. Quare semper recurrendum est ad intentionem proferentis, quod cùm illa verba ex impositione significent vnum, & ex accommodatione aliud, æquiuocè se habent; & sic in intentione Ministri determinanda sunt, quæ tamen in eo casu non videtur recta, vt dicit S. Thom.

Vnde notandum est; Quod verba, licèt secundum se sint imposita per publicam impositionem, tamen possunt aliquando non significatiuè proferri, etsi ipsa sint significatiua; sicut multoties forma aliqua sacramentalis profertur materialiter tantùm; & hoc magis verum habet in verbis, quæ practicè significationem peculiarem habent. Et hinc est quod illi qui balbutienter pronuntiant, licèt intendendo vnum proferre, proferant aliud, illud aliud tamen non significatiuè proferunt, licèt sit aliàs significatiuum. Hoc enim ipsis per accidens est, Sicut enim lapsus linguæ balbutiendo in vocem significatiuam deuenit, ita in non significatiuam posset deuenire. Vnde non significatiuè profertur, & sic non habet virtutem, nec practicè procedit ab eo qui profert, sed virtutem retinebit id, quod intendebat proferre, si tamen in voce mansit dispositio vt per accommodationem ad id trahi posset.

Et ideò sapienter Zacharias Papa in cap. *Retulerunt*, dixit, Quod si ex ignorantia, & non intendendo inducere nouum ritum, prolata est forma illa; *In nomine Patrias & Filias*, verum erat sacramentum. Qui tamen aduertenter, non habens impedimentum linguæ, nec ignorantiam latinitatis, proferret illam formam, significatiuè illa verba proferret, & non solùm per accidens, sed ex intentione & industria, vnde non possent participare virtutem sacramentalem, nec haberet locum accommodatio ad veram formam, quæ tunc solùm fit, quando materialiter & veluti per accidens aliter prolatum est verbum.

Quia verò significatiuè proferri possunt ea verba, & ratione impositionis, & ratione accommodationis vsus; qui primo modo profert, non conficit; qui secundo modo, conficit; quamuis difficile sit iudicare, quod aduertenter & sciens linguam Latinam sic proferat, & non secundum impositionem. Si autem quis balbutienter proferret ex ioco, quasi alterum imitari volens ad irrisionem, non videtur seriò agere, qualiter ad sacramentum requiritur, & ideo nec habere intentionem Ec-

desiæ. Sed de his latiùs sequenti Articulo.

Colligitur ergo ex dictis, Quod cùm verba, seu forma Sacramenti mutari possit & substantialiter & accidentaliter, omnis mutatio quæ tollit sensum & veritatem, siue ex impositione, siue ex accommodatione cognitam, substantialem esse; quæ verò aliter fit, accidentalem esse. Fieri autem potest mutatio octo modis; vno modo ex parte idiomatis; & hæc mutatio est accidentalis; in quacumque enim lingua proferatur forma Baptismi, conficit. Et idem dicendum est cum Caietano hîc, si de forma, vno pars idiomate proferatur, pars altero. Secunda mutatio est, si loco verborum, quibus communiter vtitur Ecclesia in aliquo idiomate, aliqua synonyma ponantur; vt si loco de ly *Baptizo*, dicatur *Abluo*: Et hæc mutatio accidentalis est, si habet tres conditiones; prima, quod voces in quas fit mutatio sint synonyma, & eiusdem significationis; alias mutatio erit essentialis; & intelligitur synonyma saltem ex accommodatione & vsu communi. Secunda conditio, vt significatio talium vocum, in quas fit mutatio, sit æquè distincta, sicut ea qua communiter vtitur Ecclesia; ratione cuius non valet Baptismus quando dicitur, *In nomine Trinitatis*: & debet etiam esse vox ex communi placito significans. Tertia conditio est, vt si vox in quam fit mutatio sit synonyma, sed habeat etiam alias significationes, ita vt sit æquiuoca, tollenda est æquiuocatio ex aliqua particula adiuncta, aut circunstantijs quibus profertur, si autem æquiuoca exteriùs manet, ex intentione qua profertur, & secundum quam significationem, sensus eius iudicandus est.

Tertia mutatio est per transpositionem verborum, aut mutationem de actiua in passiuam. Et tunc eodem modò iudicandum est si tollitur sensus formæ, ita vt non æquiualeat vero sensui, est substantialis mutatio, aliàs accidentalis. Quarta est per interpolationem, & pausam in proferendo factam. Et tunc si moraliter loquendo non censentur verba in vnam orationem conuenire, est essentialis mutatio; sin minus, accidentalis; & hoc moraliter iudicandum est. Quinta mutatio est per additionem alicuius verbi; & tunc iudicandum an mutet sensum verborum formæ? quia tunc erit essentialis, aliàs accidentalis: & etiam qua intentione addatur, multoties intuendum est; quando additio potest in alieno sensu accipi, aut non; de quo sequenti Articulo.

Sexta mutatio est per substractionem alicuius verbi, de qua dicendum est idem, quod de præcedenti. Qui enim tolleret à forma panis ly *enim*, & à forma absolutionis ly *ego*, mutatio esset accidentalis. Septima mutatio est per corruptionem verborum, quæ corruptio, vt dictum est, si non potest nec propriè, nec per accommodationem reduci ad verum sensum, est essentialis mutatio, aliàs non. Octaua mutatio est, si verba mutarentur materialiter, id est, in nutus, aut scripturam, seu alia signa; & hæc mutatio substantialis est in sex sacramentis. In Matrimonio verò accidentalis solùm erit, dummodo sint sufficientia ad contractum faciendum in genere naturali.

Soluuntur Argumenta.

Arguitur primò, Magis determinata debet esse forma in Sacramentis quàm materia, vt dicit S. Thom. in articulo, & ex ipsa ratione formæ patet; sed loco materiæ à Christo Domino institutæ A non licet aliquid mutare, seu mutare illam in aliam, etiam si possit eodem modo significare, ergo neque verba.

Respond. Quod verba in eo in quo determinata sunt a Christo Domino vt sint forma, minus mutari possint quàm materia, scilicet quoad significationem. Quia tamen verba non sunt eadem apud omnes, ideo possunt mutari quoad materialem sonum, ratione cuius non habent rationem formæ, dummodo idem significent; materia verò, quia est eadem apud omnes, vt oleum, panis, aqua, &c. materialiter mutari non potest; determinatur tamen à verbis significantibus idem, B licèt diuersa materialitate.

Secundò obijcies, Corrupta mutatio, quæ fit ex lapsu linguæ, vt quando ly *Patris*, mutatur in *Patrias*, conficit Sacramentum, ergo etiam si ex eodem lapsu linguæ quis mutaret ly *Patris*, in *Matris*, conficeret sacramentum; si quidem ex accommodatione & circunstantiis intelligunt omnes lapsum linguæ esse, & voluisse dicere *Patris*, cùm in Trinitate non sit mater.

Confirmatur, Nam mutare nomina *Patris & Filij & Spiritus sancti* in nomen *Genitoris & Geniti & Spirati*, seu *Procedentis*, est accidentalis mutatio, ergo similitèr si mutaretur in hanc, *In nomine Genitoris, Imaginis & Doni*, valebit, C si quidem datur forma in illis vocibus, quæ sunt peculiaria personarum, & non datur solum de Trinitate in communi.

Respondetur quod ly *Matris*, simpliciter habet aliam significationem, quæ nec ex accommodatione & vsu hominum debitum sensum reddit; per accidens autem est quod audientes intelligant quod vellet dicere, aut deberet; non enim consistit accommodatio sensus in bonitate intelligentis particularis, sed in ipsa oratione in se; videlicet si talis sit quod possit accommodari, vel non accommodari quantum est ex se ad significandum secundum communem vsum, non secundum particularem intelligentem. Vnde quod mutatio hæc sit D accidentalis, non sumitur ex lapsu linguæ, nec ex bonitate ipsius intelligentis, sed ad orationem ipsam in se inspiciendum est. Quando enim dico, *In nomine Matris*, &c. non nomino Trinitatem, sed ita corrumpitur sensus orationis per lapsum linguæ, vt alia prorsus oratio alterius sensus efficiatur; quando autem dicitur *Patrias*, censetur *Patris* corruptè & balbutienter prolatio.

Nec potest aliqua certa regula tradi, cur ista verba sic prolata totaliter sensum corrumpant, alia verò non, nisi communis modus concipiendi, in quo fundatur quod oratio sic mutata alium sensum reddat, sic verò mutata non alium, sed eumdem retineat, modo tamen minus perito. Cùm E enim certum sit aliquam mutationem posse fieri, quæ non tollat sensum propositionis, & aliquam quæ tollat, in singulari iudicandum id est ex communi modo concipiendi. Et si contingat aliquando dubium manere, An tanta corruptio sit vel non, manet quoque dubium de validitate sacramenti; & ideò semper ad ipsum sensum, qui redditur à propositione attendendum est, non autem ad lapsum linguæ, vel bonitatem intelligentis. Et dicimus bonitatem intelligentis particulariter, non autem ad bonitatem intelligentium sic communiter; tunc enim iam est communis vsus, & ex illius accommodatione redditur sensus propositionis.

Quæ mutationes Sacramentum tollunt.

Ad confirmationem Resp. vtramque illam formam esse dubiam. Licèt enim æquiualere videantur in re significata, sed non in expressione, & modo distincto significandi, sicut significatur per illam, *In nomine Patris & Filij*. Requiritur enim synonymitas vocum in modo significandi distinctè. Sic sentit Cabrera art. 8. Disp. 1. Et similiter qui diceret, *Ego te mundo*, non faceret sacramentum, quia non distinctè significat modum dandi gratiam.

Tertiò Arguitur, Quidquid additur vel tollitur à propositione, aliquid significat, ergo mutat significationem propositionis, ergo & sensum illius; quia hic in significatione propositionis fundatur. B Sicut qui tollit particulam *enim* in forma panis, propositionem quæ erat causalis, reddit de inesse; & sic mutat illam.

Confirmatur, Quia qui dicit *in nomine Patrias*, facit propositionem quæ secundum se alium sensum, & aliam significationem habet, ergo de se non præbet fundamentum vt accommodetur ad proprium sensum, magis quàm alia, mutans etiam similiter significationem.

Respondetur, Quod non quidquid significat, mutat sensum propositionis, vt propterea additum, vel sublatum tollat sensum illius. Et si enim sensus propositionis ex partibus resultet, tamen C stat benè quod ex diuersis vocibus idem sensus propositionis efficiatur. Idem enim est dicere, Liber Catonis, vel, Liber quem Cato possidet; & additio istarum vocum non mutat sensum essentialem & intentum: Sit ergo quandiu sensus, qui per sacramentalem formam intenditur, manet, non est mutatio substantialis, quantumuis id quod mutatur significatiuum sit. Et quia in forma panis non intenditur quod propositio sit causalis, vel de inesse, sed quod significet Corpus Christi sub speciebus; hinc est quod variatio particulæ *enim* non est essentialis.

Ad confirmationem Resp. Quod in illa propositione est sufficiens fundamentum vt ex accommodatione, seu communi vsu, maneat idem sensus; D quia licèt vnus, aut alter terminus partialis varientur, tamen manet propositio veluti sub propria forma, & corruptio illa intelligitur solum esse in pronunciatione, & ex parte loquentis, non etiam ex parte rei significatæ; & accedente communi vsu sic intelligentium, non est necesse exigere aliud fundamentum vt censeatur retinere eundem sensum. Non enim ad id requiritur identitas vocum & impositionis, sed sufficit vsus communis.

Sed instabis, si ex communi vsu hominum sic accipitur illa propositio, ergo etiam si ex industria & scientia quis eam proferat sic corruptè, Sacramenti formam conficiet; Quia quod ex industria E & scientia proferatur, vel non, nihil facit ad communem vsum; consequens autem est contra determinationem Papæ Zachariæ in cap. *Retulerunt*, & contra D. Thom. hîc.

Respondetur, Quod illa propositio, cùm ex virtute impositionis aliter significet, vt inquit hîc D. Thom. accommodatio vsus non habet locum, quando quis ex scientia & industria eam profert; quia tunc secundum suam impositionem præsumitur proferre, & sic videtur non intendere facere, quod facit Ecclesia. Qui autem verè intendit facere quod facit Ecclesia, & ex imperitia sic profert, non secundum impositionem suam profert, sed secundum Ecclesiæ intentionem; & cùm aliàs non ita corrumpat sensum propositionis, vt non det locum vsui & accommodationi intelligentium, ex acceptione eorum significat; quæ accommodatio & vsus non cadit nisi supra propositionis sensum non omnino mutatum; non supra propositionem prolatam ab eo, qui scit aliàs diuersam habere significationem, & sic vult proferre. Cabrera tamen Disp. 21. art. sequent. in fine censet, Quod vtens vocibus secundum accommodationem vsus, etiam ex industria, conficit validè, etsi peccet.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum liceat aliquid addere verbis in quibus consistit forma Sacramentorum?

AD tres conclusiones possumus reducere doctrinam articuli.

Prima conclusio, In mutatione verborum formæ, si ex parte eius, qui profert verba sit intentio inducendi nouum ritum, qui non sit receptus ab Ecclesia, defectu intentionis non conficitur Sacramentum, si non intendat facere quod facit Ecclesia.

Secunda conclusio, Ex parte significationis, seu defectu significationis verborum, si per diminutionem vel additionem varietur substantialis sensus propositionis intentus à forma sacramentali, non conficitur Sacramentum; si autem per talem diminutionem, aut additionem non tollatur formalis sensus, validum erit Sacramentum; peccabit tamen conficiens, si ex contemptu aut negligentia id faciat.

Tertia conclusio solut. ad 3. Si sit tanta interpolatio verborum quod tollatur intentio & intellectus verborum, non conficitur Sacramentum; aliàs verò, sic. Et idem est dicendum de transpositione verborum.

Prima conclusio S. Thom. constat ex defectu intentionis Ministri, quam necessariam esse ad conficienda Sacramenta, infra docet S. Thom. quæst. 64. art. 8. Quid autem intelligat S. Doctor per intentionem inducendi ritum ab Ecclesia non approbatum, seu receptum, dubium est, cùm non quilibet ritus, etiam si introduci intendatur, variet intentionem faciendi quod facit Ecclesia; vt si quis velit in forma panis introducere tanquam essentiale illam particulam, *Quod pro vobis tradetur*, qui tamen verè conficeret. Sed de hoc dicetur in controuersia.

Secunda conclusio probatione non indiget, cùm constet manente debito sensu formæ, operari formam ad Sacramenti confectionem; siquidem ratione sui sensus operatur; eo autem sublato, nullo modo posse operari. Et ita quidquid mutetur aliàs circa talem formam, non tollit verum fieri sacramentum. Quod verò peccet, qui ex contemptu aut negligentia mutationem facit, etiam circa non substantialia formæ, patet, Quia in re graui, videlicet in ipsis formis sacramentalibus, mutat id quod Ecclesia constituit fieri.

Tertia conclusio eadem probatione & fundamento nititur, qua præcedens; si quidem ad idem tendit.

DVBIVM PRIMVM.

An quicumque, & quotiescumque intendit Minister inducere nouum ritum ab Ecclesia non receptum, fiat nullum Sacramentum?

CONCLVSIO EST NEGATIVA.

PRo cuius intelligentia aduertendum est, Quod intendens inducere illum ritum, aut ita intendit illum quod tollit intentionem communem Ecclesiæ, & quam debet ipse habere secundum quod in persona Ecclesiæ ministrat; aut non tollit communem illam intentionem Ecclesiæ, sed illam retinendo, vult nihilominus suum ritum introducere. Et in isto ritu introducendo potest se habere tripliciter. Vno modo taliter quod ille ritus non compatiatur verum sensum verborum, sed eum tollat. Alio modo taliter quod illum compatiatur, etiam si Minister putet aliquid amplius, vel minus esse de essentia Sacramenti. Tertio modo quod reddat illum ambiguum & æquiuocum.

De Ritibus autem, qui non tangunt formam, id est, verba sacramentalia, præsens articulus non loquitur; illi enim circunstant solum, & accidentia sunt sacramenti; quorum mutatio est certum quod non variat sacramentum, vt quod celebretur cum vestibus sacris, cum corporalibus, &c. Et ideò per nouum ritum intelligimus religiosam illam cæremoniam, in qua consistit sacramentum, id est, qui pertinet ad formam ipsam aut materiam.

Noui ritus intentio vt Sacramentum irritum reddat.

Igitur primò certum est, Quod qui intendendo introducere nouum ritum tollit intentionem generalem Ecclesiæ, in cuius persona ministrat, nihil conficit; non propter mutationem verborum formæ, sed propter defectum intentionis, quæ vt D. Thom. docet infra quæst. 64. art. 8. requiritur in Ministro; vt videlicet actione illa vtatur secundum eam determinationem, quæ instituta est; & ideo debet determinationem illam intendere, & non aliam.

Sed currit difficultas, Admittendo quod habeat minister intentionem veræ Ecclesiæ, conetur tamen introducere nouum aliquem ritum. Qui casus admitti non potest, nisi supposita ignorantia aut dubietate. Vt si quis ignorans hoc esse de essentia formæ, aut dubitans quæ sit vera Ecclesia, habeat nihilominus intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, aut faciendi quod Christus Dominus instituit; & tamen quia putat hoc esse de essentia formæ; v. g. ponere in forma panis, *Quod pro vobis tradetur*, illam sic profert; Si enim sciret hoc non esse de essentia formæ, & tanquam essentialia vellet proferre, non haberet intentionem Ecclesiæ. Sed supposita hac ignorantia aut dubietate, & tamen habendo intentionem Ecclesiæ, non huius aut illius in particulari, sed illius quæ vera est; quæ intentio non tollitur per hoc, quod iste putet hanc in particulari Ecclesiam esse veram; aut hunc ritum esse necessarium; excluderetur tamen intentio illa generalis Ecclesiæ, si, v. g. odio Ecclesiæ Romanæ, quæ sola vera est, intenderet non facere quod facit Romana Ecclesia etiam si vera sit.

Sed quandocumque habet intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, non tollitur intentio generalis: si quidem minister conficit sacramentum secundum quod repræsentat personam publicam, & personam instituentis. Instrumentum enim magis respicit principale agens,

A quàm peculiarem virtutem. Vnde si saluatur in Ministro intentio principalis instituentis, saluatur intentio requisita ad conficiendum sacramentum.

Secundò ergo dico, Quod si ille ritus, quem intendit introducere Minister, non compatiatur verum sensum formæ, procul dubio tollit validitatem sacramenti; vt si quis intendat baptizare sub ista forma, *In nomine Patris maioris, & Filij minoris*, tunc quantumcumque intendat facere quod facit vera Ecclesia, nihil facit; quia corrumpit sensum veræ Ecclesiæ, & consequenter intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia.

Tertio dico, Si ille ritus, quem intendit intro-
B ducere Minister, putans illum esse de essentia formæ aut materiæ, non tollat verum sensum formæ, sed illum permittat, & materia sit legitima & intentio saltem generalis non desit, non inualidatur sacramentum. Ratio est, Quia concurrunt omnia, quæ legitimè ad Sacramentum requiruntur, scilicèt materia, forma & intentio; & quod ritus introductus putetur esse de essentia sacramenti nihil refert, quia sensum verum non corrumpit. V. g. si quis putans esse de essentia formæ panis, *Quod pro vobis tradetur*, aut putans esse de essentia conficere in fermentato, aut baptizare in aqua calida, sic faciat, verè conficit.

Nec obstat, Quod tanquam essentiale hoc, aut
C illud addat; hoc enim quod ipse putet essentiale esse, nihil tollit de essentialibus sacramenti in se, & vt pendet ab instituente Christo; & sic quod aliter fiat à ministrante, non inualidatur.

Quartò dico, Quod si per illum ritum, qui intenditur à Ministro, redditur ambiguus sensus formæ, tunc ex eius intentione pendebit validitas vel inualidatio Sacramenti. Ratio est, Quia tunc propositio est æquiuoca, & ita eius sensus est determinabilis ad hanc, vel ad illam partem, & cùm sit in potestate proferentis in hoc, vel illo sensu illa vti; in potestate etiam proferentis erit dare illi sensum debitum aut indebitum; & ideo ex eius intentione pendet quod fiat vel non fiat sacramen-
D tum. Exemplum est in illis quod affert S. Thom. hîc, si quis baptizet sic, *In nomine Patris & Filij, &c. & Beatæ Virginis*; si enim intendat inuocationem Trinitatis æquè ad Beatam Virginem extendere, nihil conficit; si tamen nomen Beatæ Virginis solum ibi apponit vt baptizati protectricem, non inualidatur sacramentum, quia non tollitur essentialis sensus formæ.

Soluuntur Argumenta.

Arguitur primò, Quotiescumque Minister addit aliquid formæ tanquam essentiale, non vtitur forma quam Christus Dominus instituit, ergo non conficitur Sacramentum. Prob. Antec. Nam ille
E minister vtitur alio signo, quàm à Christo Domino instituto; siquidem forma sacramenti & signum illud in indiuisibili consistit, & quocumque addito aut sublato tanquàm essentiali, variatur forma vt à Christo Domino instituta, ergo.

Confirmatur, Quando quis reddit ambiguum sensum formæ, vt qui baptizaret, *In nomine Patris, &c. & Beatæ Virginis*, si intendat hanc nouam particulam facere de essentia sacramenti, non conficit, ergo neque si intendat hanc particulam *enim*, facere de essentia formæ panis non conficiet; si quidem vtraque particula de se non est essentialis, & ex intentione solum ministri fit essentialis; & vtraque non contrariatur generali

intentioni

intentioni Ecclesiæ, quia potest minister vtrobique A habere intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia, ergo eodem modo conficietur vtrobique.

Respondetur ad Argumentum, negando antecd. Ad prob. disting. antec. Vtitur alio signo quàm à Christo Domino instituto, si referatur ad intentionem generalem rectam quam habet minister, nego anteced. si referatur ad priuatam prauam, concedo; ergo non conficit, nego. Vt enim conficiat, sufficit quod ratione intentionis generalis non deprauetur forma; Cùm enim conficiat in persona Ecclesiæ, si in hac persona intendat, quod facit Ecclesia, nihil tollitur de veritate B formæ.

Formæ mutatio & intentio, quæ officiat.

Et cùm id quod de se intendit introducere minister non tollat verum sensum formæ, licèt aliquantulum mutet, videlicet accidentaliter; quia licèt in ratione signi physici seu grammaticalis significationis, aliud sit quolibet addito vel substracto; non tamen in ratione signi sacramentalis; quod & manifestè patet, quia si habeat intentionem addendi illam particulam tanquam accidentalem, nihil omnino tollit aut ponit sacramento. Et aliunde quod velit illam facere essentialem, non fit secundum generalem intentionem, qua intendit facere quod facit Ecclesia, sed secundum priuatam; fit quod absolute non facit C aliud signum sacramentale, etsi physicè videatur aliud, quia non opponitur intentioni Ecclesiæ, nec consequenter institutioni Christi.

Ad confirmationem Respondetur, Quod reddens ambiguum sensum formæ, non potest habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quousque determinet sensum propositionis; quia per determinatum sensum, determinatum Sacramentum confici debet; & sic non ex defectu intentionis, sed ex defectu sensus formæ, non conficit, quando proferens ambiguam propositionem determinatè vult facere, & de essentia formæ, id quod non est de essentia. Redundat enim hoc in sensum formæ; quæ cùm ambigua D esset, determinata est ad hanc propositionem falsam. Quod non contingit in particula *enim*, quia illa non reddit ambiguam propositionem; & ita non oportet determinari priùs sensum formæ, sed statim potest habere intentionem generalem Ecclesiæ, respectu cuius non facit de essentia illam particulam; & consequenter nec aliam propositionem sacramentaliter facit, nec sacramentaliter illam reddit falsam ratione illius intentionis, quamuis respectu priuatæ intentionis falsa videatur quasi materialiter.

Forma ambigua determinanda, vt sit valida.

Ex quo sequitur, Quod qui semel ponit formam determinatam a Christo cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, licèt secundum priuatam existimationem in alio sensu velit intelligere illam & proferre, non tamen committit æquiuocationem, nec inualidat Sacramentum; quia non profert illam æquiuocè sacramentaliter, sed solùm quasi physicè si quidem respectu intentionis Ecclesiæ & institutionis Christi non aliter profert, quàm ipse instituit, & Ecclesia vtitur. Exemplum est, Si quis existimans Baptismum solùm corporaliter abluere, dicat cum intentione Ecclesiæ, *Ego te Baptizo, &c.* verè conficit; quia illa æquiuocatio verbi *Baptizo*, supposita institutione Christi, & intentione illa generali, non est sacramentalis, seu ambigua in ordine ad sacramentum conficiendum.

Secundò obijcies, in capite *Retulerunt*, determinat Pontifex, Quod si ille qui baptizauit *In nomine Patrias, &c.* intendebat nouum ritum inducere, non conficiebatur Sacramentum; & S. Thom. etiam in hoc articulo dicit, Quod si minister intendit introducere nouum ritum in Ecclesia, non videtur perficere Sacramentum; ergo ex sola intentione ministri inducentis nouum ritum, pendet inualidatio sacramenti.

Confirmatur, Qui intendit introducere nouum ritum, habet intentionem Ecclesiæ contrariam, ergo non intendit facere quod facit Ecclesia, ergo inualidatur omne tale sacramentum. Anteced. patet, Quia habet intentionem introducendi aliquid Ecclesiæ contrarium in forma sacramenti, ergo habet intentionem Ecclesiæ contrariam. Si dicatur, Quod quasi materialiter habet intentionem Ecclesiæ contrariam, formaliter tamen, vel potius virtualiter, ratione generalitatis intentionis Ecclesiæ, non habet illam, & ideò conficit.

Contra est, Quia qui habet intentionem formalem alicuius & in particulari, excludit virtualem oppositi & in communi; sed iste habet formaliter & in particulari intentionem contrariam Ecclesiæ, ergo excludit virtualem, & eam quæ est in communi; & sic non conficit. Maior patet, Quia intentio formalis alicuius finis, potentior est virtuali, illamque excludit, vt dici solet in 1. 2.

Respondetur primò, Pontificem non dicere, Quod si intendebat nouum ritum introducere, non conficiebat; Sed inquit, Quod si ille qui baptizauit, non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, hoc baptizans dixisset, non debet rebaptizari, Ex quo non infertur oppositum, scilicet quod si intendebat errorem aliquem introducere, non conficiebat, si aliàs ille error non destrueret veram formam.

Secundò dicitur, Quod ille Sacerdos imperitus, qui sic baptizabat, si intenderet errorem introducere, tollebat veræ Trinitatis inuocationem, cùm ipsa non sit *Patria, aut Filia*; & ita tolleret sensum formæ. Vnde optimè dixit Pontifex, Quod si non introducens errorem aut hæresim, hoc fecit, validè conficit; insinuans quod si hæresim introducere intendebat, non conficiebat; quia ille error tollebat veram formam. Similiter ad D. Thom. dicimus, solum dicere, Quod ille talis non videtur conficere sacramentum, Tum quia difficile est quod habeat veram intentionem, qui contra Ecclesiam facit; Tum quia in foro exteriori præsumitur non habuisse rectam intentionem, quia essentiali formæ voluit aliquid addere; Tum denique, quod addit S. Thom. Quia non videtur E intendere facere quod facit Ecclesia, quod solùm contingit quando excludit generalem intentionem Ecclesiæ.

Intentus error aut hæresis, cum vitiosa prolatione.

Ad confirmationem rectè ibi Responsum est, Non habere intentionem Ecclesiæ contrariam in communi, seu vt personam publicam, bene tamen vt priuatam. Ad Replicam dicitur primò, Quod qui habet formalem intentionem alicuius, excludit virtualem oppositi, si vtraque sit eodem modo, & versetur circa idem eodem modo; si autem quis habet virtualem intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia, & in persona eius ministrare; velit autem secundum suam priuatam existimationem introducere nouum ritum, sic non contrariantur hæ intentiones; quia non vult

Priuatus error, vt non aduersus generali intentioni.

ſecundum priuatam exiſtimationem recedere à A vera Eccleſia, & ita non contrariatur illi intentioni, quin potius vt illi conforme vult hoc in particulari.

Secundò dicitur, Quod illa formalis intentio non eſt contraria virtuali, ſuppoſita ignorantia aut dubietate, ſed illi conformis; licèt apparenter videatur eſſe contraria; Nam per generalem, ſeu virtualem intentionem vult facere quod vera Eccleſia facit; per priuatam autem exiſtimationem falſum putat, hoc eſſe de eſſentia ſacramẽti, & conſequenter eſſe neceſſarium vt in vera Eccleſia conficiatur; non ergo hæc priuata intentio contradicit illi generali, ſuppoſita hac ignorantia, ſed ex conformitate ad eam habetur, licèt videatur ei contrariari. Itaque intentio faciendi quod facit vera Eccleſia, non contrariatur intentioni, qua particulariter errat iſte circa nouum ritum inducendum; cùm potiùs exiſtimet ad veram Eccleſiam pertinere; licet quia errat aut dubitat, non applicet id quod de facto in vera Eccleſia tenetur. Et ita in his duabus intentionibus, virtualis vnius non opponitur formali alterius, & è contra.

Tertiò obijcies, Qui ex priuata intentione addit in forma Baptiſmi, *In nomine Beatæ Virginis*, non addit illud ex communi intentione, ſed ex priuata; ergo pari ratione non contrariatur ſenſui Chriſti Domini & inſtitutioni ipſius; ſiquidem illi ſubijcitur intentio miniſtri generalis, ergo conficit verum Sacramentum. Nec poteſt dici, Quod redditur tunc forma falſa; Quia ex verbis ſubſtantialibus formæ non prouenit illa falſitas, ergo ſubſtantialia verba formæ manent in ſua veritate. Solùm ergo ex verbis ſuperadditis fit mutatio, quæ accidentalis eſt, ſiquidem remanet ſubſtantialis ſenſus.

B. Virginis additum nomen in Baptiſmo, & irritans & non irritans.

Reſpond. Illud, *In nomine Beatæ Virginis*, & poſſe contrariari inſtitutioni Chriſti Domini, ac conſequenter intentioni faciendi, quod ipſe inſtituit, quæ eſt communis intentio; & poſſe non contrariari inſtitutioni illi. Contrariatur illi, ſi æquè ſumatur inuocatio *Beatæ Virginis*, ad perſonas Trinitatis; non contrariatur, ſi apponitur ibi vt cui commendetur deprecatiuè infans. Et ideò quouſque per intentionem miniſtri non determinetur an contrariari velit inſtitutioni Chriſti, mutando ſenſum formæ, vel non velit, manet ambigua forma; ideoque falſa reddi poteſt ex intentione miniſtri, & inualidum ſacramentum.

Ad Replicam dicitur, Illam formam reddi falſam ex verbis ſuperadditis, quatenùs extenditur inuocatio Trinitatis & virtus ad *Beatam Virginem*: ideoque ex ſuperadditis verbis ſacramentaliter redditur falſa, licèt ſpeculatiuè videatur adhuc manere illa oratio in veritate ſua. Argumenta quæ proponit Cabrer. in initio diſputationis, & Suarez diſp. 2. ſect. 5. in 2. ſenten. ex dictis concluſ. 2. & 3. ſoluta manent.

DVBIVM SECVNDVM.

Quod peccatum ſit, aliquid addere aut minuere, ſeu mutare in formis Sacramentorum?

CONcluſio eſt, Ex genere ſuo eſſe mortale peccatum, quando mutatio reddit inualidum, aut dubium Sacramentum. Quando verò mutatio eſt ſolùm accidentalis, pro quantitate magna vel parua, iudicandum eſt de peccati grauitate.

Pro intelligentia eſt notandum, Quod cùm peccatum ſit contra legem, attendendum eſt, quod in mutatione formæ ſacramentalis, & ſimiliter materiæ, duplex lex lædi poteſt: Altera diuina, quæ eo ipſo quo inſtituit ſacramenta ſecundum determinatam materiam & formam, præcepit ſacramenta ſub illis eſſe conficienda, & non aliter; aliàs non conficerentur vera ſacramenta, cuius tamen præceptum diuinum habent, qui ea miniſtrare debent.

Secunda lex eſt poſitiua humana circa ritus ſacramentorum, quibus præcipit vt ſigna illa fidei noſtræ ac ſalutis, taliter & taliter tractentur, & B diſponantur. Vnde pertinet id ad materiam Religionis. Vtraque autem lex, cùm præcipiat aliquid circa materiam Religionis, ex genere ſuo prævaricatio eius ſacrilega eſt, & grauis, niſi ob materiæ paruitatem excuſetur; & ita tam ſubſtantialis mutatio quàm accidentalis, ex genere ſuo mortale peccatum eſt, niſi vel ob leuitatem materiæ, vel ob deliberationis defectum excuſetur.

Graue peccatum, addere vel minuere in Sacramentis.

Ex quo ſequitur primò, Quod cùm mutatio materiæ vel formæ à Chriſto Domino inſtitutæ, de qua præceptum eſt, poſſit dupliciter fieri; aut deſtruendo totaliter materiam vel formam, C vel in dubiam commutando; qui mutat formam aut materiam totaliter deſtruendo, peccat grauiſſimè, nec admittit paruitatem materiæ; ſi autem ſine deliberatione & aduertentia fiat, caret etiam intentione faciendi ſacramentum, & ſic non eſt forma ſacramentalis. Patet hoc manifeſtè, quia facit contra præceptum diuinum in re grauiſſima, & contra virtutem Religionis & cultus Deo debiti.

Quando autem mutat quis formam aut materiam, commutando illam in dubiam, dupliciter adhuc poteſt procedere; Aut enim poteſt certam ponere & indubitatam, & tunc peccat mortaliter contra idem præceptum diuinum; quia exponit ſe periculo non conficiendi ſacramentum D in re, cùm tamen præceptum ſit conficiendi illud in re taliter, quod effectum ſuum ſortiatur. Sacramenta enim operantur vt in re: Et ſicut mutare illud in re certò & indubitanter eſt mortale, ita periculo ſe exponere mutandi in re, erit mortale. Deinde, Quia tunc fit magna variatio in Sacramento, cùm apponatur materia dubia, relicta certa; ergo erit mortale peccatum, cùm variatio notabilis in ſubſtantialibus Sacramenti ſit ex genere mortale peccatum.

Neceſſitas excuſans.

Si autem non poteſt quis certam & indubitatam formam aut materiam apponere, & aliàs eſt neceſſarium miniſtrare ſacramentum, poteſt vti illa quam adhibere poteſt; quia tunc practicè & moE raliter non exponit ſe periculo, ſed patitur periculum ne articulus neceſſitatis pretermittatur, ſed ſuccurratur homini eo modo quo poteſt; & ſic non fit irreuerentia aut iniuria Sacramento, ſed potiùs magnus honor, cùm in neceſſitate illa adhibetur eo modo quo poteſt, ne ſine illo omnino remaneat homo.

Nec obſtat quod illa forma ſit dubia; pro illo enim caſu practicè eſt certa; quia non occurrit alia, & propter neceſſitatem Sacramenti debet occurri ea, qua poteſt; & ideo non facit illam certam tunc miniſter; ſed illa quæ eſt dubia, vtitur non prout dubia, ſed vt ad ſuccurrendum neceſſitati aſſumpta. Sicut qui occidit hominem in defenſionem ſuam; & prægnans quæ ſumit

medicamentum, ex quo sequitur abortus; isti patiuntur illud malum, non faciunt; quia non vt homicidium, sed vt conueniens ad salutem assumitur: Si verò non sit magna necessitas, sed commodè differri potest sacramentum, non debet adhiberi illa forma dubia.

Secundò sequitur, Quod qui mutat ritus Ecclesiæ, & facit accidentalem mutationem in forma aut materia, de qua aliàs est præceptum Ecclesiasticum, grauiter peccare. Et in primis, Si quis non vtatur verbis, quibus communiter Ecclesia vtitur; Si quis ea corruptè proferat, etiam si substantialiter non mutet, saltem quoad accommodationem vsus, idque de industria. Si quis omitteret mistionem aquæ cum vino in calice. Ratio huius conclusionis est, Quia omnes istæ mutationes fiunt contra præceptum Ecclesiæ in materia graui, scilicèt in materia Religionis, ergo sunt sacrilegia; & consequenter ex genere peccata mortalia. In hac tamen lege admitti potest paruitas materiæ, ex qua veniale peccatum fiet mutatio illa; vt si quis vulgari sermone proferat formam Baptismi, etiam si possit Latinè, nisi absit scandalum. Aliqui etiam censent qui omiserit particulam *enim*, in consecratione panis, esse leuem materiam; & similiter si addiderit, *Quod pro vobis tradetur*, dummodo non intelligat id esse essentiale formæ.

Leuis materia.

Deniquè iuxta sapientis arbitrium iudicandum est de paruitate aut leuitate materiæ, & attendendum ad vsum & obseruationem Ecclesiæ, quæ magis arctè in vno procedit quàm in alio; vnde arctius obligat non proferre in lingua vulgari Eucharistiæ formam, quàm alterius sacramenti. Et attendendum etiam est an sequatur scandalum vel contemptus? ratione enim istorum aggrauari potest valde mutatio huiusmodi. Potest autem mutatio esse adeò leuis, etiam in pronunciatione corrupta, vt non sit peccatum graue, aut etiam sit nullum, quod in indiuiduo indicari nunc non potest; sed sensui, quem generat prolatio corrupta, & circunstantijs alijs relinquendum est.

Tertiò sequitur, Eum qui intendit introducere nouum ritum Ecclesiæ contrarium, etiam si aliàs non mutet substantialem sensum, peccare mortaliter; quia ritus Ecclesiæ sunt in præcepto in materia graui, contra quod sic intendens præuaricatur & peccat, & in re graui & sacra, iniuriam infert Ecclesiæ.

Proponuntur Argumenta.

Obijcies primò, Nam in re morali licitum est vti opinione probabili, ergo quamtumuis quis sciat dubiam esse formam aut materiam, dummodo sequatur opinionem probabilem, non peccat, vt si quis baptizet, *In nomine Genitoris & Geniti*, &c. Anteced. patet, Quia si sequi non liceret opinionem probabilem, non esset opinio, sed esset improbabilis in re morali. Et habet hoc maius pondus, si ipse minister sit in ea opinione, quòd per talia verba verum conficitur Sacramentum; tunc enim potest vti opinione sua, & sequi ipsam cùm sit probabilis.

Respond. Licitum esse vti opinione probabili, quando est opinio, non circa factum, sed circa ius; id est, quando est opinio probabilis quod sit licitum; si autem est opinio probabilis de facto ipso, sed non de hoc an sit licitum, vel non, ne-

A quaquam possumus sequi illam opinionem. Est exemplum, Dubito an id quod video sit homo, vel fera, taliter quod est probabile non esse hominem, tunc non possum sagittare in illud: si autem dubito an sit licitus aliquis contractus, vel non sit licitus, taliter quod habeo probabiles rationes, possum illum exequi.

Pro intelligentia autem huius, duo notanda sunt ex his, quæ docere solent Theologi in 1. 2. agendo de Conscientia. Primum est, Quod licèt in speculatiuis omne probabile sit etiam dubium & formidolosum, ex natura sua; tamen in practicis aliud est probabile, aliud dubium,

Opinio probabilis quam sequi liceat.

B si de probabilitate certitudo sit. Nam in speculatiuis, cùm eius finis sit attingere veritatem, veritas autem reguletur penes id quod est vel non est, quicumque non attingit per rationes rem vt est, manet dubius, licèt probabiliter procedat; quia quandiu mens non tangit rem in se, fluctuat circa illam. At verò in practicis, non regulatur mens penes id quod est in re, sed penes conformitatem ad rationem rectam & prudentiam. Vnde qui tangit rationem rectam & prudentiam, non est dubius practicè, sed certus. Qui autem probabilibus rationibus procedit, ita vt sit certus de probabilitate, prudenter & non temerè procedit, attingitque regulam praxis; & ideo licet sequi talem opinionem

C probabilem.

Secundò, Nota, Quod aliud est esse tutiorem opinionem, aut probabilem, aliud tutiorem electionem in dubijs rebus; Non enim tenetur quis sequi tutiorem opinionem, sed sufficit sequi probabilem; Tum ob rationem dictam; tum exemplis; vt in Confessione potest quis cùm cognita attritione accedere, licèt oppositum sit tutius; potest & quis non confiteri circunstantiam diei festi, licèt oppositum sit tutius, &c. At verò in dubijs, tenetur semper tutiorem partem eligere, ne exponat se periculo peccandi; quia est principium per se notum practicum, quod nullus debet se exponere periculo peccandi, licèt ali-

In dubijs tutior pars eligenda; non tutior opinio, aut magis probabilis.

D quando pati illud possit. In Sacramentis ergo nunquam licet eligere formam dubiam, quia exponitur periculo errandi; sicut nec in dubio facti possum sagittare. Quando autem moraliter non est dubia, licèt sit speculatiuè, sed probabile est speculatiuè & practicè de materia aut forma, aut ministro, licet sequi talem opinionem; quia vt Sacramenta licitè fiant, non requiritur certitudo in re, sed in prudentia & morali æstimatione.

Secundò obijcies, Nam in confessione sæpe licet vti materia probabili, relicta certa, ergo doctrina data est falsa. Anteced. prob. Nam primò licet cum sola attritione supernaturali cognita confiteri, relicta contritione; cùm hæc sit

E certa materia, illa probabilis. Secundò, Licet tacere peccatum aut circunstantiam, quando est probabile quod potest taceri; Tertiò, Licet eligere ministrum, de quo est probabile an habeat vel non habeat iurisdictionem; vt quæ eligit pro Confessore illum, cui non est data licentia confitendi fœminas. Et multi similes casus sunt, in quibus omnibus est in re periculum non faciendi Sacramentum, & tamen licet sic facere.

Respond. In his casibus & similibus, non solùm esse probabile sic confici Sacramentum, sed etiam esse probabile sic esse licitum accedere. In primo enim casu, certum est sufficere ad validitatem

Opiniones in Sacramentis tutæ probabiles.

sacramenti attritionem cognitam, quamuis An consequatur res sacramenti, sit sub opinione. Cæterum probabile est quod sit licitum ita accedere, tum propter difficultatem contritionis, tum quia est sacramentum mortuorum dans ex opere operato primam gratiam. Verum est, quod qui non difficulter posset ad contritionem præparari, peccaret si relicta hac certissima dispositione, minus certam eligeret, ob negligentiam suam.

In secundo casu certitudo etiam est practica, quod tunc est debita materia sacramenti; si quidem facit confessionem formaliter integram, id est, vbi non ex negligentia aut malitia aliquid tacetur, sed prudenter & secundum probabiles rationes, quæ ad prudenter omittendum sufficiunt; & quod prudenter omittitur, non sub dubio, sed certò, confessionem non diminuit, sed integram formaliter facit, esto materialiter videatur diminuta.

In Tertio casu, etiam opinio non versatur solùm circa hoc, An teneat sacramentum factum á ministro sic electo? sed opinio est An possit eligi? id est, licitè eligi; cùm ly *possit* ibi intelligatur moraliter; Et consequenter, An etiam licitè ipse electus ministrare possit? Aliàs enim si de hoc non esset probabilitas, non posset licitè sic electus ministrare.

Dices, Est probabilitas an talis possit eligi? & consequenter an iurisdictionem habeat? ergo opinio versatur circa id quod est in re, an fiat vel non fiat sacramentum? ergo quantumcumque sit opinio An sit licitum sic ministrare, tamen periculum manet non conficiendi in re, quandiu est opinio An habeat iurisdictionem in re? & ita nisi certum sit validè confici sacramentum, non potest probabiliter procedere practicè & licitè.

Dubium, quæ excludat probabilitas & opinio.

Respondetur, Quod vt aliqua opinio practicè non relinquat dubium, non oportet quod habeat certitudinem mathematicam, & securitatem in re de ipso facto, sed sufficit quod habeat moralem & prudentialem securitatem, ita quod moraliter non sequatur periculum; & ita habeat fundamenta, quibus moraliter & prudentialiter, licèt non euidenter, existimet de certitudine facti. Qui enim facit moralem & sufficientem diligentiam, vt in aliquo loco non sit homo, sagittare potest, licèt securius esset non sagittare; quia non tenetur securiorem sequi opinionem, & apponere securitatem in re, sed potest sequi eam, quæ moraliter est secura. Quando autem est facta diligentia, sed non omnino, ita vt adhuc moraliter maneat dubium, non potest sagittare. Sic, qui habet opinionem circa validitatem sacramenti, taliter quod moraliter reddatur certus, & opinari possit de certitudine facti seu validitatis, licèt in re non sit certus, potest secundum illam opinionem vti sacramento; quia moraliter non se exponit periculo, licèt in re & mathematicè non sit certus. Et ita se habet opinio de eligibilitate ministri.

A

Si verò quis habeat opinionem, taliter quod non sit moraliter certus de valore, non potest illa vti; quia practicè est dubius. Est tamen moraliter certus de validitate; quia Ecclesia supplet iurisdictionem, quæ est in sua potestate, quoties est probabile illam habere ministrum, propter communem errorem populi; Et hoc est certum, quod non contingit in materia & forma, quas non potest Ecclesia supplere.

B

Tertiò obijcies, Si quis accedens ad orandum, aut audiendum Missam, non seriò id velit facere, nec cum intentione & attentione, non peccat mortaliter, dummodò alio tempore habeat voluntatem implendi præceptum orandi, aut audiendi Missam; ergo similiter qui accedit ad Sacramentum conficiendum, potest sine intentione & cum mutatione formæ procedere, dummodò alio tempore habeat voluntatem conficiendi Sacramentum, nec ideo tamen grauiter peccabit. In vtroque enim casu acceditur ad aliquid quod inuoluit cultum Dei, ergo sicut in vno non peccatur grauiter, nec in alio.

C

Sacramentum non licet ludicrè tractare.

Respondetur, Esse magnam disparitatem inter vnum & aliud. Primò quidem, Quia oratio non est aliquid sacrum tractandum, quod si sine debita attentione fiat, ideo sit graue peccatum, dummodò aliàs eius præcepto satisfiat. At verò Sacramentum est res sacra & sacratissima, in qua nostrum consistit remedium & peccatorum remissio, & fidei ac Religionis professio; ideoque ex natura sua petit, vt quotiescumque tractatur, debitè & verè tractetur, & non ludicrè.

Ex quo secundò fit, quod oratio purè habet præceptum affirmatiuum, quod non obligat pro semper; sed dummodò aliquando, id est, debito tempore impleatur, extra hoc non est obligatio orandi; ac proinde nec attentionem habendi ad orationem, cùm hæc solum sit præcepta, quando oratio ipsa præcepta est. At verò Sacramenta, & habent præceptum affirmatiuum vt conficiantur, & hoc obligat pro aliquo tempore, & non pro semper; & prætérea habent negatiuum, ortum ex natura rei sacræ, & institutionis Christi, vt quotiescumque ministrantur, verè & seriò & debite ministrentur, propter sacratissimum illud opus, quod tunc fit; & ideo ratione huius negatiui præcepti, scilicet, quod non falsò fiant vnquam, nec indebitè tractentur, & cum magna mutatione, non potest vnquam sacramenti forma sine graui peccato mutari,

D

QVÆSTIO LXI.

DE NECESSITATE SACRAMENTORVM.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem?

CONCLVSIO, SACRAMENTA SVNT DE NECESSITATE SALVTIS.

§ TITVLVS Articuli intelligendus est de omnibus Sacramentis, scilicet non solius Legis Gratiæ, sed etiam Legis Veteris, & Legis Naturæ; cùm de omnibus his in hac Quæst. agat D. Thomas; & rationes eius in hoc articulo, tam in argumento *sed contra*, quàm in corpore, de omnibus procedant Sacramentis. Et dicimus de omnibus, distributione facta *pro generibus singulorum*, seu distributione accommoda; non pro *singulis generum*. Inde verò oritur dubium, Quomodo inquirat An sint necessaria, cùm non omnia sint media ad salutem; Nec enim de ratione sacramenti est, quod sit causa gratiæ & salutis, sed præcisè quod sit signum practicum illius; ergo in ratione Sacramenti, vt signum est, inquiri non debet An sint media, vel sint necessaria ad salutem? si quidem id non videtur esse de ratione Sacramenti.

Respondetur nihilominus, Aliud esse quod Sacramentum sit causa rei sacræ, seu gratiæ, aliud quod sit necessarium ad salutem; illud enim non pertinet ad institutionem, qua signa ista sacra instituta sunt, quasi sit de essentia eorum causas esse gratiæ, quia de se non sunt omnia sacramenta instituta vt causæ, sed vt signa; ideoque essentia eorum non consistit in eo quod est causare gratiam; at verò esse necessarium ad salutem, non inquiritur hic tanquam quid essentiale sacramento; supponitur enim eius essentia iam explicata præcedenti quæst. sed supposito quod essentia Sacramentorum sit esse signa practica gratiæ, & protestatiua fidei, An taliter ordinauerit illa Deus, vt decreuerit salutem non dare hominibus nisi per protestationem & vsum talium signorum? etiam si talia signa non sint causa illius salutis ex vi essentiæ suæ, sed signa. Inquirit ergo D. Thom. de necessitate horum signorum ad salutem, siue causæ illius sint, siue non; sicut obseruatio mandatorum est necessaria ad salutem, licèt non sit causa gratiæ & salutis effectiua, secundum essentiam suam.

DVBIVM VNICVM.

Vtrum conclusio D. Thomæ sit vera?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

VBi communiter aduertunt omnes Expositores, conclusionem posse intelligi in duplici sensu: Vno modo An sint necessaria Sacramenta post eorum institutionem? & hoc agitur infra

A quæst. 65. art. 4. Alio modo, An fuerit necessarium quod Deus Sacramenta instituerit ad salutem hominum? & sic est in præsenti sermo de illa. Hæ enim quæstiones valde differunt; Aliud enim est inquirere de necessitate vsus Sacramenti, post eius institutionem; Aliud inquirere de necessitate instituendi; sicut aliud est quærere de necessitate quæ fuit ad Incarnandum, aliud de necessitate quæ nobis incumbit vtendi remedio Incarnationis. Hîc agit S. Thom. de necessitate institutionis; infra autem de necessitate vtendi Sacramentis institutis.

Et ita Conclusio asserit, Necessarium fuisse quod instituerentur Sacramenta, vbi *necessarium* non sumitur absolutè, sed respectiuè, id est, in ordine ad finem, quod est ad salutem. Et hæc necessitas

B ad consequendum talem finem non sumitur in ordine ad potentiam Dei absolutam, sed ordinariam; & ita idem valet ly *necessarium*, quod congruum & conuenientius, vt clarè S. Thom. dicit in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. Sicut de Incarnatione ipsa, à qua Sacramenta vim habent, & quam repræsentant, supra D. Thom. dixit quæst. 1. art. 2. Non fuisse necessariam simpliciter ad reparationem nostram, sed conuenientiorem & magis congruam. Et sic etiam S. Thom. in rationibus, quas adducit, semper infert; Et ideo conuenienter instituta sunt Sacramenta, &c.

Rationes D. Thom. pro conclusione ista, optimè congruentiam & conuenientiam habere ostendunt. Argumentum *sed contra* ex authoritate

C August. procedens, videtur difficultatem pati; dicit enim August. *In nullum nomen Religionis, seu verum seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu sacramentorum visibilium consortio colligentur*. Ex quo infert S.Th. Ergo Sacramenta necessaria sunt, sicut & adunatio in Religione. Quæ consequentia manifestum continet defectum, à disjunctiua ad partem affirmatiuè. Ponit enim August. disjunctiuam hanc, *Signaculorum seu Sacramentorum*. Quod si dicatur, Non disjunctiuè sumendam propositionem, sed tanquam duo synonyma; & idem voluisse significare August. per signacula, & sacramenta; destruitur sequens Articulus; quia in statu innocentiæ verè adunarentur homines in vnum nomen Religionis, & tamen negat D. Thom. ibi

D futura sacramenta.

Respondetur, Illud verbum, *coadunari*, duo significare posse, videlicet & communicare, seu conuenire in aliqua Religione, & initiari seu suscipere ac profiteri talem Religionem, & consequi eius sanctitatem. Primo modo coadunatio extenditur tam ad statum innocentiæ, quàm peccati, & requiritur consortium signorum externorum, siue sacramenta sint, siue non; sufficiunt enim sacrificia, vel quid simile. Et tali modo sumpta coadunatione, non loquitur hîc S.Thom. in præsenti art. vbi illam consequentiam infert; neque in sequenti, vbi Sacramenta negat statui

Augustini mens, Necessaria Sacramenta seu signacula in quauis religione.

innocentiæ. Secundo modo sumpta coadunatione, sumitur in præsenti art. ex qua rectè infertur requiri sacramenta, seu signacula, quæ sint vera sacramenta; quæ tamen negantur in sequenti articulo; quia non esset coadunatio in statu innocentiæ ad suscipiendam sanctitatem & profitendam; siquidem sanctitatem deberet habere mens immediatè Deo per traductionem naturæ, & non per initiationem sacramentorum, seu signorum exteriorum.

Sacramenta congruè necessaria.

Et hinc sumitur ordo congruentiarum S. Thom. Quia enim homo non accipit iam sanctitatem per traductionem naturæ, oportet quod eam habeat per inquisitionem, seu ab extrinseca applicatione; & ideo sicut spiritualia homo accipit ex corporalibus, sic & gratiam per applicationem corporalium & sensibilium debuit accipere, vt modus naturæ conueniens in spiritualibus acquirendis seruaretur. Debuit etiam medicinam corporali modo accipere, quia subjiciedo se corporalibus, vulneratus fuit, Debuit & sacra exercitia habere, vt euitaret superstitiosa & noxia exercitia; vt autem ea haberet sibi connaturalia & apta, debuerunt sensibiliter ei proponi, & non abstrahi totaliter à corporalibus actibus, ne grauia fierent & ferè impossibilia modo connaturali agendi. Quæ omnia probant conuenientem & necessariam institutionem Sacramentorum, non simpliciter, sed secundum connaturalem & suauem gubernationem.

Soluuntur Argumenta.

Contra hanc conclusionem & eius congruentias objici potest, primò, Nam in statu innocentiæ non fuerunt necessaria homini Sacramenta ad consequendam salutem, vt dicit S. Thom. sequenti art. ergo simpliciter & absolutè Sacramenta non sunt necessaria ad consequendam salutem.

Nec dici potest S. Thom. loqui in hoc art. de Sacramentis solum pro statu peccati; nam de hoc loquitur art. 3. sequent. ergo in isto art. procedit generaliter de omni statu hominis; & deinde postea distinguit de statu innocentiæ & peccati, ergo in ista generalitate loquendo, & abstrahendo ab omni statu, non sunt homini necessaria sacramenta; siquidem solum pro statu, seu ratione status peccati, non autem ex ipsa natura hominis necessaria sunt.

Respondetur, D. Thom. in hoc art. loqui de homine considerato secundum se, & secundum conditiones naturæ suæ, & etiam secundum statum peccati, non autem pro statu innocentiæ. Quod enim loquitur de homine secundum se & conditiones naturæ, constat ex prima & tertia ratione. De homine autem pro statu peccati, loquitur in secunda ratione. Itaque licèt de facto non fuerint in homine nisi status innocentiæ, & status peccati; homo autem in puris naturalibus non eleuatus ad finem supernaturalem, non habebat sacramenta; tamen necessitas sacramentorum ad salutem non solum oritur ex vi status peccati, sed etiam ex conditionibus naturæ; quæ si ad spiritualem finem deducenda est, debuit per talia media deduci.

Et ideo D. Thom. tangens radices huius necessitatis, non loquitur de homine pro illo statu in quo habebat gratiam per traductionem naturæ, nec præcisè de statu peccati, sed de homine considerato secundum suas conditiones naturales, eleuato tamen ad finem supernaturalem; & etiam considerato in statu peccati; ex vtraque enim radice necessitas sacramentorum oritur. In art. autem 3. loquitur de homine pro statu post peccatum, non absolutè, sed ante Christum. Vnde non comprehendit omnem statum peccati, sed determinatum. Nec loquitur de homine secundum quod ei sunt necessaria sacramenta ratione conditionum naturalium, sed præcisè ex statu peccati, quæ est secundum vnum principium necessitatis sacramentorum. In hoc autem art. considerat omnia principia, vnde hæc necessitas oritur; scilicet tam statum peccati, quam conditiones naturales; remoto illo statu, in quo per traductionem naturæ gratia habebatur.

Secundò objicies, In Lege Naturæ, aut Lege Veteri homo fidelis peccans mortaliter poterat consequi salutem sine Sacramento per solam contritionem, non includentem votum Sacramenti, ergo Sacramenta non sunt necessaria ad consecutionem salutis. Anteced. patet, Quia in lege naturæ & veteri non erat aliquod sacramentum Pœnitentiæ, ad quod contritio diceret ordinem, sicut modò dicit ad claues; nec signari potest sacramentum ad quod dicebat ordinem contritio; & si quæ sacramenta erant, habebant vim ex opere operantis, idest, ex contritione suscipientis, ergo contritio ipsa sine ordine ad aliquod sacramentum iustificabat, siquidem ipsa dabat virtutem sacramento, non verò virtutem aliquam à sacramento accipiebat; siquidem erant sacramenta nullius virtutis. Contritionem autem iustificare in ordine ad sacramentum, est habere ab illo virtutem aliquam aut perfectionem in iustificando. Consequent. verò probatur, Nam homo per peccatum mortale est in statu peccati, ergo si sine sacramento potest ab illo resurgere, sacramenta non sunt necessaria simpliciter post statum peccati.

Respondetur, Quod vt dicantur sacramenta necessaria ad salutem, non requiritur quod pro omni modo consequendi salutem fuerint semper necessaria; sed sufficit quod omnis qui consequitur salutem, sacramento vsus fuerit ad illam consequendam; quia saltem ad peccatum originale tollendum, quod simpliciter est necessarium ad salutem, opus fuit sacramento, aut voto illius. Quod autem pro quolibet genere peccati, (videlicet etiam pro actuali) sint instituta sacramenta, pertinet ad abundantiam gratiæ; quæ non pro omni statu, sed pro statu Legis Euangelicæ per Iesum Christum data est. Itaque necessarium fuit ad salutem pro omni statu post innocentiam, sacramento vti; non tamen id necessarium fuit pro omni genere peccati, ita vt pro diuersis peccatis, diuersa essent sacramenta, sicut in lege gratiæ, quia non ita abundabat gratia sicut in isto statu.

Secundò dicitur, Etiam fuisse Sacramentum Pœnitentiæ in statu antiquo, licet non ita determinatum sicut modò, vt dicetur art. 3. Ex quibus contra Hæreticos colliges, ex sacramentorum multiplicitate non subiectionem incurrisse hominem ad signa corporea, sed magnum leuamen; cùm facilior sibi detur via obtinendi gratiam, quàm sine sacramentis, cùm ex abundantia gratiæ ista processerint.

Tertiò objicies ex Cabrer. super istum art. Nam congruentiæ D. Thom. Scilicet quod Sacramenta sunt necessaria propter eruditionem, propter subiectionem, & propter exercitationem hominum, non videntur tenere in multis sacra-

mentis; Nam paruuli per sacramenta non erudiuntur, & tamen eis sunt necessaria. Item multa eorum non possunt iterari, & sic propter exercitationem non sunt necessaria. In multis etiam illorum non humiliatur homo, sed potius extollitur, vt in susceptione Ordinum, in Sacramento Confirmationis, vbi datur plenitudo gratiæ, &c.

Respondetur tamen, Hæc omnia non æqualiter relucere in omnibus sacramentis. Et quidem paruuli, sicut non suscipiunt Baptismum propria voluntate, sic neque erudiuntur in proprio intellectu, sed eorum, in quorum fide baptizantur; & hoc sufficit vt dicantur sacramenta esse ad eruditionem, aut eorum qui suscipiunt, aut eorum qui considerando proficiunt. Sic etiam exercitationem sacramentorum non æqualiter debemus sumere in omnibus; in aliquibus enim intelligi potest de reiteratione ipsorum, in aliis verò de exercitatione quam potest habere homo in consideratione gratiæ & virtutum, quæ per eos dantur. Similiter humiliatio est in Sacramentis, non ex re sacramentorum (quia hæc magnæ dignitatis est) sed ex medio & instrumento, quo datur talis res; scilicet ex corporalibus actionibus, quibus homo subjici debet vt rem tam excellentem assequatur. Quod si inde homo superbiat, suæ malitiæ, non sacramento attribuendum est.

Quartò objicies, Deus non voluit Sacramenta propter nostram salutem, ergo ipsa non sunt necessaria ad salutem. Consequent. patet, Nam in sacramentis non potest esse major necessitas ad salutem, quam Deus per voluntatem suam illis impertiuit; ergo si non voluit Deus sacramenta propter salutem, neque ipsa in se participant necessitatem ad salutem. Anteced. prob. primò, Quia Deus non vult vnum propter aliud, cùm non sit ordo in actibus diuinis, ergo neque sacramenta propter salutem. Si autem Deus non vult vnum propter aliud actiuè, ex parte actuum, ergo neque res passiuè sunt volitæ aliæ propter alias; quia non potest passiuè aliquid esse volitum, nisi propter actiuam volitionem.

Secundò, Quia Deus nec vult sacramenta propter salutem tanquam propter effectum, nec tanquam propter finem, ergo. Non tanquam propter effectum, aliàs sacramenta essent nobiliora quàm gratia, cùm gratia esset volita vt effectus eorum; sicut Incarnatio est nobilior quàm redemptio, quia est volita propter redemptionem tanquam propter effectum, non tanquam propter finem. Nec tanquam propter finem, aliàs etiam essent volita propter Incarnationem, cùm gratia nostra habeat pro fine Incarnationem; & sic sacramenta essent necessaria ad gratiam, quod est absurdum.

Ordo volitorum in Deo, non volitiones

Respond. Negando Anteced. Ad cuius euidentiam notandum est, Quod in volitione diuina non est ordo ex parte actuum voluntatis, sed ex parte volitorum; & ideo non valet a passiua ad actiuam; Est ordo in volitis passiuè, ergo & in volitionibus actiuè, propter variationem appellationis; quia Deus vult simplicissimo actu, sicut & cognoscit; tamen res multas vult, & multas cognoscit; & sic non valet à multitudine cognitorum aut volitorum passiuè, ad multitudinem & ordinem volitionum actiuè. In creata autem voluntate, id valebit; quia specificatur ab obiectis, & ex illis sumit perfectionem. Vnde ordo volitorum non ex volitione descendit, sed potius illam causat; & ita si inuenitur in omnibus volitis, debet inueniri & in volitionibus, quæ ab illis descendunt & participantur, cuius oppositum contingit in volitione diuina.

A

Quare Deus est causa volens sacramenta propter salutem tanquam propter finem & effectum; quia hoc nihil aliud denotat, quàm Deum imprimere sacramentis virtutem, vt sint media & instrumenta gratiæ, quæ causatur per illa: Similiter vult gratiam esse causam finalem sacramenti, sicut vult medicinam propter salutem, quia ordinat medicinam vt medium ad salutem, & vult salutem esse causam medicinæ. Hæc autem omnia operatur vnica volitio Dei, diuidens singulis prout vult; & ita est vnus Spiritus, plura autem dona.

Volita Sacramenta propter nostram salutem.

B

Ad secundam probationem dicitur, Deum velle sacramenta propter salutem, tanquam propter finem & effectum; non effectum causæ æquiuocæ & principalis, sed causæ instrumentalis & medij. Non enim est inconueniens, quod medium ad finem sit causa finis, sicut medicina est causa sanitatis, & meritum causa præmij.

Quintò objicies, Sacramenta, vt dixit S.Thom. quæst. præced. art. 5. *habent duo, & respectum Dei ad nos, in quantum nos sanctificat per illa: & vsum nostri ad Deum, in quantum nos per illa protestamur & exercemus cultum Dei*: sed ex vtroque capite sunt sacramenta simpliciter necessaria, ergo non solum sunt necessaria vt conuenientia ad salutem, sed vt necessaria simpliciter.

C

Min. prob. Nam supposito fine, (scilicet salute nostra) oportuit aliquibus mediis ea nobis applicari; nullis autem aliis poterat quàm sacramentis, quia eo ipso quo sanctificatio nostra non habebatur ex traductione naturæ, ab extrinseco applicari debebat, & consequenter illud extrinsecum esse signum sanctitatis. Ex parte etiam nostra simpliciter est necessaria protestatio diuini cultus, vt sanctificatorem nostrum colamus, cùm id sit de iure naturali; ergo erat necessarium simpliciter.

Confirmatur; Quia Incarnatio fuit simpliciter necessaria ad soluendum de rigore iustitiæ, ergo & nobis est simpliciter necessaria applicatio huius pretij, sicut & ipsum pretium; sed hæc applicatio non potest fieri nisi per aliqua sacramenta, ergo sacramenta sunt simpliciter necessaria ad istum finem, & non solum ad melius esse.

D

Respond. Vtroque modo sacramenta esse tantum conuenientia; non verò necessaria simpliciter. Nam vt Deus applicaret nobis gratiam, non indigebat sacramentis visibilibus, sed sufficiebant actus interiores, sicut sufficiunt quando extra sacramenta iustificamur; Fuit tamen conuenientius vt per sacramenta, tanquam per visibilia media iustificaremur. Nec instari potest de paruulis, qui actum interiorem habere non poterant; Nam posset Deus instituere, quod per actum interiorem offerentium iustificarentur, assumendo illum vt instrumentum iustificationis eorum, sicut modò assumit aquam. Ex parte etiam nostra est conuenientior cultus, qui fit secundum exteriores cæremonias; non tamen simpliciter necessarius, cùm sufficiat sæpe interior; in paruulis verò nullus requiratur.

Sacramenta non simpliciter necessaria.

E

Ad confirmationem Resp. Incarnationis pretium esse simpliciter necessarium supposito decreto Incarnationis; sicut autem posset Deus sine Incarnatione homines saluare, si liberè vellet peccata donare, ita & sine sacramentis ab Incarnatione deriuatis. Imò facta Incarnatione, posset adhuc Deus applicare illud pretium mediante actu ali-

quo interiori, verbi gratia, Fidei aut Charitatis; nec tunc necessaria essent sacramenta visibilia.

Sextò objicies, Sacramenta solum sunt necessaria necessitate præcepti, non verò necessitate finis, ergo de se non sunt necessaria ad salutem, sed ex vi præcepti.

Resp. Ante institutionem sacramentorum, nec necessitate finis, nec necessitate præcepti esse necessaria, sed solum conuenientia & congrua; facta autem institutione, quædam sunt necessaria necessitate medij, vt Baptismus absolutè, & Eucharistia saltem in voto, & Pœnitentia respectiuè; idest, respectu eorum qui peccauerunt mortaliter; Quædam verò sunt necessaria necessitate præcepti tantùm, & non medij.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

IN titulo nota duos terminos: Primus est ly *Ante peccatum*. Secundus est, ly *necessaria*. Per ly *ante peccatum*, intelligitur status, qui fuit ante peccatum absolutè consideratus, idest, non solum secundum quod inuentus fuit in duobus primis parentibus, sed secundum naturam talis status; quod contra Caiet. in præsenti art. notandum est; Nam D. Thom. ex rectitudine status illius, probat non fuisse Sacramenta in eo, ergo loquitur de statu absolutè, & non vt fuit solùm in primis parentibus. Rectitudo enim absolutè ei conueniebat, & ex se, non vt de facto fuit solùm. Per ly autem, *necessaria*; intellige necessitatem congruentiæ ad duplicem finem, scilicet ad remedium peccati, seu gratiam consequendam & salutem, & ad perfectionem animæ, id est, aut eruditionem aut augmentum gratiæ, vel scientiæ. Vtrumque enim finem explicauit hîc S. Thom. & in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 2. & ad vtrumque necessaria esse Sacramenta vt media, negauit.

Probat sanctus Thomas conclusionem, & in Argum. *sed contra*, & in corp. Articuli. In Argum. *sed contra* probat illam, veluti inadæquatè, & considerando sacramenta secundum vnum finem, ad quem ordinantur, & non absolutè; Vnum enim ex officiis quod habent Sacramenta, est, quod sint medicinæ spirituales contra vulnera peccati adhibita; in statu autem naturæ integræ necessariæ non erant medicinæ, cùm non essent ægritudines peccati, ergo. Quæ ratio non totaliter excludit Sacramenta ab illo statu, cùm non sit necessarium quod sacramenta sint medicinæ, sed sufficit esse signa gratiæ; Nam eo ipso quod non erant necessaria ad remedium, restat videre an essent necessaria ad perfectionem gratiæ, vel ad eruditionem in spiritualibus, vel ad habendam absolutè gratiam; quamuis gratia non esset tunc reparatiua & medicatiua peccati, sed perfectiua subiecti.

Quare in corpore art. ex rectitudine illius status, probat S. Thom. non fuisse necessaria Sacramenta. Consistebat enim rectitudo illa in hoc, quod superiora perfectè dominabantur inferioribus, & non dependebant ab eis. Ipsa enim mens subiecta erat Deo; & menti inferiores vires ani- A mæ, & ipsi animæ corpus: Sacramenta autem sunt quid corporale, per quod perficitur anima in superiori parte, & quantum ad supernaturalia; ergo in hoc statu, in quo superiora perfectè dominabantur inferioribus, non erat congruum accipere perfectionem mediante re corporali; siquidem si superiora dominabantur inferioribus, influebant quoque & perficiebant illa, & sic non indigebant rebus corporalibus ad perficienda superiora. Quare non solum ille status non indigebat sacramentis vt medicatiuis, quia non erat quod curarent; sed neque vt perfectiuis, quia inconueniens erat modus perficiendi per medium B corporale animam in supernaturalibus.

Nulla Sacramenta in statu innocentiæ necessaria.

Sed oritur hîc dubium, Quod inconueniens erat perfici superiora per inferiora vt per instrumenta? sic enim magis perficiuntur per principale agens, ex cuius motione perficit instrumentum; præcipuè cum in illo statu perficerentur potentiæ intellectiuæ à rebus sensibilibus, vt ab obiectis, cùm homines scientiam non ex infusione, sed acquisitione ex obiectis habuissent.

Respond. Quod aliud est loqui de instrumentis absolutè, aliud de instrumentis congruentibus illi statui. Absolutè enim non erat inconueniens vti instrumentis corporalibus ad perfectionem illius status, sicut & ad perfectionem An- C gelorum posset Deus assumere instrumenta corporalia; Non tamen erant congrua hæc instrumenta illi statui, idest, non postulabat hoc ex se, & ex propria conuenientia status ille, sicut nec status Angelorum, cùm ille status rectitudinem suam ex superioribus haurire debuisset. S. Thomas autem remouet hîc congruentiam & conuenientiam illorum instrumentorum cum statu illo; non autem absolutè fuisse inconueniens dicit, cùm magis ei conuenerit perfici immediatè per ipsum agens principale, siquidem ei immediatè subjiciebatur mens.

At verò perfici ab obiectis nullum erat inconueniens; quia obiecta exteriora non perficiunt D intellectum nisi per virtutem ipsius intellectus, scilicet per virtutem intellectus agentis; Vnde ipsi objecto dominatur intellectus, cùm per virtutem suam ex illo species eliciat. Quod verò objectum ipsum reciperet virtutem ab alio, vt perficeret animam, hoc erat subjicere quodammodo animam ipsi obiecto, & esset contra statum illum, & eius ordinem; & ideo inconueniens erat perfici animam per rem corpoream, quæ participasset virtutem ab alio; Non tamen perfici per rem corpoream, ex communicatione propriæ virtutis elicientis eam perfectionem. Sicut non est inconueniens quod Angelus virtutem suam communicet corpori; est tamen inconueniens quod per corpus perficiatur, etiam secundum E virtutem participatam ab alio. Vnde & in pœnam eis est, quod per ignem corporeum alligentur, licèt non à virtute ignis, sed à virtute diuina per tale instrumentum fiat illa alligatio.

Perfectio intellectus in eo statu à sensibilibus.

Ex fine etiam Sacramentorum amplius explicatur hæc ratio S. Thomæ. Nam Sacramenta ordinantur adhoc, vt per illa sanctificentur cultores Dei; cùm autem in illo statu homines sancti nascerentur, essetque sanctitas donum naturæ, & non personæ, consequenter ad acquirendam istam sanctitatem sacramenta superfluebant. Ad augendam autem gratiam facilior erat tunc via per actus proprios, & magis connaturales illi statui, sicut & statui Angelorum. Sicut enim Angeli

Angeli per propriam dispositionem, & non per ap- A plicationem ex opere operato auxerunt gratiam, sic in illo statu in quo mens immediatè subijciebatur Deo, conuenientius erat, quod per conuersionem ad ipsum mereretur augmentum. Sicut enim non acquirebatur gratia per applicationem alicuius exterioris, sic neque augeri conueniens erat; quia eædem debent esse causæ acquisitionis & augmenti. Cùm ergo finis primarius Sacramenti sit sanctificatio vtentium & cultorum Dei, cessante hoc fine primario, cessat ratio ponendi sacramenta; cùm finis eorum sit perficere cultores Dei in sanctitate, & his quæ ad sanctitatem ordinantur. Alij autem fines subordinari B debent isti.

DVBIVM PRIMVM.

An Sacramenta de facto fuerint in statu innocentiæ, qui durauit in Adam & Eua?

CONCLVSIO EST NEGATIVA.

ET quia D. Thomæ ratio vniuersaliter procedit de illo statu, & ideo sequenti dubitatione examinanda est, nunc pro ea parte, qua de facto fuit, dubitatio præsens ponitur. Et ideo non indiget ita vniuersali ratione, sicut ea, qua Diuus Thomas vtitur, licèt Caietanus, vt vidimus, C titulum Articuli intellexerit de statu innocentiæ solùm provt de facto fuit, eo quod D. Thom. interrogat de homine ante peccatum, non autem pro statu, qui absolutè esset, sed qui fuit ante peccatum. Præter probationem ergo, quæ vniuersaliter dabitur de statu innocentiæ, & dicetur dubio sequenti, probatur Conclusio, Quia status innocentiæ, provt de facto fuit, solum fuit inuentus in duobus hominibus, videlicet Adam & Eua, qui in magna perfectione & gratiæ & scientiæ creati fuit, & solùm breui tempore erat duraturus; ita quod ille status non fuit datus vt permanens, ergo provt de facto fuit, non requirebat signa permanentia alicuius religionis prote- D statiua, qualia sunt sacramenta; siquidem non debebat permanere, nec dabatur ille status vt permansurus, nec requirebantur sacramenta ad perficiendum in gratia & scientia homines, qui tunc erant; siquidem illi perfecti creati sunt in vtroque, ergo respectu illorum hominum, & respectu status provt de facto fuit, superfluebant sacramenta.

Dices, Licèt ille status non esset in illis hominibus permansurus, hoc tamen non erat ex parte status, sed ex parte defectus illorum hominum, ergo status quantum est ex se, & ex parte status, vt permanens dabatur; & consequenter omnibus illis instructus debebat dari, quibus permansurus esset; & consequenter cum sacramen- E tis & sacrificiis, aliàs institueretur imperfectus & truncus ille status, licèt verum esset quod pro illis duobus hominibus vt sic, necessaria non essent.

Sed contra est, Quia hîc non quærimus de illo statu secundum se sumpto (sic enim in sequenti dubio de illo quæretur) sed de illo statu vt ordinato ad homines, qui de facto fuerunt, An ex hoc habuerit Sacramenta, aut indiguerit illis? Quia bene stat, quod ex se potuerit illa Sacramenta status ille postulare, in ordine tamen ad aliquos superflua essent; & ideo præsens dubitatio solum currit de illo statu de facto, ita quod ly *de facto*, non cadat super ly *statum*, quocumque modo consideratum, sed in ordine ad eos, qui de facto vsuri essent illo statu; non de statu ipso de facto, respectu tamen hominum qui de facto non essent vsuri. Nam de statu in hac consideratione, tractabimus postea. Quare cùm illi, in quibus status iste de facto inuentus est, non indiguerint sacramentis pro eo tempore illius status, siue quantum ad gratiam, siue quantum ad scientiam, quia vtrumque habebant à principio suæ conditionis, non habuit de facto ille status sacramenta, sumendo ly *de facto*, respectu eorum in quibus de facto inuentus est.

Considerando ergo statum illum de facto, non solum ratione sui, sed etiam in ordine ad eos, qui de facto vsuri erant illo, remanet dubium An in illis peculiaris aliqua ratio fuerit vtendi Sacramentis in illo statu, quæ non fuerit in aliis, nec in ipso statu secundum se? Potest autem excogitari peculiaris ratio in Adam, ex quadruplici capite: Primò, Quod essent illi necessaria Sacramenta ad protestandum exterius fidem, & gratias Deo agendas secundum externum cultum, sine quo in Religionis nomen nulli homines conuenire possunt, vt dicit August. Secundò, Quod essent illi necessaria Sacramenta ad augendam gratiam, secundum visibilia signa.

Tertiò, Quod essent necessaria ad aliquod peculiare mysterium signandum; sicut Matrimonium inter Adam & Euam significauit Christum & Ecclesiam; & ideo *Sacramentum magnum* à Paulo dicitur; vel ad signandum id, quod per vetationem arboris scientiæ boni & mali Deus intendebat, aut ad alia mysteria, quæ ænigmaticè reuelata sunt Adamo. Quartò posset dici necessaria fuisse Sacramenta Adam, quia gratiam suam habebat ex Christo præuiso, & meritis eius. Christus autem merita applicat solùm per sacramenta, & ideo vt Christo vniretur gratia eius, indigebat sacramento protestatiuo Saluatoris Christi, seu consummatoris gratiæ.

Sed prima duo exempla sunt communia omni statui innocentiæ, secundum se considerato, & non solùm provt fuit in Adam; ideoque sequenti dubio de eis agetur. Præsertim verò excludendum est Sacramentum ab Adam, quod ex opere operato daret, siue augmentum siue acquisitionem gratiæ; cùm respectu Adam, Christus semper haberetur futurus; & ideo ex opere operato ipsius non poterat gratia ei acquiri, sicut neque in lege veteri dabatur. Si autem solùm ex opere operantis gratiam habere debuisset in illis sacramentis, superfluè videbantur poni, cùm æquè bene per actus virtutum id posset habere; nisi fortè propter mysterium aliquod signandum instituerentur, quod ad gratiam pertineret, quod coincidit cum tertio titulo. Protestatio autem exterior fidei, non est sufficiens ad institutionem Sacramenti, cùm primarius eius finis sit gratiæ practica significatio; quæ si deest, alij fines non sufficiunt.

Multiplex ratio cur non debuerint esse Sacramenta in statu innocentiæ.

Ex tertio etiam capite non fuerunt Adamo necessaria Sacramenta, quia etsi aliqua mysteria reuelata sint Adamo, & aliqua sensibilia tunc gesserint typum & figuram rei sacræ, vt Matrimonium, &c. tamen pro tunc non erant à Deo imposita vt signa practica sanctificationis; Sicut etiam Transitus Maris rubri, & Serpens æneus erant signa rei sacræ; non tamen sacramenta;

vt supra ostensum est, sic & Matrimonium Adæ, quod pro tunc non fuit sacramentum, etsi significaret rem sacram; tum quia non institutum est à Deo vt cæremonia religiosa, & permanens in aliqua religione; tum quia non erat practicum signum sanctificationis Adam pro illo statu, in quo & gratiam accepit sine sacramento, & in ea vlterius proficere aut non potuit propter breuitatem status, aut non debuit propter incongruitatem sacramentorum ad illum. Ac denique, Quia ipse non cognouit mysterium Incarnationis per Matrimonium, sed potius in spiritu & extasi aliquid de illo attingens in proportione & analogia matrimonij, de illo locutus est & prophetauit; non tamen hoc illi datum est in signum cognoscendæ Incarnationis à Deo, quod S. Thom. in 4. Sentent. dist. 1. quæst. 1. art. 2. videtur insinuare.

Ex quarto denique capite non fuerunt etiam necessaria Sacramenta Adamo; Tum quia supposita opinione quod Christus non fuisset incarnatus si homo non peccasset, Christus fuisset ante peccatum caput Ecclesiæ secundum diuinam naturam solùm, vt dicit S. Thom. quæst. 29. de Verit. art. 4. ad 3. Vnde respectu gratiæ datæ homini pro statu, pro quo non erat Christus venturus, non est necesse quod influeret Christus secundum humanam naturam, & consequenter neque secundum sacramenta.

Tum etiam, Quia dato quod illius gratiæ pro illo statu esset auctor, non tamen est necesse quod mediantibus sacramentis ea daretur, sicut nec Angelis; sed sicut gratiæ Angelorum Christus est caput & consummator, nec tamen mediantibus sacramentis; quia naturæ Angelorum non congruit; ita & esset consummator gratiæ illius status, non tamen per Sacramenta; quia illi statui non congruebant, sed per infusionem in ipsa creatione; sicut & aliquos de facto in vteris maternis sine sacramento iustificauit. Non ergo necesse est gratiam per Christum datam, etiam in quantum Redemptor, dari seu applicari per sacramenta, quantò magis quando dat illam solùm vt consummator & perfector.

Denique dicitur, Quod gratia Adam, vt intrat ordinem electionis, & prædestinationis eius ex meritis Christi, *Quia in ipso elegit nos*, Ephes. 1. 4. Et, *Ipse est primogenitus omnis creaturæ*, Col. 1. 15. Cæterum ipsa gratia Adam, non vt intrat prædestinationem eius; sed vt data est pro statu illo secundum communem prouidentiam, non est necesse vt descendat ex Christi meritis; quia gratia cuius est ipse consummator, vt Redemptor, aut peccatum supponit, aut prædestinationem; cùm consummatio gratiæ sine prædestinatione non fit. At verò gratia Adam pro illo statu, & sub hac consideratione, neque peccatum supponebat, vt esset redemptiua; neque a prædestinatione descendebat, cùm non haberet efficacem transmissionem in gloriam pro illo statu; siquidem duraturus non erat, nec in illo aliquis prædestinandus.

Gratia Adami vt a Christo.

Nec dici potest, Habere gratiam efficacem transmissionem ex se, licèt ex impedimento subiecti secuta non sit gloria; sicut non sequitur modo in gratia quæ datur reprobo. Hoc, inquam, dici nequit, Quia etsi gratia ex se ad prædestinationem pertinebat, & eadem gratia postea reparata ad id pertinuit; tamen non accepit statum prædestinationis, nec secundum illum ordinem data est pro statu innocentiæ, in quo nullus prædestinatus aut reprobatus fuit. Modo autem in reprobo, gratia statum habet prædestinationis, cùm in statu quo datur, & prædestinatio sit & reprobatio; ideoque licet actualis peruentio ad gloriam aliquando frustretur in gratia ex defectu subiecti, non tamen deest illi status consummationis eius. Ille autem status in quo nullus prædestinatus est aut reprobatus, non est datus ad consummandam gratiam pro illo statu, siquidem nec status ille consummandus erat, sed relinquendus; & ideo pro illo non respiciebat Christum vt Consummatorem, nec vt Redemptorem, & sic nec influentiam petit per sacramenta.

Soluuntur Argumenta.

Ex dictis solui possunt omnes obiectiones, quæ contra hanc conclusionem fieri possunt. Quod enim dicitur, Adam cognouisse in signis sensibilibus mysterium Incarnationis, vt videtur sanctus Thomas dicere 2. 2. quæst. 2. art. 7. & consequenter Sacramentis sensibilibus vsum esse ad cognoscendas res spirituales, facilem habet solutionem; Primò quidem, Quia D. Thom. non dicit in signis sensibilibus cognouisse illud mysterium, sed quod cognouit illud, & habuit fidem explicitam de Christo vt Consummatore gloriæ, licet non vt Redemptore, & quod hoc cognouerit, inquit, ex eo patet, quia dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* Genes. 3. 23. Non ergo per Matrimonium tanquam per signum id cognouit, sed alio modo cognitum manifestauit per illud signum; quod & in præsenti art. insinuat solut. ad 3. vbi dicit, *Matrimonium illud ex consequenti significasse Christum, non verò esse institutum vt sacramentum.*

Secundò dicitur, Quod etsi per signum illud mysterium cognouit, non tamen ideo illud erat Sacramentum; quia non erat signum practicum sanctificationis Adam, sed signum præcisè datum ad cognoscendum, & consequenter speculatiuum, sicut transitus Maris rubri, &c. Non enim omnia signa rei sacræ quomodocumque, Sacramenta sunt, sed illa quæ sunt signa rei sacræ vt sanctificantis nos. Ex quo etiam patet, quod ad protestandam fidem & cultum Dei, ad reddendas Deo gratias, ad cognoscenda beneficia eius, &c. poterant quidem in illo statu habere signa aliqua externa, vt sacrificia, & actus exteriores virtutum; hæc tamen omnia non faciunt rationem signi practici sanctificantis nos, & ita non constituunt sacramenta.

Signa externa in statu innocentiæ, sed solùm speculatiua.

Nec tamen propter hoc ponimus accepisse Adam cognitionem rerum spiritualium ex signis sensibilibus; tum quia licèt non sit inconueniens aliqua signa ei attribuere, quoad speculatiuam cognitionem spiritualium acquirendam, in his quæ ipsi non debebantur; nec ad perfectionem debitam illi statui pertinebant, vt sunt aliqua peculiaria circa Incarnationem Christi, aut speciales effectus gratiæ; esset tamen inconueniens, quod in perfectione sibi debita acciperet ex sensibilibus cognitionem spiritualium, & ideo practica signa habere non debuit in ordine ad res spirituales; Tum etiam, quia ista signa non erant in Adam, aut in illo statu ad acquirendam perfectionem spiritualem & cognitionem, sed potius ex abundantia cognitionis spiritualis, redundabat in hæc exteriora vt tam interius, quàm exterius

coleretur Deus; Vnde non ex indigentia, sed ex A abundantia signis exterioribus vtebatur. Sacramentis tamen vti non posset, nisi ex indigentia, non ex abundantia; quia illa dantur ad præbendam sanctificationem, & consequenter non ex abundantia illius oriuntur, siquidem illam præbent, & ad eam præbendam ordinantur. Deficiente autem fine isto, qui primarius est in Sacramentis, deficit & ratio ponendi Sacramenta, quamuis alij videantur remanere fines.

Quod etiam objici potest ex parte Christi, qui erat dator gratiæ in illo statu, jam supra solutum est; præcipueque illa solutio aduertenda, Quod quamuis daretur, gratiam illius status a Christo B esse deriuandam, non tamen id oportebat fieri per Sacramenta; siquidem neque in hoc statu peccati semper sacramentis alligata fuit gratia Christi. Nec obstat quod Christus fuit consummator illius gratiæ, quæ erat in Adam; tum quia non fuit consummator per sacramenta; tum quia non fuit consummator illius pro statu innocentiæ, qui non fuit status consummationis & prædestinationis, sed pro alio statu.

DVBIVM SECVNDVM.

An absolutè loquendo, etiam si status ille durasset, in illo essent futura Sacramenta, saltem pro filiis Adam?

CONCLVSIO EST NEGATIVA; & præcipuè hic a D. Thoma intenta.

PRo eius autem intelligentia, & rationis Diui Thomæ, quæ difficilis videtur, Primò aduertendum est, Rationem S. Thom. procedere ex modo illius status, & natura eius intrinseca, ideoque currere, siue supponatur Christum venturum in eo statu, siue non.

Sacramentorum manuductio imperfectior quam pro statu innocētiæ.

Secundò est notandum, Quod perfici intellectum a sensibilibus dupliciter potest intelligi: Vno modo quantum ad acceptionem specierum ab objectis; & hæc dependentia intellectus ab obiectis D externis in intellectu humano non est imperfectio. Alio modo quantum ad manuductionem in res superioris ordinis, quarum influxum impeditur homo perfectè suscipere ex retardatione appetitus sensitiui, & ideo oportet quod condescēdendo ad infirmitatem eius, perfectionem illam quæ ex influxu superiori sibi debebatur, accipiat per media sensibilia; Nam ea quæ sunt supernaturalia, & ex infuso lumine noscuntur, non habent per se ex sensibilibus accipi, sed ex superioribus descendere; non quia species infusas ad id requirant, sed quia instructio & traditio huiusmodi cognitionis, potius petit per se fieri ex infusione Spiritus sancti, quam ex hominum disciplina & acceptione. Nam etiam Sacramenta modò non seruiunt ad accipiendas species rerum supernaturalium, sed ad manuducendum nos in illa. Hæc ergo manuductio, ex superiorum influentia, non ex signorum acceptione debuit fieri.

Vnde si instructio & doctrina in supernaturalibus fiat per manuductionem & disciplinam, sicut in naturalibus, id supponit non esse rectum ordinem, nec seruari rectitudinem in subiectione mentis ad Deum, siquidem in his, quibus Deo subjici mens debet, id est, in instructione supernaturalium, oportet id fieri ad modum instructionis & disciplinæ humanæ, scilicet per traditionem signorum & sacramentorum. Sicut enim acquisitio scientiarum per disciplinam, imperfectius lumen supponit, quàm acquisitio earundem per inuentionem; sic acquisitio supernaturalium per influentiam Dei, rectitudinem supponit, quam non habet acquisitio illorum per instructionem signorum; Supernaturalia enim per inuentionem nostram acquiri non possunt, cùm non sint sufficientes ad id vires naturales.

Oportet ergo quod acquirantur ex influxu superiori; & iste est modus connaturalis acquirendi ea. Sicut autem attestatur perfectum lumen naturale, quando per inuentionem acquiruntur scientiæ, magis quàm si per disciplinam acquirantur; ita & perfectum modum influendi supernaturaliter, & acquirendi supernaturalia, quando ex influxu ipso, & non ex instructione sensibili accipitur; quia hoc est subjici & dependere à rebus sensibilibus, in his in quibus per se non pendet ab eis; id est, in acquisitione supernaturalium, quæ per se habet ex influxu supernaturali haberi, & ex illo instructionem eorum dari.

Et sicut Apostolis & Prophetis Deus influebat cognitionem rerum supernaturalium per se immediatè, & tamen species infusas non semper præbebat; quia vt determinat sanctus Thomas 2. 2. quæst. 173. art. 2. Non semper Prophetis da- C bantur species diuinitus impressæ, sed sufficit esse diuinitus ordinatas; sic & in statu innocentiæ, iustificationem & cognitionem supernaturalium ex immediato Dei influxu & vnctione oportebat accipi, licet species præsupponeret per imaginationem acceptas & per sensum. Et ita instructionem in supernaturalibus oportebat à Deo fieri, cui immediatè subordinabatur mens, licèt fieret per species rerum sensibilium.

Tertiò notandum est, Quod rectitudo illius status, quæ consistebat in ordinatione superiorum & inferiorum potentiarum, præcipuè relucere debebat in eo, quod superior ita subiectum sibi haberet inferius, vt per se ipsum sufficienter moueret illud ac dirigeret; ita quod sine mediis instrumentis ac remediis, ad nutum superioris dirigeretur moueretur que inferius; aliàs enim status innocentiæ perfectus non esset, si perfectè in illo non inueniretur ordinatio & subiectio; Non inueniretur autem ista perfectè, si id quod superius est, se solo non conuenienter & sufficienter moueret inferius, in his, in quibus per se ei debet subjici, & ab eo perfici: Vnde si influxum & motum, quo sibi superius debet subjicere id, quod inferius est, exercere & apponere debet mediantibus extrinsecis mediis aut remediis, attestatur non esse plenam nec perfectam subiectionem. Sicut autem corpus tunc in illo statu subjiciebatur animæ, & potentiæ inferiores E potentiis superioribus, sic & mens subjiciebatur Deo, non solùm in ratione entis & naturæ (sic enim semper ei subjicitur in omni motu & in omni actione) sed etiam in ratione supernaturali & morali & in rectitudine virtutis.

Sacramenta pro statu innocentiæ incongrua.

In hoc ergo genere, sicut potentia superior per donum iustitiæ originalis continebat inferiorem, ne insurgeret contra se; sic & Deus in motu supernaturali & morali, sibi ad nutum & immediatè mentem subjiciebat. Non ergo necessaria poterant esse instrumenta extrinseca & sensibilia, vt per eorum susceptionem, protestationem aut effectionem perficeretur homo in his, in quibus ad supernaturalem perfectionem a Deo mo-

uente & perficiente dirigebatur, & in perfectione sibi debita, ex vi subiectionis mentis ad Deum in spiritualibus, sicut post peccatum, in his, quibus homo debet subdi Deo, perficitur per sacramenta.

Ex his elicitur & explicatur ratio sancti Thomæ, quæ sic formari potest; Status innocentiæ talis erat, vt in eo superiora inferioribus dominarentur, & nullo modo dependerent in hac dominatione exercenda ab inferioribus, & in hoc ordine constituendo, & perficiendo: igitur esset contra hunc statum & eius ordinem, si perficeretur anima vel quantum ad gratiam, vel quantum ad scientiam debitam huic ordini & directioni eius, ab alio quam à superiore, cui subjiciebatur, & per aliquid corporale perficeretur, in his, quæ ad huiusmodi subiectionem pertinent, siue quantum ad gratiam, siue quantum ad scientiam. Sacramenta autem sunt quid corporale, ordinata vel ad remedium peccati, vel ad perfectionem animæ; siquidem ad sanctificationem cultorum Dei ordinantur, & ad ea quæ ad sanctificationem requiruntur quantum ad scientiam.

Igitur si status ille rectificabatur ex ordinatione superiorum & inferiorum, & ex perfecta dominatione superiorum in inferiora, nulla erat necessitas quod hæc perfectio acciperetur per corporalia media; imò contra talem ordinem id esset; Sacramenta autem solùm ordinantur ad talem perfectionem, quæ in subiectione mentis ad Deum reperitur, quia in hoc consistit sanctificatio nostra, & per hoc habetur gratia Dei, & hanc etiam comitatur scientia, quam Sacramenta sub sensibilibus signis de nostra iustificatione præbent; frustra ergo tunc Sacramenta essent ad perficiendum animam, vbi ipsa ex subiectione ad Deum perfectionem hanc habebat.

Scientia status innocentiæ.

Intelligit autem sanctus Thomas per scientiam hîc, eam quæ ex influxu & instructione Dei habetur, siue sit habitualis, sicut modo datur per Sacramenta infundentia fidem; siue quantum ad actualem, qualis illi statui congruebat etiam in pueris, ex vi iustitiæ originalis, sicut prima parte quæst. 101. art. 1. prudentiam in pueris fuisse, vt dirigerentur in operibus iustitiæ, agnoscit sanctus Thomas.

Soluuntur Argumenta.

Sed contra hoc obiicies primò, Homini, etiam in illo statu, congruum & proprium est spiritualia accipere per sensibilia, ergo & congruum est quod per Sacramenta sensibilia ferretur ad spiritualia. Patet consequentia, Quia si spiritualia per sensibilia debebant accipi, etiam per signa sensibilia conueniens erat in ea tendere; & consequenter per Sacramenta. Antecedens verò probatur, Quia hominis natura est vt per sensus acquirat anima omnem cognitionem modo connaturali, ergo & cognitionem spiritualium per sensus acquirere debet, & consequenter per sensibilia.

Confirmatur, De facto in illo statu cognitio acquirenda erat per sensibilia, & conuersionem ad phantasmata; nec enim pueri nascerentur cum scientia, nec eis infunderetur, sed per acquisitionem haberent, vt docet sanctus Thomas 1. p. quæst. 101. articulo 1. ergo etiam cognitio rerum supernaturalium per sensibilia accipienda erat.

A Consequentia patet primò, Quia cognitio supernaturalium in homine proportionari debet cognitioni naturali, quantum ad modum acquirendi & habendi eam: secundo, Quia non debebant fieri singulis hominibus reuelationes interiores, sed per traditionem aliorum hominum res fidei addiscerent, ergo per signa sensibilia debebant hæc accipere; ergo eadem ratione per Sacramenta posset eis tradi huiusmodi cognitio.

Item futuræ essent tunc voces externæ, scripturæ, imagines, signa ad memoriam iuuandam, &c. ergo in multis perfici debebat mens per sensibilia,

B atque adeò per signa rerum sacrarum debebat etiam perfici.

Respond. distinguendo anteced. Proprium est accipere spiritualia per sensibilia, quantum ad id in quo subordinabantur inferiora superioribus, & accipiebant & mouebantur ab eis, nego antecedens; quantum ad id in quo non fiebat ista subordinatio, nec per se dominabantur superiora inferioribus, transeat. Vel absolutè negandum est antecedens argumenti; Nam licèt hominis natura sit, vt per sensibilia transeat ad spiritualia, & ex sensibilibus acquirat cognitionem, vt ex obiectis, non tamen vt ex mediis acquirendi; quia hoc solum contingit quando aliàs mens non habet perfectionem suam ex subiectione ad Deum. Ad probat. dicitur, Quod hominis natura est vt acquirat per sensus cognitionem suam, quantum ad id in quo non per se pendet subordinatio inferiorum & superiorum, non autem quantum ad id in quo per se pendet. Item, Pro illo statu naturale est homini acquirere cognitionem a sensibus; quantum ad id in quo se extendit lumen naturale, concedo; quantum ad id quod exigit lumen supernaturale, nego.

Perfectio hominis per sensibilia vt obiecta, non vt media.

C

Explicatur hoc. In statu innocentiæ mens subjiciebatur Deo, & vires inferiores menti, &c. omne ergo quod per se requirebatur ad talem subiectionem, & actualem & habitualem, non à

D sensibilibus accipiebatur, sed ex vi talis subordinationis & rectitudinis, siue quantum ad naturalia, siue quoad supernaturalia. Vnde vt dicit S. Thomas loco citato 1. p. licèt pueri in statu innocentiæ acquirerent notitiam per sensus, tamen nunquam haberent ignorantiam, id est, priuationem scientiæ debitæ illi statui & ætati, sed habuissent sufficientem scientiam ad dirigendum eos in operibus iustitiæ, quamuis species obiectorum non essent infusæ à Deo, sed per sensus acquisitæ; sic tamen vt ex statim ordinarentur, quantum sufficiebat ad habendam scientiam de his, in quibus dirigi debebant. Et similiter est in supernaturalibus.

Nulla ignorantia in statu innocentiæ quasi priuatiuè, pro eius status ratione.

E Vnde quantum ad hoc, quod est instrui in scientia necessaria ad directionem suam, ita vt careant ignorantia, non dependebat anima a sensu, sed à rectitudine status, & subordinatione inferiorum ad superiora, licèt supponeret species haustas ab obiectis naturali virtute; hoc enim non est pendere à sensibilibus formaliter loquendo, & vt à perficientibus, vt post dicetur. Itaque licèt acciperent cognitionem a sensibilibus vt ab objectis, non tamen vt à manuducente aut instruente, sed id fiebat ex dominatione superiorum in inferiora, quantum ad id quod talis dominatio & subordinatio præcise requirebat, Nec enim aliud etiam præstant Sacramenta, nisi quod ad sanctificationem & iustificationem habendam necessarium est

ſcire, alia enim per diſcurſum colliguntur & ſpeculationem.

Ad confirmat. Reſp. Veram eſſe doctrinam D. Thomæ, eamque ſaluari tum in acceptione ſpecierum ab obiectis, tum in inſtructione & manuductione, ſeu diſciplina, in his, in quibus non per ſe pendet ſubordinatio inferiorum a ſuperioribus; in his autem in quibus erat debita cognitio & perfectio pro directione inferiorum à ſuperioribus, cùm nulla tunc eſſet ignorantia, non pendebat à ſenſibilibus vt ab inſtruentibus & manuducentibus cognitio illa.

Ad primam probat. conſequent. reſp. Proportionari cognitionem ſupernaturalium cognitioni naturali, quantum ad aliquid, non quantum ad omnia, ſcilicet quoad dependentiam ab obiectis, indigentia conuerſionis ad phantaſmata, &c. non tamen quantum ad hoc quod inſtruens & manuducens in vtroque ſit res ſenſibilis, ſed Deus ipſe deberet perficere mentem, ex ſubiectione omnimoda quam haberet ad Deum, quantum ad ea quæ talis ſubiectio & perfectio requirit.

Scientia naturalis & ſupernaturalis, eu debita ſtatui innocētiæ.

Ad ſecundam probat. dicitur, Quod ſicut S. Thomas citatus dicit, quod pueri non haberent ignorantiam, ſed ſufficientem ſcientiam vt dirigerentur in operibus iuſtitiæ, ſic & haberent ex influxu diuino, & omnimoda ſubiectione mentis ad Deum, eam cognitionem fidei, quæ ad ſupernaturaliter dirigendum eos neceſſaria erat. Alia tamen myſteria fidei, aut peculiarem intelligentiam eorum, non eſſet inconueniens per traditionem & ſigna ſenſibilia habere; ſicut Adam ſignis aliquibus vſus eſt ad res ſacras & myſteria reuelata exprimenda. Vnde & eſſent voces & ſcripturæ, &c. quæ ad communicationem externam neceſſaria ſunt; non tamen Sacramenta, quæ ad cuiuſque interiorem perfectionem & ſanctificationem ordinantur. In his enim quæ concernebant ſubiectionem hominis ad Deum non debebat homo perfici, nec inſtrui per ſenſibilia, ſed à Deo.

Scientia à Deo in eo ſtatu.

Secundò obijcies, Nam ratio Diui Thomæ, aut nimis probat, aut non valet. Etenim perfici ſuperiorem mentem à ſenſibilibus non erat inconueniens illi ſtatui, cùm ab obiectis haurire deberent homines notitiam & cognitionem; ergo ſi non erat inconueniens perfici à ſenſibilibus, in his quæ naturaliter homo cognoſcit, quomodo erit inconueniens in his, quæ ſupernaturaliter cognoſcit? cùm hæc imperfectius attingantur.

Confirmatur, Quia rationes ob quas homines Sacramentis vtuntur, etiam currunt in ſtatu innocentiæ; vt quod oporteat homines ſignis externis & cæremonijs coadunari in vnum nomen religionis, & quod homini connaturale eſt per ſenſibilia tendere ad ſpiritualia, & quia homo conſtat corpore & anima, & ſimpliciter eſt corporeus & ſenſibilis, ergo vti debet Sacramentis ſenſibilibus, quæ rationes æquè currunt in ſtatu innocentiæ, vt de ſe patet.

Confirm. ſecundò, Nam multæ ſunt vtilitates in Sacramentis, propter quas erat congruum vt in illo ſtatu inſtituerentur, vt ad proteſtationem externam religionis & fidei, ad reddendas Deo gratias, ad repræſentationem externam myſteriorum fidei, ad augendam gratiam per eorum ſuſceptionem, ſicut & per exercitia externa virtutum, ergo non eſt cur non dicatur fuiſſe congruum vt tunc inſtituerentur.

Reſpondetur ad principale Argumentum, Optimam eſſe rationem S. Thomæ, Nam licet perficeretur in illo ſtatu mens ab obiectis externis, accipiendo ab eis ſpecies, tamen hoc fiebat media luce & virtute intellectus agentis, non ex eo quod ab obiectis ipſis manuduceretur intellectus; at verò ſi inſtrueretur in ſupernaturalibus, & manuduceretur per ſenſibilia, non hoc fieret ex virtute ipſius intellectus agentis, nec ex perfecta ſubiectione ad Deum, ſed ex dependentia & ſubiectione ad inferiora. Hoc enim quod eſt ab obiectis haurire ſcientiam, imperfectio non eſt, aut ſubiectio ad ſenſibilia, ſed perfectio humani intellectus & luminis. Nam perfectio intellectus agentis eſt, quod & illuminet materiam ſibi propoſitam in phantaſmatibus, & inde imprimat ſpecies in intellectu poſſibili, illumque illuſtret; ſicut lux exterior, quæ colores illuſtrat, & potentiæ viſiuæ ſpecies imprimit. Intellectus autem non perficitur ab obiectis ſecundum ſe, ſed vt virtuti & lumini intellectus agentis ſubſunt. Et ita non imperficitur ex hoc quod a ſenſibilibus quaſi materialiter & obiectiue pendeat.

Perfectio intellectus ab obiectis, & vi à manuducente; primum, eius naturæ, alterum, imperfectionis.

At verò ſi eſſent tunc Sacramenta, vt per illa inſtrueretur homo, & perficeretur in ſupernaturalibus, acciperet per ſenſibilia inſtructionem & perfectionem, quam ex ſubiectione mentis ad Deum, & dominatu Dei in mentem habere debebat. Vnde ſicut eſſet contra naturam hominis, quod per obiecta ipſa reciperet lumen & virtutem intellectus agentis, ſic eſt contra illum ſtatum quod perfectionem, quam ex ſubiectione mentis ad Deum habebat (hoc eſt, ſanctificationem ſuam) ex ſignis externis eliceret, & ſimul ſcientiam, quæ ad hanc iuſtificationem exercendam requiritur.

Non ergo eſt inconueniens, quod ab obiectis perficiatur mens, quaſi obiectiuè (effectiuè enim à virtute intellectus agentis perficitur) inconueniens tamen eſt, quod perfectionem quam effectiuè habebat ex dominatione Dei in mentem, & inſtructionem quam per hanc ſubiectionem accipere debebat, ex externis ſignis & ſenſibilibus inſtrumentis acciperet; quia hoc atteſtatur non perfectè ſubijci mentem Deo; ex obiecto tamen perfici obiectiuè, ſed non effectiuè, non atteſtatur imperfectionem virtutis, ſed naturæ.

Imperfectio virtutis, & naturæ.

Ad primam confirmat. Reſp. Illas rationes non currere in eo ſtatu, in quo ſanctificationem ſuam homo ex ſubiectione mentis ad Deum accipiebat, & non ab externis ſignis; & ideo connaturale ipſi non erat ad ſpiritualia tendere per ſenſibilia, quantum ad ſanctificationem ſuam, ſed ex ſubiectione mentis ad Deum. Et cùm Sacramenta eſſentialiter ordinentur ad ſanctificationem noſtram, deficiente hac ordinatione & fine, ceſſat ratio ponendi Sacramenta. Et ita coadunari poſſent homines in vnam religionem per ſigna externa, non quæ ordinarentur ad ſanctificandum homines, ſed quæ ex ſanctificatione eorum deſcenderent. Non enim quodlibet ſignum rei ſacræ Sacramentum eſt, niſi ſit ſanctificans nos. Similiter licèt homo tunc conſtaret corpore & anima, non tamen eodem ſtatu quo nunc; ſed anima perfectè ſubdita Deo, & ex hac ſubiectione participante ſupernaturalem perfectionem, non ex ſenſibilibus.

Sacramentorum finis primarius, noſtra ſanctificatio, ſine quo nec Sacramenta.

Ad ſecundam confirmat. dicitur, Omnes illas vtilitates non eſſe ſufficientes ad Sacramenta inſtituenda, ſi deſit primarius & principalis finis Sacramentorum, quod eſt ſanctificari nos per illa; ſicut non veniret Chriſtus in carne paſſibili, ſi de-

ficeret finis redimendi à peccatis, licet aliæ congruentiæ essent. Ad augendam autem gratiam tunc non seruirent Sacramenta, tum quia idem modus quem postulabat status ille ad acquirendam gratiam, etiam ad augendam; cùm per easdem causas augeatur, & acquiratur res, & ita si homo ex subiectione mentis ad Deum sanctificabatur, eodem modo & in gratia crescebat; tum etiam quia vel Sacramenta augerent gratiam ex opere operato, seu ordine ad illud, vel ex opere operantis præcisè.

Non primum, Quia vel in illo statu non veniret Christus, vel si veniret, non mediante redemptione sua, (quod est opus operatum, seu ex meritis eius) homines acciperent gratiam, sed ab ipso vt consummatore, sicut modò Angeli, ideoque non indigerent protestatione operis operati ad augendam gratiam: alias cùm non minus augmentum gratiæ penderet ab isto opere operato, aut meritis Christi, quam acquisitio gratiæ, oporteret etiam ad acquirendam gratiam opus illud operatum protestari & sic non nascerentur naturaliter sancti.

Non secundum, Quia tunc non magis seruirent illa signa ad merendum, quam quælibet opera externa virtutum, & sic essent superflua, nec vt Sacramenta essent necessaria. Vetera autem Sacramenta, etsi solùm per opus operantis conferebant gratiam, tamen erant imperfecta & vmbræ futurorum. In statu autem innocentiæ imperfecta & vacua Sacramenta non congruebant, sed perfecta.

Tertiò obijcies, In illo statu possent homines peccare, sicut de facto peccauit Adam; ergo pro illis reparandis decebat Sacramenta esse, & sic si in illo statu non erant impossibilia vulnera, neque essent incongruæ medicinæ.

Respondetur primo S. Thomam non loqui de statu innocentiæ respectu illorum qui peccabant, & excidebant ab eo, sed respectu ipsius status innocentiæ; Qui enim cadebant per peccatum à statu illo, non iterum recuperare poterant statum innocentiæ, licèt recuperarent gratiam. Et ideo consulto S. Thomas non quæsiuit in art. An in statu innocentiæ essent necessaria Sacramenta? sed, Vtrum ante peccatum homo indiguisset Sacramentis? Non ergo loquitur de hominibus post peccatum, siue durante statu innocentiæ siue non, sed loquitur de statu ante peccatum, id est, de statu innocentiæ formalissimè accepto.

Status innocentiæ irreparabilis.

Secundò Respond. Quod illi qui in illo statu exciderent à gratia, incertum est quomodo reuocarentur ad illam. Fortassis enim non daretur illis locus pœnitentiæ, sicut nec Angelis. Primo autem homini datus est locus pœnitentiæ, quia datus est Redemptor: quod si ad pœnitentiam aditus pateret, non debemus dicere quod sufficeret attritio cum Sacramento; esset enim nimia indulgentia; si autem requireretur Contritio, ipsa sine Sacramento sufficeret, atque adeò Sacramentum Pœnitentiæ non erat necessarium.

Incertum, an illo durante esset peccantibus locus pœnitentiæ.

Sed data hypothesi quod Filius Dei in eo statu venisset, & Sacramenta institueret pro illis qui peccarent, An alij iusti vterentur huiusmodi Sacramentis? Respond. Non vsuros illis, quia pro eorum statu non essent instituta; vterentur tamen eis, quæ peccatum non præsupponunt, vt Eucharistia, Ordine, Confirmatione, &c. quia etsi non essent necessaria pro illo statu, si tamen de facto à Deo instituerentur, illis vti possent pro augenda gratia.

Quartò obijcies, Essentia Sacramenti saluatur A in eo, quod sit signum practicum gratiæ, etiam si eam non efficiat, nec sit remedium peccati; ergo non repugnabant Sacramenta cum illo statu. Patet consequent. Quia non repugnabat hominem vti tunc signis practicis, vt contractibus, sicut de facto vsus est Matrimonio vt contractu, ergo neque signis practicis gratiæ, etiam si non efficerent gratiam.

Respond. Quod Sacramenta eo ipso quod sunt signa practica gratiæ, taliter ordinantur, vt per eorum protestationem & susceptionem gratia & sanctificatio acquiratur; alias si eorum susceptio & protestatio ad id non seruirent, frustra & su- B perfluè ponerentur: Sicut si per inuestituram & traditionem annuli non institueretur Episcopus, frustra diceretur signum practicum illius, quamuis ad hoc necessarium non esset effectiuè Episcopatum imprimere. Licèt ergo tunc homines vterentur signis practicis & contractibus, non tamen deberent vti signo externo ad res spirituales, siquidem ex subiectione ad Deum illas habebant, licet possent vti signis externis ad res politicas. Negatur ergo consequentia argumenti; & disparitas inter signa practica, quæ essent contractus, & quæ essent Sacramenta, ex dictis colligitur.

Signa aliá practica, & gratiæ practica.

Quintò obijcies, In statu innocentiæ essent fu- C tura Sacrificia, ergo & Sacramenta. Consequent. patet, Quia si non est inconueniens quod signis externis colatur Deus, neque est inconueniens quod signis externis cultores eius sanctificentur. Anteced. autem prob. Quia de lege naturæ, in quocumque statu sumptæ, est quod Deus colatur, non solùm vt author animæ, sed etiam vt author corporis, & quod homo subijciatur illi, non solum spiritualiter & interius, sed etiam corporaliter & exterius; ergo mediantibus aliquibus signis exterioribus; sacrificium autem actio & signum est exterius protestatiuum diuinæ excellentiæ, ergo.

Confirmatur, Propterea homo in illo vteretur D Sacrificijs, quia constat corpore & anima, & in vtroque Deum debet colere, ergo eadem ratione deberet vti Sacramentis; quia cùm constet corpore & anima, oportet quod sanctificationem suam non solùm spiritualiter, sed corporaliter applicatam haberet, id est, mediante signo corporali.

Resp. concesso anteced. negando consequent. Et ratio differentiæ est, Quia cultus Dei externus est aliquid debitum Deo, ex subiectione quam habet homo Deo non solùm spiritualiter, sed etiam corporaliter; sanctificationem autem ipsius hominis fieri per signa corporalia, non est debitum naturæ humanæ, quando talem statum habet, vt perfectissimè Deo subijciatur; quia ex vi subie- E ctionis huius, sanctitatem hanc habere debet. Itaque non est inconueniens, in statu innocentiæ signa externa esse; quibus homines in rebus sacris communicarent (hoc enim potius perfectionem dicit, cùm hæc signa ex sanctificatione interna dimanarint) sed inconueniens est subijci hominem in eo statu his signis, ita vt ab eis suam sanctificationem & perfectionem emendicauerit; Vti autem signis non subijciendo se illis, sed potius illis perfectionem dando, inconueniens non est.

Sacrificia in statu innocentiæ, non Sacramenta; horum discrimen.

§ Ex quo soluitur confirmatio, Quia enim homo constat corpore & anima, in vtroque debet Deo cultum reddere, secundum protestationem interiorem & exteriorem. Quia tamen constat corpore & anima perfectè Deo subiecta, non debet sanctificationem suam ex signis externis,

sed ex ipso Deo accipere. Et quidem cùm sanctificatio sit quid solùm spirituale, non est per se loquendo necessariũ eam applicari corporaliter: cultus autem Dei & spiritualiter & corporaliter debet exhiberi, quia in vtroque subijcitur homo Deo. Cæterum in patria, neque sacrificia erunt; quia vbi est veritas clara, omnis signorum vmbra fugit, & ita non oportet in signis exterioribus ibi Deum colere, quem clarè omnes vident; sed illis solùm signis, quibus est clarè Deum colere & laudare, coletur Deus; vt vocali laude, non sacrificiorum vmbris.

In patria, nulla sacrificia, sed vocales laudes.

Sexto obijcies, Ad proficiendum in cognitione Dei non erat inconueniens in illo statu vti hominem creatura & effectibus Dei, vt in eius cognitionem per discursum veniret, ergo neque similiter erat inconueniens signis à Deo institutis vti, vt clarius & distinctius de Deo cognosceret. Sicut enim ex corporeis creaturis assurgebat ad Deum, ita & ex sensibilibus signis.

Confirmatur primò, Quia mysteria fidei non tradebantur in eo statu sub omnimoda claritate, sed sub ænigmate & metaphoris, sicut Adam sub Matrimonio intellexit Christi ad Ecclesiam coniunctionem, ergo sub signis sensibilibus velari debebant hæc mysteria; nec enim aliter poterant velata tradi, quàm sub rebus corporeis, cùm homo corporeus sit. C

Confirmatur secundò, Nam non est inconueniens Angelum aliquid accipere ab homine, iuxta illud Ephes. 3. 10. *Vt innotescat Principatibus & Potestatibus per Ecclesiam in cœlestibus, &c.* ergo neque inconueniens erat, quod in statu innocentiæ homo acciperet ab homine, ea quæ ad perfectionem suam pertinent; hoc autem per signa sensibilia fieri debebat, ergo non erat inconueniens vti signis sensibilibus, & consequenter Sacramentis.

Respond. negando consequent. Nam etiam Angeli ante suam beatitudinem Deum solùm ex effectibus intelligebant, & sic intelligunt modò Deum extra Verbum, non tamen decuit propterea vti signis à Deo institutis. Ratio autem disparitatis in homine pro eo statu ea est; Quia ex effectu colligere causam, & ad eius cognitionem assurgere, est propria hominis perfectio, & connaturale illi; & consequenter si solùm à Deo instituerentur signa, vt ex eis Dei cognitionem acciperet, non esset magis inconueniens, quàm ex creaturis, quæ naturalia Dei signa sunt, eam accipere. Cæterum vti signis practicis & sacramentalibus, non solùm ordinatur ad accipiendam Dei cognitionem, sed etiam ad sanctificationem ipsam percipiendam, & eam scientiam, quæ talem sanctificationem comitatur. Hoc autem tunc indecens erat, cùm eam sanctificationem ex omnimoda subiectione ad Deum participare deberet. Itaque non est inconueniens tunc fuisse signa speculatiua respectu rerum spiritualium, sicut & aliqua de facto fuerunt; est tamen inconueniens fuisse practica, quia in his supponeretur non perfectè esse subiectam mentem Deo.

Signa gratiæ speculatiua, ipsa in statu innocentiæ, non practica aut Sacramenta.

Ad primam confirmationem Respond. ex dictis, Mysteria fidei velata tradi, & ideo non fuisse inconueniens aliquibus signis speculatiuis, & ad cognitionem præcisè ordinatis, vti; non tamen debuisse vti signis practicis ad sanctificationem acquirendam; in illis enim nulla erat imperfectio, sicut in istis.

Ad secundam confirmationẽ Resp. Angelos non A accepisse ab hominibus scientiam rerum supernaturalium, sed a Deo; licèt quoad aliquem modum (scilicet quoad complementum & executionem earum in re) innotuerit ipsis posita prædicatione Apostolorum; quia & in his quæ naturaliter cognoscunt Angeli, dependent à productione rerum vt eas in actu cognoscant.

Vt Angelis innotuerit per Ecclesiam.

Secundò dicitur, Quod sicut Angeli non potuerunt dependere ab homine, aut ab aliquo signo sensibili vt à signo practico sanctificationis suæ, ita nec decuit in statu innocentiæ a signis practicis hominem induci ad perfectionem supernaturalem; cùm hoc esset subijci eis, in ijs, in qui- B bus soli Deo mens subijciebatur; licèt non esset inconueniens vti signo aliquo speculatiuo ad cognitionem accipiendam ordinato.

Argumenta alia apud Cabreram de igne inferni, qui fuit ante peccatum, de herbis medicinalibus, quæ fuerunt ante morbos, facilis est solutio, Quod hæc omnia sunt res naturales, quæ proinde debebant cum ipso vniuerso, vt partes naturales eius, creari.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum post peccatum ante Christum debuerint esse Sacramenta.

CONCLVSIO PRINCIPALIS EST AFFIRMATIVA.

IN solutionibus autem Argumentorum ex doctrina S. Th. aliæ tres elici possunt conlusiones.

Prima in solut. ad 1. Christus Dominus respectu Sacramentorum Veterum solùm fuit causa finalis.

Secunda in solut. ad 2. Licèt fides eadem semper fuerit, tamen quia quoad expressionem per incrementa temporum creuit, Sacramenta Veteris Legis comparabantur ad Sacramenta Legis Naturæ, vt determinatum ad indeterminatum.

Sacramenta post peccatum necessaria, quod salus à Christo Redemptore.

Tertia in solut. ad 3. Sacramentum Melchisedec fuit similius Sacramento Eucharistiæ in materia; D Agnus autem Paschalis & Sacramenta Legis Moysi, fuerunt similiora in re significata.

Principalem conclusionem præter authoritatem August. 19. contra Faust. relatam in Argum. *sed cont.* probat. S. Thomas vnica ratione in corp. art. Sacramenta in tantum sunt necessaria, in quantum sunt signa sensibilia earum rerum, quibus sanctificamur, sed post peccatum nullus sanctificari potest nisi per Christum, ergo etiam ante Christi aduentum oportuit esse sensibilia signa, quibus fidem suam homines de Saluatoris aduentu protestarentur; talia autem signa Sacramenta sunt, ergo post peccatum, sicut homo eguit Saluatore, ita & Sacramentis ipsum protestantibus E & significantibus.

Circa hanc rationem Aduertendum est, Quod licèt expressius significatum Sacramentorum, vt supra diximus, sit gratia, quæ formaliter sanctificat, tamen D. Thomas non ex necessitate gratiæ, sed ex necessitate Saluatoris probat necessitatem Sacramentorum post peccatum; quia videlicet necessitas gratiæ, etiam in statu in quo non erant Sacramenta (vt in statu innocentiæ) omnino currebat. Quod autem gratia ista mediantibus Sacramentis conferretur, ita vt Sacramenta necessaria fuerint ad gratiæ assecutionem, ex eo quod gratia erat redemptiua, & per Redemptorem eam habere debebamus, ortum fuit.

Etenim supposito quod salus nostra & sanctifi-

catio solùm per Redemptorem & Saluatorem obtineri poterat, necessarium fuit vt applicaretur hominibus gratia & sanctificatio per aliqua signa protestatiua Saluatoris & fidei eius, & ipsis signis mediantibus Saluatori illi tanquam capiti & salutis authori coniungeremur; idque debebat per signa sensibilia fieri, ob rationes supra allatas; quia homo corporeus, & amissa subiectione illa mentis ad Deum, per signa corporea conuenienter reducebatur ad Authorem suum, qui etiam in humanitate sensibilis apparebat.

Optimè ergo necessitatem Sacramentorum, non ex ipsa gratia immediatè probat sanctus Thomas, sed ex Saluatore & authore gratiæ, cuius fidem mediantibus signis oportebat protestari, vt vniretur ei homo, & applicaretur illi remedium conuenienter ad ipsum hominem suscipientem, & ad ipsum Saluatorem, quia & ille sensibilis est, & per peccatum subiectus sensibilibus; & hic in carne sensibilis apparuit, vt saluaret hominem.

Secunda conclusio probatur à S. Thoma, Quia Passio Christi non præcessit tempore Sacramenta Vetera, & sic non potuit ad ea comparari vt causa efficiens; præcessit autem in intentione, & ideo se habuit vt causa finalis; de ratione autem causæ efficientis, est quod realiter antecedat suum effectum, & secundum exigentiam suam; cùm autem Christus non extiterit nisi post Sacramenta Vetera, non se habuit vt causa efficiens illorum. Aliæ conclusiones ex litera patent.

DVBIVM PRIMVM.

An in Lege Naturæ fuerint vera & propria Sacramenta, quibus homines vti tenerentur?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

In Lege Naturæ fuisse Sacramẽta & sacrificia, fide certum.

PRo eius intelligentia supponendum est tanquam certum, In illo statu & remedium fuisse in peccatum originale, & vera sacrificia. Vtrumque enim ex Scriptura euidenter constat, aut colligitur, & ex communi Patrum & Ecclesiæ consensu. Constat enim ex Scriptura in illa lege naturæ plures fuisse iustos & Deo placentes, & ipsum Adam eductum esse è delicto suo, Sap. 10. 2. Iusti autem esse non possent nisi purgati à peccato originali; ergo de fide est peccatum originale fuisse remissum multis in illo statu; & consequenter de fide est fuisse remedium contra peccatum originale, quidquid illud fuerit. De sacrificijs etiam illius legis in Genesi, & in lib. Iob. multa leguntur.

Fuit remedium pro paruulis.

Secundò supponendum est, Remedium peccati originalis in illa lege, non solùm pro adultis, sed etiam pro paruulis fuisse. Id clarè tradidit S. Aug. lib. 5. contra Iulian. cap. 9. Vbi inquit, *Non esse credendum famulos Dei, quibus inerat fides Mediatoris, ante Circuncisionem nullo Sacramento opitulatos esse paruulis suis, quamuis de illo Scriptura non faciat mentionem.*

Colligitur id etiam ex generali Dei prouidentia & voluntate, qua neminem vult perire, sed omnes homines saluos fieri; quæ voluntas cùm constet non intelligi de efficaci voluntate saluandi, intelligenda est de voluntate dante sufficientia remedia vt omnes homines saluentur; Non essent autem sufficientia remedia, nec sufficienter in hac parte prouisum, si pro paruulis, quorum tanta multitudo moritur, & per suos actus non possunt salutem quærere, non esset a Deo aliquod remedium datum, quo saluari possent si eis applicaretur.

Pro fœminis remedium in lege scripta, quod & in lege naturæ.

Colligitur id etiam ex eo, quod post Legem Scriptam fœminæ apud Iudæos iustificabantur ab originali, etiam cum paruulæ essent; Neque enim verosimile est in populo fideli, masculos ab originali iustificari & non fœminas; cùm autem eis non applicaretur nisi remedium legis naturæ; Nec enim de alio constat, cùm non fuerit in lege aliquod institutum, manifestè sequitur quod pro paruulis erat remedium originalis in statu legis naturæ.

Punctus ergo controuersiæ ad tria capita reducitur. Primum, An ea quæ fiebant in remedium huius peccati habuerint rationem sacramenti? An solùm fuerit interior fides, vel aliquis alius actus? Secundum est, A quo determinabantur huiusmodi signa, quando in particulari debebant applicari. Tertium, An obligatio esset in hominibus illis vtendi. Quoad primũ expressa sententia est S. Aug. 5. contra Iulian. citat. & S. Thomæ hîc ad 2. & 3. & quæst. præced. art. 5. & communiter omnium Doctorum, Ante Circuncisionem in remedium peccati, saltem originalis, fuisse vera Sacramenta.

Ceremonia quæ esset verè Sacramentum.

Huius ratio ex duobus pendet; Primò quidem, Quia in remedium originalis non sufficiebat tunc fides, aut actus interior, præsertim respectu paruulorum. Secundò, Quod actio sensibilis & exterior significabat verè sanctificationem illam, per Christum & in ordine ad Christum tunc de præsenti dandam; sicque habebat rationem Sacramenti, id est, signi sensibilis, quo iustificabantur homines. Primum patet, tum ex his quæ docuit S. Thom. art. 1. huius quæst. quibus probauit fuisse conueniens & necessarium vti Sacramentis ad salutem, tum etiam, quia quantum ad paruulos, oportebat remedium eis applicari, vt ipsi consequerentur salutem; non est autem conueniens applicatio inter homines & modo humano, si fiat per purum actum internum, & non externa aliqua applicatione. Ea enim quæ facimus erga alterum, & in quo ei communicamus, externa applicatione fieri debet. Quantum autem ad adultos, oportebat ipsos cognoscere iustficationem, quam recipiebant, & Mediatorem Saluatorem, à quo illam habebant; vnde oportebat eis signa adhiberi extrinsecus, per quæ ista cognoscerent.

Ecclesiæ aggregans tessera sensibilis.

Accedit ad hoc, Quod in illis hominibus erat vera Ecclesia visibilis; vt pote ex hominibus, qui corporei sunt, constans; oportebat ergo eos, qui huic Ecclesiæ aggregabantur, aliquo corporali signo aggregari. Constat autem non potuisse intrare, & aggregari in Ecclesiam ante remissionem originalis culpæ; Nec enim Christi membrum esse quis potest, nisi à vetere homine Adam incorporetur in Christo, quod est peccato originali carere, ergo debuit esse aliquid sensibile quo ista sanctificatio fieret, & remissio peccati; aliàs non constaret Ecclesiæ de aggregatione fidelium ad ipsam, si spirituali tantum & interiori actu homines aggregarentur. Decuit etiam, vt sicut Saluator hominum homo sensibilis erat, & non solùm Deus, ita etiam homines Saluatoris fidem protestarentur, & salutem per ipsum consequerentur mediantibus sensibilibus signis, quibus eis applicaretur hoc remedium.

Practicè gratiam significans.

Secundum verò, scilicet quod ista signa exteriora significarent practicè gratiam & sanctificationem, patet; Quia illis cognoscebant homines quinam

quinam pertinerent ad Ecclesiam, & quinā emundabantur à peccato, aut non emundabantur; ergo illa signa exteriora significabant gratiam, seu iustificationem nostram, vt dandā per Christum; siquidem fiebat in illis protestatio Saluatoris; & consequenter significabat gloriam, quæ tali gratiæ correspondet. ergo erant signa ordinata ad sanctificationem nostram perChristū, & vt per susceptionem illorū eam consequeremur, quod pertinet ad signa practica; quia videlicet habebant pro fine non cognoscere solum, sed ipsum sanctificari per illa.

Sacramenta Legis Naturæ, non a Deo immediatè.

Quoad secundum dicimus, In statu Legis Naturæ Cæremonias sacramentales, seu materias Sacramentorum, non fuisse immediatè institutas & determinatas à Deo, saltem pro omnibus hominibus communiter; sed sicut non erat tunc lex data à Deo immediatè, sed per inspirationem internam hominibus aliquibus factam, aut Reipublicæ, sic etiam & Sacramentorum cæremoniæ à Deo institutæ erant mediante Reipubl. authoritate. Hæc constat ex D. Th. qu. præced. art. 5. & ex his quæ ibi diximus.

Fuisse & à Deo immediatè.

Non negamus tamen, aliqua peculiaria fuisse à Deo peculiaribus hominibus instituta. Sicut enim apud Iob determinauit sacrificia pro amicis eius, quibus expiarentur, sic credibile est determinasse etiam sacrificia aliorum, vt Abel, Enoc, Noë, & oblationem Melchisedec, quæ fuit Sacramentum, vtpote Eucharistiæ præfiguratiuum ex parte materiæ; sic enim hîc ad 3. appellatur à S. Thoma. Et licèt omnia Sacramenta Deus instituerit & determinauerit, quia ipse solus est author gratiæ, & consequenter signi practici iustificantis; tamen modus quo Deus instituit & determinat hæc Sacramenta, & materias eorum, non est semper idem, sed prout postulat status & lex, cuius sunt Sacramenta.

Hæc autem differentia fuit inter Legem Euangelicam, Veterem & Naturæ, quod in Lege Euangelica *Locutus est nobis Deus in Filio*, Hebr. 1. 1. & per illum fuit Legislator & promulgator Legis. In Legè Veteri locutus est in Prophetis; ita quod ipse quidem solus erat Legislator, & ferebat legem, ac consequenter condebat Sacramenta; promulgabatur tamen per Prophetas; Quia vt dicitur Gal. 3. 19. *Lex fuit ordinata per Angelos in manu Mediatoris*. In Lege autem Naturæ, Deus ipse immediatè nec promulgauit legem, nec instituit (aliàs fuisset tunc lex scripta) sed Respublica erat immediatum instituens, ex peculiari tamen Dei instinctu; licèt verum sit, quod ob peculiarem fauorem aliquibus amicis suis Sacramenta aliqua tradidit Deus. Et præter hanc rationem, Quod institutio Sacramentorum debet accommodari institutioni legis, ratio etiam huius est, Quia de nullo Sacramento determinato à Deo legimus pro illo statu, aut ex traditione constat; & aliàs illi statui congruebat non determinari, in quo nulla erat lex scripta, & immediatè à Deo tradita.

Quantum ad tertium, Supponendum obligationem, seu necessitatem vtendi istis Sacramentis, aut esse necessitatem finis seu medij, aut necessitatem præcepti. Illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod est quidem in præcepto, sed tamen sine illo saluari quis potest, vel propter ignorantiam vel propter impotentiam, vel si aliàs non incidat in materiam præceptam: Necessarium autem necessitate medij est illud, sine quo nullus saluari potest, nec excusatur ob ignorantiam vel impotentiam. Sicut quantumcumque quis ignoret Baptismum, si tamen illum non suscipiat, saluari non potest. Igitur in statu Legis Naturæ dicimus

A probabilius esse, quod in remedium originalis peccati erat necessarium necessitate medij & præcepti vti aliquo signo externo.

Sacramenta Legis Naturæ necessaria necessitate præcepti & medij.

Huius oppositum tenere videtur Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis p. 9. cap. 5. vbi dicit, *In ea Lege fuisse aliquod Sacramentum pro paruulis, sed deuotionis, non necessitatis*. Sed quod esset præceptum vtendi talibus Sacramentis, patet, tum Quia si illa Sacramenta non essent necessaria, saltem necessitate præcepti, sed illis vterentur homines pro libito, non esset ratio & fundamentum sufficiens ponendi talia Sacramenta; tum etiam, Quia cùm à Republica determinabatur cæremónia illa, qua homines vterentur sacramentaliter, B cùm esset res grauissima, & in ordine ad iustificationem, tenebantur homines parere Reipublicæ, sic præcipienti illas Cæremonias & Sacramenta, aliàs magna sequeretur confusio in Ecclesia, si determinata materia & signo externo iustificationis, homines nollent illo vti.

Quod autem tenerentur necessitate medij, ita vt si non vterentur illo, aut si attentarent alio vti priuata authoritate non consequerentur iustificationem, probatur, Quia in illo statu non sufficiebat pro iustificatione paruulorum sola fides, aut actus interior, vt ostensum est, aliàs non posset applicari illis remedium; ergo si non sufficiebat interior C actus, necessarium erat adhibere exteriùs signum; ergo necessitate medij ad id tenebantur; Nam si interior actus non erat medium sufficiens, oportebat ergo adhibere medium sufficiens, quod esset externum quid.

Externi signi publici necessitas in paruulis.

Rursus non sufficiebat ad hoc signum externum, priuata authoritate inuentum aut adhibitum, sed publica; Nam iustificatio paruulorum fiebat in fide Ecclesiæ, & non in fide priuatæ personæ cùm enim per illud signum incorporari deberet Ecclesiæ, oportebat communicare in fide communi & publica Ecclesiæ, & non solùm in priuata, ergo signum quo vti debebant homines pro iustificatio- D ne paruulorum, debebat esse publicè ab Ecclesia, seu Republica illa institutum, & non priuata authoritate factum.

Denique, Quia nulla est ratio cur in Lege Gratiæ & Scripta fuerint necessaria necessitate medij Sacramenta externa, & in statu Legis Naturæ sine externo signo sacramentali, & publico possent paruuli iustificari; si quidē non minus necessaria erant signa sensibilia in lege naturæ, quàm in alijs statibus. Quod autem pro adultis etiam susceptio talium signorum necessaria esset necessitate medij, probatur, Nam licet hi possent habere interiores actus fidei & charitatis, tamen ad salutem etiam necessaria est protestatio & confessio fidei, quæ E fit in Ecclesia, iuxta illud Rom. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ergo fuit semper necessaria ad salutem fidei protestatio & confessio.

Eadem in adultis.

Rursus hæc protestatio debet fieri secundum publicam & communem Ecclesiæ fidem, ergo & secundum publica & communia signa, & consequenter vt adultus incorporaretur Ecclesiæ, necessaria erat exterior protestatio secundum modum illius Ecclesiæ; erat autem necessarium necessitate medij, non solùm paruulos, sed etiam adultos visibili Ecclesiæ aggregari; ergo erat necessarium necessitate medij vti signis, quibus illi visibiliter aggregarentur, sicut modò & in lege scripta.

Denique quia in omni statu remedium originalis peccati, quod erat necessarium paruulis sine

propria dispositione, erat necessarium adultis cum propria dispositione; solùm enim in hoc erat differentia ex parte dispositionum; ex parte autem signi sensibilis, quod per talem dispositionem suscipiendum est, omnibus necessarium est; Nec enim est ratio cur paruuli eo signo deberent vti in fide communi Ecclesiæ, & non adulti in dispositione propria.

Proponuntur Argumenta.

Sed obijcies primò, Nam ante Christi aduentum nullus iustificari poterat ex opere operato, & sine propria dispositione, sed ex opere operantis, ergo non poterat aliquod Sacramentum esse in ea lege pro paruulis, siquidem ex opere operato iustificari non poterant; si autem non erat pro paruulis, neque pro adultis, cùm illi ex propria dispositione possent iustificari. Anteced. autem patet. Quia iustificare ex opere operato proprium est Sacramentorum Nouæ Legis, quia est iustificare ex meritis Christi operatis, & positis in rerum natura, quod illi statui nequit conuenire.

Respond. Hoc argumentum etiam probare, in lege scripta Circuncisionem non profuisse paruulis, in remedium originalis peccati mediante fide Ecclesiæ, cuius oppositum negat S. Thomas, & vniuersaliter omnes Doctores infra, quæst. 70. art. 4. ex D. August. lib. 2. de Nuptijs & concupiscentijs, cap. 11.

Dicimus ergo, Neque Circuncisionem, neque Sacramentum Legis Naturæ ex opere operato gratiam dedisse. Vbi notandum est, quod (vt communiter explicant Thomistæ citata quæst. 70.) dari ex opere operato gratiam per Sacramenta, dupliciter potest intelligi; Vno modo, *passiuè*; alio modo, *actiuè*: Ex opere operato *passiuè*, est dari gratiam suscipientibus tale Sacramentum *passiuè*, solo Deo *actiuè* eam præbente ad præsentiam Sacramenti, non tamen ipso Sacramento *actiuè* concurrente, neque ex opere operantis, seu ex dispositione ipsius. Et hoc modo illa Sacramenta paruulis conferebant gratiam, supposita tamen fide publica Ecclesiæ, in qua paruulus offeratur Deo, & ita ipsa Sacramenta secundum se erant vacua elementa, licèt in fide Christi suscipientibus, Deus *actiuè* præberet illam gratiam.

> Gratia ex opere operato passiuè, etiam à Sacramentis antiquis.

Ex opere autem operato *actiuè* præbere gratiam, est concurrere ipsa Sacramenta *actiuè* ad iustificationem; & sic supponunt Passionem Christi iam factam, & ex eius virtute gratiam conferunt, sicut modò Baptismus; & hoc modo ex opere operato non conferebatur gratia, sed primo modo. Nec tamen dicimus necessarium tunc fuisse, vt qui offerebat paruulum, fidem in se haberet, & per eius actum iustificaret paruulum; sed intendendo facere quod vera Ecclesia tenebat, & in cuius fide illa fiebant, hoc erat fieri in publica & communi fide Ecclesiæ.

> Actiuè, solùm à Sacramentis Nouæ Legis.

> Fides ipsa Ministri non necessaria, sed Ecclesiæ.

Secundò obijcies, De ratione Sacramenti est, non solùm significare gratiam, sed etiam Saluatorem & authorem gratiæ, qui est Christus Iesus, quod etiam supra determinauimus; sed in lege naturæ nulla signa erant Christi significatiua, ergo neque Sacramenta. Min. prob. Quia neque significabant Christum vt præsentem, aliàs essent falsa tunc; neque vt futurum, aliàs non possent prodesse paruulis post mortem Christi ante sufficientem Euangelij promulgationem; & sic cùm iam Circuncisio pro masculis esset euacuata, & reme-A dium Legis naturæ etiam pro fœminis & masculis cessaret, relinquerentur homines sine remedio in illo intermedio tempore, inter mortem Christi & Euangelij promulgationem.

Huic Argumento Cabrera Respondet, Quod etsi Circuncisio & legalia repræsentauerint solum Christum vt futurum, ideoque fuerint signa promissoria eius, tamen ea quæ pertinebant ad legem naturæ, & erant Sacramenta (præsertim in remedium paruulorum) non repræsentasse Christum vt futurum aut præsentem, sed abstrahendo ab vtroque; sicut fides per se non respiciat Christum vt futurum aut præsentem, sed eadem fides est, quæ B vtrumque respicit, licèt per accidens, scilicet ratione status, seu temporis in quo inuenitur, respiciat illum aut futurum, aut præteritum; sic & Sacramenta illa, per se neutrum respiciebant, sed solùm fidem Mediatoris; per accidens autem, pro illo tempore quo adhuc Christus non venerat, significabant illum futurum; Legalia tamen per se respiciebant illum vt futurum, & ideo legalia in morte Christi cessarunt, non verò Sacramenta Legis Naturæ. Ex quo infert, Quod Sacramenta Legis Naturæ, respectu quidem gratiæ, quæ in susceptione eorum dabatur, erant signa practica; respectu tamen gratiæ de futuro dandæ per Christum, C erant solùm signa speculatiua; Legalia autem Sacramenta etiam respectu gratiæ de futuro practica erant, quia erant promissoria.

> Cabreræ opinio, Sacramenta Legis Naturæ abstrahere à Christo venturo, aut qui venerit.

Nihilominus, Licèt per illa Sacramenta specialis repromissio de Christo facta non sit; Nam promissionis verbum ad Abraham factum est specialiter, quando dictum est ei, *Benedicentur in te omnes Gentes*, Gen. 12. 3. Gal. 3. 8. tamen quod significauerint Christum vt futurum & venturum, non abstrahendo à futuro vel præsenti, ex eo videtur conuinci, quod Sacramenta secundum diuersitatem statuum fidei variantur, & secundum modum quo fit confessio fidei pro tali statu; diuersis enim statibus diuersa conueniunt Sacramenta, eadem autem fides.

> Videtur falsam.

D Cùm autem pro eo statu fides inclinaret in Christum venturum, licèt non ex ratione formali fidei, sed per accidens ratione status, oportuit Sacramenta illius status per se significare Christum venturum; quia quod est per accidens fidei, scilicet status ille, est per se Sacramentis, quæ sunt signa pro tali aut tali statu. Et sicut Sacramenta sunt per se talis status, sic sunt per se eius, ad quod status inclinat. Quare cùm status ille solùm potuerit respicere Christum venturum, & non abstrahendo à futuritione, sic & Sacramenta illa, quæ per se erant talis status, & pro tali statu data, solùm poterant respicere Christum vt venturum, & sic illum significare.

E Et huius ratio videtur, Quia fides in explicatione credendorum potest crescere, sicut & per incrementa temporum creuit; Sacramenta autem non crescunt, sed mutantur pro diuersis statibus; ergo per se respiciunt statum illum, in quo pro Sacramentis dantur; & ita sicut status ille non abstrahit à Christo venturo & præsente, sed determinatè venturum respicit; sic & Sacramenta talis status, prout illius status. Verum quidem est, Sacramenta legis scriptæ specialiori titulo Christum futurum præsignasse, propter promissionem, quæ illis significabatur, ad Patres factam; tamen ratione status etiam postulabant futurum Christum repræsentare.

Remedium Legis naturæ antiquatum Christi morte.

Ad Argumentum ergo dicitur, Quod illa Sacramenta legis naturæ nunquam significabant, nec poterant esse protestationes Christi præsentis, sed venturi; & ideo euacuata sunt etiam in morte Christi, sicut & ipsa lex naturæ; Nec enim Sacramenta plus durare possunt, quàm lex cuius sunt sacramenta: Sicut ergo lex naturæ, quantum ad rationem cæremoniarum & sacrificiorum modum accepit in Christo, sic & Sacramenta eius; & ideo sicut de Iudæis dicimus, quod post mortem Christi non poterant paruulis per Circuncisionem succurrere, etiam si ignorarent Baptismum, ita nec remedium legis naturæ; Nec propterea tamen fuerunt paruuli sine remedio, licèt non fuerit eis applicatum; sicut & per multa sæcula latuit aliquas regiones, quæ tamen propterea vti non poterant remedio legis naturæ pro paruulis iustificandis.

Tertiò obijcitur, Nam status legis naturæ non habuit particularia præcepta Dei circa supernaturalia, quæ positiuè à Deo darentur, aliàs non differret à lege scripta; ergo neque habuit Sacramenta. Patet consequent. Quia hæc debent positiuè esse instituta à Deo, siue immediatè, siue mediatè.

Confirmatur, Quia non debemus aliquid definire de Sacramentis, nisi quod vel in sacris literis expressum, vel traditione acceptum est; sed nulla reuelatione aut traditione constat de illis Sacramentis, ergo non licet de illis aliquid affirmare.

Confirmatur secundò, Nam gubernari per instinctum interiorem, perfectius est quàm per signa sensibilia, vt declarat S. Thom. 3. p. quæst. 36. art. 5. exponens quomodo de Natiuitate Christi Pastoribus per externas apparitiones reuelatum est, iustis autem (vt Simeoni & Annæ) per internum instinctum Spiritus sancti; ergo cùm status ille fuerit imperfectior quàm legis scriptæ, magis conueniebat ei edoceri per signa externa à Deo, quàm per internum instinctum; ergo si Sacramenta aliqua habuisset, à Deo dari deberent, & non à Republica; aut nulla habuisse credendum est.

Lex naturæ vt dicta.

Respond. Statum illum dici Legis Naturæ, quia non gubernabantur homines per cæremonias, & leges determinatas in particulari à Deo, sicut in Lege Scripta aut Euangelica; & ideo comparatione istarum dicitur lex naturæ; non tamen ideo excludit præcepta aliqua positiua in communi, quorum cæremoniæ in particulari à Repub. determinarentur, vel à Principibus familiarum, &c. Constat enim hominibus tunc locutum esse Deum, & sacrificia eorum probasse, & Sacerdotes habuisse, Melchisedec enim erat Sacerdos Dei altissimi; ergo verisimile est aliqua præcepta in communi fuisse à Deo data hominibus, ne sine remedio relinquerentur.

Ad primam confirmationem dicitur, Quod (vt dicit Aug. 5. contra Iulian. cap. 9.) Scriptura diuina Sacramenta illa aliqua necessaria esse statuit, vnde de illis colligitur traditione quadam, & ipsa ratione & congruentia fundata in sacra Scriptura & sacrificijs illorum temporum & in sanctis Patribus.

Internus instinctus ad intelligendum, etiam instituendum Sacramenta.

Ad secundam confirmationem dicitur, Quod gubernari interiori instinctu, dupliciter intelligi potest. Vno modo ad intelligendum & percipiendum mysteria gratiæ; Alio modo ad instituendum signa externa, quibus id intelligatur. Primo modo perfectius est moueri per instinctum interiorem, quam per signa; cùm ibi detur lumen à Deo ad percipiendum; & sic factum est in Simeone & Anna, non vero in statu legis naturæ communiter. Secundo modo non dicit perfectionem, quia institutio signorum perfectius est quod fiat à Deo immediatè, quàm à Repub. vel ab homine, & hoc modo in lege naturæ mouebantur homines instinctu interiori, non ad cognoscendum & intelligendum, sed instituendum cæremonias, & signa vnde cognitionem sacramentalem haberent.

Quartò obijcies, Sacramentum ex natura sua est signum practicum gratiæ, sed non datur aliquod signum in illa lege quod in remedium peccati, & ad gratiam causandam ordinaretur, ergo. Min. prob. Nam Deus non instituit, nec determinauit tale signum in illa lege, vt S. Thomas fatetur hîc solut. ad 2. & supra quæst. 60. art. 5. nullus autem præter Deum potest determinare talia signa, instituendo illa; siquidem solus Deus est author gratiæ, & ita solus potest illam alicui signo alligare.

Si dicatur, Determinari illa signa ab hominibus. Contra est primò, Quia vel determinabantur ab hominibus vt instituentibus illa, vel vt ministerialiter tantùm se habentibus & promulgantibus. Hoc secundo modo etiam in Lege Gratiæ, & Lege Veteri Sacramenta determinabantur ab hominibus, non authoritatiuè, sed ministerialiter. Lex enim ordinata fuit per Angelos in manu Mediatoris, Gal. 3. 19. Primo autem modo non potuerunt homines authoritatiuè determinare & instituere Sacramenta, cùm non habeant authoritatem supra gratiam, ergo neque supra significationem practicam gratiæ & causationem eius.

Et deinde, Quia sic illa Sacramenta non instituerentur à Deo determinatè; ergo neque instituerentur vt Sacramenta, siquidem de ratione Sacramenti est, quod sit signum determinatum, & sic si vt procedebant à Deo non instituebantur vt determinata signa, neque vt Sacramenta, & ita Deus non esset institutor illorum Sacramentorum, quod est absurdum. Secundò contra illam responsionem est, Quia sequeretur magna confusio in vsu Sacramentorum, si vnusquisque determinare sibi posset Sacramenti materiam & cæremoniam; nec enim per illa in vnum modum religionis & formam conuenirent homines.

Tertiò, Quia esset facilius remedium pro paruulis & adultis contra originale peccatum, quàm in lege scripta & lege gratiæ; siquidem in his legibus est præscripta determinata materia, in illa verò possent homines vti, qua vellent, & qua cæremonia sibi videretur; hoc autem est inconueniens, cùm leges istæ, præsertim Euangelica, sint maioris gratiæ quàm lex naturæ, & ita magis facile remedium ei conuenire debet.

Institutio Sacramentorum authoritatiuè formaliter, & materialiter ex instinctu.

Respond. negando minorem principalis Argumenti. Ad probationem dicitur, Neminem præter Deum authoritatiuè posse instituere Sacramenta formaliter, posse tamen etiam authoritatiuè ex inspiratione & instinctu Dei instituere Sacramenta quasi materialiter, sc. ex parte materiæ & cæremoniæ; quãdo videlicet ita sunt imperfecta Sacramenta & confusa, vt in particulari non determinentur à Deo, sed solùm quasi in communi, & quantum ad rationem formalem Sacramenti, hoc est, quantum ad hoc, quod per signum sensibile homo debeat iustificationem suam acquirere, non tamen quantum ad hoc, quod in particulari præscribantur ei à Deo cæremoniæ, quibus vti debet. Sicut si Pontifex daret sæculari Principi potestatem, vt imagines, quas ipse signaret, haberent talem aut talem indulgentiam; non sæcularis, sed Papa indulgentiam daret.

Ad primam replicam dicitur, Sacramenta sic

materialiter accepta, & quantum ad cæremonias quibus perfici debebant, à Repub. determinari, vt ab instituente & legem ferente, ex peculiari tamen Dei instinctu; quia hoc non erat dare ei authoritatem supra gratiã, sed supra materiam cui danda erat significatio gratiæ, idque ex instinctu Dei, quia sic conueniebat illi statui & legi, quod sicut Deus non per se ferebat legem illam aut præcepta eius, sic neque Sacramenta talis legis per se institueret.

Ad id quod dicitur, Esse de ratione Sacramenti quod sit determinatum signum; & sic si à Deo non procedit vt signum determinatum, neque instituitur vt Sacramentum. Respond. De ratione Sacramenti esse quod sit signum determinatum, & ex parte rei significatæ, & ex parte rei significantis, non tamen oportere quod immediatè determinetur, & instituatur à Deo secundum omnem modum, sed sufficit quod mediante instinctu, & inspiratione eius à Repub. determinetur; & sic procedunt & instituuntur à Deo vt determinata signa, non immediatè, sed mediatè. Ad hoc enim instinctum illum Deus dat hominibus, vt determinata signa fiant; & authoritas ista instituendi cæremonias Sacramentorum ex instinctu diuino non arguit maiorẽ perfectionẽ illius status, sed minorem; quia non tam peculiarem curam Dei supponit circa particulares ritus Sacramentorũ, sed veluti in confuso & in communi, relinquendo arbitrio Reip. particularium cæremoniarum determinationem.

Vnde hoc non pertinet ad potestatem excellentiæ super Sacramenta, sicut habuit Christus, qui eorum materias & formas instituit, & virtutem iustificandi præbuit; sed pertinet ad imperfectionem & vmbram illius status, vbi signa non erant ita determinata & expressa, sed solùm pro maiori, & in communi à Deo præcipiebantur, vt in quocumque signo determinaret Resp. subueniretur paruulis; & ita formaliter quantum ad rationem Sacramenti vt sic, determinabantur à Deo, non materialiter: Si ergo Respub. haberet potestatem instituendi expressa signa gratiæ, ita vt illis manifestationem & expressionem determinatam præberet, haberet potestatem excellentiæ; sed non determinare expressionem & manifestationem in signis, sed solùm id quod Deus instituit, vt signo externo iustificentur paruuli, determinare ad talem materiam in particulari, non pertinet ad potestatem excellentiæ, sed ad imperfectionem Sacramentorum, quibus non dabatur à Deo expressa significatio, & ita nec eligebatur materia: Tali ergo modo habere potestatem super electionem materiæ, non super significationis expressionem, non est perfectio aut potestas excellentiæ.

Potestas excellentiæ Christi in Sacramentis, non ipsa instituentium in Lege naturæ.

Ad secundam replicam, Resp. illi confusioni posse prouideri à Repub. præcipiendo vt tali aut tali signo homines vterentur; præsertim cùm naturaliter homines tunc essent melioris inclinationis.

Ad tertiam replicam Resp. Remedium originalis peccati determinatum modò fuisse in re facillima, & vnicuique obuia (scilicet aqua) & cùm aliàs sit ordinatum ad maiorem gratiam & expressiorem significationem, debuit quoque magis in particulari determinari à Deo, vt eius materia tali congrueret significationi & expressioni eius. Et hinc sequitur, quod in statu legis naturæ homo erat certus de gratia, & remissione originalis per Sacramenta; Quia licèt ab ipso homine eligeretur materia, tamen à Deo erat pactum, & promissio data de conferenda gratia per talia signa, in fide Ecclesiæ facta.

Quintò obijcies, Nam in illa lege nullum erat præceptum vtendi Sacramentis, ergo illa necessaria non erant. Anteced. patet, tum quia D. Greg. ait, *Solam fidem in illis paruulis fecisse, quod modò Baptismus, & in lege veteri Circuncisio*, ergo non erat necesse vti signo externo vbi fides sufficiebat.

Confirmatur, Quia cùm in illa lege non fuerint peculiaria præcepta data à Deo, solùm illa ponenda sunt, quæ ex natura gratiæ & fidei sequuntur; Ex natura autem fidei & gratiæ non sequitur necessitas vtendi aliquo sensibili signo, ergo non est ponendum præceptum, præsertim cùm de nullo legatur in Scriptura aut traditione; imo commune proloquium Theologorum sit, Paruulos in fide parentum iustificatos tunc.

Confirmatur secundò ex D. Thoma in 4. dist. 1. qu. 1. art. 6. qu. 2. & infra qu. 70. art. 4. ad 2. vbi inquit, *Quod ante institutam Circuncisionem sola fides Christi venturi iustificabat, tam paruulos quàm adultos*; sed antea non requirebatur aliquod signum protestatiuum huius fidei, licèt probabile sit, quod parentes fideles pro paruulis natis preces aliquas Deo funderent aut benedictionem; ergo cùm distinguat S. Thomas preces à signo protestatiuo fidei, & hoc sit Sacramentum; nec illud requiri dicit, planè non erat necessitas vtendi signo sensibili, quod esset Sacramentum.

Respond. D. Greg. per solam fidem, intelligere non solam fidem quantum ad actum interiorem, sed etiam quantum ad actum exteriorem. Vtrumque enim actum fides habet, & de vtroque tractat S. Th. 2. 2. qu. 2. & 3. In actu autem exteriori, includitur protestatio fidei facta aliquo sensibili signo; & hoc pro paruulis erat Sacramentum salutis.

Præceptum fidei exterioris in Lege Naturæ, ac naturale.

Ad secundam confirmationem Resp. Fuisse in illo statu præcepta aliqua circa res supernaturales, non solùm interius, sed etiam exterius communicandas, licèt hæc præcepta externè scripta & determinata non fuerint. Hæc autem ex natura fidei, & gratiæ sequebantur, non absolutè, sed prout in homine corporeo & sensibili post peccatum. Sic enim natura fidei dictat, quod exterius oportet communicare fideles in protestatione fidei; nec enim aliter conuenire possunt in vnum nomen religionis.

Ad secundam confirmat. Resp. D. Thomam esse intelligendum, quod sola fides sufficiebat pro paruulis, includendo non solùm actum interiorem, sed etiam exteriorem; quia tamen non erat aliquod signum à Deo determinatam ad faciendam talem protestationem, idcirco dicitur non fuisse necessarium tale signum, quantum est ex determinatione Dei. Quod verò attinet ex determinatione hominum, subdit D. Thomas, Probabile esse quod aliquas *preces* funderent parentes, aut *benedictionem offerrent*, & hoc erat protestatiuum fidei interioris, non determinatum à Deo, sed ab hominibus, ex instinctu tamen Dei. Quando verò dicitur, Solam fidem parentum iustificare paruulos, id dicitur, quia non habebant iustificari ex dispositione propria, sed mediante actu parentis aut offerentis; non tamen actu interiori solum, sed exteriori. Cætera Argumenta, si quæ sunt, apud Cabrer. aut Nuño facilem habent solutionem.

Fides parentum iustificans paruulos, ipsa exterior.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum in Lege Naturæ & Veteri fuerint aliqua Sacramenta pro remissione actualium peccatorum præcisè.

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

HVius oppositum tenet Suarez hîc disp. 4. sect. 4. qui censet in statu legis naturæ so-

Sacramenta Veteris Legis & Naturæ ad remissionem mortaliũ.

lũm fuiſſe Sacramentum pro originali peccato A delendo. Nihilominus tamen concluſio hæc eſt D. Thomæ, qui infra quæſt. 84. art. 7. ad 1. ait, Eſſe *de iure naturæ quod qui mortaliter peccauit, pœniteat de commiſſis, & ſigno aliquo externo animi dolorem oſtendat, ſicut Niniuitæ fecerunt: & quod etiam doloris remedium quærat per aliquem modum.* Et in ſolut. ad 2. ait, *Quod in Lege Veteri Pœnitentia habuit aliquam determinationē, non ſolùm quoad dolorem de commiſſis, ſed etiam quantum ad remedium doloris quærendum, vt aliquo modo miniſtris Dei confiterentur peccata ſua, ſaltem in generali.* Igitur ſi etiam de iure naturali erat remedium doloris quærere, & ſigna B doloris oſtendere, oportebat in lege naturæ hujuſmodi remedium eſſe, licèt non fuerit ita determinatum ſicut in lege veteri & noua.

Expreſsè eandem docet ſententiam in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 2. Vbi inquit, *Ad 2. dicendum, Quod ante legem ſcriptam erant quædam Sacramenta neceſſitatis, ſicut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati; & ſimiliter Pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem actualis: & ſimiliter Matrimonium, quod ordinabatur ad multiplicationem generis humani.* Hæc D. Thomas; Vbi quod dicit de Matrimonio, non eſt intelligendum fuiſſe tunc ſacramentum propriè (ideſt, ſignum C practicum gratiæ) ſed quaſi analogicè, quia ſignum rei ſacræ, non tamen practicum: Pœnitentia verò ſi erat ſignum rei ſacræ tunc, oportebat practicum fuiſſe, quia accipiebatur vt remedium peccati, & ſanatiuum mediante contritione ſuſcipientis ordinata per illud ſignum in fidem Mediatoris.

Præterea Concluſio hæc ex duobus conſtare videtur; Primo quidem ex inſtitutione, quæ eſt ratio à priori; Quia in ſacra Scriptura aliquod veſtigium inuenitur horum Sacramentorum pro adultis, vt apud Iob cap. vlt. inueniuntur ſacrificia pro remiſſione peccatorum amicorum Iob; & in Melchiſedec inuenitur panis & vini oblatio, D quæ erat Sacramentum præfiguratiuum Euchariſtiæ; ergo veroſimile eſt fuiſſe etiam pro aliis hominibus adultis Sacramenta quædam ad pœnitentiæ remedium, proteſtando fidem Mediatoris, licèt non repugnet illa ſimul fuiſſe ſacrificia.

Secundò autem deducitur concluſio poſita ratione congruentiæ, Quia ſicut ad remedium peccati originalis in adultis requirebatur alicuius Sacramenti ſuſceptio, quo proteſtarentur fidem Chriſti venturi, in quo iuſtificabantur, & non ſufficiebat ſolus actus interior, ſic ad remedium peccatorum actualium requirebatur proteſtatio Mediatoris, per quem remedium illorum ſolummodo conſequi poterant; ergo non ſufficiebat actus & diſpoſitio interior, ſed requirebatur ordo ad E Sacramentum proteſtatiuum Mediatoris, vt reparatoris peccati actualis. Et quia ad iuſtitiam conſequendam non ſufficeret contritio & pœnitentia, niſi eſſet Redemptor ſatisfaciens plenè, ideo ſemper neceſſe fuit contritionem & pœnitentiam ſubordinari Redemptori.

Minus autem congruum eſt ſubordinari illi ſolùm actu interno, nulla adhibita proteſtatione ſenſibili, cùm non applicentur iſta Redemptoris merita & fides niſi ſenſibilibus mediis, ſicut & in lege gratiæ fecit. Nec videtur conueniens, quod peccantibus mortaliter poſt deletum originale peccatum, ſolus interior actus pro remiſſione peccati ſit neceſſarius, cum in Lege Veteri & Noua, vbi major abundauit gratia, & expreſſior fuit de Chriſto cognitio, obligentur homines peccata ſua aliquo externo ſigno declarare, & in illo proteſtari Mediatoris fidem, in quo conſequantur remiſſionem eorum; & tamen ab hoc onere fuiſſent liberi homines in ſtatu Legis Naturæ; eſſet enim hoc laxare fræna peccatoribus; maximè enim cohibentur à peccando, per hoc quod tenentur aliquo modo declarare peccata ſua vt eis remittantur.

Et hoc non eſt contra ſtatum illum, in quo ſolùm erant illa præcepta, quæ ex natura fidei & gratiæ deducuntur. Ex natura quippe gratiæ, vt habendæ per Redemptorem, eſt, vt quoties acquirenda eſt gratia, acquiratur in proteſtatione Redemptoris; cùm non ſit aliud nomen ſub cœlo, in quo ſaluari nos oporteat; ergo ſignum externum pœnitentiæ ſignificatiuum gratiæ Redemptoris neceſſarium fuit pro illo ſtatu. Et veroſimiliter etiam neceſſarium fuit aliquod Sacramentum ad conſeruandum ſe in gratia, ſicut modò Euchariſtia, quæ figurata fuit in Sacramento Melchiſedec, quamuis de hoc non ita conſtet.

Soluuntur Argumenta.

Sed objicies primò, Si eſſent Sacramenta præter remedium paruulorum, vel illa ſignificarent gratiam præſentem, vel futuram; non futuram, quia ad hoc requirebatur peculiaris Dei promiſſio & inſtitutio, aliter non poſſent pactum Dei continere reſpectu futuræ gratiæ à ſe promiſſæ; hoc autem pro illo ſtatu conueniens non fuit, in quo ſpecialis Dei promiſſio non fuit tradita: Neque præſentem gratiam ſignificare poterant, quia præter meritum operantis nulla tunc dabatur gratia; oppoſitum enim proprium eſt Legis Euangelicæ; ad hoc autem ſignandum ſufficiens erat externum opus virtutis, non autem peculiare ſignum ſacramentale.

Confirmatur, Quia Sacramenta, præter Sacramentum paruulorum, non erant puræ neceſſitatis, ſed propter ſignificationem præcipuè inſtituta; ergo oportebat ritus & cæremonias eorum à Deo immediatè determinari, aliàs non ſufficienter ſignificatio conueniret; hoc autem ſtatui illi non conueniebat, vt dictum eſt.

Sacramenta Legis Naturæ pro mortalibus, gratiã ſignificantia.

Reſpond. Sacramenta illius ſtatus, & ſignificaſſe gratiam futuram aliquando, & præſentem; quæ non per virtutem ipſorum, ſed per virtutem adiunctæ diſpoſitionis dabatur: De gratia futura veſtigium habemus in Sacramento Melchiſedec; & ſicut hoc non repugnauit in eo ſtatu fuiſſe, ſic neque alia ſimiliter prognoſticantia Chriſtum & gratiam. Nec inconueniebat tunc fieri promiſſionem à Deo & pactum futuri Mediatoris & gratiæ; ſicut etiam fecit Deus pactum cum Noë, & ſignum fœderis poſuit; hoc autem etiam ſine determinatione materiæ immediatè à Deo facta poterat compleri; ſicut ſacramentum paruulorum ſignificat Mediatorem futurum, nec tamen determinatio materiæ à Deo immediatè in eo fiebat. Gratiam autem præſentem ſignificabant, licèt non virtute eorum dandam; ſicut Sacramenta Veteris Legis ſignificabant gratiam præſentem, ſed dandam virtute contritionis; quia verò contritionem oportebat ſecundum fidem Mediatoris valorem habere, externo ſigno adiungebatur, in quo talis fides proteſtabatur, & mentio peccati fiebat.

Ad confirmat. dicitur, Talia Sacramenta fuiſſe

Ipsa necessaria ad protestandam Mediatoris fidem.

propter necessitatem, & significationem, quia necessarium erat purgari a peccatis actualibus in fide Mediatoris, & protestatione eius, & simul significari oportebat Redemptorem, vt eum homines colerent, & in eius fide se iustificari protestarentur; nec tamen ideo determinari oportebat materiam à Deo immediatè, quia illa significatio obscura erat & nimis imperfecta, sicque non tantam determinationem, nec à Deo immediatè factam postulabat.

Secundò obiicies, Nulla erat in illo statu necessitas horum Sacramentorum, ergo non debebant poni; siquidem cum ille status dicatur legis naturæ, solum ea quæ præcisè pertinent, & deducuntur ex natura gratiæ & fidei, illi tribuendum est. Anteced. prob. Quia necessitas Sacramentorum, vel est in remedium peccati, vel ad acquisitionem alicuius sanctificationis, siue propriæ, siue legalis, vel ad protestationem fidei Christi, quæ necessaria videtur pro omni statu, præsertim post peccatum; sed nulla ex his necessitatibus sufficiens est ad Sacramenta tunc constituenda, ergo. Min. patet, Nam ad remedium peccati originalis erat quidem necessarium Sacramentum; ad remedium verò actualis sufficiebat contritio & dispositio actualis; quæ licèt iuuari posset per Sacramenta, tamen tanta perfectio non conuenit Sacramentis illius legis.

Ad sanctificationem vero, si propria sit, eadem ratio est ac de remedio peccati; si legalis; non videntur ad eam requiri Sacramenta, nec in Sacerdotibus, quia tunc iure hæreditario Sacerdotium ad primogenitos pertinebat; nec in aliis, quia sufficienter Ecclesiæ aggregabantur per Sacramentum, quod erat in remedium paruulorum; Alia autem sanctificatio non est illis necessaria, nisi quæ per actus virtutum fit. Ad professionem verò fidei, sufficiebant verba exteriora, vel sacrificia; & licèt ea quæ fit specialiter per Sacramenta vtilis sit ad conseruationem fidei Christi, tamen pro statu illo imperfecto & obscuro sufficiebat per initiationem fidei, quando illo Sacramento in remedium Originalis quis initiabatur; alia verò multiplicari non conueniebat.

Respond. Ex his omnibus suo modo sumi necessitatem istorum Sacramentorum, in remedium quidem peccati, quia licèt interior contritio sufficeret ex parte ipsius hominis, debebat tamen ordinari ad fidem Mediatoris, quod congruentius fiebat per sensibilem eius protestationem, licèt non iuuaretur ab illo ad hoc vt fieret ex attrito contritus. Et ita contritio & fides requiritur ad iustificationem hominis, non tanquam adæquata ratio, sed in suo genere (scilicet quantum est ex parte hominis conuertentis se ad Deum) requiritur tamen præter hoc applicatio meritorum Christi satisfacientis Deo, vt nos iustificemur, quatenus ipse est principium omnis iustificationis; & ad hoc requiritur vt contritio hominis subdatur alicui Sacramento, vel habenti virtutem applicandi hæc merita, vt in noua lege, vel protestandi fidem Christi in cuius merito iustificatio fit, vt in lege antiqua.

Vnde necessitas Sacramenti ad remissionẽ mortalium, in Lege Naturæ.

Similiter ad iustificationem acquirendam requirebatur Sacramentum, non mediante virtute Sacramenti, sed mediante dispositione & fide Christi, cuius illud Sacramentum debebat esse signum. Ad professionem etiam fidei sacramentaliter faciendam, non solum in remedio originalis, sed etiam in remedio actualis peccati; vtriusque enim Redemptorem Christum esse, & solùm per Christum tolli, oportebat protestari.

Tertiò obiicitur; Nam talia Sacramenta nec erant necessaria necessitate præcepti, cùm de tali præcepto non constet; & si necessitatem aliquam habere deberent, non esset solùm præcepti, sed medij, sicut modo habet Pœnitentia respectu eorum, qui mortaliter peccant post Baptismum; Nec necessitate medij, quia aliis mediis poterant peccata actualia remitti, scilicet contritione interna, quæ ex peculiari Dei instituto tunc non erat alligata clauibus, aut alteri externo signo, de quo non constat; Ex natura autem gratiæ contritio interior sine alligatione ad signum externum sanctificat.

Confirmatur, Non enim potest signari tempus, quo obligaret illius Sacramenti susceptio; ergo eius necessitas ponenda non est. Anteced. patet, Quia vel obligaret ex peculiari institutione, & de hac non constat; vel ex natura rei, & hoc nunquam obligat, cùm sine tali signo iustificatio interior haberi possit. Item quia est peculiare Sacramentum Nouæ Legis Pœnitentia & confessio peccatorum, ergo non est ponendum tale Sacramentum pro aliis statibus.

Respondetur. Illud Sacramentum pro peccatis actualibus fuisse necessarium necessitate medij, vt ex doctrina S. Thomæ supra allata colligitur; & consequenter necessitate præcepti; quia omne medium necessarium, in præcepto est. Hoc autem non est ex natura gratiæ præcisè consideratæ, nec ex aliqua peculiari institutione à Deo immediatè facta, sed ex gratia vt redemptiua; Ex hoc enim sequebatur eam conuenienter transfundi non posse, nisi per aliquam protestationem externam illius, ex qua dispositio illa contritionis sacramentaliter ad Mediatorem dirigebatur; qui sicut corporeus apparere debebat, in corporeis signis protestari, & eius fidem applicari decebat.

Necessitas medij & præcepti; hæc ex illa.

Ad confirmat. dicitur, Obligasse susceptionem sacramenti illius, sicut & alia affirmatiua præcepta, scilicet semper, sed non pro semper; peculiariter vero obligare poterat tempore necessitatis vrgentis, & mortis, & si quo alio tempore à Republ. seu Ecclesia determinaretur. Quòd autem dicitur, Speciale Sacramentum esse Legis Nouæ, dicitur, Speciale Sacramentum Nouæ Legis esse Pœnitentiam, eo modo quo fit (scilicet secundum vocalem confessionem factam virtute clauium) at verò Sacramentum Pœnitentiæ alio modo (scilicet in aliquibus sacrificiis, aut aliquo alio signo, quo saltem in generali se peccatorem quis protestaretur, & ita indigere, & sperare Redemptorem pro illo peccato) hoc commune est etiam aliis statibus à Lege Noua.

Sacramentum Pœnitentiæ Nouæ Legi proprium, & reliquis commune.

Ex dictis colliges, In Sacramentis ordinatis ad deletionem peccatorum actualium in adultis, fuisse necessariam contritionem & fidem, nec Sacramenta illa fecisse ex attrito contritum; hoc enim solùm est proprium Sacramentorum Nouæ Legis, vbi abundantior gratia ex virtute Passionis Christi Sacramentis communicata effunditur. Sacramenta autem vetera, ex se non habebant virtutem actiuam iustificandi, sed tota refundenda erat in dispositionem suscipientis; ergo requirebatur ad hoc contritio, & non sola attritio: At verò in Sacramento ordinato ad deletionem peccati originalis, non requirebatur fides aut contritio, siue ex parte offerentis paruulum, siue ex parte adulti

Necessaria, contritio & fides, in Sacramentis antiquis cõtra actualia.

suscipientis, nisi forsan mortali peccato aliàs esset astrictus.

Etenim originale peccatum, sicut propria voluntate non contrahitur, ita nec propria voluntate detestandum est, sed secundum fidem Ecclesiæ & Christi, in qua incorporamur. Vnde dicit S. Thomas infra, quæst. 86. art. 2. ad 1. Quod quia peccatum originale consistit in deordinatione habituali, non actuali; non remittitur per actualem immutationem, sed per habitualem infusionem gratiæ. Actualis verò, quia per actualem deordinationem committitur, requirit in adulto (etiam in Baptismo) actualem immutationem. Sic dicendum de Sacramento illo Legis, non ordinato ad deletionem originalis.

DVBIVM TERTIVM.

Vtrum Passio Christi fuerit causa efficiens Sacramentorum & Gratiæ Antiquorum Patrum?

CONCLVSIO EST NEGATIVA.

Quæ satis insinuatur à D. Thoma, in præsenti art. ad 1. Cùm enim posuisset argumentum, *Quod passio Christi comparatur ad Sacramenta vt causa efficiens, vtpote cùm per Sacramenta applicetur eius passio, ergo Sacramenta non potuerunt esse ante Christum.* Respondet S. Doctor, *Quod passio Christi est causa finalis veterum Sacramentorum, quæ ad ipsam significandam sunt instituta: causa autem finalis non præcedit tempore, sed solum intentione.* Igitur negat S. Thomas passionem Christi esse causam efficientem illorum Sacramentorum, alias non solueret argumentum.

Christi Passio futura, causa finalis, non efficiens veterum Sacramentorum.

Potest autem hæc conclusio intelligi in duplici sensu, Primus est, An passio Christi ante realem sui exhibitionem effectiuè concurrerit ad iustificationem per Sacramenta vetera dandam, siue Sacramenta illa virtutem actiuam ad id acceperint à passione Christi, siue non? hoc enim tractabitur infra quæstione sequenti: Alius sensus est, Quod passio Christi in re exhibita sit causa efficiens gratiæ antiquorum Patrum, & assumat pro instrumentis talis gratiæ fidem, & vetera Sacramenta Patrum, quæ virtute saltem in ipsis manebat.

Secundò notandum est, Quod vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 48. Christi passio operata est salutem humanam, & per modum meriti, & per modum satisfactionis, & per modum sacrificij, & per modum redemptionis, & per modum efficientiæ, tanquam Dei virtus & instrumentum ei vnitum. Ea autem quæ causant moraliter, cùm non moueant nisi mediante cognitione & acceptatione & æstimatione, cognitio autem extendat se ad futura & præterita, non est difficile intelligere, quod id quod est causa moralis, influat etiam antequam sit, mediante scilicet cognitione. De causalitate verò efficiente dubium est, quomodo passio Christi illam habuerit in omnes homines? & An comprehenderit etiam gratiam antiquorum Patrum.

Dicimus ergo, Quod antequam esset exhibita in re passio illa, physicum influxum & efficientiam virtutis non habuit in illam gratiam & Sacramenta; post exhibitam verò passionem, physicum influxum habuit in gratiam antiquorum Patrum, & in consummationem eius, sed non in Sacramenta. Prima pars patet, Quia causa efficiens, siue instrumentalis siue principalis, non potest operari antequam sit; Principalis quidem, quia operatur effectiuè in quantum est in actu & per formam propriam, quatenus est in rerum natura, siquidem operari sequitur esse, & actiuitas ex actualitate procedit; quandiu ergo non habet esse aliqua causa, non potest operari. Instrumentalis etiam patet, Quia operatur vt mota à causa principali; quod autem mouetur est actu, quia motus est in subiecto suscipiente illum; accidens autem non recipitur nisi in ente in actu.

Confirmatur, Quia quandiu res aliqua non habet esse in rerum natura, solùm potest habere esse in intellectu; ergo non poterit causare secundùm esse in rerum natura, sed secundùm esse in intellectu, hoc autem est causare moraliter & non physicè.

Secunda pars prob. Quia passio Christi, post exhibitionem suam est vniuersale principium gratiæ in natura humana, & influit omnem gratiam, quæ in natura humana reperitur; ergo debet habere influxum in gratiam antiquorum Patrum, eumque efficientem & physicum. Esset enim diminutum caput, si in quædam membra physicè influeret gratiam (videlicet in ea, quæ post eius passionem fuerunt) non verò in ea quæ ante ipsum. Item, Quia consummauit effectiuè gratiam Patrum, effectiuè causando in eis gloriam; ergo etiam effectiuè influit in gratiam eorum, sicut in consummationem talis gratiæ.

Eadem exhibita, causa efficiens gratiæ SS. Patrum.

Confirmatur, Quia conseruatio effectus in esse, optimè intelligitur per influxum effectiuum in ipsum; Cùm ergo Christus Dominus conseruet gratiam Patrum, tanquam vniuersale quoddam principium gratiæ in natura humana, oportet quod effectiuè in illam influat; Et non est inconueniens, intelligere quod gratiam, quam Deus effecit se solo sine instrumentis, conseruet postea medio instrumento humanitatis Christi Domini: Sicut si quis teneat manu immediatè tabulam, potest illam postea tenere mediante forcipe; & eadem lux, quæ producta est ab vna lucerna, potest conseruari ab alia, si in instanti quo vna extinguitur, alia accendatur.

Tertia pars patet, Quia Sacramenta antiqua cessarunt in passione Christi; illa verò quæ ante passionem ministrabantur, non erant eleuata vt instrumenta Christi, aliàs pertinerent jam ad Sacramenta Legis Nouæ, quæ operantur in virtute Christi; & multò minus virtus aliqua Sacramentorum relicta in animabus Patrum, eleuata est à Deo vt instrumentum gratiæ & gloriæ eorum, cùm ad id nullum sit fundamentum.

Soluuntur Argumenta.

Sed objicies primò, Resurrectio Christi Domini est causa efficiens resurrectionis nostræ, quæ erit in die iudicij; quia licèt habeat distantiam temporis & loci respectu resurrectionis nostræ, virtute tamen diuina attingit contactu virtuali omnia loca & tempora, vt ait S. Thomas 3. parte, quæst. 56. art. 1. ad 3. ergo similiter passio Christi virtute diuina attingit omnia tempora & loca virtute diuina; ergo & tempora præterita & futura; & sic antequam esset in re præsens, poterat efficienter operari virtute diuina.

Confirmatur, Quia non minus est in re quod est futurum, quàm quod est præteritum; sed

præteritum potest efficienter agere virtute diuina, A ergo & futurum. Min. patet, Nam resurrectio Christi agit in tempora distantia, & in loca distantia virtute diuina; ergo præteritum agit virtute diuina. Sed dices, Quod illud præteritum agit ratione virtutis, quam relinquit in humanitate Christi. Sed contra, Nam virtus illa relicta est præsens, & sic non attingit omnia tempora; ergo illa quæ attingit tempora & loca etiam in distantia, non est virtus modò relicta, sed illa quæ antè facta est.

Christi resurrectio, vt causa efficiēs nostræ resurrectionis.

Respondeo, Expressè in illo loco dici Resurrectionem Christi causam efficientem, in quantum humanitas Christi, quæ resurrexit, est quodammodo instrumentum diuinitatis ipsius. Quare resurrectio non secundum quod iam non est actu, sed secundum suum effectum (scilicet secundum humanitatem resuscitatam) operatur effectiuè. Quod autem attingat omnia loca & tempora, non est quia jam non existens attingat futurum, aut quia futurum attingat quod est præsens, sed quia illa virtus pro omni tempore applicatur à Deo, & pro omni loco, secundùm scilicet quod tempori coëxistit aut loco (licet non prout commensuratur illi loco, sed illi coëxistit) quia scilicet humanitas resuscitata, pro omni illo tempore durat; & sic resurrectio passiua manens in humanitate, causat pro omni tempore.

Ex quo soluitur confirmatio; Præteritum enim agit efficienter, non in quantum præteritum, sed in quantum præsens est per suam virtutem aut effectum; qui ex eo quod permanet pro omni tempore diuina virtute ad omnia tempora, in quibus permanet, applicari potest.

Secundò objicies, Passio Christi efficientiam habet modò in gratiam antiquorum Patrum; ergo & à principio habuit, quando illa gratia primùm producta est; Hoc autem fuit ante eius realem exhibitionem, ergo. Prima consequentia probatur, Nam non potuit incipere habere influxum in gratiam jam productam; ergo si habet modò influxum efficientem, à principio talis productionis illum habuit. Antecedens patet, Quia gratia jam producta non potest de nouo pendere ab aliqua causa efficiente, à qua antè non pendebat; quia hoc esset exire & procedere à causa à qua antè non procedebat; hoc autem repugnat, quia quod est jam in rerum natura, non potest iterum procedere ab alia causa; ergo neque pendere ab illa in esse, & consequenter neque influxum habere ab illa efficienter.

Christus modò causa efficiens gratię veterum Patrū.

Respondeo, negando primam consequentiam; Et ad probationem negatur antecedens. Ad cuius probationem, Respond. Quod gratia semel producta non potest de nouo ab alia causa efficienti principali pendere, quæ distincto influxu concurrat; bene tamen ab alia causa instrumentali, quæ non distincto influxu concurrit à principali, sed eodem sibi communicato.

In quo deficit exemplum de lucerna supra allatum; Lucerna enim quæ de nouo producitur, non simul cum alia influit in lucem; aliàs penderet idem effectus numero à duabus causis totalibus eiusdem ordinis & generis. In præsenti autem, causa quæ ante influebat gratiam (scilicet Deus) etiam post passionem Christi influit; sed passio Christi incipit de nouo influere vt instrumentum diuinitatis; Vnde non distincto influxu facit a se pendere & procedere gratiam Patrum, sed eodem causæ principalis sibi communicato.

Præterquam quod non est certum, Extincta lucerna aliam numero productam in eodem instanti, conseruare lucem quæ a præcedenti producebatur, cùm ista ab alia numero causa procedat, à qua pendet in fieri & conseruari; ergo sicut non manet idem fieri lucis, sic nec idem conseruari.

Sed quidquid sit de hoc, in præsenti dicimus, Quod eadem gratia antiquorum Patrum, quæ antea non pendebat nec procedebat ab humanitate Christi vt instrumento, modò procedit & pendet, non tamen secundum nouum influxum aut nouam procedentiam, sed secundum eundem influxum B Dei, mediante tamen illo instrumento communicatum. Vnde non est nouum fieri gratiæ, nec nouum conseruari, sed idem alio modo communicatum; sicut eundem motum aquæ quem homo operabatur manu sola, potest operari manu armata, vel vestita, aut instrumento manui applicato; sic quod Verbum Dei secundum naturam diuinam communiter cum Patre, & Spiritu sancto influebat, vestitum humanitate influit, applicando influxum media humanitate vt instrumento.

Tertiò obiicies, objectum non existens, sed adhuc futurum, efficienter causat intellectionem, seu speciem intelligibilem concurrendo cum C intellectu agente; similiter efficienter influit in voluntatem, & non solùm moraliter, seu media cognitione, sed physicè; ergo non repugnat rem futuram efficienter ad aliquid concurrere, & consequenter assumi vt instrumentum diuinitatis.

Confirmatur, Nam secundum Diuum Thomam tertia, parte quæst. 48. articulo vltimo Christus per modum efficientiæ causat omnem humanam salutem; ergo & hominum omnium salutem; ergo etiam gratiam antiquorum Patrum, aliàs non causaret effectiuè omnem salutem humanam.

Existentia intentionalis obiecti, sufficiens vt intentionaliter effectiuè moueat.

Respondeo, Objectum futurum entitatiuè, D esse intelligibiliter & intentionaliter præsens; vnde mediante tali cognitione præsenti operatur effectiuè; Physica autem efficientia intelligibilis & intentionalis, non requirit objectum entitatiuè præsens, siquidem objectum quantumcumque entitatiuè præsens sit, non operatur in voluntatem per suam entitatem, sed per suam cognoscibilitatem, & speciem relictam in potentia tanquam semen eius intentionale, vbi objectum eius præsens est intentionaliter; ergo siue objectum entitatiuè sit, siue non, parum refert ad efficientiam in voluntatem aut in aliam potentiam. Neque efficientia ista moralis est, sed etiam physica, quia cognitio ipsa, & si intentionaliter continens objectum, physica tamen perfectio & E virtus & actus intellectus est; vnde physicè mouere potest, & agere in potentias mobiles à se. Id tamen quod est physicum respectu vnius, est morale respectu alterius; physicè enim se habet ad potentias mouendas intra se, moraliter autem respectu exterioris effectus; & sic objectum cognitum non effectiuè se habet respectu rei exterioris, etsi efficientiam habere possit in voluntatem; sicut etiam id quod in genere causæ finalis, realiter causat vt finis apprehensus, in genere efficientis non realiter causat, sed moraliter; quia non influendo realiter & physicè, sed cognosciriuè & intentionaliter ad rem extra comparatur.

Objectum

Obiectum autem ipsum extra manens, aut propositum, non effectiuè mouet, sed obiectiuè, aut is a quo proponitur, moraliter; effectiuè autem non obiectum, sed agens eliciens ab obiecto species mouet; & proponens mouet moraliter, id est, media cognitione alterius, & non per efficientiam physicam in ipsum. Ipsa tamen cognitio mouet physicè voluntatem; Moralis enim motio ad physicam & realem reducenda est, & in illa fundari debet aliàs nullum realem effectum vnquam haberet, cùm tamen habeat, videlicet amorem aut odium, & alia similia.

Ad Confirmationem Resp. S. Thomam intelligi de efficientia in omnem humanam salutem, non tamen antequam esset exhibita illa passio, sed post exhibitionem suam; antè verò solùm erat causa finalis, vt in præsenti articulo docet, aut moralis, vt in aliis articulis quæst. 48. Et hoc satis insinuat S. Thomas ibi solut. ad 3. vbi dicit, ***Quod passio Christi, secundum quod comparatur ad diuinitatem eius, agit per modum efficientiæ***; Ergo quandiu non est comparata ad diuinitatem eius, quia non est assumpta, non agit per modum efficientiæ.

Quartò obiicies, Christi passio præuisa fuit instrumentum & medium diuinitatis ad salutem Antiquorum; ergo & efficientiam instrumentalem habere potuit. Item etiam fuit redemptiua antiquorum Patrum, etiam ante sui exhibitionem; ergo & effectiua; siquidem redimere efficere est.

Confirmatur ex illo Rom. 3. 25. ***Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum***, &c. ergo respectu peccatorum antecedentium propositus est Christus propitiator in sanguine suo; ergo & in virtute sua, & in efficientia sua. Et simile quid potest colligi ex illo Apocal. 13. 8. vbi dicitur ***Agnus occisus ab origine mundi***; ergo passio eius ab origine mundi efficientiam habuit.

Confirmatur secundò, Christus ante exhibitionem passionis fuit causa meritoria gratiæ antiquorum Patrum, ergo & effectiua. Antecedens patet, Quia ex meritis Christi gratia illa data est Patribus, aliàs non habuisset influxum aliquem Christus in illam gratiam, tunc; quando data est. Consequentia verò probatur; Nam causa meritoria non potest esse post præmium, sed debet illud antecedere & effectiuè attingere; ideo enim Thomistæ dicunt non potuisse Christum Dominum mereri incarnationem iam sibi datam, per subsequentia merita, quia meritum non potest esse post præmium; ergo similiter si Christi passio fuit meritoria gratiæ antiquorum Patrum, debuit habere efficientiam in illam, & antecedere instrumentaliter efficienter illam.

Christi passio præuisa, causa moralis gratiæ Patrum, non efficiens physicè.

Respondeo, Passionem Christi præuisam solùm fuisse medium morale, & instrumentum morale diuinitatis, non verò efficiens physicum, quia nondum erat exhibita: quod autem fuerit redemptiua, non facit ipsam efficienter se habuisse; quia non erat redemptiua in re exhibita, sed quasi sub fideiussione; & sic dabatur gratia Patribus antiquis sub spe pretij (*alfiado*:) Vnde moraliter solùm redemptiua erat, & concurrebat tunc.

Ad primam confirmationem dicitur, Locum Pauli intelligendum de propitiatione facta respectu præcedentium delictorum, vel moraliter & mediante fide ante exhibitionem talium meritorum, vel physicè & efficienter post exhibitam; quia tunc vt instrumentum diuinitatis causabat gratiam remittentem præcedentia delicta, & vt reale pretium omnem obligationem soluebat. Illud autem Apocalyp. 13. non est necesse intelligi de reali efficientia, sed de morali; vel (vt D. Thomas intelligit ad Heb. 9. lect. 5. & cap. 12. lect. 4.) intelligitur ***occisus Agnus ab origine mundi***, quia in figuris occisus est, seu præfiguratus occidi; non realiter, nec secundum realem efficientiam.

Præmium vt finis, antecedēs meritum eiusque causa moralis; non vt efficiēs, physicè.

Ad secundam confirmationem Respondeo, Causam meritoriam in re exhibitam, & secundum causalitatem efficientem in re non antecedere præmium; secundum causalitatem tamen moralem posse antecedere, secundum quod ex meritis præuisis aliquid confertur; præsertim quando merita sunt finis illius, quod propter merita datur; sicut in præsenti contingit, quia passio Christi & incarnatio est finis gratiæ antiquorum Patrum; causa autem finalis in intentione antecedit effectum suum, & antequam in re sit exhibita. Et ideo dicitur à D. Thom. hîc, *Quod passio Christi fuit causa finalis veterum meritorum.*

Itaque meritum respectu eius quod quis meretur, potest se habere dupliciter; vno modo vt dispositio merentis ad illud præmium, & vt via & assecutio ad illud. Alio modo se habet vt finis, & præmium se habet vt effectus talis meriti; sicut gratia nostra respectu Christi & meritorum eius. Quando primo modo se habet meritum, non potest subsequi præmium, sed prius debet esse meritum quàm præmium; sicut non potest prius esse beatitudo in nobis, quàm meritum illius; nec prius Incarnatio, quàm meritum incarnationis; cùm potius Incarnatio sit principium merendi, & omnis meriti: si verò daretur prius tale præmium, quàm meritum, non haberet rationem præmij antequam meritum exhiberetur, sed gratis intelligeretur dari pro illo tempore, quo non solùm meritum ponitur.

Quando autem secundo modo se habet meritum, bene potest dari prius id, quod meretur intuitu talium meritorum præuisorum; quia cùm sint finis, agunt ex præuisione, & sufficit quod sint priora in intentione; & ita sufficienter influunt meritoriè moraliter quando sunt præuisa; quia non influunt meritoriè dispositiuè, & vt via ad præmium, sed meritoriè finaliter, seu vt finis eius, quod per meritum datur; non tamen efficienter tunc concurrunt physicè, cùm non sint physicè in actu.

ARTICVLVS IV.

Vtrum post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

QVam in corpore articuli sic explicat S. Thomas, vt non solùm probet post Christum esse Sacramenta, sed quod distincta sint à Sacramentis Antiquis. Quod enim post Christum Sacramenta debeant esse, patet, Quia sicut antiqui Patres saluati fuerunt in fide Christi venturi, sic & nos modò saluamur per fidem Christi iam nati & passi; Sacramenta autem sunt signa protestantia fidem, in qua iustificamur; ergo oportet modò esse talia signa; & consequenter Sacra-

Sacramēta nostra alia ab antiquis.

menta. Secundum etiam, scilicet quod distincta sint Sacramenta, probat S. Thomas, Nam Sacramenta sunt signa, sed alia sunt signa rei futuræ, alia rei præteritæ; aliter enim res annunciatur facienda, aliter facta; vnde & ipsa verba, *passurus*, & *passus*, non similiter sonant; Et similiter alia sunt signa prognostica, quæ respiciunt futurum, alia rememoratiua, quæ respiciunt præteritum; ergo oportet alia esse Sacramenta in Noua Lege, quæ respiciunt Christum iam præcedentem, alia in Lege Veteri, quæ respiciebant Christum venturum.

In his duobus nota duo, quæ supra iam insinuauimus, Primum est, quomodo S. Thomas semper probet necessitatem Sacramentorum ex ordine ad Christum, & non ex ordine ad gratiam, cùm tamen gratia sit præcipuum eorum significatum. Et ratio huius est, Quia necessitas gratiæ magis se extendit, quàm necessitas Sacramenti, vtpote cùm gratia pro omni statu iustificationis (etiam in qua non essent Sacramenta) necessaria sit ad iustificationem, vtpote cùm sit forma intrinseca sanctitatis. At verò Sacramenta, cùm sint media ad acquirendum gratiam, oportet necessitatem talium mediorum non ex ipsa gratia præcisè, sed ex modo quo datur talis gratia ostendere. Datur autem gratia per Christum, & non aliter; ergo optimè probat S. Thomas necessitatem Sacramenti ex necessitate protestationis fidei Christi, non ex ipsa necessitate gratiæ, quæ tanquam forma iustificationis necessaria est. Et quia Christus sensibiliter apparuit, congruenter fit applicatio per sensibilia media & signa.

Secundum quod debet aduerti est, Quod in Sacramentis est per se respicere Christum vt venturum, vel vt iam præsentem seu natum, licèt hoc non sit per se in ipsa fide, & ratione formali eius; quia scilicet cùm Sacramenta dentur vt signa, & non vt ratio credendi, per se respiciunt venturum, aut præteritum; fides autem solam primam veritatem reuelantem. Vnde & signa rectè diuiduntur in prognostica & demonstratiua & rememoratiua, non fides. Quare nunquam potuit idem Sacramentum seruire pro signando, & protestando Christo vt venturo & vt præsenti, & ita abstrahere à præsenti & futuro, sicut dicebat Cabrera; sed sicut sunt diuersi status, ita & diuersa signa; & signum quod est prognosticum, non potest esse rememoratiuum respectu eiusdem, & sub eadem ratione; nec potest abstrahere ab vtroque, cùm de ratione signi determinati sit, vt aliud sit pro futuro, aliud pro præterito, sicut hîc dicit S. Thomas ex Augustino.

Eadem fides quoad tempore, non Sacramenta.

In Responsione ad 2. & 3. ostendit S. Thomas excellentiam Nostrorum Sacramentorum supra Sacramenta Antiqua, quæ in duobus consistit; Primò in significatione expressiori gratiæ & Christi; & hoc explicat solut. ad 1. Secundò in causalitate & continentia gratiæ, quæ non conueniebat illis Sacramentis, quæ erant egena & vacua elementa; & hoc explicat solut. ad 2. Quod in nostris Sacramentis sit expressior significatio, patet, Quia illa antiqua solùm fuerunt *vmbræ futurorum bonorum*, ad Heb. 10. 1. nostra autem sacramenta sunt *exemplaria verorum & ipsa imago rerum*. Et hoc congruenter, Nam fides est magis explicita in hac Noua Lege quàm in Veteri, ergo & Sacramenta conuenientia tali statui fidei debent esse magis explicita, & expressius significantia.

Sacramenta nostra expressius significantia.

Et prætetea (quia vt dicit hîc S. Thomas ex Dionysio 5. cap. Cœlest. hierarc.) Status Legis Nouæ medius est inter statum gloriæ, & inter statum legis veteris; & ita id quod figurabatur in lege veteri de Christo, & eius gratia ac sacramentis, impletur & repræsentatur in noua. Quod verò in noua adhuc habetur per speculum & ænigma, in gloria habetur per speciem. Vnde in statu gloriæ nulla debent esse sacramenta, sicut nihil erit velatum & ænigmaticum; in statu verò legis nouæ, sacramenta esse oportet, sed non vmbratica & figuratiua, sed repræsentatiua verorum. Vnde per se loquendo nostra sacramenta sunt rei præsentis, & sacramenta veteris legis sunt per se rei futuræ; præsens autem magis expresè significabile est, quàm futurum, quamuis per accidens possit dari imago perfecta rei futuræ.

Ex quo etiam sequitur, Quòd materia sensibilis Sacramentorum Nostrorum perfectius est significatiua, quàm materia Sacramentorum Veterum; non considerata materia secundùm se, & ratione significationis quasi naturalis, sed considerata vt subest motioni & institutioni diuinæ; sic enim panis & vinum expressius Christum significāt, quàm Agnus paschalis. Ex parte continentiæ & causalitatis gratiæ, manifestum est excedere Sacramenta Nostra, vt Concilia dicunt, & clamat Scriptura, Quia illa erant *vacua elementa*, ista verò sunt plena virtutis & efficaciæ, ex passione Christi deriuatæ. Vnde continent gratiam, non sicut subiectum continet accidens, sed sicut medicina continet salutem, & calamus literas. Causant autem gratiam ex virtute & motione humanitatis sacratissimæ Christi, & efficacia passionis eius. Et propterea licèt in Veteri Lege esset Sacramentum, per quod sine opere operantis in paruulis dabatur gratia, tamen adhuc non continebat nec causabat illam gratiam, quia non ex virtute sibi communicata id faciebat, sicut nostra, sed Deus ad præsentiam illius; vnde non ita perfectum erat.

Eadem re ipsa plena & causantia.

QVÆSTIO LXII.

DISPVTATIO XXIV.

De principali effectu Sacramentorum, qui est Gratia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Sacramenta sint causa Gratiæ?

PRIMA Conclusio, Necesse est dicere quod Sacramenta Nouæ Legis per aliquem modum gratiam causent; siquidem per ea incorporamur Christo; sunt ergo causa huius incorporationis, & consequenter gratiæ in Christo. Vnde dicit Apostolus Gal. 3. 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.*

Secunda Conclusio, Non sufficit vt Sacramenta dicantur causa gratiæ, quod illis adhibitis Deus gratiam operetur; cùm hoc non transcendat rationem signi, & sic non transcenderent Sacramenta Nouæ Legis Antiqua Sacramenta.

Tertia Conclusio, Sacramenta sunt causæ gratiæ instrumentales, non principales.

Licèt de ratione Sacramenti non sit causare, vt supra quæst. 60. art. 1. latè explicatum est; constat tamen non esse extra rationem Sacramenti esse causam rei sacræ, cùm vnum ex analogatis huius nominis *Sacramentum*, sit esse causam rei sacræ. Quia tamen in præsenti tractatu Sacramenta, de quibus loquimur, habent pro genere rationem signi, & consequenter pro specifica differentia habent aliquid ad rationem signi pertinens, & in eo inclusum, sicut differentia includitur in genere; ideo S. Thomas supponens Sacramenta Nouæ Legis esse essentialiter signa, & talia signa (scilicet significantia expressè gratiam præsentem & Christum, &c.) inquirit in præsenti, An ex eminentia talium Sacramentorum, quæ participant virtutem Christi, & applicant satisfactionem meritorum eius, habeant vltra rationem signi (quod essentialiter constituit Sacramentum,) rationem causæ; ita quod non solum illam significent, sed etiam causent.

Et quia significatio, si sit practica, includit aliquid causalitatis, saltem tanquam conditio; sicut pactum de danda pecunia, aut ordinatio Regis causa est eam dandi, tanquam conditio ad id requisita, ideo S. Thomas loqui se fatetur non solùm de eo, quod est causa vt conditio, sed quod est causa influens, & propriè causa. Et in hoc sensu affirmat Sacramenta esse causas gratiæ (videlicet propriè) & habentia influxum in effectum, non tamen vt causa principalis (hoc est, quæ operetur per formam sibi propriam) sed vt instrumentalis, quæ operetur per motum causæ principalis. Circa hunc articulum plures sunt difficultates, quas specialiter oportet examinare.

Sacramẽta nostra, vera causa gratiæ.

A

DVBIVM PRIMVM.

Circa I. Concl.

An Sacramenta causent Gratiam, & an hoc sit de fide?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

PRO huius intelligentia est aduertendum, ad iustificationem nostram tria concurrere, quæ ad præsens faciunt; Primum & principalissimum est, Deus infundens & efficiens gratiam; Secundum est, Mediator seu Redemptor, in cuius fide, & per cuius deriuationem gratia ista venit ad nos, *Quia de plenitudine eius nos omnes accepimus*; Ioan. 1.
B 16. Tertium est, dispositio nostra vt gratiam istam recipiamus, & applicetur nobis gratia per Iesum.

Et has tres causas, sic in communi loquendo, Hæretici etiam admittunt; sed in illis explicandis longè errant; Nam ex parte dispositionis nostræ, solam fidem requirunt; illam videlicet quæ est cum fiducia certa de diuina promissione, per quam tanquam per manum dicunt acquiri nobis iustitiam. Ex parte verò Christi ponunt ipsum taliter satisfecisse, & ex tunc applicasse nobis merita, vt nullis Sacramentis indigeamus, quæ virtute ipsius nobis applicent eius merita; sed solâ fide, qua credimus in eum, qui iustificat impium, gratiam nobis acquiri per Christum, eâque fide tegi omnia peccata nostra. Quare Sacramenta solùm dicunt deseruire tanquam obiecta, seu signa quędam excitantia nobis fidem in Christum, licèt vt
C coniuncta cum fide, dicant ea esse causas instrumentales, vt sic celare videantur hæresim suam, & simplices decipiant. Denique ex parte Dei aiunt nullum habituale donum nobis intrinsecum ab eo dari, quo iusti simus; sed ipsa Dei iustitiâ, & extrinseco fauore nos iustos esse.

Totam hanc pestem cum veritate Ecclesiæ pugnantem Concilium Trident. latè condemnant sess. 6. & 7. Nam sess. 6. can. 9. *Si quis* (inquit) *dixerit sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari*
D *atque disponi, anathema sit.* Ecce quomodo exploditur hęresis, de eo quod requiritur ex parte nostræ dispositionis. Deinde can. 11. *Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam qua iustificamur esse tantùm fauorem Dei, anathema sit.* Ecce exclusam hæresim de eo quod requiritur ex parte Dei ad nostram iustificationem; scilicet de dono nobis infuso, quod debet esse aliquid habitualiter inhærens nobis.

Deinde verò seſſ. 7. can. 5. dicit, *Si quis dixerit Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe, anathema ſit.* Et can. 7. definitur *contineri, & dari gratiam per Sacramenta; idque ex opere operato.* Ecce vbi confoditur hæreſis circa Sacramenta, dum negat ſolùm ſeruire vt excitantia fidem, ſed vt cauſantia ipſam gratiam ex opere operato, & non ſolam fidem.

De fide eſt, Sacramenta cauſare gratiam.

Dicimus ergo, De fide eſſe quod Sacramenta cauſent gratiam, non tanquam conditio, aut excitatiuum fidei; tum quia hoc modo etiam concio, aut imagines, aut ſacramenta antiqua, & libri deuoti gratiam cauſarent, tum quia Sacramenta ſunt media, quibus Christus nos renouat, & applicat nobis merita ſua, non verò ſolùm fidem excitant; pleraque enim eorum fidem ſupponunt, vt ſcilicet hi qui accedunt ad Sacramenta credentes accedant, & cum motu fidei; ergo hæreſis iſta ſtulta eſt. Vnde cauſare debent gratiam Sacramenta vt virtus Chriſti, & vt efficaciam habentia ex illo; ſupponunt tamen diſpoſitionem ex parte noſtra, & motionem ex parte Dei, per Chriſtum infundentis in nobis charitatem & dona, quæ inhæreant in anima, & intrinſecè ipſam renouent in genere cauſæ formalis & habitualis. Et hæc quidem pro Catholicis ſufficiant.

Contra Hæreticos autem illud poteſt texi argumentum, Quia Scriptura deſignat aliquas actiones, quibus peculiariter gratiæ & ſalutis acquiſitionem tribuit, & infallibilem effectum habendum per illa, vt de Baptiſmo, *Saluos nos fecit per lauatrum*, Tit. 3. 5. *Mundans eam lauacro aquæ*, Eph. 5. 26. De Euchariſtia, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, Ioan. 6. 59. Item, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Ioan. 20. 23. Et ſimilia multa; ergo cùm hoc peculiaribus actionibus tribuatur, & per eas dicatur acquiri iſta ſalus & gratia & remiſſio, certum eſſe debet quod non excitatio fidei, quæ multis aliis modis fieri poteſt, ſed quod iſtæ actiones ſpeciale aliquid habent ad remiſſionem peccatorum; & ſic non ſolum ſignificant aut excitant, ſed etiam vim habent ad remiſſionem.

Circa hanc autem veritatem confirmandam, plures adducere authoritates ex Scriptura & Patribus, ſuperuacaneum videtur. De his videri poſſunt Bellar. lib. 2. de Sacramentis in genere, Suarez hîc, Cabrer. Nuño, &c.

Opus operantis & operatum in Sacramentis.

Ex his colligitur Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, non ex opere operantis ſolùm, quod & definit Trident. ſeſſ. 7. can. 8. quam locutionem Hæretici irrident, tum quia vocabula ipſa minus ſint elegantia, & Grammaticis communia; tum quia dicunt Sacramenta ſolùm ſeruire vt ſigna excitantia fidem, mediante qua fide prouenit nobis iuſtificatio; & ideo ſolùm ex opere operantis (id eſt, fide, quæ à nobis operatur) gratiam ſeu iuſtificationem dari. Qui duo modi conferendi gratiam ſic explicari poſſunt, Quod cùm gratia conferatur à Deo homini mediante aliqua cauſa, ſeu motiuo opere, ratione cuius confertur (nec enim aliter datur à Deo) opus iſtud, ſeu cauſa ratione cuius datur, vel eſt opus factum ab ipſo cui datur, & ſic dicitur opus operantis, & dari dicitur gratia ex opere operantis; id eſt, ex opere quo diſponit ſe ad gratiam ſuſcipiendam; quia poſita diſpoſitione ad aliquam formam, talis forma confertur ſubiecto: Vel opus, ſeu cauſa ratione cuius gratia datur à Deo, non eſt aliquid factum ab ipſo ſuſcipiente gratiam, ſeu A diſpoſitio illius, ſed eſt opus factum & operatum ab alio externè, & quod innititur, ſeu habet vim ex opere iam factò & operato ab alio (ſcilicet ex meritis Chriſti) non autem habet vim ex diſpoſitione ſubiecti, aut mediante ipſa Chriſti applicantur merita, ſed mediante aliquo opere externo, vt diſtinguitur contra propriam diſpoſitionem, & habet vim ex meritis Chriſti. Et gratia quæ confertur ratione talis operis ſic externè facti, & ex meritis Chriſti, dicitur opus operatum; & hoc ita eſt cauſa gratiæ, vt in paruulis non requirat actum aliquem ex parte ſuſcipientis; in adultis verò requirat actum, quo non ponatur obex gratiæ; & licèt non accedat ad vltimam diſpoſitionem, adhuc tamen per virtutem talis operis B operati dabitur gratia; ſi verò ſit diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, vltra talem diſpoſitionem, adhuc datur aliqua non correſpondens diſpoſitioni, ſed operi illi operato & externè applicato. Hoc ergo modo Sacramenta dicuntur cauſare gratiam, quia præter diſpoſitionem, cui correſpondet gratia, ipſi vt operi externo correſpondet; & ita ex ipſo opere operato dari dicitur.

Soluuntur Argumenta.

Sed obiicies primò, Nam ex verbis Scripturæ non colligitur Sacramenta eſſe cauſas, & habere virtutem ad iuſtificandum, niſi vel excitando fi- C dem, vel mediante ipſa fide, ergo Sacramenta non ſunt cauſa gratiæ condiſtincta à fide & excitatione eius. Antecedens probatur primò, Quia ſufficienter explicari poſſunt verba Scripturæ de iuſtificatione Sacramentorum, ad eum modum, quo Antiqua Sacramenta iuſtificabant; id eſt, quod ad præſentiam illorum Deus iuſtificabat in fide ſuſcipientis: Secundò, Quia ſicut dicitur de Sacramentis quod iuſtificent, etiam & de verbo Dei & Euangelio id dicitur in Scriptura; Nam ipſum Euangelium dicitur Rom. 1. 16. *Virtus Dei in ſalutem omni credenti*; & tamen non aliter eſt virtus Dei in ſalutem, niſi quia excitat & D proponit credenda de Deo, ergo ſimiliter ſufficienter dicentur Sacramenta virtutes Dei ad ſalutem, quia excitant ad fidem; ſi enim hoc ſufficit vt dicatur Euangelium virtus Dei, cur non etiam vt dicatur Sacramentum?

Confirmatur, Nam 1. Pet. 3. 21. dicitur, *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma; non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, per reſurrectionem Ieſu Chriſti*; ergo ipſa ablutio carnis non operatur in baptiſmate ſalutem, ſed fides conſcientiæ bonæ; id enim ſignificare videtur interrogatio conſcientiæ in Deum.

Confirmatur ſecundò ex Auguſt. Tract. 80. in Ioan. vbi explicans illa verba, *Iam vos mundi E eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis*, ſic dicit; *Quare non ait, Mundi eſtis propter Baptiſmum, quo loti eſtis, ſed ait propter verbum, quod locutus ſum vobis; niſi quia & in aqua verbum mundat; id eſt, Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Et infra, Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat; niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur?* Igitur non ipſa ablutio, nec ipſa aqua operatur ſalutem & gratiam, ſed fides, ſeu ipſum credere. Vnde & Auguſtinus affert in confirmationem ſuam dictum Apoſtoli, *Fide purificans corda eorum.* Act. 15. 9. & etiam citatum locum 1. Pet. 3. 21. *Non carnis*

depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio; *hoc est verbum Dei*, inquit August. quo sine dubio consecratur Baptismus vt mundare possit.

Respondetur ad principale Argumentum, negando antecedens; Ad primam probationem antecedentis dicitur, Quod in Scriptura ipsis Sacramentis nostris attribuitur salus vt causis, quia dicitur per ea, aut eis dari gratiam; sicut dicitur Ephes. 5. 26. *Mundans eam lauacro aquæ*. 2. ad Timoth. 1. 6. *Vt ressuscites gratiam, quæ est in te, per impositionem &c.* De Sacramentis autem antiquis negatur ea iustificasse, aut per ipsa acquiri salutem.; sed fuisse vacua elementa & sola signa. Dicitur enim quod *nihil ad perfectum adduxit lex*, Hebr. 7. 19. ergo si de istis dicitur absolutè quod eis iustificamur, de illis verò negatur, cùm tamen ad præsentiam illorum in fide Christi daretur gratia, aliquid amplius tribuit nostris Scriptura, quam antiquis; & sic facit ipsa causas.

Vetera Sacramenta vacua, nostra plena, eoque efficacia.

Ad secundam probationem dicitur, Non eodem modo attribui verbo Dei externo gratiam, sicut Sacramentis. Vnde Respond. Euangelium dici virtutem Dei, non intelligendo per Euangelium ipsum verbum excitans nos ad fidem, & proponens illam nobis; sed ipsam Legem gratiæ, & Spiritum mouentem intus cor. Nam si Euangelium sumatur solùm prout continet documenta fidei, & præcepta ordinantia affectum humanum, sic Euangelium non iustificat, vt dicit S. Thom. 1. 2. quæst 106. art. 2. Vnde & August. de Spiritu & Litera cap. 14. & 17. exponens illud Apostoli 2. Corinth. 3. 6. *Litera occidit, spiritus autem viuificat*; per *literam* intelligit quamlibet scripturam extra hominem existentem, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Euangelio. Ex quo infert S. Thomas, Quod etiam litera Euangelij, occideret nisi esset intus gratia sanans. Igitur similiter si Sacramenta solùm essent signa excitantia & proponentia fidem, & carerent virtute sanante, essent tanquam litera occidens. Vt ergo hoc euitemus, Dicendum est quod Euangelium ratione virtutis interioris, & Sacramenta ratione virtutis Christi, sunt virtus omni credenti, non autem ratione excitationis ad fidem.

Verbum viuificans, non ipsa præcisè Scriptura; quæ vt sic litera occidens.

Secundò dicitur, Quod quando dicit Apostolus *Euangelium esse virtutem Dei*, per ly *Euangelium*, intelligit Legem Euangelicam, quæ non excludit, sed includit Sacramenta; & ratione Sacramentorum, quibus iustificat, est etiam virtus Dei omni credenti.

Ad primam confirmationem Respond. Sensum Apostoli manifestum videri, Quod videlicet Baptismus, non secundum quod habet effectum lauandi sordes corporis, sed secundum quod per virtutem resurrectionis Christi operatur, saluat nos; & sic est interrogatio conscientiæ bonæ in Deum; Quia cùm Baptismus sit ianua ad vitam, baptizatio ipsa est quædam interrogatio conscientiæ bonæ ad Deum, intendentis ingredi ad Deum per ianuam Baptismi, & sic Deum interrogantis. Itaque iuxta hunc sensum, optimè intelligitur Apostolus, quod qui assumit Baptismum non vt sordium corporalium ablutio est, sed vt interrogatio conscientiæ inquirentis Deum, vt sibi aperiat, & per illum tanquam per ianuam ingrediatur ad Deum, sic Baptismus saluat nos; id tamen per resurrectionem Christi: Vnde non negat Apostolus virtutem Baptismi ad dandam gratiam.

Interrogatio conscientiæ ad Deum in Baptismo.

A Vel secundò alludit Apostolus ad morem Ecclesiæ, quo baptizandum interrogat, Num velit renunciare diabolo? & respondet se velle. Vnde Baptismus, non vt deponit sordes carnis, sed vt est vsus interrogationis ad renunciandum diabolo, sic saluat nos.

Ad secundam confirmationem Respond. S. Augustinum eo in loco clarè admittere in Baptismo virtutem sanctificandi, licèt explicet eam non haberi in Baptismo ex vi ipsius aquæ, sed ex verbo Dei; non quod excitetur a baptismo, sed quod accedit ad elementum & fit Sacramentum. Vnde in ipso elemento, accedente verbo, agnoscit istam sacramentalem virtutem. Quando autem subdit, *Non quia dicitur, sed quia creditur*; ipse

B se August. exponit, subdens, *Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens aliud virtus manens.* Est ergo sensus, Quod ipsum verbum, non secundum eam rationem quo dicitur & profertur (hoc est secundum sonum) sed secundum eam rationem qua non dicitur nec sentitur, sed tantùm creditur (hoc est, secundum virtutem diuinam & mysterium fidei) operatur, non tamen excitando fidem, aut mediante actu credendi, sed secundum virtutem quam habet a Deo. Sic etiam intelligit August. S. Thomas supra, quæst. 60. art. 7.

Secundò obiiciunt Hæretici plura Scripturæ testimonia, in quibus fidei attribuitur iustificatio vt

C illud, *Iustus ex fide viuit*, Rom. 1. 17. Item, *Fide purificans corda eorum*, Act. 15. 9. Item, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, Mar. 16. 16. Et illud Rom. 3. 23. *Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Obiicit etiam Kennitius illud Ephes. 5. 26. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*; si ergo mundat Baptismus in verbo vitæ, verbum autem vitæ ex fide est, & operatur excitando fidem; igitur Baptismus mundans in isto verbo, mundat excitando fidem.

Respondetur, Omnia ista testimonia tripliciter explicari à Concilio Trident. sess. 6. cap. 6. *Fidem dici iustificari, quia est radix & fundamen-*

D *tum iustificationis. Vnde iustificat 'i eus per fidem, non tanquam per totalem causam, sed tanquam per fundamentum iustitiæ. Aliàs enim etiam requirit Scriptura effusionem Spiritus sancti in nos & charitatem, sine qua nihil sumus; & opera, sine quibus mortua est in semetipsa*, Iacob. 2. 17.

Fides vt iustificans Concilij Tradent.

Secundò explicantur ista testimonia, quod loquuntur de fide perfecta, & formata charitate; sic enim fides purificat, sic facit iustum viuere; Nec enim iustus viuit per fidem non viuam & sine charitate, *sine qua* (vt Apostolus ait) *nihil sumus*.

Fides charitate formata & viua.

Tertiò Explicantur ista testimonia de fide, id est, de Lege Euangelica, quæ dicitur fides Christi.

E In Lege autem Euangelica, non solùm est præceptum de actu credendi, sed & diligendi, & bene operandi, & Sacramenta suscipiendi. Vnde quod dicitur *per fidem*, non excludit alia, quæ aliis locis Scriptura requirit ad iustificationem. Ad locum Kennitij Respond. Per ly *In verbo vitæ*, intelligi de verbo dante virtutem aquæ, seu lauacro; quod *accedit ad elementum, & fit Sacramentum*; Hoc autem non est verbum concionatorium & excitatiuum fidei, sed consecratorium, & virtutem habens ad mundandam animam. Vnde verbum concionatorium operatur excitando fidem, verbum autem consecratorium etiam causan-

Fides, Lex Euangelica.

Verbum vitæ consecratorium, non solùm concionatorium.

do gratiam; aliàs nihil speciale Apostolus diceret de lauacro ad mundandum, quam de aliqua concione, aut imagine, aut Sacramentis antiquis.

Tertiò obiicitur, Sacramenta non possunt causare ex opere operato, ergo non sunt causa gratiæ. Antecedens probatur. Tum quia Sacramenta exigunt dispositionem suscipientis, & secundum eius mensuram gratiam conferunt; si autem ex opere operato conferrent gratiam, non requirerent dispositionem, ratione cuius eam conferrent: tum etiam quia si sic conferrent gratiam, possent infantibus sacramenta dari, etiam præter Baptismum & augerent in eis gratiam, quod fieri non videmus.

Confirmatur, Nam si ex opere operato conferunt gratiam Sacramenta, vel ratione formalis conferunt, vel ratione materialis; non ratione formalis, quia hoc est relatio rationis, id est, significatio, quæ non est aliquid reale; nec ratione materialis, tum quia *aqua sine verbo*, vt dicit August. *non est nisi aqua*, nec causat aliquid spirituale; tum quia illud materiale est entitas quædam naturalis, cui non conuenit per se causare gratiam, quæ est super omnem talem entitatem, & accidit illi eleuari ad ordinem supernaturalem; ergo non est per se in Sacramentis causare gratiam.

Opus operatum cũ suscipientis dispositione.

Respondetur, Quod causalitas ex opere operato non excludit opus operantis vt dispositionem ad gratiam, sed excludit opus operantis vt rationem principalem, & quasi effectiuam, habendi gratiam; seu excludit opus operantis vt principium à quo habeat vim suam, cùm illam habeat ex meritis Christi. Nam etiam ipse Deus, quando causat effectiuè principaliter gratiam, non excludit dispositionem suscipientis, neque agentia naturalia dispositionem materiæ. Conferunt ergo ex opere operato, quia tenent se ex parte virtutis Christi, conferentis gratiam subiecto disposito. Et etiam quia conferunt vltra propriam dispositionem, conformiter tamen & proportionaliter ad illam, sed non sine illa: si autem daretur infanti Eucharistia, augeret in eo gratiam; quod & aliquando factum est in Ecclesia. Alia verò Sacramenta eis dare non expedit, quia requisita ad illa in infantibus non concurrunt.

Eucharistia gratiã auget in infantibus.

Ad confirmationem Respondetur, Quod quando quæritur An ratione formalis causent Sacramenta, vel ratione materialis; si ly *ratione* dicat formalem rationem & causam, nec vnum nec alterum est ratio causandi, sed motio diuina eis impressa: si autem ly *ratione* dicat rem assumptam & motam ad causandum, dico esse totum sacramentum (id est, materiale vt subest formali) & sic non sola aqua sine verbo causat, nec entitas naturalis per se causat gratiam, sed per eleuationem & motionem; & sic ista est per se, *Sacramenta Nouæ Legis causant*, quia *ly* Sacramenta Nouæ Legis, non supponunt pro sola entitate materiali Sacramenti, sed pro illo materiali vt moto & eleuato à spiritu gratiæ; sicut hæc non est per se, Aqua calefacit, bene tamen hæc est per se, *Aqua calida calefacit*; & hæc non est per se, Caro sanctificat, hæc tamen est per se, *Caro Verbi sanctificat*.

Ratio causandi in Sacramentis.

Quartò obiicitur, In Sacramentis fides exigitur; ergo magis ipsa iustificat quàm Sacramenta, siquidem similior est & propinquior gratiæ quàm Sacramenta: Imò cum fide sine Sacramento saluatur homo, cum Sacramento autem sine fide nunquam; ergo magis operatur fides quam Sacramentum.

Confirmatur, Nam solus Deus nouit corda hominum, solus Deus est qui dimittit peccata, neque rebus & signis externis gratiam suam obligauit: ergo sacramenta non iustificant, sed Deus ad præsentiam illorum.

Confirmatur secundò, Nam non est de fide gratiam esse qualitatem inhærentem in anima; ergo neque est de fide causari per Sacramenta. Antecedens patet, Quia gratiam esse habitum & qualitatem, solùm tanquam probabilissima opinio admittitur in Clementina vnica de Summa Trinitate, ergo.

Fides causa gratiæ vt dispositio; Sacramenta, vt Dei instrumenta.

Respondetur negando consequentiam argumenti, Licèt enim fides sit similior gratiæ in entitate & spiritualitate, non tamen in motione & causalitate instrumentali à Deo suscepta; quia licèt Deus posset assumere fidem vt instrumentum iustificandi, sicut Sacramenta, placuit tamen illi per humilitatem carnis saluare nos, & ita subijci nos sensibilibus propter ipsum; sicut & carnem sensibilem propter nos sumpsit, non autem Angelicam naturam; & Anima similior est Angelo in entitate, non tamen vnitur ei, sed corpori, cui congruentior est in ratione formæ, quàm Angelo.

Quod verò dicitur, Sacramentum sine fide non causare, bene tamen fidem sine sacramento iustificare; Respondeo, Fidem sine Sacramento in re vel in voto non iustificare, sicut neque fidem sine operibus; Sacramentum etiam sine fide, tanquam sine dispositione subiecti, non iustificat; non tamen hinc sequitur Fidem operari iustificationem, sed Sacramenta disponente fide.

Ad primam confirmationem dicitur, Deum solum iustificare & dimittere peccata, vt causa principalis; hinc tamen non excludi humanitatem Christi vt instrumentum coniunctum, & Sacramenta vt separatum; neque ideo Deus se alligauit signis externis, quia sine illis si velit iustificare potest; ordinauit tamen vt per illa causaret suam gratiam, vt potentiam suam amplius manifestaret in rebus humilibus. Vnde per Sacramenta homines non abstrahuntur à Deo, vt dicit Caluinus, sed magis ei subduntur, quia rebus & legibus ab eo ordinatis subiicimur.

Ad secundam confirmationem Respondeo, Probare etiam Argumentum, quod Deus non causet gratiam, siquidem illa non est qualitas: igitur sicut est de fide gratiam Dei aliquid esse, quidquid illud sit, & est de fide diffundi & causari à Deo in nobis tanquam semen Dei, sic eodem modo est de fide causari à Deo per Sacramenta, quidquid illud sit, quod causat. Secundò tamen dicitur, post Concilium Trident. de fide esse quod iustificamur per aliquid inhærens in anima, vt ex sess. 6. canone 11. supra retulimus.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrùm omnia Sacramenta habeant per se, saltem secundum rationem genericam, causare primam gratiam, facereque ex attrito contritum?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

CVius intelligentia pendet ex duobus: Primum est, Quomodo intelligamus primam gratiam, quando dicimus, *Per se conferri ab omnibus Sacramentis:* secundum est, Quomodo intelligatur Sacramentum per se causare. Est enim certum apud omnes, Sacramenta alia esse viuorum, alia mortuorum; & Sacramenta mortuorum dicuntur, quæ secundum peculiarem suam rationem sunt ordinata ad causandam remissionem peccati, & primam gratiam; Sacramenta autem viuorum, quæ sunt ordinata ad augendam, vel perficiendam gratiam, & ideo præsupponunt subiectum iam habere gratiam; & consequenter si Sacramenta mortuorum applicentur homini existenti in gratia, augebunt, aut perficient in eo gratiam; nec enim frustrabuntur effectu suo; si verò gratiam non inueniunt in subiecto, sed tamen inueniunt dispositionem non resistentem nec ponentem obicem, pro certo habetur conferri illi tunc primam gratiam ex opere operato Sacramenti, seu ex vi propria; aliàs nunquam ista Sacramenta possent conferre effectum, ad quem primò & per se ordinantur, ex vi & ex opere operato ipsius Sacramenti. Vt ergo illam conferant, oportet aliquando non præsupponere in subiecto contritionem & gratiam, sed facere ex attrito contritum.

Sacramẽta viuorũ & mortuorum, eorũ discrimen.

Præter hoc ferè certum est etiam, & apud omnes receptum, quod Sacramenta viuorum, & quæ per se & secundum suam specialem institutionem ad augendam seu perficiendam gratiam ordinantur, aliquando saltem per accidens conferant gratiam primam; quia videlicet cùm de se ordinentur ad gratiam perficiendam, seu sub modo perfecto causandam, potest contingere quod in subiecto de facto non sit gratia, quamuis putet bona fide gratiam inesse; & cùm non ponat obicem, & aliàs putet se habere dispositionem requisitam pro tali Sacramento, recipiet primam gratiam in re, ab illo Sacramento viuorum. Hoc, inquam, ferè apud omnes certum est, quia expressis verbis traditur à D. Thoma infra, quæst. 72. art. 7. ad 2. & quæst. 79. art. 3. in fine corporis, In quibus locis clarè docet, *Confirmationem & Eucharistiam adulto existenti in peccato, cuius conscientiam non habet, vel etiam si non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, conferre remissionem peccatorum.*

Status ergo controuersiæ hic est, An supposito quod quædam Sacramenta sunt secundum speciales rationes instituta ad primam gratiam, alia ad secundam; & non repugnat hæc, quæ sunt ad secundam gratiam, aliquando conferre primam, An videlicet illam conferant omnia per accidens? an verò saltem secundum genericam rationem, omnibus Sacramentis conueniat per se conferre primam gratiam? Et dicimus explicationem huius quæstionis, & conclusionis eius, ex illis duobus pendere. Igitur quoad primum.

A Notandum est, Quod prima & secunda gratia non distinguuntur tanquam duæ gratiæ, sed tanquam duæ rationes, seu formalitates aut effectus gratiæ. Vt enim S. Thomas ait art. sequenti, *Sacramenta habent distingui secundum speciales effectus gratiæ.* Et quæst. 72. art. 7. ad 1. dicit, *Primum effectum gratiæ esse remissionem peccatorum; habere autem alios effectus, quia sufficit ad hoc quod promoueat hominem per omnes gradus vsque ad vitam æternam.* Et ita isti effectus, seu formalitates, quamuis secundum se & seorsum videantur aliquam distinctionem, seu oppositionem habere, ratione cuius Sacramenta, quæ illos specialiter respiciunt, distinguuntur inter se, tamen in ipsa substantia gratiæ

B vniuntur tanquam in vna entitate, cuius ipsi sunt effectus aut formalitates.

Hinc est quod prima gratia potest considerari dupliciter: Vno modo vt explicata in primo effectu gratiæ, seu formalitate illa primæ, secundum quod opponitur, aut distinguitur à secundo effectu, & formalitate explicante secundam gratiam: Alio modo potest considerari prima gratia vt in ipsa substantia gratiæ continetur, & in productione gratiæ quoad substantiam continetur productio ipsius quoad modum primi effectus, licet ipse primus effectus, & formalitas primæ gratiæ, vt primæ, non sit ratio producendi gratiam.

C Sicut forma panis in Eucharistia, habet per se producere Corpus Christi, vt est in Christo, & consequenter animam & sanguinem, licèt ex vi verborum, & tanquam rationem formalem producendi, non habeat producere sanguinem, & è contra est in forma calicis. Et ita forma panis, licèt non directè & explicitè habeat producere sanguinem, habet tamen producere illum prout continetur in corpore, quod per se producit vt est in Christo; & ideo per se habet producere sanguinem, id est, habet ad id virtutem, licèt non ex vi verborum. Sic stat bene, quod Sacramentum habens per se producere substantiam gratiæ, habeat per se producere primam gratiam, vt continetur in substantia gratiæ de nouo producibili,

D licèt directè, & secundum propriam rationem attingendi gratiam, non primam, sed secundam gratiam explicitè habeat producere.

Et similiter in naturalibus, Homo generat hominem totum, & secundum omnes rationes in eo inuentas; & similiter cœlum, & similiter Deus, licèt vnicuique agenti sua formalis & distincta ratio agendi correspondeat; & ita dicitur quod Petrus generat Petrum, & non hominem; homo generat hominem & non animal; animal generat animal & non corpus; sic stat quod idem Sacramentum, secundum rationem communem respiciat substantiam gratiæ producendam, &

E consequenter omnia quæ comitantur talem substantiam; secundum peculiarem tamen rationem respiciat pro ratione formali producendi secundum effectum, seu formalitatem gratiæ, non primum.

Quoad secundum notandum est, Quod per se producere aliquem effectum dupliciter sumi potest: Vno modo taliter, quod ly *per se*, dicat rationem formalem, seu motiuam attingendi effectum; Alio modo, ita vt ly *per se*, dicat terminum, seu obiectum in quod potest virtus actiua. Omne enim quod intra sphæram alicuius virtutis continetur, dicitur per se ab illa fieri, quamuis

sub alia ratione formali attingatur. Ratione primi, homo non producit animal, sed hominem; & cœlum non producit hominem, sed corpus; quia illæ sunt rationes formales agendi talium agentium. Ratione secundi, homo producit totum quod est in homine, & cœlum totum quod est in homine; & intensio producit qualitatem, & modum qualitatis; *illam*, ratione communi alterationis; *hanc*, peculiari ratione intensionis; quamuis ratio agendi ipsi non sit qualitas, sed perfectio qualitatis.

Contra etiam per accidens dicimus effectum aliquem produci, aut quia ille effectus non præbet rationem formalem, licèt ab illa causa attingatur: B sicut homo per accidens causat animal, & intensio per accidens causat qualitatem; aut quia effectus ille non est intra sphæram alicuius virtutis, sed ex adiuncto aliquo per accidens sequitur; sicut monstrum non per se sequitur ex semine, aut ex cœlo, nec calidum infrigidat nisi per accidens (id est, per antiperistasim) & album per accidens ædificat.

Vel vt melius dicatur, Per accidens causare gratiam potest dici, *vel per accidens* respectu efficientiæ, quia videlicet ipsa virtus agendi per se non sufficit attingere, & influere in effectum, sed debet ei alia adiungi; *vel per accidens* dicitur, non C respectu efficientiæ, sed respectu dispositionis per se requisitæ, aut respectu concursus causarum. Nam quando ignis cadit v. g. & comburit materiam; licèt ille concursus materiæ & ignis sit per accidens, tamen combustio ab igne non est per accidens effectiuè, quia per se habet ignis comburere. Sic, licèt per accidens sit respectu Sacramenti (Eucharistiæ v. g.) talem dispositionem, id est, solum attritionem cum bona fide ponere, tamen non erit ei per accidens gratiam dare, sed vt instrumentum diuinitatis id faciet.

Dicimus ergo, Quod Sacramenta Legis Nouæ, ex hac ratione generica qua sunt Legis Nouæ, habent per se producere primam gratiam; non sumendo ly *per se*, pro ratione formali (id enim peculiari rationi quorundam Sacramentorum conuenit, scilicet Baptismo & Pœnitentiæ) nec sumendo primam gratiam prout explicatur in effectu primo gratiæ, sed vt continetur in substantia gratiæ de nouo producibili. Et ratio huius est, Quia Sacramenta nostra ex vi rationis sacramentalis habent causare substantiam gratiæ; taliter quod habent vim illam producendi de nouo, & quoad totam entitatem suam: Etenim Sacramenta, eo ipso quod sunt instrumenta passionis Christi, & virtutem ipsius participant; virtus autem Christi ad totam substantiam gratiæ est, ita & in sacramentis; aliàs enim si virtutem non haberent ab ipso causandi gratiam, etiam quoad substantiam, nunquam possent (etiam per accidens) illam producere, quia subiectum bona fide accedit. Ex hoc enim quod subiectum sic sit dispositum, non accrescit virtus ipsi causæ agenti; ergo si non est intra sphæram actiuitatis Sacramenti productio gratiæ quantum ad substantiam non poterunt illam producere, quantumcumque subiectum disponatur.

Sacramẽta Nouæ Legis per se productiua primæ gratiæ ex ratione generica.

Igitur dicendum est, Quod producere gratiam ipsam non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam, continetur intra latitudinem & sphæram virtutis Sacramentorum, sic enim absolutè Concilia & Scriptura docent, *Sacramenta Nouæ Legis causare gratiam*; quæ propositio absolutè

A non deberet concedi, si non possent ipsam substantiam gratiæ producere. Et sic S. Thom. quæst. 79. art. 1. ad 2. ait, Quod *ex virtute sua Eucharistia non solum habitum gratiæ habet dare, sed etiam actum excitare.* Igitur si omnia Sacramenta, ex ipsa ratione Sacramenti habent producere gratiam quoad substantiam, & in ipsa gratia quoad substantiam continetur primus effectus gratiæ, qui est remissio peccatorum, nec potest produci de nouo ipsa gratia, nisi subiecto præbeat istum primũ effectum, manifestum est quod per se habeant primam gratiam producere; ita quod quando illam producunt, non per accidens producunt (sicut in antiperistasi) sed virtute sua illam attingendo effectiuè, & non vt causa per accidens.

Quare quando communiter dicunt Theologi, Sacramenta viuorum posse per accidens causare primam gratiam, ly *per accidens*, potest teneri vel ex parte causæ agentis, ita quod ipsa sit causa per accidens; sicut quando calidum per antiperistasim causat frigus, vel semen causat monstrum; vel potest teneri ex parte causæ dispositiuæ & materialis, ita quod ista dispositio est per accidens respectu talis agentis; ea tamen posita per se causat effectum, sicut verba consecrationis per se producerent Corpus Christi, si in re non esset, & actio intensiua per se producit qualitatem, si illam productam non inuenit, quamuis per accidens hoc contingat respectu talium subiectorum: Sacramenta ergo non conferunt primam gratiam primo modo tanquam causæ per accidens, bene tamen secundo modo; hoc tamen non tollit, quin per se illam producant, sicut & per se producunt gratiam quantum ad suam substantiam.

Soluuntur Argumenta.

Sed obiicies primò, Aliqua Sacramenta Nouæ Legis (vt Baptismus & Pœnitentia) sunt per se instituta ad remittenda peccata, & causandam pri- D mam gratiam; alia verò non sunt per se instituta ad remittenda peccata, sed ad augendam gratiam; ergo ista quinque Sacramenta per se non habent causare primam gratiam, & remissionem peccati. Patet consequent. Quia per se solum competit Sacramentis, id quod ex institutione conuenit; si ergo sunt per se instituta ad augendam gratiam, & non ad remissionem peccati, non causant per se primam gratiam. Anteced. autem ab nominibus traditur, & ex ipsa institutione Sacramentorum constat; quia Baptismus est ad tollendum originale, & actuale adultorum non baptizatorum; Pœnitentia autem ad tollendum mortale baptizatorum; reliqua nec ad mortale, nec ad veniale tollendum sunt instituta. Vnde & quædam dicuntur Sacramenta mortuorum, quia dantur mortuis in E peccato, vt habeant vitam; quædam viuorum, quæ dantur habentibus gratiam.

Nec valet dicere, Quod Sacramenta viuorum conferunt primam gratiam secundum rationem genericam, licèt non secundum specificam. Contra hoc enim est, Quia ratio differentialis nunquam repugnat rationi genericæ, quam contrahit; ergo si Eucharistia v. g. habet ex ratione generica conferre primam gratiam, non potest illi repugnare ratione specifica; repugnat autem ex ratione specifica & differentiali conferre primam gratiam, cùm ex ratione specifica habeat conferre gratiam secundam, seu gratiam cibantem; ergo non potest ex ratione generica conferre primam gratiam.

Con-

Confirmatur, Quod conuenit ratione generica alicui, conuenit ei simpliciter & essentialiter, & consequenter oppositum non potest ei conuenire per se, etiam ratione differentiali, sed ad summum per accidens; ergo si Eucharistiæ v.g. conuenit ratione generica causare primam gratiam, non poterit conuenire oppositũ, scilicet causare secundam, & non primam, ex ratione aliqua differentiali; & sic ex propria & speciali ratione non haberet Sacramẽtum Euchatistiæ causare secundam gratiam, & non primam; itemque deberet dici de illa, quod absolutè & simpliciter conuenit ei causare primam gratiam, siquidem conuenit ratione generis.

Resp. disting. consequens principalis Argumenti; Quinque Sacramenta per se non habent causare primam gratiam, sub formali ratione primæ gratiæ, seu primi effectus gratiæ, concedo; sub formali ratione substantiæ gratiæ, in qua virtualiter includitur primus effectus gratiæ, seu prima gratia, nego. Ad probat. consequentiæ dicitur, Quod Sacramentis solum competit, quod ex institutione sua competit; ex institutione autem sua, & conuenit causare substantiam gratiæ, in quantum sunt sacramenta Euangelica, & conuenit talem effectum gratiæ causare, seu sub tali formalitare & effectũ gratiam attingere, in quantum talia aut talia sunt sacramenta. Et hoc est conuenire illis ex ratione generica causare primam gratiam, non ex ratione specifica; quia videlicet ex ratione generica habent attingere, non primam gratiam sub explicita & formali ratione primæ, sed sub ratione substantiæ gratiæ, quam consequitur primæ gratiæ productio.

Prima gratia vt ratiò formalis, & vt inclusa in substantia gratiæ.

Sicut generatio habet producere quantitatem, vt consequitur ad substantiam, & augmentatio habet eandem producere secundum quod est aliquid additum, & non debitum substantiæ; & sicut alteratio species, habet producere qualitatem de nouo per motum in subiecto, intensio autem habet producere perfectionem qualitatis; quia tamen ex generica ratione alterationis habet etiam producere substantiam qualitatis, si illam in subiecto non inueniat, producit illam de nouo, sub alia tamen formali ratione, quàm alteratio, quæ est species; sic Sacramenta viuorum habent quidem ex peculiari & differentiali ratione producere perfectionem & augmentum gratiæ, tamen ex generica ratione Sacramenti Euangelici habent substantiam gratiæ producere, & ideo si illam non inueniunt in re productam, de nouo faciunt, sub alia tamen ratione quàm Sacramenta mortuorum, quæ illam de nouo habent producere ex propria & differentiali ratione.

Quare ex ratione generica habent Sacramenta producere per se primam gratiam, seu gratiam quoad primum effectum; non si ly *per se* sumatur pro ratione formali producendi, sed si ly *per se* sumatur vt distinguitur contra causam per accidens; quia videlicet sub ratione formali attingendi substantiam ipsam gratiæ, habent virtutem in se producendi ipsam primam gratiam, si subiecto desit, & non habeat repugnantem dispositionem.

Et ita inter Sacramenta viuorum & mortuorum in ordine ad producendam primam gratiam, hæc est differentia, Quod Sacramenta mortuorum respiciunt in gratia à se producenda rationem primæ, tanquam ex parte obiecti specificatiui, quia instituuntur ad remissionem peccati & remotionem culpæ; quod non possunt, nisi pro formali & specificatiua ratione respiciant rationem primæ. At verò Sacramenta viuorum, ex ratione sua differentiali nullo modo respiciunt primam gratiam; ex ratione vero generica non respiciunt primam gratiam, ita quod ly *primæ*, teneatur ex parte rationis formalis specificantis, cũ in sub ratione generica, non specifica, respiciant gratiam; sed respiciant primam gratiam secundum quod esse primam prouenit illi ex conditione subiecti; quia videlicet per se habent producere substantiam gratiæ; & ita si desit subiecto, illa gratia remanet prima. Vnde in hoc sensu dicitur per accidens illam causare, quia per accidens est illi, & ex parte subiecti, talem esse dispositionem, vt gratia cuius substantiam habent producere, sit prima illi subjecto.

Ex quo soluitur replica Argumenti; Ratio enim differentialis non est quomodocumque producere secundam gratiam in Eucharistia, sed producere illam tanquam ex ratione formali specificante; ratio autem generica non est producere primam gratiam, tanquam ex ratione formali specificante, sed producere substantiam gratiæ; & consequenter si talis sit conditio subiecti, producere primam; hæ autem rationes non sunt contrariæ aut repugnantes.

Ad confirmationem similiter Resp. distinguendo consequens; Si ex ratione generica habet producere primam gratiam, non potest ei conuenire oppositum (scilicet causare secundam) distinguo, si causare primam & secundam sumantur secundum oppositas rationes & formalitates, concedo; si non sumantur secundum oppositas rationes, nego. Vt autem sint oppositæ rationes, oportet quod vtraque sumatur secundum quod est ratio specificatiua formalis; habere autem producere secundam gratiam ex ratione formali specifica, & primam gratiam non ex ratione formali specifica, sed ex ratione producendi substantiam gratiæ, quæ respectu subiecti non habentis illam redditur prima, non est ei oppositum. Nec propterea dicitur quod absolutè & simpliciter debet causare primam gratiam Eucharistia, quia non hoc habet ex ratione formali producendi, & ex propria & specifica ratione, à qua vnumquodque denominatur simpliciter & absolutè, sed habet hoc vt contentum in ratione formali producendi substantiam gratiæ, quæ respectu subiecti non habentis gratiam, prima est; sicut in exemplo supra posito de intensione, & transubstantiatione apparet.

Causare primam gratiam & non causare, opposita, & non opposita.

Secundò arguitur, Sacramenta sub nulla ratione habent vim causandi gratiam nisi ex diuina institutione, sed Christus Dominus nullam institutionem sacramentorum fecit secundum rationem genericam omnibus communem, sed secundum specificam, vt Baptismi, Confirmationis, &c. ergo causare gratiam non conuenit sacramentis secundum rationem genericam, sed secundum speciem suam; & solùm dicitur omnibus commune esse causare gratiam, quia singula sunt instituta ad aliquam gratiam causandam; & ideo abstrahi potest causatio gratiæ in communi, abstrahendo à prima vel secunda gratia; hæc autem abstractio est speculatiua, & non practica; quia practica institutio respicit determinatos fines, & in particulari, non rationes genericas, nisi quatenus in specificis continentur; ergo ex institutione practica sacramentorum non potest inferri quod secundum

rationem genericam habeant practicam virtutem causandi primam gratiam, licèt speculatiuè abstrahi possit ratio quædam generica, in qua conueniunt omnes specificæ rationes causandi sacramentorum.

Confirmatur, Quia vt determinat Trident. sessione 7. can. 6. Sacramenta Nouæ Legis continent gratiam, quam significant; sed aliqua sacramenta non significant practicè primam gratiam, vt Eucharistia, Confirmatio, &c. ergo neque causant illam, etiam secundum rationem genericam; siquidem secundum rationem genericam non habent illam practicè significare.

Respondetur distinguendo minorem, Christus Dominus nullam institutionem Sacramentorum fecit secundum genericam rationem seorsum & separatim à specifica ratione, concedo; inclusam in specifica ratione, nego. Instituit enim vt sacramenta essent causæ gratiæ quoad substantiam gratiæ, & secundum suas speciales rationes talis gratiæ, seu tali modo attingendo gratiam; ex qua institutione habent causare substantiam gratiæ in subiecto non habente illam, si non habeat dispositionem repugnantem, & tunc erit prima gratia in illo subiecto, licèt ex parte rationis formalis non habeant sub ratione primæ gratiæ attingere gratiam; sed potius quia substantiam gratiæ attingunt, habent ex consequenti primam gratiam in subiecto facere, non tamen vt causæ per accidens illius. Quare sicut practicè habent virtutem producendi substantiam gratiæ, ita practicè, & non solum speculatiuè habent producere primam gratiam, si subiecto desit.

Christi institutio producendi gratiam, quantum subiectum est capax.

Exemplum est in verbis consecratoriis Eucharistiæ, quæ practicam, & non solum speculatiuam virtutem habent producendi Corpus Christi, etiam quoad substantiam, si illud aliàs non esset in rerum natura; quamuis de facto nunquam id facient, quia Corpus Christi semper est in rerum natura; & tamen non per accidens, sed per se, eo ipso quo acceperunt virtutem substantialis actionis, habent substantiam Corporis Christi Domini attingere: sic Sacramenta, eo ipso quo sunt instituta ad causandam substantiam gratiæ, causare illam possunt in subiecto non habente, si aliàs non sit repugnans dispositio; & hoc erit producere primam gratiam.

Prima gratia vt in se significata, & vt in substantia gratiæ.

Ad confirmationem Respondeo, Sacramenta viuorum significare practicè primam gratiam, eo modo quo possunt illam conferre, scilicet secundum quod conferre possunt substantiam gratiæ, & in substantia gratiæ continetur prima gratia, si fortè in subiecto non sit; & ita eo modo quo significant practicè substantiam gratiæ, etiam significant quidquid cum substantia gratiæ virtualiter produci potest; alias etiam probaret argumentum, quod nec per accidens possent producere primam gratiam; siquidem nec per accidens illam significant. Nec enim ex accidentali dispositione subiecti significatio accrescit, aut mutatur. Igitur ex se significationem habere debent (saltem implicitam) primæ gratiæ & in communi; seu vt continetur in substantia gratiæ, vt si aliter sit subiectum dispositum, possint producere.

Tertiò arguitur, Sacramentum Eucharistiæ non potest effectum communem conferre (scilicet gratiam) nisi prius ordine rationis conferat proprium effectum (scilicet rationem gratiæ ci- A bantis, sed non potest effectum gratiæ cibantis conferre nisi subiecto jam habenti gratiam; ergo neque potest communem effectum gratiæ tribuere nisi subiecto iam habenti gratiam, ac adeo primam gratiam dare nequit. Major probatur, Quia nulla causa potest genericum & communem effectum producere, nisi quatenus particularem producit & sibi proprium; quia solum sub sua specifica ratione potest attingere quidquid attingit; cùm ergo specifica ratio Eucharistiæ sit gratia cibans, solum sub ratione gratiæ cibantis potest attingere gratiam; consequenter nunquam primam gratiam, sed semper secundam at- B tinget.

Confirmatur, Nam si Eucharistia per se posset conferre gratiam non cibantem, sed primam gratiam, sequeretur attritionem esse sufficientem dispositionem ad Eucharistiam, per se loquendo; consequens est omnino falsum, ergo. Falsitas consequentis patet, Quia cum sola attritione cognita, indignè accedit quis ad Eucharistiam; ergo attritio non est per se sufficiens dispositio ad Eucharistiam, alias per se sufficeret etiam cognita. Sequela verò probatur. Ratio dispositionis per se requisitæ ad Sacramentum desumenda est in ordine, quem per se habet Sacramentum illud, ad gratiam conferendam; ergo si Eucharistia per C se ratione generica habet conferre primam gratiam, per se ratione generica sufficit dispositio ad Sacramentum conferens primam gratiam; hæc autem est attritio; ergo illa per se sufficit: Nam vbicumque prima gratia per Sacramentum confertur, sufficiens dispositio est attritio; ergo vbi per se confertur prima gratia, per se est sufficiens dispositio attritio.

Confirmatur secundò, Nam illud est per accidens in moralibus & practicis, quod est tale supposita ignorantia (sicut bellum iustum solum per accidens dari potest ex vtraque parte, quia solum dari potest supposita ignorantia) sed Sacramenta viuorum solum possunt dare gratiam primam supposita ignorantia (scilicet, quia exi- D stimat quis se esse contritum, & non est) ergo solum per accidens illam causat.

Respondetur ad principale argumentum, Quod si illud aliquid probat, probat etiam quod nec per accidens Eucharistia potest conferre primam gratiam; Nam nec per accidens potest producere aliquid extra specificam & adæquatam rationem suam; Si autem specifica ratio formalis est gratia cibans, nunquam poterit nisi gratiam cibantem conferre, etiam per accidens. Distinguitur ergo antecedens, Non potest Eucharistia communem gratiam conferre nisi prius ratione conferat proprium effectum gratiæ cibantis, si ad id sufficiens sit dispositio ex parte subiecti, correspondens propriæ rationi causandi & com- E muni, concedo; si non sit sufficiens dispositio ad vtrumque, nego; tunc enim poterit agere secundum dispositionem, quam inuenit in subiecto; sicut contingit in intensione in ordine ad producendam qualitatem de nouo, cùm sit proprius effectus alterationis, quæ est species. Itaque primò & per se Eucharistia habet requirere & postulare ex parte subiecti dispositionem, secundum suam vltimam & differentialem rationem; si autem talis dispositio non sit in subiecto, producet saltem id quod potest ex generica sua ratione, scilicet substantiam gratiæ, quæ tunc in tali subjecto est prima gratia.

Gratia cibans proprius effectus Eucharistiæ; communis, ipsa gratia, in qua prima gratia, si quando illa desit.

Ad probationem majoris dicitur, Quod nulla causa potest genericum & communem effectum producere, nisi prius natura particularem & proprium conferat; si attendamus ex parte agentis, & ex ratione efficientiæ; si autem attendamus ex parte dispositionis subjecti, & effectus consecuti, nego; quia licèt nunquam agens possit sub alia formalitate producere, quàm sub propria & specifica, potest tamen ex parte subiecti, seu materiæ non esse propria & specifica dispositio; & ideo conferre genericam rationem.

Vnde quando dicitur, Quod causa solùm sua specifica ratione attingit quidquid attingit, hoc intelligitur ex parte rationis agendi, non ex parte effectus producti; quia non semper effectus productus debet esse specificus & proprius; hoc enim non solum pendet ex ratione agentis, sed ex dispositione subiecti; quæ si desit, potest tunc attingi genericus & communis effectus, per virtutem tamen causæ, & non per accidens solùm.

Sed contra solutionem huius, Argumentum potest esse, Nam quandocumque concursus duarum causarum est per accidens, etiam effectus secutus est per accidens causatus, vt determinat S. Thomas 1. p. quæst. 115. art. 6. ergo si dispositio ad causandam primam gratiam in Sacramentis viuorum, non est per se requisita ad talia Sacramenta, sed per accidens adiuncta, effectus secutus erit per accidens.

Respondetur distinguendo majorem, Effectus secutus est per accidens in ordine ad applicationem causarum, concedo; in ordine ad virtutem actiuam, quæ est in agente, supposita applicatione, nego. Quod enim est per accidens respectu applicationis, respectu virtutis effectiuæ non semper est per accidens, quia verè per se influit in effectum. Et ita ille effectus non causatur per accidens effectiuè (id est, respectu efficientiæ per accidens) sed causatur per accidens respectu dispositionis & concursus causæ materialis, consideratæ in ordine ad causam agentem secundum suam specificam rationem, non tamen consideratus in ordine ad causam agentem secundum suam genericam rationem, respectu enim huius sufficiens est dispositio, sicut quando per intensionem causatur substantia qualitatis.

Dispositio per se ad Eucharistiam; & per accidẽs, ex subiecti ignorantia.

Ad primam confirmationem dicitur, Quod dispositio per se requisita ad Eucharistiam, non debet sumi ex ratione generica, sed ex differentiali; quia ratio generica Sacramenti vt sic, non requirit determinatam dispositionem, sed solum in genere, & ita non debet imaginari, quod pro generica postulet Eucharistia vnam dispositionem, & pro specifica aliam; nec enim hæ rationes ponunt in numero, sed vnum quid efficiunt, & ideo vnicam etiam dispositionem requirit Eucharistia, quæ ex totali ratione & specifica, non ex sola generica accipienda est; & ideo qui accedit cum sola attritione cognita, indispositus accedit, quia non se conformat specificæ rationi sacramenti.

Itaque dispositio per se semper sumenda est ex specifica & differentiali ratione; dispositio autem ad primam gratiam dandam, non est per se requisita, sed quasi permissa; quia licet Sacramentum Eucharistiæ ex ratione generica habeat per se quantum est ex parte agentis dare substantiam gratiæ, & primam gratiam, tamen hoc habet supposita dispositione, quam non per se requirit, sed quam permittit, & per accidens est ipsi, quod ponatur; per se autem solum habet dispositionem vnam, scilicet quam ex specifica ratione requirit.

Dispositio per se, & permissiuè.

A

Vnde quando dicit Argumentum, Ratio dispositionis per se requisitæ sumitur ex ordine quem per se habet Sacramentum ad gratiam dandam, distinguo; sumitur ex ordine quem per se habet sacramentum absolutè & simpliciter, & secundum rationem specificam, concedo; quem per se habet sacramentum non absolutè, sed ex aliqua suppositione, & solum ex ratione generica, nego; Habet enim sacramentum ex ratione generica causare posse primam gratiam, supposita tamen tali dispositione, & non absolutè; & ideo ex parte quidem agentis habet illam rationem per se causandi, supposito tamen aliquo ex parte subiecti, scilicet dispositione tali, quod non sit in subjecto in re, sed tamen esse existimetur bona fide. Dispositio ergo per se absolute requisita, non sumitur ex eo quod Sacramentum habet per se causare quocumque modo; sed ex eo quod habet per se causare absolutè, & secundum specificam rationem.

B

Attritus sciens Eucharistiam contrectãs, ei injuriosus; non bona fide ignorans.

Secundò dicitur, & explicatur amplius, Quod quando aliquid per se causatur quasi virtualiter & implicitè, & non ex propria formali ratione, licèt attingatur non vt à causa per accidens, sed per virtutem propriam agentis, tunc non habet propriam & per se requisitam dispositionem, sed quasi permissam, & per accidens. Quando autem aliquid attingitur ex propria ratione formali & specifica, tunc positiuè & per se requirit dispositionem talem; & ideo qui per se non adhibet illam, accedit contrarius rationi formali & specificæ sacramenti, vnde iniuriosus & irreligiosus ei est: per se autem non adhibet illam, qui scienter cum attritione accedit; quia ex scientia non ponit debitam & commensuratam dispositionem. Neque hoc est requirere duplicem dispositionem in Sacramentis viuorum, cui correspondeat duplex gratia, sed ponere vnam permissam, & alteram positiuè requisitam; super vtramque autem habet virtutem Sacramentum effectiuam, sicut in multis exemplis explicatum est.

C

D

Efficiens per accidẽs, & supposito quod est per accidens.

Ad secundam confirmat. Resp. Quod illud dicitur per accidens contingere, quod contingit supposita ignorantia, distinguo; quando sic contingit ex parte rationis formalis agendi, concedo; quando sic contingit ex parte dispositionis requisitæ, sed non ex parte rationis agendi, nego; tunc enim non redditur causa efficiens per accidens, licèt sit non efficiens nisi supposito aliquo, quod est per accidens; & ita non habet illud per se efficere (hoc est, ex ratione formali) bene tamen per se, hoc est, per propriam virtutem attingere, & non per accidens. Et præsertim quando dispositio solum est remouens prohibens; tunc enim ex eo quod causatur, supposita tali dispositione, non accipitur ratio causæ per accidens; sed quando dispositio immediatè ordinatur ad talem effectum, & supposita ignorantia contingit.

E

Quartò arguitur, Ratio generica semper inuenitur conjuncta cum specifica; ergo si ex ratione generica conuenit Sacramento Eucharistiæ causare primam gratiam, semper inuenitur conjunctum cum ratione differentiali illam causare, quod est impossibile; quia quando confertur Eucharistia, non causatur prima gratia secundum rationem genericam, & secunda secundum rationem specificam. Etenim id quod confertur per rationem genericam, debet dicere ordinem ad id quod confertur per rationem specificam; siquidem ratio

generica semper est cum ordine & contrahibilitate A ad specificam; gratia ergo quæ per genericam rationem confertur in Eucharistia, per se debet dicere ordinem ad eam, quæ confertur per differentialem rationem; sed prima gratia non dicit ordinem ad rationem gratiæ cibantis, cùm potius sint oppositæ; & non nisi per accidens ei possit conuenire; ergo non habet Eucharistia per se ex ratione generica causare primam gratiam, sed illam solum quæ ordinatur ad gratiam cibantem.

Confirmatur, Nam ratio generica Sacramenti Nouæ Legis, non est conferre primam gratiam, sed conferre gratiam absolutè, abstrahendo à prima vel secunda; ergo non est de ratione Sacramenti quoad rationem genericam causare primam gratiam. Antecedens patet, Quia illa est ratio generica Sacramenti, quæ determinatur per omnes specificas differentias Sacramentorum; hæc autem non est prima gratia, sed gratia vt abstrahit à prima & secunda; siquidem prima gratia est jam determinatè & specificè gratia; ergo neque ratio generica Sacramenti est dare primam gratiam per se loquendo.

Causare per se primariò & secundariò, seu ex consequenti.

Respondetur distinguendo consequens, Si ex ratione generica conuenit causare primam gratiam, semper id inuenietur conjunctum cum ratione differentiali; si ex ratione generica conuenit per se primo, & ex propria ratione formali ac positiua, concedo; si id conuenit per se secundariò, & quasi extensiuè, nego. Ex ratione enim generica conuenit causare gratiam & substantiam gratiæ, quantum est ex se, & ex ratione differentiali conuenit illam causare secundum augmentum. Vnde ex positiua & per se requisita dispositione solum habet causare secundam gratiam; si autem ista desit, & non sit in subjecto dispositio contraria, causabit id quod ex generica ratione causare habet (scilicet substantiam gratiæ in subiecto non habente) & hæc erit prima gratia tali subiecto.

Quare id quod habet ex formali ratione sua secundum genericam rationem conferre Sacramentum, habet etiam semper coniunctum cum ratione specifica differentiali, scilicet causare gratiam D vt sic, & substantiam eius, si non sit in subiecto, nec contraria dispositio. Id autem quod habet non ex ratione formali obiectiua absolutè, sed supposita conditione subiecti, non est necesse quod semper sit coniunctum cum ratione specifica; sicut in intensione patet, quæ habet producere substantiam qualitatis, non absolutè, sed supposito quod non inueniat in subiecto illam, nec contrariam sibi dispositionem. Et ideo concedimus, quod gratia quam confert Sacramentum, debet quantum est ex se, & ex ratione formali dicere ordinem ad gratiam, quæ confertur per differentialem rationem; ex suppositione tamen quod in subiecto non sit gratia, neque dispositio contraria E substantiæ gratiæ, & susceptioni Sacramenti, potest dare gratiam, quæ sit prima illi subiecto, & non secundum rationem differentialem producta, sed secundum genericam, quæ includitur in differentiali non operante ex impedimẽto subjecti.

Itaque ex parte rationis agendi, ratio producendi genericè gratiam, debet dicere ordinem ad rationem differentialem productiuam talis gratiæ; ex parte tamen effectus producti, non oportet quod rationes istæ sint ita subordinatæ, sed prout dispositio subiecti exegerit; & ita ille effectus non est per se attendendo ad dispositionem subiecti, est tamen per se respectu causæ operantis, supposita tali dispositione; & tunc ratio agendi genericè, ordinatur per se ad rationem agendi differentialem, quæ est secundum gratiam cibantem; ex parte tamen eius, quod supponitur, non ordinatur, sed in effectu vnum producitur sine altero ob dispositionem subiecti; per se tamen ab illa causa, hoc est, per propriam virtutem attingentem illud, & non per accidens.

Ratio Generica Sacramenti, producere gratiam.

Ad confirmationem Respond. Rationem genericam Sacramenti non esse conferre primam aut secundam gratiam determinatè, & ex ratione formali obiectiua, sed solùm gratiam & substantiam gratiæ; in hoc tamen ipso continetur, quod si B non inueniat in subiecto contrariam dispositionem gratiæ & susceptioni sacramenti, per quod debet dari, producat ipsam substantiam gratiæ de nouo; quæ erit respectu illius subiecti prima gratia; generica autem ratio est illa, quæ determinatur per specificas rationes sacramentorum, quantum est ex parte rationis formalis agendi, & rationum formalium obiectiuarum; non autem ex parte effectus producti. Hic enim potest esse productus non secundum omnem rationem (etiam differentialem) causæ, sed solum secundum genericam, si dispositio subiecti amplius non permittat.

Sed instabis, Impossibile est quod homo generet tantũ animal, ex parte effectus à se producti, ergo C impossibile est quod causante aliqua causa, effectus productus solum illi correspondeat quantum ad rationem genericam. Respond. Quod nunquam potest effectus aliquis produci secundum rationem genericam & communem solum, sine differentiali & specifica; potest tamen secundum rationem genericam agendi producere aliquem effectum, qui materialiter pertineat ad aliam speciem, quam tale agens secundum suam propriam rationem possit producere; sicut in intensione patet, quæ potest producere qualitatem quoad substantiam; & ita si non sit alias qualitas in subiecto, producet illam de nouo, quod tamen pertinet ad speciem alterationis, licèt sub alia ratione formali; & ita illa qualitas, nec producitur de nouo sub ratione formali intensionis, nec sub ratione formali alterationis, quæ est species; sed sub generica alterationis, quæ tamen materialiter coincidit cum ea, quæ producitur à specie alterationis; hoc tamen non efficit tanquam causa per accidens, ex parte virtutis & rationis agendi, quia per propriam virtutem, & non per alienam id attingit; supponendo tamen dispositionem per accidens ex parte subiecti.

Quintò arguitur ex inconuenientibus, quæ sequuntur; Primò enim sequitur, quod omnia Sacramenta sint per se instituta ad remittendum peccatum mortale, saltem secundum rationem genericam; consequens autem est falsum; & sequela patet, Quia ex generica ratione sunt instituta ad dandam primam gratiam; prima autem gratia est remissio peccati mortalis, & ita sacramenta, quæ sunt per se instituta ad dandam primã gratiam, sunt per se instituta ad remittendum peccatum mortale.

Secundò sequitur, Quodlibet Sacramentũ posse assumi ad effectum remissionis peccati, præsertim si desit Sacramentum Pœnitentiæ, quia quodlibet ex genere suo habet illa remittere; & consequenter posset tunc cum sola attritione cognita assumi.

Tertiò sequitur, Quodlibet Sacramentorum viuorũ habere duos effectus gratiæ; alterum ratione generica, secundum quam dat primam gratiam, alterum ratione specifica, secundum quam dat sec un-

dam; vtraq; enim gratia substantiam gratiæ dicit; & cùm rationi genericæ correspondeat prima gratia, si homo iam sit contritus, non priuabitur fructu correspondente rationi genericæ; & ita illam primam gratiam accipiet & eius augmentum; quia Sacramenta per se instituta ad primam gratiam, si illam inueniant in subiecto, augent illam; & rursus recipiet gratiam ratione correspondente specificæ differentiæ, quæ est gratia secunda.

Et similiter si quis cum sola attritione accedat ad Eucharistiam, recipiet primam gratiam ex ratione generica, & tunc iam subiectum erit dispositum ad augmentum gratiæ, quod recipiet secundum rationem specificam Eucharistiæ; sicut motus intensionis, quando producit qualitatem quoad substantiam, etiam intendit & perficit illam.

Respondetur ad primum inconueniens, negando sequelam. Nam si sit Sacramentum per se institutum ad remittendum mortale, non sufficit quod quacumque perseitate illius remissionem attingat, sed quod ex vi rationis formalis id attingat, & ex propria ratione; quod autem attingat illam per se, hoc est, propria virtute attingendo talem effectum, non tamen ex propria ratione formali, sed sub ratione formali producendi substantiam gratiæ, hoc non facit esse per se omnia Sacramenta instituta ad remissionem peccati; sed per se sunt instituta ad substantiam gratiæ producendam, siue prima sit, siue secunda; in aliquibus enim secundum propriam rationem formalem est secunda gratia, & ex suppositione aliqua etiam prima.

Ad secundum inconueniens, etiam negatur sequela. Ad hoc enim quod assumatur Sacramentum aliquod in ordine ad effectum, oportet quod nec sit contraria dispositio ipsi gratiæ dandæ, neque ipsi susceptioni sacramenti; Contrariatur autem susceptioni sacramenti, qui non assumit illud cum dispositione ad effectum, ad quem per se, & ex ratione formali & specifica est institutum; aliàs enim contemnitur sacramentum; & ita cum tali dispositione non est aptus quis ad effectum suscipiendum, qui susceptioni sacramenti non est idoneus; & ideo non sufficit attritio cognita, quia contrariatur susceptioni sacramenti.

Ad tertium inconueniens negatur etiam sequela, Quia Sacramentum non habet duplicem essentiam aut causalitatem, aliam secundum genus, & aliam secundum speciem, sed vnicam secundum speciem suam; licèt si dispositio ex parte subiecti non sit, vt secundum vltimam differentiam agat, possit agere & producere saltem quod ex genere potest, & dispositio ipsa sufficiens est; sicut sol producit pleraque conformiter ad dispositionem suscipientium, licèt ex vi actionis aliud intenderet. Et cùm Sacramentũ operetur iuxta dispositionẽ subiecti, si vnica dispositio datur, vnicus etiam effectus consequetur. Vnde si quis accedit cum contritione ad sacramentũ, recipiet iuxta modum ipsius; & si quis accedat cum attritione, recipiet iuxta modum eius, & non amplius; Non enim duæ causalitates sunt ex parte generis & ex parte speciei, sed quod dicimus est; Quod si aliquando contingat dispositionem non esse idoneam ad specificam rationem, ex generica habebit aliquid producere. Vnde si quis cum attritione accedat, recipiet primam gratiam attritioni correspondenti; ea verò suscepta, non recipiet aliam; quia ea quam suscepit, non est dispositio ad susceptionem talis sacramenti, sed effectus eius; & ideo non

A suscipiet vltra aliud augmentum, nisi vltra disponatur ad susceptionem eius.

Quod vero additur de motu intensionis, dicimus Quod ille quando producit substantiam qualitatis, etiam & perfectionem producit, si in subiecto non sit contraria dispositio; quia tunc agit secundum totam virtutem: si autem sit v. g. resistentia, b. in subiecto, & applicatur agens vt, b. & dimidium; producet solum dimidium qualitatis oppositæ, non autem b. Et similiter si in suscipiente sacramentum non sit contraria dispositio, recipiet augmentum; si autem solum sit dispositio ad recipiendam primam gratiam, non verò sit
B dispositio, cui commensuretur augmentum, non producetur; quia non potest à sacramento augeri gratia, si subiectum nondum habebat illam, sed tunc primò ex susceptione sacramenti incipit habere.

Sextò Arguitur, In naturalibus potentia quæ ordinatur ad augendam quantitatem, non potest primam quantitatem causare; ergo neque in supernaturalibus Sacramentum quod ordinatur ad causandam secundam gratiam, poterit primam producere; præsertim cùm hæc sufficiat ad saluanda loca Concil. imò & Scripturæ, in quibus iustificari dicitur etiam is, qui auget gratiam; Et similiter S. Thomas infra quæst. 72. art. 7. loquens
C de Confirmatione, & postmodum de Eucharistia, dicit quod solum causant per se augmentum gratiæ.

Confirmatur, Differentia est extra rationem generis; ergo impossibile est quod idem prædicatum per se conueniat ratione generica, & ratione specifica: sed Baptismo & Pœnitentiæ conuenit per se ratione specifica causare primam gratiam; ergo non potest conuenire per se ratione generica.

Respondetur, Esse longè diuersam rationem in quantitate & in gratia: Nam quantitas est naturalis passio corporis; Vnde quantum ad primam sui productionem, debet cum substantia ipsa corporea produci; At vero augmentum quantitatis, non est eius passio, vnde potest produci diuersa
D actione; hæc autem non potest ipsam attingere vt passionem propriam, & ideo non potest ipsam primò producere. Gratia autem, & aliæ qualitates quæ non sunt passiones, ab eadem actione à qua intendi & perfici possunt, etiam primò & quoad substantiam produci possunt. Et licèt testimonia Scripturæ & Concil. possint explicari de augmento gratiæ, tamen quia vniuersaliter tribuere videntur sacramentis productionem gratiæ, quoad substantiam, & de nouo producendam, ideo consequenter docere videntur, Conuenire illis producere primam gratiam, si in subiecto non inueniant, nec etiam contrariam dispositionem gratiæ, aut susceptioni & applicationi sacramenti.

E Ad Confirmationem Resp. Quod idem prædicatum non potest conuenire sub eadem ratione formali ex ratione generica & specifica, bene tamen stat, quod prædicatum, quod sub tali ratione formali conuenit rationi specificæ, idem materialiter sub alia formali ratione possit aliquando attingi à genere; sicut ratio alterationis specificæ attingit qualitatem de nouo, vt per motum acquiritur de non esse ad esse, eandemque attingere potest ratio generica alterationis in intensione. Sic etiam Baptismo & Pœnitentiæ conuenit per se ex ratione formali specifica causare primam gratiam, & remissionem peccati; nihil tamen repugnat quod ratio generica sacramenti, quæ habet

producere substantiam gratiæ, illam attingat in A alijs sacramentis; non tamen sub eadem ratione formali, qua Baptismus & Pœnitentia; scilicet nec vt regenerantem, nec vt sanantem, nec vt tollentem peccatum præcisè, sed vt producens substantiam gratiæ in subiecto non contrariè disposito.

DVBIVM TERTIVM.

Quæ dispositio sit necessaria ad accedendum ad Sacramentum?

CONCLVSIO EST.

IN Sacramentis mortuorum pro adultis sufficit B attritio de peccatis, actualis, vel virtualis; In Sacramentis viuorum non exigitur aliqua actualis vel virtualis dispositio, sed sufficit habitualis, id est, gratia; si verò ista desit, requiritur per se contritio; Et loquimur de effectu Sacramenti, qui est gratia.

Pro intelligentia huius conclusionis, Supponendum est, duo esse certa in hac parte: Primum & fundamentale est, Quod Sacramenta non ponentibus obicem infallibiliter gratiam conferunt. Sic Trident. sess. 7. can. 6. Ratio vero est ex institutione & promissione Christi infallibili, Sacramentis facta, quæ frustrari non potest; Et cùm promissio ista sit ad dandam gratiam, vt patet in Sa- C cramentorum institutione, quæ habetur in multis locis Scripturæ, immutabilis semper perseuerat talis promissio, & causalitas ex illa secuta.

Et deinde, Quia Sacramenta sunt instituta vt signa practica gratiæ, non solum practica in significando, sed etiam vt virtutem habentia ex passione Christi; ergo necesse est vt ex se sint semper infallibiles causæ, & signa gratiæ; aliàs si ex se hanc infallibilitatem non haberent, in illis conficiendis & administrandis nulla esset certitudo.

Ex hoc vero fundamento sequitur secundum, quod etiam certum est; scilicet respectu infantium non habere locum conclusionem positam; sed sine aliqua dispositione ipsorum conferri illis D effectum Sacramentorum, quorum sunt capaces. Ratio est, Quia ipsi nunquam possunt obicem ponere, cùm non habeant actum voluntatis proprium; peccatum verò originale non debet proprio actu retractari, sicut nec proprio actu contrahitur; & ideo ad illud expellendum non requiritur dispositio aliqua ex parte suscipientium.

Adultus cum solo orig. solo Sacramento & fide iustificatur.

Similiter nec procedit quæstio de adulto habente solum peccatum originale (si hoc est possibile; apud S. Thom. enim, pro impossibili reputatur,) Nam supposita contraria opinione, sicut peccatum originale non contrahitur per proprium actum, ita nec debet per proprium actum expelli: & ideo tunc non requiretur dispositio contra peccatum, sed solùm voluntas suscipiendi baptismum, E & actus fidei, quo accedens ad Deum credat quia est, &c. Vnde & dicitur Marci vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, &c. quia hi actus positiuè requiruntur in ordine ad terminum ad quem tenditur: respectu verò termini a quo receditur, requiritur contritio, vel attritio respectu peccatorum propriorum.

Obex Sacramenti suscipiendi, & eius effectus.

Et quando dicimus, Non ponentibus obicem, conferri effectum Sacramenti; per ly *obicem*, possumus intelligere duo. Vnum est respectu ipsius susceptionis sacramenti; alterum respectu effectus sacramentalis. Respectu effectus sacramentalis obex est peccatum non detestatum, nec actualiter nec virtualiter; non detestatum, inquam, ex motiuo supernaturali; detestari enim ex motiuo naturali, non est dispositio respectu formæ supernaturalis, cùm sit ordinis inferioris. Respectu susceptionis Sacramenti obex est, scienter accedere sine ea dispositione, quam per se requirit sacramentum; hoc enim est deordinatè se habere, & contrariè ad ipsum sacramentum; siquidem suscipitur totum hoc sacramentum, & non eo modo quo petit specifica ratio sacramenti Quod si scienter quis non accedat, practicè & moraliter non accedit contrarius, nec susceptioni eius deordinatus, si bona fide id faciat; & ita non habet obicem susceptioni; respectu autem effectus sacramenti obicem tunc non habebit; si quidem sacramentum, si non secundam gratiam possit physicè causare, causabit primam.

Detestatio peccati supernaturalis necessaria, in eo qui est in peccato mortali.

Difficultatis ergo punctus est, de adultis habentibus peccatum mortale, respectu susceptionis Sacramenti mortuorum, aut non habentibus respectu susceptionis Sacramenti viuorum. Et sic dicimus, Quod ad primi generis Sacramenta, requiritur actualis, vel virtualis dispositio, & detestatio peccati, saltem quæ sit attritio: Ad secundi autem generis Sacramenta, non requiritur actualis vel virtualis dispositio, sed sufficit habitualis. Et prima pars probatur, Quod enim requiratur aliquis dolor vel detestatio peccati, patet, quia homo per peccatum fuit auersus à Deo per actualem conuersionem ad creaturam; ergo oportet quod recedat ab ista conuersione, & ita detestetur peccatum, alias enim iustus esse non potest, nec verè dicetur conuerti & immutari eius voluntas, nisi id ad quod prius conuersus est, repellat; quod est peccatum.

Attritio sufficiens ad Bapt. & Pœnit. dispositio.

Quod autem attritio sufficiat, patet, Quia Sacramenta ista per se, & ex vi operis operati habent ordinari ad remissionem peccati, & acquisitionem primæ gratiæ; ergo per se & ex opere operato habent illam subiecto dare; ergo per se non requirunt dispositionem, quæ sit contritio. Patet consequent. Quia contritio semper est coniuncta cum gratia & charitate; ergo si per se requirunt dispositionem coniunctam cum gratia, per se requirunt gratiam in subiecto; & consequenter non possunt ex opere operato conferre primam gratiam, sed semper secundam, siquidem semper per se supponunt gratiam in subiecto. Vnde & Trident. sess. 14. c. 4. definit, *Quod quamuis attritio sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad gratiam Dei in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*: Igitur secundum mentem Concilij Attritio sufficiens est dispositio ad impetrandam gratiam Dei in Sacramento, atque adeò vt homo iustificetur.

Virtualis saltem necessaria.

Quod verò virtualis sufficiat, & non requiratur actualis, patet, Quia sæpe contingit hominem in ipso actu Sacramenti naturaliter & inculpabiliter diuerti, & tamen cùm accedebat ad sacramentum dispositum fuisse; tunc autem non est priuandus fructu sacramenti, cùm ipse ex tali inculpabili inaduertentia non posuerit obicem; & sicut virtualis attentio & intentio sufficit ad ministranda & suscipienda sacramenta, cur non & virtualis dispositio, quæ moraliter censetur permanere? Aliàs enim scrupuli multi animabus inijciuntur, si actu non habeant dispositionem, cùm suscipitur sacramentum; nec enim requiritur physica existentia, sed moralis & virtualis.

Secunda verò pars prob. Quoniam Sacramenta

Status gratiæ sufficiens dispositio ad augmentum gratiæ, in Sacramentis viuorum.

viuorum conferunt secundam gratiam ex opere A operato, vbi non est obex; sed in illo qui habet habitum gratiæ non est obex, ad hoc vt conferatur secunda gratia, seu augmentum gratiæ, siquidem secundæ gratiæ non contrariatur nisi peccatum mortale; ergo eo ipso quod habet quis habitum gratiæ, non repugnat ex opere operato sibi dari secundam gratiam. Ex quo sequitur, Quod cùm peccatum veniale dicat habitualem conuersionem in Deum, quia videlicet negatiuè respicit finem vltimum, quia non destruit illum, nec contrariatur illi, ideo etiam stante peccato veniali non datur obex ad augmentum gratiæ, & ita suscipiet illam, qui sic accedit; quod & S. Thomas dicit infra, qu. 79. B art. 8. loquens de Eucharistia; & eadem est ratio de alijs Sacramentis viuorum.

Soluuntur Argumenta.

Voluntas suscipiendi Sacramentum, saltem virtualis necessaria.

Sed obijcies primò, Homo adultus negatiuè se habens, id est, neque volens, neque nolens, suscipere Sacramentum, non ponit obicem, quia non resistit Sacramenti susceptioni, & tamen non recipit gratiam; ergo falsò dicitur quod non ponentibus obicem gratia detur.

Respondetur, Illum qui nec volens nec nolens suscipit Sacramentum, obicem ponere Sacramento, & susceptioni eius; quia non modo humano & C voluntario illud suscipit, siquidem nec virtualiter nec actualiter habet voluntatem suscipiendi; immò simpliciter dicetur nolens, quia respectu eorum, quæ homo disponere debet de se, simpliciter censetur nolens, quando nec actu nec virtute illud vult.

Si Contritio sit vltima dispositio ad gratiam; physica, vel moralis?

Secundò obijcies, ad probandum nullam requiri dispositionem ex parte adulti suscipientis; Nam homo per Sacramentum iustificatur gratis, & ex opere operato; ergo non requiritur ad hoc dispositio nostra. Patet consequent. Nam quod datur ratione dispositionis, non datur merè gratis, si- D quidem aliquale ius, seu commensurationem habet cum gratia. Item sequitur quod esset aliquis causa suæ iustificationis, quod est omnino falsum. Et sequela patet, tum quia per dispositionem mouet se liberè ad illam, & sic est causa illius; id enim ad quod liberè quis se mouet, causat, nec vt instrumentum solum se habet; Tum quia dispositio est verè & propriè causa formæ, quæ introducitur, saltē in genere causæ materialis; & sic homo se disponens, verè & propriè esset causa suæ iustificationis, vt patet etiam exemplo hominis generantis; dicitur enim homo verè & propriè causa filij, quamuis formam (id est, animam rationalem) non producat, sed solum dispositionem vltimam attingat; E ergo similiter dicetur causa iustificationis, licèt formam iustificationis non attingat, sed dispositionem vltimam.

Confirmatur, Quia forma non potest conseruari sine dispositione, quæ ad eius introductionem requiritur, vt patet in naturalibus; sed sine dispositione & motu liberi arbitrij potest gratia conseruari in homine, ergo non requiritur talis dispositio ad eius introductionem.

Respondetur, Iustificationem nostram gratis fieri à Deo, etsi fiat cum dispositione nostra; Primò quidem, Quia gratis iustificari, excludit meritum & rationem debiti, non autem cooperationem & dispositionem ex parte nostra. Per illam autem dispositionē non meretur quis suam iustificationem; quia non habet principium meriti. Quod autem datur ratione dispositionis, tanquam meriti, inducit ius, quia supponit principium talis meriti; quod autem datur ratione dispositionis, non tanquam ratione meriti, sed ratione dispositionis, nullum inducit ius; sicut qui destinaret dare eleemosynam illis qui habitant in tali domo aut Conuentu, habitatio domus non induceret ius, etsi dispositio esset ad habendam gratis eleemosynam.

Iustificatio gratis in Sacramento, etsi non absque dispositione.

Secundò, Dicitur gratis quis iustificari, etiam supposita dispositione; quia dispositio ipsa, & præparatio etiam a Deo est, licèt nos illius cooperatores simus. Vnde & *Præparatur voluntas à Domino*, Prou. 8. 35. iuxta 70. Et iterum, *Cum timore & tremore salutem vestram operamini; Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere*, Phil. 2. 12. Ergo & dispositio ipsa & præparatio à Deo est; & sic gratis omnis iustificatio datur.

Tertiò, Quia, vt dicit S. Thom. qu. 28. de Verit. art. 1. ad 8. *Remissio peccatorum dicitur iustificatio ex parte termini, vel finis: dicitur etiam miseratio ex parte principij, in quantum est opus diuinæ misericordiæ: quamuis & in remissione peccatorum aliqua iustitia seruetur, secundum quod omnes viæ Domini sunt misericordia & veritas: præcipuè quidem ex parte Dei, in quantum remittendo peccata facit, quod Deum decet: Aliquo etiam modo, sed non sufficienter apparet iustitia ex parte eius, cui peccatum remittitur, in quantum in eo aliqua dispositio ad gratiam inuenitur, sed insufficiens.* Hæc D. Thomas.

Veritas ac iustitia in iustificatione, ex parte Dei.

Ex quibus verbis clarè colligitur, Dispositionem illam non inducere iustitiā in ordine ad Deum, habere tamen quandam similitudinem & adumbrationem iustitiæ, quatenus aliquo modo per dispositionem accedit ad iustitiam, etsi insufficienter; & ideo simpliciter fit gratis iustificatio, secundum quid autem & insufficienter & adumbratè ex iustitia, quod non est inconueniens; vt videlicet sic inueniatur in omnibus viis Domini *Misericordia & Veritas.*

Homo non sibi auctor & efficiens, iustificationis, etsi ad eam disponens.

Ad secundū inconueniens, negatur sequela; Homo enim non dicitur se iustificare, aut causare suā iustificationē, cùm iustificare importet efficientiā; homo autem nullam efficientiā habet in suam iustitiam. Vnde licèt per liberū arbitrium se moueat ad iustitiam, & efficienter ipsam dispositionē producat, & non vt inanime instrumentum se habeat, tamen neque peruenit ad introductionem ipsius formæ, quæ est gratia; neque dispositiones istæ vllam habent efficientiam in vnionem formæ cum subiecto, aut illam debitam efficiunt. Vnde homo per motum liberi arbitrij solum est cooperator ad præparationem suæ iustificationis, non autem est causa illius efficienter. Quod autem sit causa dispositiua secundum dispositiones non inducentes debitum, non est inconueniens; hoc enim non est causare suam iustificationem, sed suam dispositionem ad iustificationem.

Ex quo patet ad secundam probationem, quod causa dispositiua est causa quidem formæ, sed veluti materialis; & si dispositio sit insufficiens, erit valde remota; quod non est inconueniens concedere homini respectu gratiæ, cùm non sit inconueniens concedere in homine dispositionem ad gratiam; non facientem sibi debitam gratiam, sed solùm præparantem, vt ex misericordia Dei detur; cùm præsertim hæc ipsa materialis dispositio à Deo sit, ideoque gratuita.

Generatio hominis non se iustificat.

Ad exemplum verò de Anima rationali dicitur, Quod homo generans introducit dispositiones, quæ attingunt vnionem animæ ad corpus physicè, & faciunt naturaliter debitam infusionem animæ ad corpus; dispositiones autem ad gratiam, neque attingunt vnionem gratiæ ad animam, neque illam debitam faciunt, & ideo introducens illas non dicitur introducere gratiam, sicut qui generat hominem. Vnde & dispositiones istæ moraliter tantùm, non physicè causant gratiam dispositiuè. Secundo dicitur, Quod cùm ipsa dispositio ad gratiam sit ex auxilio Dei gratuito, ideo totum attribuitur Deo; non autem ipsi homini, qui secundum superiorem virtutem gratis sibi communicatam se disponit; quod non contingit in generatione hominis.

Contritio, dispositio vltima ad gratiam ex Dei misericordia, non ipsa sufficiens & à se.

Sed instabis, Qui habet contritionem habet dispositionem vltimam ad gratiam, & omnino illi commensuratam & æqualem; ergo non est insufficiens dispositio, nec indebitam reddit gratiam, sed omnino debitam, cùm sit dispositio ei proportionata.

Respondetur, Contritionem vt consideratur non formata gratia, sed ipsam antecedens quadã prioritate naturæ, non esse respectu gratiæ dispositionem vltimam, quasi connaturalem, sed ex misericordia & fauore Dei. De omni enim dispositione, qua homo se disponit ad gratiam, dicit S. Thomas in verbis relatis, *Quod est insufficiens, & non fundans iustitiã simpliciter in ordine ad Deum*: Signũ ergo est contritionem non esse vltimam dispositionem connaturalem, sed ex fauore & misericordia Dei, illa supposita, infundi gratiam; ipsaque vt formata gratia, & fundata in charitate, connaturalis dispositio est, & connexa cum iustificatione.

Vnde Concil. Trident. sess. 14. c. 4. dicit *Contritionem præparare ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniuncta sit.* Et loqui videtur Concil. de Contritione vt antecedit formationem gratiæ; Nam postea in eodem cap. incipit agere de Contritione charitate formata in illis verbis, *Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contigerit, &c.*

Ratio vero huius est; Quia omnis dispositio, & contritio antequã sit charitate formata, est in subiecto peccatore, & compatitur cum peccato, etsi iam illud incipiat detestari, omnis autem dispositio quæ compatitur cum peccato, pro ea parte & ratione qua cum illo compatitur, non potest habere connexionẽ per se cum gratitudine subiecti in ordine ad Deum; quia quandiu homo est in peccato, est Deo abominabilis; ergo contritio pro ea parte, qua gratiam antecedit, & cum peccato compatitur, adhuc est in subiecto Deo abominabili; ergo non habet connexionem per se & naturaliter vt tale subiectum sit gratum, & acceptum Deo, sed ex misericordia Dei debet fieri.

Et præterea, Quia illa contritio vt sic non est perfecta satisfactio pro offensa Dei, cùm hæc sit infinita; ergo ex se non habet sufficientẽ connexionem vt gratiam, & remissionem offensæ obtineat; sed debet fauor Dei, & iustitia meritorum Christi interponi, vt tali contritioni gratia adiungatur, siquidem ex se sufficiens non est offensam adæquare; adeoque nec remissionem peccati præstare.

Ad confirmat. Argumenti principalis Respond. Quod illa maxima procedit de dispositione requisita in genere physico & naturæ, non in genere morali, qualis est quæ requiritur ex parte liberi arbitrij ad gratiam. 2. Quod non omnis dispositio requisita ad introductionem formæ, requiritur etiam ad conseruationem; plura enim ad introductionem de nouo requiruntur; sicut sine igne non fit cibus, qui tamen sine illo conseruatur, & sine igne non calefit aqua, quæ sine illo conseruat calorem; ac denique multas videmus requiri dispositiones & accidentia quando res fit, sine quibus postea conseruari non repugnat.

Tertio obycies, Nam in sacra Scriptura, tota iustificatio hominis attribuitur Deo, & homo comparatur ad ipsum vt *lutum in manu figuli*: vnde & *gratiam Deus operatur in nobis sine nobis*; ergo ex parte nostra dispositio non requiritur.

Confirmatur, Quia posita efficaci motione Dei disponentis hominem, non potest ipse non moueri ac disponi; ergo non liberè se mouet; siquidem causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere & non agere; ergo quacumque efficaci motione posita, poterit non moueri ac disponi; hoc autem supposita efficaci Dei motione est impossibile; ergo talis dispositio ex Dei motione efficaci, non congruit liberæ dispositioni hominis ad sacramenta.

Deus auctor iustificationis, sed non sine nobis liberè assentientibus, nosque ad eum mouentibus.

Resp. Quod tota iustificatio Deo attribuitur, vt efficienti; homini vero vt mobili se etiam mouenti, ex ipsa eleuatione & efficientia Dei. Vnde diuersis rationibus attribuitur homini & Deo; Deo, vt authori & eleuanti ad suam participationem hominẽ; homini autem, vt cooperanti & suscipienti & assentienti; Sic enim suscipit homo à Deo, vt etiam se moueat, & agat in finem; & in ipsum, à quo mouetur & conuertitur. Et ideo dicitur tanquam *lutum esse in manu figuli*, quantum ad hoc quod quidquid habet homo, recipit a Deo mouente & perficiente; sicut quidquid habet lutum in ordine ad efformaturam vasis, suscipit a figulo; non tamen quantũ ad hoc quod homo nihil omnino agat motionem istã recipiens, quippe *qui dissentire possit*, vt dicit Concilium; lutum autem nihil omnino agit suscipiens efformationem illam, quippe qui dissentiri non potest, & ideo non suscipit vt agat sicut homo. *Deus autem operatur in nobis gratiam sine nobis*; vel quantum ad infusionem gratiæ, si sumatur pro habituali gratia; vel quantum ad immissionem primi auxilij & sanctæ cogitationis, quod nullo modo est à nobis; non tamen sine nobis. Vnde etiam licèt non iustificet nos à nobis, non tamen sine nobis; quia moueri nos oportet ad Deum.

Sensus cõpositus auxilij cum potentia, nihil libertati contrarius.

Ad confirmationẽ Respond. Quod stante efficaci motione, non stat non moueri hominem liberè; & hoc est in sensu composito; stat tamen non moueri necessariò, & hoc est in sensu diuiso; Quia videlicet, illa motio efficax est ratio & actualitas vt moueatur homo, non quomodocũque, sed liberè; vnde non solũ dat moueri & agere illa motio, sed etiam modum agendi: Vnde sensus diuisus non debet diuidere materiam à potentia, Nam motio illa etiam causa est ratioque libertatis; Vnde illa stante, libertas actuatur ac iuuatur, non minuitur. Sensus autem compositus, est cum ipsa motione, non in ordine ad modum agendi, qui est liber, sed in ordine ad actum oppositum, & substantiam actus; quia non stat fieri oppositum actum stante illa motione, sicut nec stante actu opposito; non tamen propterea fit ille actus non liberè, sed omnino liberè.

Et ideo non stat posita illa motione non fieri actũ oppositum quantum ad infallibilitatem, non tamen quantum ad necessitatem, & modum agendi. Vnde licèt homo possit facere oppositum ad quod mouetur,

uetur, quia tali modo mouetur vt in oppositum possit ex vi modi agendi, non tamen potest frustrare Dei motionem; quia cum omnimoda infallibilitate quoad substantiam datur, sine vlla tamen necessitate quoad modum agendi; & ideo cum potentia ad opposita.

Quartò arguitur contra id quod dicitur, Sufficere virtualem attritionem, seu dispositionem, Nam vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 3. & 28. de Veritate art. 3. *Adultus non iustificatur sine motu, & actu liberi arbitrij, pro ipso instanti iustificationis*: ergo non sufficit virtualis contritio, siquidem tunc non mouetur liberum arbitrium, nec habet actum.

Confirmatur, Quia si sufficeret virtualis dispositio, posset homo cum peccato veniali actuali accedens ad sacramentum iustificari; consequens est impossibile; ergo. Sequela patet, Quia peccatum veniale non tollit virtualem dispositionem, sicut nec virtualem intentionem accedendi ad sacramentum. Falsitas consequentis patet, tum quia iste sic accedens peccat actu, & indignè & sine reuerentia accedit actu: ergo non iustificatur actu; simul enim peccare, & diligi supernaturaliter à Deo, videtur repugnans, tum quia effectus sacramenti mensuratur per actus suscipientis, tunc autem nullum habet actum per quem gratia danda mensuretur, ergo

Confirmatur secundò, Quando agens & patiens mutuò se possunt tangere, sine contactu non sequitur actio; sed Deus & liberum arbitrium mutuò se possunt tangere mediantibus actibus, ergo sine illis, seu contactu illorum, actio non sequitur.

Respondetur doctrinam D. Thomæ intelligi de motu actuali vel virtuali; vtroque enim modo conuersa manet voluntas in Deum. Vnde pro instanti iustificationis sufficit talem conuersionem existere, quam non solum ratione motionis actualis, sed etiam virtualis remanere constat. Verumtamen extra Sacramentum, quando quis iustificatur ratione contritionis, verum est in ipso instanti iustificationis actum contritionis inesse; Nam si iustificaretur quando est virtualis contritio, talis virtualis contritio supponit actum contritionis præcessisse; si autem præcessit actus contritionis, eo ipse quo talis actus ponitur, eodem instanti ponitur & iustificatio; Non ergo datur casus, quo ex virtuali dispositione, aut contritione iustificetur quis extra sacramenta; & fortassis sic loquitur D. Thomas in locis allegatis. Quando autem quis accedit ad sacramentum, si habuit dispositionem, siue illa attritio sit, siue contritio, & in instanti susceptionis sacramenti actualiter sit distractus, dummodo sine peccato mortali, sufficienter remanere intelligitur illa dispositio, vt suscipiatur sacramentum, sicut & intentio.

Vnde & D. Thomas determinat infra quæst. 68. art. 12. *Amentes & furiosos baptizari posse etiam si actu contradicant, dummodo quando erant sanæ mentis constet eos voluisse baptizari.* Et quæst. 79. art. 8. determinat, *Veniale peccatum non impedire effectum Eucharistiæ, qui est augmentum gratiæ, licèt impediat feruorem, quia habet habitualem voluntatem manducandi spiritualiter sacramentum;* ergo non requiritur secundum D. Thomam semper actualis dispositio.

Ad confirmationem conceditur sequela, cùm peccatum veniale non sit obex, nec pro effectu sacramenti, qui est gratia; nec pro susceptione sacramenti, quæ solum requirit subiectum cum ea

A dispositione, quæ gratiæ non contrarietur, & quæ non sit indigna susceptio mortaliter, licèt sit indigna venialiter. Ad probationem minoris dicitur, quod iste sic accedens peccat quidem venialiter, non tamen peccat contra susceptionem debitam sacramenti, & ita non accedit indignè indignitate mortali, sed veniali, & consequenter neque cum obice, vt non suscipiat fructum gratiæ, quia veniale peccatum non contradicit gratiæ quantum ad substantiam, sed quantum ad feruorem; & sicut non repugnat simul peccare venialiter, & diligi à Deo supernaturaliter habitualiter, quia habitus ipse gratiæ manet in peccante venialiter; sic

Peccatum veniale, nô omnino tollit effectum sacramenti, aut facit indignè sumi.

B neque repugnat in Sacramento susceptioni peccare venialiter, & accipere gratiam habitualiter; quia sicut peccatum veniale habituali gratiæ non contrariatur, ita nec est obex respectu illius.

Quod autem dicitur, Mensurari gratiam Sacramenti per actus suscipientis. Respondetur, Ita esse, quando tales actus sunt, si autem non sint, mensuratur vel cum habituali dispositione, si dandum sit augmentum gratiæ, vel cum virtuali, si danda sit prima gratia, aut etiam si per illam se disposuit ad augmentum, nec opus est vt cum actuali mensuretur; vel si nulla sit dispositio contritionis, non mensurabitur cum illa, gratia impendenda, sed ex opere operato in-

C fundetur minima, quæ potest; quia solùm per illam dispositionem obex tollitur, non verò mensura aliqua ad gratiam dandam apponitur.

Ad secundam confirmationem Respond. Inter agens & patiens (præsertim spirituale) sufficere virtualem contactum; & consequenter virtualem etiam dispositionem ad talem contactum sufficere, cuius virtus manet in susceptione Sacramenti, & per illam sufficienter fit contactus.

Sed adhuc instabis, Si quis velit suscipere Sacramentum solum propter vanam gloriam, aut aliud peccatum veniale, ista susceptio est peccaminosa; & non habet aliam voluntatem sacramenta susci-

D piendi; ergo non habet voluntatem suscipiendi sacramentum debitè & religiosè; ergo neque sacramenti effectum suscipiet; Nam effectus sacramenti datur conformiter, & mediante susceptione eius; ergo si susceptio est peccaminosa & irreligiosa, non poterit mediante illa effectus sacramenti dari.

Respondetur, Voluntatem illam, etsi peccaminosa sit, esse tamen liberam & voluntariam sacramenti susceptionem; nec sic contrariam sanctitati sacramenti, aut illi obicem ponere: Et ita habet duas rationes; Vna est, voluntariam esse susceptionem sacramenti; altera est, esse præter finem vltimum, & contrariari feruori charitatis.

Putem affectum vanæ gloriæ velut concomitanter velle; cùm sit intentio actus religiosi.

E Ratione primi, est sufficiens susceptio vt sacramentum dat gratiam; quia non est indigna ratione sacramenti indignitate mortali, nec obicem ponendo; & ideo sacramentum habet effectum suum, infundendo saltem minimam gratiam ex opere operato. Ratione secundi est peccatum veniale, & indignitas aliqua seu irreuerentia; venialis tamen; sed ratione illius non datur effectus sacramenti.

Nec dispositio nostra aliter est medium dandi gratiam, nisi quatenus non sit obex in subiecto ad gratiam habendam ex opere operato: ideoque stante isto non obice cum voluntaria susceptione sacramenti, effectus sequetur.

Si quæratur, A qua virtute & principio eliciatur Attritio. Respond. Non esse actum virtutis,

Attritio, ex motione diuina, non ex aliqua virtute.

nec procedere à virtute, sed à motione & auxilio Spiritus sancti. Nec enim attritio est dispositio perfecti ad optimum, sed imperfecta dispositio; contritio autem est perfecta dispositio, & elicitur à virtute infusa Pœnitentiæ. Vide M. Nuño. 2. tom. super quæst. 1. Supplementi art. 1. & 2. &c.

Quinto obijcies, Habituale peccatum mortale est sufficiens obex ad Sacramenti effectum; ergo & sola attritio est insufficiens dispositio. Anteced. patet, Quia habituale peccatum pugnat cum effectu sacramenti, qui est gratia, ergo est obex; alias si sufficiens obex non esset, posset homo ad sacramentum viuorum cum sola attritione cognita accedere, & susciperet effectum gratiæ. Consequent. verò prob. Quia attritio non destruit habituale peccatum; ergo stante attritione stat mortale peccatum: ergo stat & obex.

Respondetur, Distinguendo anteced. Habituale peccatum nullo modo detestatum est sufficiens obex ad sacramentum, concedo; habituale peccatum detestatum (etsi non omnimoda perfectione) est obex, nego; & ideo negatur etiam consequentia; Attritio enim dicit iam detestatum peccatum, etsi non perfectè; & ideo est sufficiens dispositio pro sacramentis mortuorum, quæ sunt instituta ad dandam primam gratiam, & remissionem peccati, non tamen ad sacramenta viuorum, quæ ex ratione specifica solum causant augmentum; licèt si sine contrarietate ad susceptionem sacramenti viuorum accedatur, dabitur etiam prima gratia; tunc autem sine contrarietate accedìtur, quando quis non intelligens se cum dispositione non requisita, seu sufficiente accedere, illud suscipit. Igitur cùm detestatio peccati sit motus a peccato vt à termino à quo, iam qui atteritur recedit à peccato, etsi non ita perfectè vt ad terminum ad quem accedat, sicut facit contritio; & ideo sufficienter non manet tunc habituale peccatum vt obex ad primam gratiam, siquidem iam receditur ab illo; & si nondum in termino ponatur homo, quousque gratiam habeat; vt tamen non habeat obicem, sufficit iam recedere à peccato.

Peccatum mortale vt obex cum attritione, & in quibus Sacramentis.

DVBIVM QVARTVM.

Vtrum idem Sacramentum secundum speciem habeat semper æqualem effectum?

CONCLVSIO EST.

Quod in æqualiter dispositis, habet semper æqualem effectum; in dispositis verò inæqualiter, diuersum habet effectum.

Pro intelligentia huius conclusionis, Notandum est, Quod loquimur in præsenti de eodem Sacramento secundum speciem; quia respectu diuersarum specierum Sacramentorum, probabilius est Sacramentum excellentius, conferre maiorem & excellentiorem gratiam. Loquendo autem de Sacramento eiusdem speciei, potest dupliciter intelligi quod conferat maiorem, aut diuersam gratiam: Vno modo, Quia sit diuersa aut inæqualis gratia sacramenti, non ex se, & vt procedit à sacramento; sed vt coniuncta cum ea, quæ præcesserat in subiecto, vt, verbi gratia, si vnus accedit cum gratia aut contritione vt duo, & alius cum contritione vt quatuor; iste cum adiuncto sacramento reportabit gratiam vt quinque, alius verò gratiam vt tria; quæ quidem inæqualis gratia est, non tamen vt à sacramento procedit (quia sic solum est vnus gradus) sed vt dispositioni adiungitur.

A Alio modo potest intelligi, quod inæqualis gratia detur diuersimodè disposito; quia videlicet ab ipso sacramento inæqualis etiam gratia procedit respectu inæqualiter dispositi; vt in casu posito, illi qui accedit cum contritione vt quatuor, dat ex opere operato gratiam vt quatuor, vt sic cum dispositione, qua accedit, duplo maiorem reportet à sacramento; videlicet & ratione dispositionis, & ratione operis operati. Vnde si quis cum gratia vt mille accederet ad sacramentum, haberet gratiam vt duo millia; & si iterum accederet, reportaret vt quatuor millia, &c.

B Ex quo fit, Quod cùm habitualis dispositio sit sufficiens pro Sacramentis viuorum (vt dictum est) posset aliquis habens gratiam habitualem, per frequentationem sacramentorum sine aliquo actu augere mirabiliter gratiam; ita vt intra vnum, aut duos menses, computari non posset talis gratia, cùm crescat illo computo, qui vocatur *de la cernina*: sicque consultius esset hominibus (etiam sine aliquibus virtutum actibus) soli sacramentorum frequentiæ insistere, nec de alijs virtutibus ita curare, cùm ibi tantum gratiæ augmentum habeant, quod in virtutum operibus nequaquam habebunt. Imò etiam si pluries peccent, dummodo pluries resurgant, & sacramenta frequentent, immensum cumulũ gratiæ consequentur, &c.

C *Desiderantur aliquot lineæ, quas supplere religio fuit, Auctorique supponere.*

Explicatur autem sic conclusio; Quoniam omnis effectus qui procedit ab aliquo agente, vel determinatur ab ipso agente, vel à dispositione materiæ, in quam agitur. Et ab agente quidem, Quia omne agens agit per formam suam, cui assimilari debet effectus, oportet ab eo determinari effectum quoad speciem; & quia instrumentum non agit per formam, sed per motionem, ideo non debet assimilari instrumento, sed principali mouenti. Quoad modum autem maioris vel minoris perfectionis intra eandem speciem, cùm D illud agens quod mouet instrumentum (seu sacramentum) sit infinitæ virtutis, & ex se possit in maiorem ac maiorem effectum prodire, quantum est ex parte eius non est accipienda mensura effectus.

Solùm ergo oportet determinare hunc effectum ex promissione Dei alligata sacramento, vel ex dispositione eius, qui ad tale sacramentum accedit. Promissio autem Dei facta sacramento, seclusa dispositione suscipientis est vna & determinata; Nec enim indeterminatum effectum illi potest promittere. Aut enim esset infinitus, aut nullus; quorum vtrumque falsum, cùm & constet dari effectum seclusa dispositione suscipientis (vt in paruulis) & constet etiam illum esse determi- E natum, & non infinitum: Igitur ex promissione Dei facta sacramentis habent aliquam gratiam dare seclusa dispositione; & hæc debet esse certa & determinata: & cùm promissio illa ex parte Dei facta illi sacramento sit vna & æqualis, æqualem quoque semper effectum habebit, seclusa dispositione; nec est fundamentum vt dicamus pro arbitrio Dei dari maiorem gratiam vni quàm alteri per idem sacramentum, & cum æquali dispositione accedentibus.

Sacramenti effectus, ex Dei promissione determinatus.

Ex quo fit, Quod alia etiam Sacramenta; quando sine dispositione sibi debita & per se requisita, aut cum æquali dispositione recipiuntur, æqualem quoque effectum præbent ex opere operato,

Effectus idẽ & determinatus, cùm solùm non

ponitur obex, ipse minimus.

& promissione Dei. Nam cùm Sacramenta habeant dare gratiam non ponentibus obicem, vt Concilia definiunt, necessarium est vt etiam si actualis dispositio hominis non sit, sed sola habitualis, aut etiam non sit dispositio sufficiens ex se, sed tamen non ponatur obex, quod sacramenta illa effectum aliquem causent in subiecto, cumque determinatum, & hunc dicimus esse minimum, quem sacramenta dare possunt ex opere operato; sicut est minima gratia quam dat Baptismus paruulis; crescit enim ex dispositione suscipientis. Igitur quando sacramentum sumitur sine cooperante dispositione subiecti, æqualem semper effectum habet ex opere operato, siue aliàs habitualiter sit homo iam in gratia, siue non.

Maior gratia & effectus, pro ratione dispositionis & præparationis.

Quod autem quando homo per cooperationem suam se disponit, maiorem etiam gratiam consequatur ex opere operato sacramenti, correspondente illi dispositioni, probatur, Quia Trident. citat. definit *Vnicuique dari gratiam à Deo iuxta dispositionem & cooperationem suam*; ergo gratia quæ datur in sacramentis ex opere operato, debet etiam distribui à Deo iuxta mensuram dispositionis, & cooperationis vniuscuiusque: vt patet in sacramentis mortuorum, quando quis ad ea cum sola attritione accedit: tunc enim si inæqualiter attriti, æqualiter iustificarentur ex opere operato (non enim ibi datur gratia aliqua ex opere operantis) non daretur gratia à Deo in prima iustificatione iuxta cuiusque dispositionem & cooperationem.

Ratio verò præter Christi institutionem (quæ est à priori) ea est. Quia omne agens de se indifferens ad maiorem vel minorem effectum, iuxta dispositionem passi perfectius, aut imperfectius operatur; ergo sacramentum respectu sui effectus, quem causat ex opere operato, & vt Christi instrumentum, perfectius operabitur in subiecto perfectius disposito; & ita iuxta illius dispositionem augebitur gratia ex opere operato. Pertinet id etiam ad maiorem sacramentorum reuerentiam & cultum; vt cum maiori deuotione suscipiantur, quò pleniorem habeant effectum.

Minimum quod sic gratiæ in Sacramento, non maximum.

Ex dictis collige primò, In Sacramentis dari minimum quod sic gratiæ, ex opere operato causatæ; non tamen maximum quod sic. Nam Sacramenta non ponentibus obicem, & non cooperantibus, dant determinatam quandam gratiam, quæ minima est quam causare possunt, vtpote nulla suscipientis dispositione determinata. Verumtamen est, quod non in omnibus Sacramentis est æqualis hæc gratia, sed excellentius Sacramentum excellentiorem confert gratiam, minimam tamen pro suo genere, si à dispositione non determinetur. Quia tamen dispositio magis ac magis crescere potest in infinitum, etiam & Sacramenti effectus magis ac magis crescere potest in infinitum.

Sequitur secundò, Quod illa dispositio quæ præcisè est remouens prohibens, & nullo modo cooperans, non facit crescere gratiam, quæ ex opere operato datur à Sacramento. Patet hoc, Quia dispositio illa solum habet tollere obicem, vt sacramentum habeat suum effectum; ergo non est mensura determinans perfectionem gratiæ dandæ, nec faciens subiectum magis aptum & capax ac dispositum *positiuè*, sed solum *negatiuè* (vt sic dicam) Non ergo ratione illius dat sacramentum maiorem gratiam. Et sic in infantibus Baptismus habet semper æqualem effectum.

Habitualis dispositio solum remouens obicem, non ad maiorem gratiam disponens.

Similiter illi qui solum habitualiter sunt dispositi, & non formaliter, aut virtualiter cooperantes, non recipiunt maiorem gratiam, quia habitualis dispositio solum est remotiua obicis in Sacramentis viuorum, non autem *positiuè* capaciorem reddens suscipientem.

Ratio verò à priori est, Quia habitus gratiæ est entitas augenda: non est ergo mensura augmenti faciendi, sed id quod augendum est. Et huius signum est, quod si Sacramentum Eucharistiæ datur infanti, solum dabit illi augmentum minimum quod potest dare Eucharistia; ergo ob habitualem solum dispositionem non datur gratia ex opere operato nisi minima; Aliàs sine vllo actu suo posset homo mirabiliter in gratia crescere. Quare fit consequens, Non esse admittendum illum computum *de la Cerrina*, quia non quantum quis est habitualiter dispositus, tantum in duplo augebitur gratia, sed quantum se actualiter, vel virtualiter disposuerit.

Attritio solum remouens prohibens in Sacramentis viuorum.

Sequitur tertio, Eum qui cum sola attritione accedit bona fide ad Sacramentum, non accipere augmentum gratiæ secundum mensuram attritionis; bene tamen illum, qui accedit cum attritione ad Sacramentum mortuorum. Primum patet, Quia talis attritio est dispositio per accidens respectu illius sacramenti, & tantum remouens prohibens, non autem per se debita illi; & consequenter nec per se mensurans illius effectum. Respectu autem Sacramenti mortuorum est per se debita dispositio, & non per accidens; vnde potest mensurare eius effectum, vt iuxta dispositionem suam & cooperationem accipiat gratiam Dei.

Notandum tamen est, Quod absolutè loquendo & per se magis disponitur quis ad augmentum gratiæ per contritionem, etsi minus intensam, quàm per attritionem, etiam si intensior sit; Nam contritio est dispositio magis connaturalis gratiæ & perfectior; vnde magis seruit ad gratiæ augmentum. Quæ autem sit melior dispositio pro sacramenti effectu, cùm possint variæ dispositiones esse; videlicet actualis aut virtualis dilectio & contritio, aut habitualis gratia, vel maior deuotio, vel maior multiplicatio actuum huiusmodi; videtur inter omnes dispositiones actualis præeminere; & inter actuales illa, quæ feruorem charitatis, & deuotionem erga Sacramentum magis intensum habet; quamuis in hoc etiam multiplicatio & continuatio actuum maximè ponderetur. Sufficiens verò dispositio saltem illa est, quæ obicem tollit Sacramento suscipiendo, & eius effectui.

Soluuntur Argumenta.

Sed obijcies, Respectu gratiæ quæ datur ex opere operato formaliter loquendo, nostra dispositio non se habet vt dans aliquam virtutem aut perfectionem, sed vt remouens prohibens; ergo ex maiori dispositione nostra non crescit gratia ex opere operato formaliter loquendo, sub ratione operis operati. Consequentia patet, Quia dispositio remouens prohibens tantum se habet negatiuè respectu formæ introducendæ, ergo non potest mensurare eius perfectionem. Antecedens autem probat. Quia gratia quæ datur ex opere operato, non datur virtute dispositionis, nec dispositio se habet ad illam vt principium à quo virtu-

tem & perfectionem habeat, sed solum à Christi meritis & passione, alias non esset ex opere operato; ergo non crescit gratia secundum illam formalitatem, quæ est ex opere operato, ex vi dispositionis.

Dispositio cum opere operato cōposita, vt quasi maior sit subiecti capacitas.

Respondetur, Negando quod nostra dispositio se habeat vt purè remouens prohibens, respectu gratiæ, quæ datur ex opere operato; Quia licèt non se habeat vt principium virtutis & efficaciæ illius gratiæ, prout datur ex opere operato, habet se tamen vt aptitudo & capacitas subiecti ad maiorem effectum suscipiendum ab ipso agente, quod de se indifferens est ad maiorem & perfectiorem gratiam dandam sine termino, & vt applicans ipsum sacramentum ad operandum; & sic melius applicatum melius operabitur. Vnde sicut de luce Solis quædam corpora plus recipiunt quam alia, ex dispositione materiæ recipientis lucem, licèt materia recipiens non det virtutem & efficaciam luci vt producatur, aut intendatur; sic ex dispositione subiecti redditur quis capacior ad suscipiendam gratiam, quæ ex opere operato per sacramenta deriuatur.

Sed instabis, Nam illi dispositioni, qua subiectum disponitur, correspondet gratia ex opere operantis, tanta quanta est dispositio; ergo respectu gratiæ ex opere operato non præstat illa dispositio maiorem capacitatem; vt si verbi gratia disponitur quis dispositione vt quatuor, quod recipiat gratiam vt octo, siquidem capacitatem non habet ad gratiam vt octo, sed solum ad gratiam vt quatuor.

Respondetur, Dispositionem illam aliter se habere ad gratiam, quæ datur ex opere operantis, aliter ad gratiam, quæ infunditur ex opere operato; Nam respectu propriæ gratiæ habet se, vel vt meritoria, si homo iam sit in gratia, vel vt informata ipsa gratia, si tunc primò acquiratur. Respectu autem gratiæ ex opere operato, habet se vt purè dispositio coniuncta agenti, habenti virtutem ad dandam gratiam prout fuerit dispositum subiectum. Vnde tale agens non attendit in illa dispositione (vt quatuor v.g.) rationem meriti, aut informationem gratiæ, quam secum importat, sed præcisam rationem dispositionis, vt ipsum agens agat in tale subiectum. Sicut enim vt simpliciter & quoad substantiam producat gratiam solum, requirit non obicem in subiecto; sic vt tantam producat, solum requirit non obicem ad tantam, seu dispositionem ad tantam; quantumuis dispositio illa alias sit meritoria, & informata gratia ratione operis operantis. Sufficit enim quod subiectum relinquat dispositum, & capax dispositione vt quatuor, vt coniunctum cum agente tali, producat gratiam vt quatuor.

Dispositio eadem ad gratiam ex opere operantis & ex opere operato.

Itaque licèt dispositio ex parte subiecti sit solum vt quatuor, virtus tamen & efficacia est vt octo; quia illa dispositio de se habet virtutem vt quatuor ad gratiam ex opere operantis, & agens ex opere operato coniunctum tali dispositioni habet distinctam efficaciam & virtutem vt quatuor. Non est autem inconueniens quod addita noua virtute & efficacia, etsi dispositio in ratione dispositionis sit eadem, maiorem habeat effectum si in ratione virtutis crescit, quia coniungitur nouæ virtuti & agenti. Nec enim dispositio ad gratiam est purè passiua, sicut multitudo materiæ ad recipiendum calorem aut lucem, sed est dispositio mouens subiectum ad gratiam, & meritoriè illam attingens, si subiectum sit iam gratum; vnde addita noua virtute ab extrinseco productiua gratiæ, illa dispositio subiecta illi nouæ efficaciæ, maiorem effectum gratiæ tribuet; quia licèt actualiter solum disponat vt quatuor, tamen habitualiter habet efficaciam vt octo, tum ratione virtutis & efficaciæ propriæ, quæ est vt quatuor, tum ratione efficaciæ extrinsecus adiunctæ, & gratiam ipsam habitualem producentis, quæ est etiam vt quatuor.

Dispositio actiuè, & quasi passiuè.

Vel dicendum, Quod dispositio actiuè, seu ex propria virtute & efficacia, habet suum effectum, passiuè autem habet à sacramento accipere ex opere operato nouam efficaciam, & consequenter nouum effectum. Intelligitur autem dispositio habere propriam efficaciam, non ad producendam gratiam, sed ad actiuè destruendum peccatum, & mediante tali actiuitate & efficacia disponendo subiectum ad gratiam. In sacramento autem dispositio solum se habet vt applicans sacramentum respectu subiecti, non solum vt gratiam operetur, sed etiam vt destruat peccatum, si non sit destructum; si autem sit destructum, vt melius operetur gratiam. Et hoc est quod dicit S. Thomas 3. p. quæst. 86. art. 6. & 4. dist 14. art 1. quæstiunc. 1. *Quod Pœnitentia efficienter, & non solùm formaliter peccatum dimittit.* Præter hoc autem etiam datur dispositio in ordine ad gratiam, qui est conatus hominis se disponentis, qui non se habet ad gratiam actiuè physicè, sed veluti moraliter; & iuxta illius quantitatem charitas & gratia datur, vt S. Thomas ait 2. 2. quæst. 24. art. 3. At verò respectu sacramenti istæ dispositiones non se habent nisi vt applicantes sacramentum, sic vel sic; vt taliter applicatum sacramentum, gratiam maiorem vel minorem ex opere operato infundat.

Secundò arguitur, Sacramentum mortuorum (v. g. Pœnitentiæ, aut Baptismi) quando confertur homini attrito, non potest maiorem gratiam dare ratione maioris attritionis: ergo non semper infunditur gratia iuxta dispositionem & cooperationem subiecti. Patet consequent. Quia respectu illius gratiæ sacramentalis ex opere operato (id est, remissionis culpæ) propria & per se dispositio est attritio; ergo si ex magnitudine talis dispositionis non crescit gratia, jam gratia ex opere operato formaliter & præcisè loquendo, non datur secundum propriam & per se dispositionem. Antecedens verò probatur. Attritio non est dispositio proportionata cum gratia secundum se, siquidem non est vltima dispositio, & compatitur cum peccato; ergo respectu gratiæ solum potest se habere vt remouens prohibens; ergo quantumcumque crescat talis dispositio, non erit sufficiens mensurare gratiam dandam, sed solum remouere obicem, & intra latitudinem remotionis obicis erit perfectior.

Confirmatur, Dispositio habitualis gratiæ iam infusæ, est multò magis proportionata agenti infundenti ex opere operato, quàm actualis attritio; ergo si illa non sufficit vt maior gratia infundatur, secundum magnitudinem talis habitualis dispositionis, neque attritio sufficiet.

Attritio, in termino contritio, ipsa dispositio ad gratiam, non solum remouēs obicem.

Respondetur, Negando antecedens; Ad probationem dicitur, Quod attritio non est proportionata secundum se cum gratia, quasi ex vi ipsius operis operantis, est autem proportionata vt tota informetur à virtute sacramenti, & accipiat virtutem contritionis, quantum ad hoc quod est dare gratiam. Vnde cùm tota informetur à virtute

sacramenti, tota operatur gratiam; & sic gratia A ex opere operato conformatur ipsi attritioni, quæ per sacramentum est, ac si esset contritio. Probabile tamen est, quod quando attritio non per se respicitur à sacramento, sed solum est dispositio per accidens, vt respectu sacramenti viuorum, tunc solùm seruit vt remouens prohibens, & non informatur tota à sacramento, quia non est eius dispositio per se requisita, & informabilis ab eo, sed datur tunc gratia à sacramento, ac si non esset dispositio aliqua positiua respectu eius, sed solùm remotiua. Ideo enim est dispositio per accidens, non positiuè & per se illi adiungitur, & ita nec se habet vt applicatiuum sacramenti, sed B solum vt non repugnantiam ponens.

Ad confirmationem Respondetur, Quod gratia habitualis, licèt reddat subiectum habile & sine obice ad suscipiendam gratiam, tamen non est applicatiua ipsius sacramenti, quia non cooperatur susceptioni eius & effectui; vnde nec secundum illam mensuratur perfectio effectus sacramentalis. Est ergo magis proportionata gratia habitualis in ratione remouentis obicem, non tamen in ratione applicantis, & cooperantis melius sacramento; & ita non facit vt melior producatur effectus.

Tertio obiicitur, Nam homo iustus potest saltem de congruo mereri alteri gratiam; ergo mi- C nister sacramenti iustus, potest impetrare gratiam suscipienti sacramentum vltra gratiam ex opere operato sacramenti, & ita Baptismus in infantibus habere potest inæqualem effectum.

Confirmatur, Quia virtus diuina non est alligata sacramento; ergo licèt iuxta promissionem suam per sacramentum det gratiam, potest tamen illi addere ex sua liberalitate aliam majorem.

Ministri sanctitas in Sacramento, quid cōferat. Respondetur, Effectum Sacramenti ex opere operato non augeri ex bonitate ministri, quia non fundatur in eius sanctitate, sed Christi; vnde effectus ex opere operato est semper æqualis, stante æquali dispositione ex parte subiecti; de quo D sanctus Thomas infra, quæst. 64. artic. 1. ad 2. Potest tamen minister impetrare gratiam suscipienti, impetrando illi dispositionem & motum nonum ad gratiam, non tamen impetrare potest, vt sine dispositione suscipientis gratia illi augeatur ex opere operato; quia sacramenta iuxta taxatam à Deo rationem operantur, quæ sine miraculo immutari non potest, vt sine majori dispositione major gratia detur.

Omnium paruulorū eadem gratia in Baptismo, & gloria in cœlo. Ad confirmationem Respond. Probare quod Deus possit, si velit, inæqualem gratiam dare ex opere operato stante æquali dispositione; id tamen erit miraculum, & extra naturalem ordinem sacramentorum. Ex quo patet, Quod neque ratione prædestinationis ad majorem gloriam, E datur maior gratia, nisi detur etiam major dispositio. Et ita neque infantes prædestinantur ad inæqualem gloriam, neque sicut Angeli inæqualiter susceperunt gratiam, quia inæqualem habent naturalem perfectionem, & inæqualem etiam dispositionem, quæ secundum naturalia data fuit à Deo; ita & homines inæqualiter debent gratiam recipere, cùm in eis æqualis inueniri possit dispositio; neque ad reparandas illas sedes solum homines sunt prædestinati, cùm videatur maior numerus esse damnatus ex Angelis, quàm ex hominibus, & consequenter plures damnatos ex Angelis quam prædestinatos ex hominibus.

DVBIVM QVINTVM.

In quo tempore vel instanti Sacramenta causent gratiam?

VT difficultatis punctus appareat, Notandum est de tribus temporibus controuerti posse. Primò quando nondum suscipitur realiter Sacramentum, sed voto habetur, An tunc possit realiter causare gratiam? Secundò quando actu suscipitur, in quo instanti causet physice gratiam, An in extrinseco terminatiuo sacramenti, vel intrinseco, an verò in tempore? Tertiò quando susceptum fuit actu, & ratione obicis non dedit effectum, An recedente obice causet effectum suum? De primo hìc non est præsens difficultas, cùm manifestum sit Sacramentum ante sui susceptionem realem, non causare ex opere operato gratiam, sicut neque imprimere characterem; vterque enim effectus realem susceptionem, & causationem sacramenti requirit. Dicitur tamen dari effectum sacramenti quando suscipitur in voto, non quia per illud votum, seu desiderium causetur ex opere operato effectus sacramenti, sed quia illud desiderium refert dispositionem, seu contritionem hominis ad sacramentum, & ratione contritionis recipit effectum, non ratione alicuius operis operati, quod tunc detur.

Et præsertim hoc apparet, tenendo quod Sacramenta sunt causa physica gratiæ, quia ex opere operato operari non possunt nisi mediante motione, quæ ante realem susceptionem sacramenti operari nequit: Ergo cùm opus operatum sit alligatum motioni ipsi, & virtuti sacramentali, sitque genus causæ efficientis, non potest ante realem exhibitionem Sacramenti, & motionem ipsam realem dari tale opus operatum. Vnde, & si aliquis cum sola attritione desideret Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ non iustificatur; & tamen si haberet illud sacramentum opus operatum, iustificaret per talem attritionem. Effectus ergo qui causatur a sacramentis in voto susceptis, est effectus operis operantis, qui habet similitudinem cum effectu sacramenti realiter suscepti; non est tamen realis effectus eius, & ex opere operato. De Tertio verò in sequent. dubio agetur; scilicet de operatione Sacramenti recedente fictione. *Sacramenti in voto, nō est opus operatum.*

Est ergo in præsenti controuersia de susceptione reali Sacramentorum, quando, vel in quo instanti aut tempore causent gratiam. Et præcipuè est difficultas de Sacramentis quæ in successione consistunt; Nam Eucharistia permanenter existit, licèt eadem difficultas de illa sit, quando incipit Corpus Christi per prolationem verborum, in quo instanti verba operentur; Nam in vltimo instanti verba iam non sunt; in toto autem tempore præcedenti, sacramentum nondum est consummatum, & consequenter neque assumi potest vt instrumentum.

Sacramēti effectus in instanti extrinseco. Conclusio ergo est, Quod Sacramenta operantur gratiam non in tempore aliquo determinato vel indeterminato, neque in instanti intrinseco, sed in extrinseco, quo est verum dicere, Nunc Sacramentum est perfectum.

Pro intelligentia huius conclusionis, Notandum est, quod cùm gratia, quæ est effectus Sacramenti, in instanti producatur, sicut lux; Sacramentum autem sit ens successiuum, quod non habet

esse perfectum & consummatum in aliquo instanti sibi intrinseco, vt difficultas ista superaretur, in varias sententias Authores diuisi sunt: Quidam enim operationem Sacramenti in gratiam saluare volentes, pro ea duratione qua intrinsecè durat sacramentum, dixerunt in tempore producere gratiam. Quia verò tempus sumi potest, aut determinatum, sicut est inter quælibet duo instantia designata & determinata; aut indeterminatum, vt est illud quod accipitur immediatè infra aliquod instans, dixerunt Aliqui Sacramenta operari gratiam non in instanti terminatiuo extrinseco sacramenti, sed in eo tempore quod immediatè antecedit istud instans.

Alij verò dixerunt, Sacramentum operari in vltimo tempore designato sacramenti, quando scilicet profertur vltima particula verborum; vt videlicet inceptio, seu vltimum non esse vltimæ particulæ, sit primum esse gratiæ; vel etiam (vt Alij explicant) quod tota illa prolatio vltimæ particulæ sit productio gratiæ, quia producitur secundum successionem illius particulæ.

Ex his autem qui existimant conferri gratiam à Sacramento in instanti, conueniunt omnes produci gratiam in instanti consummatiuo sacramenti; sed quidam dicunt produci in instanti extrinseco consummatiuo sacramenti, alij verò in instanti extrinseco.

Et omnium istorum Authorum, præter vltimæ sententiæ assertores, fundamentum ferè vnicum est; videlicet, Quia cùm Sacramentum in instanti extrinseco iam non sit, & quando non est, assumi non potest vt instrumentum ad agendum, oportet quod quandiu est assumatur; solùm autem est in tempore, vel in instanti intrinseco.

Nihilominus pro intelligentia nostræ conclusionis, tria supponenda sunt: Primum, Quod nec gratia possit incipere in tempore, nec in illo sacramentum operari. Secundum, Quod non consummatur instanti intrinseco, sed extrinseco. Tertium, Quod motus, & alia successiua possunt operari in instanti, quo desinunt, ratione inceptionis sui termini. Primum probatur, Nam omnis inceptio (vt dicunt Philosophi in 1. & in 8. Physic.) vel est per primum esse, vel per vltimum non esse; vtraque autem fit in instanti, vna in instanti intrinseco inceptioni, alia in extrinseco; & ita omnis inceptio indiuisibilis est, siue intrinsecè, siue extrinsecè; id enim significatur per *nunc*, quod in omni inceptione importatur: Non ergo potest incipere gratia in tempore intrinsecè, siue determinatum tempus sit, siue indeterminatum.

Nam si tempus determinatum sit, & signatum inter duo instantia, in toto illo (cùm sit diuisibile) possunt dari plura *nunc*; ergo vel in quolibet eorum incipit, vel solum in aliquo; si in quolibet, est impossibile, Quia cùm vnum sequatur post aliud, sicut & ipsæ partes temporis, cum quibus fluunt; postquam in vno incœpit, in subsequenti jam non incipit, sed conseruatur: Si autem in aliquo tantum incipit, ergo non in toto illo tempore determinato potest incipere, loquendo de incœptione rigorosè & physicè, sicut nunc loquimur de incœptione gratiæ.

Si autem tempus indeterminatum sit, vel est illud, quod est immediatè ante vnum instans, ita vt immediatè ante instans consummatiuum sacramenti incipiat gratia; vel est immediatè post instans, ita vt dato aliquo instanti sit verum dicere,

A Immediatè post hoc est gratia. Primo modo repugnat gratiam incipere, Quia illud immediatè antè, nec est primum esse, cùm non sit instans, aliàs essent duo instantia immediata; nec est vltimum non esse gratiæ, quia vltimum non esse, dicit instans in quo aliquid non sit & immediatè pòst sit; Illud autem tempus, in quo indeterminatè dicitur incipere, est immediatè ante instans consummatiuum, non autem immediatè post aliud instans; quia si sic daremus duo instantia, vnum consummatiuum, & aliud ante illud, inter ista duo deberet esse tempus diuisibile; & ex isto tempore diuisibili, id quod est immediatum consummatiuo, non

B est immediatum alteri instanti antè, aliàs esset indiuisibile id, quod mediat inter vtrumque instans, si est vtrique immediatum; Ergo si incipit gratia immediatè ante instans consummatiuum, non potest incipere immediatè post aliud instans ante se; & ita neque incipit hoc modo, per vltimum non esse.

Secundo etiam modo, videlicet incipere immediatè post aliquod instans, ita vt non incipiat gratia intrinsecè in aliquo tempore ante instans consummatiuum, sed extrinsecè per vltimum non esse, eo modo quo incipit vltima particula prolationis verborum, impossibile est; Quia gratia, quæ est forma spiritualis & indiuisibilis, oportet quod in-

C cipiat per primum esse, sicut incipiunt omnia, quæ per instantaneam mutationem producuntur. Nam ea quæ in instanti fiunt, in eodem instanti incipiunt; ergo in eodem instanti est verum dicere, Nunc est; ergo falsum est dicere, Nunc non est, & immediatè pòst erit, Nam in illo *nunc*, vel datur actio instantanea productiua gratiæ, vel non: si non datur tunc actio instantanea, ergo vel dabitur pro alio instanti, & de illo inquiremus quod tunc etiam incipiet gratia, sicut & actio; vel dabitur pro tempore, & non pro instanti, & sic non erit actio instantanea, sed successiua, quod repugnat rei spirituali; si autem in illo *nunc* datur actio instantanea, ergo & effectus eius, quia in instanta-

D neis idem est fieri & factum esse; ergo tunc incipit gratia, & non immediatè pòst.

Et hic paulò plures desideratæ lineæ, dilapsa irreparabili casu chartæ particula.

Nec valet responsio Suarez, Quod Sacramentum non est purè ens successiuum, sicut tempus & motus, sed debet signari aliquod instans, in quo sit verum dicere, Sacramentum est, sicut signum est; non autem existere dicuntur sicut successiua, quæ tunc existunt quando aliquid eorum factum est, & aliud restat faciendum; Sacramentum autem in aliquo instanti absolutè est.

Sed contra hoc est, Quia Sacramentum est signum successiuum, sicut oratio; & omnem realitatem quam habet, in motu consistentem habet,

E & in actionibus successiuis; forma enim in verbis consistit, & materia proxima in vsu, seu actione successiua; Non habet autem aliam realitatem quàm suæ materiæ & formæ, ergo nec aliam realem incœptionem aut desitionem habet, quàm motus isti & actiones successiuæ; siquidem aliam realitatem non habet. Et deinde, Quia absolutè & simpliciter, vel est ens successiuum, vel permanens; si simpliciter successiuum, debet incipere & desinere sicut successiuum: permanens autem simpliciter esse non potest, cùm id solum Sacramento Eucharistiæ conueniat.

Secundò probatur contra Suarez, Quia in illo instanti in quo est verum dicere quod sacramen-

rum est, vel est tota essentia sacramenti simul, vel aliquid eius: Non tota essentia sacramenti, quia sic esset sacramentum quid instantaneum & permanens, cùm tamen materia eius, & forma sint quid successiuum: si autem in illo instanti existit pars aliqua sacramenti, vel vlterius restat aliquid faciendum de sacramento, vel nihil: si nihil vlterius restat, ergo immediatè post illud instans non erit sacramentum, & ita desinet per vltimum esse; & item non incipiet sacramentum esse in illo instanti, sed desinet; cùm enim non sit quid instantaneum, non poterit in vno instanti incipere & desinere: ergo ante illud instans iam erat sacramentum; & ita in alio instanti fuit verum dicere, Sacramentum est, quia jam incœperat; & cùm in illo sacramentum nondum esset perfectum, quia aliquid restabat faciendum, solum verificabatur esse sacramentum, sicut res successiua, quod negat Suarez.

In instanti autem in quo perficitur, ita quod non restat aliud faciendum, non est verum dicere quod primò incipit, aliàs esset quid instantaneum sacramentum: si autem in illo instanti, in quo dicitur esse sacramentum, restat aliquid vlterius faciendum, ergo non est tunc perfectum, sed solum sicut res successiuæ, quæ dicuntur esse quando aliquid est factum, & aliud restat faciendum.

Nec valet dicere, Quod ante illud instans est imperfectè, in illo verò instanti est perfectè: Hoc, inquam, non valet, tum quia vel ante illud instans absolutè & simpliciter est in rerum natura, vel non: si est simpliciter in rerum natura, ergo non solum habet esse in illo instanti, sed ante etiam habet esse, sed nondum consummatum, sicut omnia alia successiua; si autem non habet esse absolutè ante illud instans, currunt omnia argumenta, quia sacramentum solum erit quid instantaneum. Igitur cùm Sacramentum sit quid successiuum, non debet aliter habere esse quàm res aliæ successiuæ, nec aliter incipere & desinere, nisi euertamus naturas rerum.

Tertium quod proposuimus notandum, ex eo patet, Quia omnia quæ fiunt per motum, necesse est quod ipsis incipientibus, motus desinat; sicut enim non est inconueniens quod quando aliquid primò factum est, desinat fieri; & ita sufficit quod fieri talis rei fuerit immediatè antè, & factum esse sit primò in hoc instanti; & ita cùm motus sit fieri & fluxus rei, terminus autem motus sit factum esse, oportet quod in instanti quo primò est terminus, non sit motus, sed sufficit quod immediatè antè fuerit.

Quòd & amplius explicatur, Quia motus, vt dicitur 3. Physicor. non est præter res, ad quas est motus, nec entitatiuè differt à termino motus, sed secundum formalitates diuersas, sicut fieri & factum esse. Igitur termino incipiente, entitatiuè manet motus, licèt non formaliter; & ita tunc operari potest, non secundum rationem motus & fluxus, sed secundum rationem entitatis iam factæ. Vt enim operetur secundum quod motus, non oportet quod sit secundum rationem motus, sed sufficit quod immediatè antè fuerit motus; & jam non sit, in hoc instanti, motus; sed terminus motus; quia terminus ipse est nunc à fluxu, qui immediatè antè erat, & modò iam non est fluxus, sed est iam terminus; & ita eadem entitas, quæ antè fluebat, & tendebat ad esse, modò iam non tendit, sed habet esse in facto esse.

Sic ergo non est inconueniens, quod per motum, A qui immediatè antè fuit, terminus modò producatur in facto esse; imò id omnino necessarium est, aliàs non seruatur natura productionis per motum, quæ talis est, vt dum ipse terminus incipit, cesset motus; quia nihil aliud sunt terminus & motus, quam res in fieri, & in facto esse. Et hoc quidem ita verum est respectu termini, qui ab ipso motu naturaliter producitur, & cuius ipse motus est fieri.

Cæterum difficile est, Quomodo respectu termini, cuius ipse motus non est fieri (idest, respectu gratiæ, quæ à motu, vt ab instrumento eleuato producitur) difficultas, inquam, est, quando eleuetur talis motus, & talis actio sacramentalis, vt B producat gratiam? siquidem in termino extrinseco motus & sacramenti, iam sacramentum non est, siquidem est verum dicere, Nunc non est sacramentum, & immediatè ante fuit; ergo in illo instanti motus ipse non potest assumi vt instrumentum, neque actio illa immediatè antè, dum fluebat in motu, erat actio virtuosa.

Explosa Caietani opinio, virtutis inchoatiuè in Sacramentis in fieri & successione.

Ad hoc Caietanus inf. quæst. 78. art. 4. ad finem commentarij, insinuare videtur, Quod quando Sacramentum ipsum est in fieri & in motu, assumitur quoque à Deo vt instrumentum, & accipit virtutem sacramentalem, inchoatiuè tamen & in fieri; in ipso autem instanti terminatiuo, sicut est perfecta significatio, ita & virtus illa. & ideo C tunc operatur. Cæterum non videtur difficultatem effugere iste modus loquendi; Cùm enim in instanti terminatiuo iam motus non sit, neque actio sacramentalis; quia in illo verum est dicere, Nunc non est motus & actio, & immediatè antè fuit, quomodo tunc perfecta virtus communicatur illi actioni à Deo, ita vt tunc sacramentum perfectè operetur? & si tunc est capax perfectæ virtutis, est & inchoatiuæ; ita non est necessarium ponere, Quod antè suscepit sacramentum virtutem inchoatiuam, si perfectam suscipit in instanti terminatiuo & extrinseco.

Quapropter dicendum est ex Diuo Thoma, tum quæstione illa 78. art. 4. ad 3. tum præcipuè D in 4. ad Anibal. distinct. 8. art. 5. *Quod virtus illa communicatur Sacramento, quando est in suo termino & complemento: non quando est simpliciter in successione, sed quando est secundum quid (scilicet in termino.) Vnde virtus illa non est successiua, licèt sit in successiuo*, inquit sanctus Thomas; non secundum quod est successiuum, sed in eius termino; nec communicatur toti secundum se, sed parti vltimæ, & non parti simpliciter; datur enim illi termino in ordine ad præcedentia; & ideo illi termino datur non secundum id quod est, sed in quantum terminus est.

Ex quibus manifestè apparet, Negare S. Thomam quod Sacramento, dum in successione est, E detur virtus illa, sed dum in termino est; in illo autem termino non est simpliciter, & sub formalitate successiui, sed secundum quid, & vt in termino, & sub ratione termini, & in ordine ad præcedentia assumitur à Deo vt instrumentum; quod potest declarari sic, Quia motus & actio successiua non est præter res, ad quas est motus; quia licèt formaliter differat à termino, non tamen entitatiuè, vt diximus; cùm ergo actio illa, & motus sacramentalis perueniat ad terminum, manet in termino; non secundum formalitatem motus & actionis, sed secundum entitatem motus & actionis, sub formalitate tamen termini; & ideo illa entitas secundum quod terminus motus præceden-

tis, assumitur à Deo, & accipit virtutem illam sacramentalem.

Dices, Virtus infunditur non ipsi actioni elicitæ, sed virtuti elicienti illam, vt actio egrediatur ab instrumento virtuosa; sed in instanti illo extrinseco non egreditur actio ab agente, sed iam egressa est; ergo tunc non eleuatur. Respondetur, Communicari illam virtutem ipsi instrumento elicienti actionem, non elicienti ipsam inchoatiuè & in successione, sed elicienti terminatiuè, & in vltimo instanti; Nam tunc etiam verba & ablutio (verbi gratia) eliciunt & operantur; quia tunc egreditur effectus in facto esse; sed operantur ratione virtutis præcedentis quæ consignatur illi termino; & sic illud agens quod in illo termino agit, quasi virtualiter eleuatur, vt agat etiam in facto esse, non solum ablutionem, sed etiam gratiã in anima. Producitur enim in illo instanti ablutio in facto esse, & egreditur ab agente mediante motu præcedenti, virtualiter manente in subiecto quod abluitur. Et sic dicit Diuus Thomas in 4. ad Anibal. distinct. 8. art. 5. ad 1. Quod *verbum in quantum faciens (id est, secundum sui complementum) simul est cum facto esse.* In illo ergo instanti, adhuc est motus orationis vt faciens, quasi in termino, non faciens quasi in motu.

Operari Sacramentum in instanti extrinseco. His suppositis probatur conclusio supra posita, C Quoniam Sacramentum non operatur antequam sit consummatum; Quandocumque enim restat aliquid faciendum de sacramento, nondum est completa significatio; & consequenter neque operatio sacramentalis dari potest; Sed sacramentum non consummatur ante instans extrinsecum, quia desinit per primum non esse, sicut omnis motus, ergo neque ante illud instans operatur.

Soluuntur Argumenta.

Objicies primò, Nihil potest efficere nisi habeat virtutem agendi, naturalem vel obedientialem; sed quod non est nullam talem habet virtutem, D quia omnis virtus super entitate fundatur; ergo in illo instanti terminatiuo extrinseco non potest Sacramentum habere virtutem, sicut nec entitatem; quia tunc est verum dicere, Nunc non est Sacramentum, & consequenter nunc non habet entitatem.

Confirmatur, Quia impossibile est rem existentem physicè, pendere à re quæ physicè & realiter non existit; dependentia enim realis, est innitentia vnius rei super existentiam alterius; sed omne quod fit realiter, pendet physicè ab eo, à quo effectiuè fit; ergo gratia in illo instanti in quo fit, dependere debet à Sacramento existente. In instanti autem extrinseco terminatiuo non existit Sacramentum; ergo ab eo physicè non dependet. E

Sacramentum vt in termino operans. Respondetur, Hæc Argumenta à D. Thoma proponi, & solui in 4. sent. citato. Et ex eius doctrina dicimus, Quod id quod nullo modo est, nec simpliciter, nec secundum quid, non habet virtutem ad agendum; quod tamen aliquo modo est, saltem secundum quid & in virtute aliorum, seu vt terminus præcedentis motus, operari potest; & sic se habet terminus motus, seu actionis sacramentalis; in quo licèt non sit iam Sacramentum sub ratione motus & actionis successiuè, est tamen sub ratione termini, quod entitatiuè à motu non distinguitur; & ideo vt terminus assumitur pro instrumento.

A Et hoc est quod dicunt Thomistæ, Sufficere quod Sacramentum immediatè antè fuerit, vt in hoc instanti dicatur operari; & quod in isto instanti non est in ratione entis formaliter, est tamen in ratione causæ, & in ratione entis virtualiter; quia videlicet ad producendum aliquid per motum & fieri successiuum, non requiritur quod ipsum fieri sit etiam in instanti, in quo est terminus factus, sed quod perueniat vsque ad illud, & quasi continuè illi hæreat.

Vt autem assumatur tanquam instrumentum, non requiritur quod ipse motus duret in ratione motus, & sub formalitate successiui, sed quod sit in termino; & sub ratione termini, cum ordine ad B præcedentes partes motus, accipiatur à Deo vt instrumentum; & sic dicitur totum Sacramentum, & partes eius assumi vt instrumentum, quatenus ipse terminus assumitur, vt habet virtutem præcedentis successionis motus; non tamen assumitur Sacramentum secundùm quod formaliter est in successione, vt clarè dicit S. Thomas.

Ad confirmationem Respond. Quod res non potest physicè pendere ab eo quod non est, neque simpliciter, neque secundum quid; ab eo tamen quod est saltem secundum quid, & secundum contiguitatem successiuam bene potest pendere; sicut quod est in facto esse, pendet ab eo quod est fieri physicè; non quia simul existunt, sed quia physicè successiuè se tangunt, licèt non physicè permanenter; sic potest aliquid physicè pendere ab eo, quod non est physicè permanenter & simul, bene tamen physicè successiuè, & secundum contactum successiuum.

Vnde (vt acutè notat Caiet. quæst. 78. supra citato) Existentia successiui non requirit quidquid est eius esse simul, sed ex quocumque eius existente inferri; quia videlicet eius existentia in transire, & in inferri consistit, non in permanere. Et sicut assignato quocumque mutato esse in medio motus, illud physicè pendet à parte motus immediatè antè transeunte, quæ in illo instanti & mutato esse iam non est; ita & in vltimo extrinseco mutato esse, non est inconueniens quod pendeat ab immediata parte motus, quæ iam non est in illo vltimo extrinseco, sed immediatè transiuit. In Sacramentis verò non repugnat quod Sacramentum non secundum quod est in successione, sed secundum quod est in termino, sub formalitate termini assumatur, vt instrumentum supernaturale; quia ibi existit secundum quid, & vt in termino, licèt non simpliciter, & sub formalitate successionis.

Secundò arguitur, Res futura nullo modo potest agere effectiuè; ergo neque res præterita; quia tam nihil est res præterita, quàm futura; siquidem illa desiit esse, sicut ista nondum est; ergo neque potest agere effectiuè, eo ipso, quo verum est dicere, Quod non est.

Confirmatur, Quia si res quæ nunc desinit, & non est, potest agere, quia immediatè antè fuit; ergo & causa quæ fuit heri, potest modò supernaturaliter eleuari vt effectiuè agat, quod est omninò impossibile.

Confirmatur secundò, Nam inter effectum & causam realem oportet esse relationem realem; ergo oportet vtrumque extremum esse in actu, & non sufficit immediatè antè fuisse, & iam non esse.

Respondetur, Quod id quod futurum est, ita est nihil respectu rei præsentis, quod neque in ratione causæ; neque in ratione entis, neque formaliter,

maliter, neque virtualiter illam tangit; & ita non potest influxum & causalitatem habere in illam; futurum enim neque est in ratione entis, sicut præteritum; neque in ratione causæ; Quia causa est à qua procedit effectus, à futuro autem nihil procedit, aut processit, sed ipsum debet procedere, & sic non est in virtute à se procedente, sed in virtute a qua debet procedere: res autem præterita, etsi iam non sit simpliciter in genere entis, est tamen in ratione causæ & virtutis, successiuè contingentis rem præsentem, & ita habentis prioritatem respectu illius, vt possit illam producere tanquam fieri eius, quod contingit rem factam; eo ipso autem quo est in facto esse, desinit fieri sub ratione ipsius fieri; quod totum non currit in re futura, quæ nec est fieri, nec aliquo modo prior respectu rei præsentis, vt possit causalitatem in ipsam habere.

Præteriti discrimen ac futuri, vt assumātur & causent.

Similiter res futura nondum existit secundum quid & in termino, sicut res quæ immediatè præcessit, & ideo non potest assumi a Deo vt instrumentum, sicut potest assumi id quod præterijt secundum rationem successionis, & manet secundum rationem termini.

Ad primam confirmationem Respondetur, Quod res quæ heri præterijt, non habet contiguitatem cum re quæ modò producitur, & ideo neque contactum durationis habet & propterea neque operari potest effectiuè in illam; res autem quæ immediatè coniungitur cum ista, habet contactum durationis successiuæ, & ita potest agere in illam.

Secundò dicitur, Quod res quæ præteriit heri, si virtutem aut effectum suum reliquit, potest hodie assumi à Deo vt instrumentum; non in se, sed in sua virtute & effectu, sicut dicit sanctus Thomas quæst. 50. huius 3. p. de Morte Christi. Et quęst. 56. de Resurrectione, Quod operantur nostram salutem, & operabuntur nostram resurrectionem; quia videlicet operantur per humanitatem mortuam aliquando, & resuscitatam modò: sic ergo & Sacramentum dicitur operari physicè, non quia omnes eius partes sint simul, aut secundum successionem suam assumantur à Deo, sed secundum quod sunt in termino talis successionis virtualiter & secundum rationem termini, quod est esse secundum quid, vt dicit S. Thomas.

Res præterita, in sua virtute præsens, seu effectu relicto.

Ad secundam confirmationem dicitur, Quod inter causam & effectum non oportet semper intercedere relationem realem formaliter, sed sufficit quod fundamentaliter; sicut est inter filium & patrem mortuum, inter graue & generans eius, quando mouetur deorsum; inter Deum & creaturam, &c.

Tertiò arguitur, Si Sacramentum operatur in instanti extrinsecè terminatiuo, sequitur quod possit Sacramentum habere suum effectum in anima separata, in instanti separationis; consequens est absurdum, ergo. Sequela prob. Quoniam contingere potest quod taliter ministretur Sacramentum homini morienti, vt idem sit instans extrinsecum sacramenti & separationis animæ; tunc ergo causabit sacramentum gratiam (siquidem susceptum fuit ab homine) & non causabit nisi in anima separata; ergo. Falsitas consequentis manifesta est, Quia tunc homo, qui in tota vita sua est in peccato mortali, posset in instanti quo iam non viuit, gratiam accipere, & saluari; quod omnino est impossibile.

Confirmatur, Peccatum potest incipere in tempore, saltem indeterminato, ergo & gratia. Antecedens probatur, Si quis habeat præceptum diligendi Deum ante mortem, fractio illius præcepti non est in instanti mortis, quia tunc iam non potest amittere gratiam, quam vsque ad illud instans habuit, neque ante aliquod instans mortis, quia inter quælibet duo instantia est tempus medium; ergo adhuc potest implere præceptum diligendi Deum in illo paruo tempore; ergo nondum fregit illud præceptum affirmatiuum, nec peccauit: si ergo peccat, in tempore illo indeterminato peccat, & non in instanti aliquo.

Respondetur, Negando sequel. Ad probationem Respondetur, Quod admisso illo casu, Anima illa separata non recipiet gratiam per sacramentum; quia illud instans extrinsecum pertinet etiam ad Sacramentum, vt terminus eius, & complementum significationis, sine quo operari non potest. Vnde cùm illud complementum sacramentale non attingat hominem viuum & viatorem, non habet in illo effectum. Neque refert quod totum motum & actionem sacramentalem susceperit; quia non suscepit illum completè, & cum suo termino, sed incompletè & inadæquatè sacramentaliter, licèt integrè quasi naturaliter & physicè in ratione successiui.

Effectus Sacramēti in Anima separata, nullus.

Ad confirmationem Respondetur, Negando antecedens; Ad probationem dicitur, Quod fractio illius præcepti contingit ante instans mortis; eo ipso quo homo sentit se appropinquare morti, & non curat elicere actum contritionis; taliter quod moraliter impossibilitatur ad diligendum Deum; sicut alia præcepta affirmatiua in eo instanti, quo primùm homo moraliter impossibilitatur ad implendum illud, frangitur, & non antè; vnde nec in tempore indeterminato.

Et eodem modo loquendum est de Martyrio, quod causat gratiam in homine, non in instanti separationis, sed in eo instanti, quo ineuitabilem dispositionem ad mortem homo habet ex vi martyrij; tunc enim martyrium habet completam rationem actus fortitudinis ex parte Martyris, & ita inducit omne quod naturaliter requiritur ad mortem; nec est necesse ipsam actualem mortem expectare, nec quod immediatè antè tale instans mortis detur; si enim tunc dari potest, cur non in instanti aliquo antè, in quo est iam ineuitabilis & necessaria dispositio ad mortem secundum viam naturalem, vt sic saluetur quod viatori detur gratia per martyrium, & in instanti, secundum modum incipiendi gratiæ.

Quartò arguitur, Tam consummata forma, quàm materia Sacramenti (v. g. Baptismi) potest incipere per vltimum non esse, ergo & gratia potest per vltimum non esse effici ab ipso Sacramento. Patet consequentia, Quia eo ipso quod existit sacramentum consummatum existit eius operatio, atque adeò gratia; & ita incipiente sacramento consummato, incipit & gratia. Antecedens autem probatur, Nam forma Sacramenti quoad vltimam particulam incipit per vltimum non esse, sicut incipit omnis motus, vt quando in forma Baptismi, quæ finitur *Spiritus sancti*, ly cti, quæ est vltima particula, incipit per vltimum non esse; ea autem incipiente, iam consummatur Sacramentum, seu incipit consummatio eius, & significationis totalis propositionis; atque ideò & operatio sacramenti.

Similiter & materia potest consummari per vl-

timum non esse, vt si ablutio sit talis, quæ propter sui paruitatem non sufficiat ad essentiam sacramenti; quæ autem immediatè pòst maior est, sufficiat, & ita terminetur quoad minimum extrinsecè, & consequenter sit verum dicere, Nunc non est sufficiens materia sacramenti, immediatè pòst erit sufficiens, & consequenter immediatè pòst incipiet Sacramentum.

Confirmatur, Necesse est signare aliquod instans in quo sit verum dicere, Nunc est Sacramentum; quia inconueniens est quod res aliqua realiter fiat, & in nullo instanti sit verum dicere de illa, Nunc est; sed hoc non potest de illo dici in instanti terminatiuo extrinseco, quia tunc est verum dicere, Nunc non est; ergo in aliquo intrinseco, & ita in illo operabitur sacramentum.

Confirmatur secundò, Quia in omni motu successiuo quando peruenitur ad terminum, aliqua datur instantanea mutatio, qua consummatur terminus illius motus; & talis mutatio instantanea est intrinseca ipsi motui, non quatenus ens successiuum est, sed quatenus est primum esse termini consummati & perfecti; & ideo dicitur vltimum mutatum esse motus; ergo in illo instanti intrinseco Sacramentum causabit gratiam, siquidem illud instans pertinet ad consummationem intrinsecam sacramenti, vt est in suo termino. Antecedens autem probatur, Quia per mutationem acquiritur in aliquo instanti aliquis terminus indiuisibilis, qui toto tempore antè non acquirebatur, nec erat acquisitus; vt in intensione acquiritur terminus caloris, vt duo vel tria: ergo necesse est dare talem instantaneam mutationem, quæ licèt sit primum non esse motus, quantum ad rationem successiui, est tamen intrinseca quantum ad rationem termini, & contactus ipsius actionis; & ita in hac gratia causabitur.

Respondetur ad principale Argumentum, negando antecedens; Ad probationem dicitur, Formam Sacramenti quantum ad certum ac determinatum sensum significationis, non perfici illo modo, nec intelligi quod sit determinatus & certus per illud vltimum non esse inceptionis; sed tunc incipit sensus propositionis consummari, non autem consummatus est, & ita nec sacramentum operatur; quia donec consummata est significatio, non operatur. Similiter non datur ablutio minima extrinsecè (sacramentaliter loquendo) quia sacramentum non habet pro materia quancumque ablutionem, sed determinatam & certam, & quæ sufficiat, moraliter loquendo, abluere, & sic non debet extrinsecè & indeterminatè talis ablutio incipere, sed determinatè & intrinsecè, aliàs sacramentaliter non incipit.

Ad confirmationem primam Respond. Verum esse dicere de Sacramento, Quod est toto tempore prolationis ad modum rei successiuæ, in qua idem est esse quod fieri, seu transire; & ita dum transit sacramentum, dicitur esse; non tamen dicitur esse perfectè & simpliciter, sed successiuè, & dependenter à particulis succedentibus; quæ si non ponantur, neque sacramentum erit; Sicut oratio est dum successiuè profertur, cum dependentia tamen à dictione subsequente, ita vt si illa non ponatur, nec oratio erit simpliciter & perfectè, sed solùm secundum suam inchoationem; in qua quidem inchoatione habet esse simpliciter successiuè & inchoatiuè, non simpliciter perfectè. In instanti autem terminatiuo extrinseco est verum dicere, Quod oratio & sacra-

A mentum est perfectum, & consequenter quod operatur; antè verò non est verum dicere, quod sacramentum est, ea existentia quæ requiritur ad operandum, sed ea existentia qua inchoatur successiuè.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod in omni motu datur vltimum mutatum esse, non continuum cum motu, sed illi extrinsecum, & solum contiguum; quia desinit in illo motus, & non est; & ita non pertinet ad continuitatem motus. Illud tamen mutatum esse, seu terminus sic acquisitus, non differt à motu entitatiuè; quia motus non est præter res ad quas est
B motus; differt tamen realiter formaliter; & in ratione entis successiui, motus totaliter perit, & est illi extrinsecum illud mutatum esse, sicut factum esse est extra fieri, licèt entitas motus & termini sit eadem materialiter.

DVBIVM SEXTVM.

Vtrùm Sacramenta validè suscepta, sed infructuosè, & cum obice ad gratiam, recedente obice & fictione, habeant suum effectum?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

PRo cuius intelligentia est notandum, Quod obex in Sacramentis potest esse, vel respectu
C Sacramenti, vel respectu effectus sacramentalis, qui est gratia: Respectu sacramēti datur obex, quādo ita fictè suscipitur sacramentum, vt sit nullū & inualidum. Et tunc manifestum est quod nunquam habet effectū, quia nunquam factum est sacramētum: Respectu effectus sacramentalis datur obex, quando sacramentum validè susceptum non habet effectum suum, propter affectum suscipientis ad peccatum mortale, nondum exclusum ac detestatum. Et tunc quærimus, An quando postea recedit obex, sacramentum antè susceptum habeat effectum suum; ita quod subiecto detur gratia, non solùm ratione illius dispositionis, qua tollit obicem, sed etiam ratione illius sacramenti quod antè suscepit.

Fictio ad Sacramentum, & ad eius effectum.

D Et quidem de Baptismo ferè certum est apud omnes, quod recedente fictione causet suum effectum. Est enim hæc expressa sententia D. Aug. lib. 1. de Baptismo cap. 12. & lib. 3. cap. 3. quæ fundatur in eo, quod Baptismus est initerabilis, & peccatum originale remitti non potest per aliud sacramentum, quàm per Baptismum; vnde oportet præcedentem Baptismum operari gratiam recedente fictione. Quod & amplius manifestatur; Quia si quis fictè susciperet Baptismum, & postea cum vera attritione confiteretur, & susciperet Pœnitentiam, iste talis sine dubio iustificaretur, & tamen originale peccatum, quod adhuc retinet, per Pœnitentiæ sacramentum non
E potest tolli; ergo tolletur per Baptismum tunc operantem.

Baptismi effectus sublato obice.

De aliis verò Sacramentis dubium est, An recedente impedimento habeant suos effectus? Et sententia D. Thomæ affirmat, quam expressè docuit in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 1. dicens, *Quod qui in confessione accedit fictus, recedente fictione consequetur fructum absolutionis; sicut & in aliis sacramentis*; licèt verum sit quod in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 3. ad 3. negauerit de Eucharistia, quod recedente fictione causet gratiam; quia non imprimit Cha-

De Eucharistia negat S. Thomas, aut verius de omnibus affirmat

racterem sicut Baptismus. Videtur tamen hoc A in dist. illa 17. retractasse dum id omnibus Sacramentis sine distinctione tribuit.

Et ratio esse potest, quia generaliter loquendo, Sacramenta semel validè suscepta cum obice subiecti, habent se vt causæ impeditæ ab effectu suo; omnia enim sacramenta habent eundem modum operandi, licèt diuersam necessitatem habeant; & ita eodem modo omnia operabuntur ex ratione sacramenti: Et cogimur ad ponendum quod omnia sacramenta operentur physicè recedente fictione; quia connaturale est causis physicis operari suum effectum, etiam si impeditæ sint, remoto impedimento: si ergo omnia sacramenta sunt causæ physicæ, omnia operabuntur physicè remota fictione. B

Item est connaturale causæ physicæ habere aliquem contactum, saltem virtualem, & ex illo relinquere subiectum modificatum & determinatum à tali causa; sacramentalis autem susceptio habet contactum virtualem sacramentalem cum intellectu, vt dicit D. Thom. in 4. dist. 4. quæst. 2. Vnde relinquit ibi modificatam determinationem intellectus, vel characterem, aut fidem; ergo debent Sacramenta remoto impedimento habere suum effectum; quia applicatio meritorum Christi sacramentaliter facta, licèt frustretur ex indispositione subiecti, tamen non est sublata per aliquam contrariam causam, sed manet quousque C subiectum remoueat indispositionem; omnis autem causa impedita solùm, & non exclusa per contrariam causam, habet effectum suum recedente impedimento.

Nec dici potest, Non manere iam causam, scilicet Sacramentum; Nam sicut manet Baptismus, & manet Pœnitentia in virtute, ratione scilicet illius determinationis, qua homo voluntariè voluit tale sacramentum suscipere; cur non & alia remanebunt ratione talis susceptionis voluntariæ? Et sicut actus voluntatis semel elicitus, virtualiter manet, & sufficienter influit in actus qui postea eliciuntur, licèt iam non existat ille D actus; sic & susceptio voluntaria sacramenti manet, non quomodocumque, sed modificata à Sacramento suscepto; & ita postea recedente fictione, sacramentum mediante tali modificatione operatur. Probabiliter ergo, & piè id credi potest de omnibus Sacramentis, etiam de Eucharistia. Quod magis ex congruentia quadam ducitur; vt videlicet quod aliis sacramentis conuenit, etiam Eucharistiæ, & omnibus aliis; ideo sufficit ad Argumenta respondere.

Soluuntur Argumenta.

Per quod Sacramentum tollitur fictio?

Obiicitur ergo primò, In Sacramento Baptismi; Si Baptismus habet suum effectum recedente fictione; ergo prius debet tolli fictio, quàm Baptismus operari; sed hoc est impossibile; ergo etiam quod Baptismus recedente fictione operetur. Maior certa est, Quoniam causa impedita nunquam potest operari, donec auferatur impedimentum; ergo prius debet impedimentum auferri, quàm causa impedita operari; ac adeò vt Baptismus per fictionem impeditus operetur, prius debet tolli fictio. Minor prob. Nam ille obex debet tolli per remissionem peccati, factam à Pœnitentia, & à gratia sanante; cùm enim obex sit peccatum, remissio illius est remissio peccati; impossibile est autem remitti peccatum per gratiam sanantem antequam habeat regenerantem, ergo neque potest tolli obex nisi prius sit quis regeneratus, atque adeò nisi prius habeat gratiam Baptismi, quæ est regeneratiua.

Neque valet dicere, Quod est prius illa remotio obicis per Pœnitentiam, non simpliciter, sed in quodam genere causæ, scilicet materialis; & ita neque prius est simpliciter remotio obicis, quàm gratia Baptismi. Contra hoc enim est, Quod obex ille, seu peccatum, cùm remoueatur per remissionem, oportet etiam quod remoueatur per gratiam; quia impossibile est intelligere remissionem peccati, nisi cum infusione gratiæ, cùm remissio ab infusione proueniat; ergo pro illo genere aut priori quo intelligitur remissum peccatum obicis, etiam gratia infusa intelligitur; ac adeò prius est gratia sanans & remouens obicem, quàm gratia regenerans, quæ non nisi remoto obice poni potest.

Respondetur, Quod sicut gratia sanans & regenerans & tollens obicem, entitatiuè & specificè est eadem, licèt diuersas formalitates habeat; ita non repugnat in eodem instanti, secundum omnes istas formalitates infundi; ita tamen quod secundum vnam formalitatem præsupponatur ad seipsam secundum aliam. Si ergo quis per Sacramentum Pœnitentiæ tollat fictionem Baptismi, & accipiat gratiam sacramentalem sanantem; vtrumque sacramentum concurrit in eodem instanti ad productionem illius, vnumquodque tamen secundum eam formalitatem, qua potest & debet alterum præcedere. Vnde quantum ad hunc effectum, qui est tollere obicem, seu remittere peccatum sub formalitate obstantis Sacramento Baptismi, sic prius Pœnitentia operatur, sed pro tunc non intelligitur completè & plenè gratia in subiecto, sed solùm secundum quid, & secundum vnum effectum ac formalitatem.

Nec concedendum est, Quod pro illo priori quo remouetur obex, à Pœnitentia detur gratia vt sanans, sed vt remouens prohibens, & vt causa per accidens respectu gratiæ Baptismi, vt dicit D. Thomas quæst. 69. art. 10. ad 2. Gratia autem vt sanans directè producitur à Pœnitentia, sed post effectum Baptismi. Vt tollens autem obicem, tollit peccatum baptizati sub duplici formalitate; & vt impeditiuum regenerationis, & sic non sub ratione sanantis; & vt hominis Christiani vulnus, de se lædentis regenerationem inchoatam, & per gratiam non perfectam, & sic tollitur per gratiam sanantem. *Pœnitentia vt operetur tollendo obicem.*

Secundùm verò quod illa gratia remittit pec- E cata ante Pœnitentiam, & regenerat nouam creaturam, sic intelligitur à Baptismo prodire; secundùm verò quod sanat hominem post Baptismum infirmum, & sanando auget baptismalem gratiam, sic procedit à Pœnitentia. Quare licèt eo ipso quod tollitur obex, tollatur omne peccatum, & infundatur gratia, non tamen tollitur sub omni formalitate, sed sub ea qua talis causa postulat; & ideo non tollit formaliter loquendo peccatum originale, quia hoc formaliter tollitur per gratiam vt regenerantem, & consequenter secundum formalitatem qua correspondet Baptismo.

Et si instes, Nam pro illo priori, quo remouetur obex, peccatum originale est incompati-

bile cum gratia, vt remouente obstaculum, & remittente illud; ergo pro illo priori tollitur peccatum originale, & sic non relinquitur postea tollendum per Baptismum. Respondetur, distinguendo antecedens; Pro illo priori est incompatibile peccatum originale, realiter & materialiter, concedo; secundum prioritatem naturæ & formaliter, nego. Nam licèt in re tunc non compatiatur peccatum, tamen intellectus inueniens ibi diuersas formalitates, abstrahit, & inadæquatè considerat gratiam secundum illam formalitatem, qua adhuc plenè & completè non excludit peccatum originale, & ei est incompatibilis, sed secundum illam formalitatem, qua excludit obicem impeditiuum talis exclusionis peccati originalis; sicut eadem forma, quæ dat gradum vegetatiuum & sensitiuum & rationalem, secundum quod dat gradum vegetatiuum, non intelligitur exclusus gradus irrationalitatis, & tamen cum illa forma est incompatibilis ille gradus, in re quidem, non tamen sub illa formalitate, quæ dat gradum vegetatiuum; & differentiæ vt sic non repugnat prædicari de pluribus specie differentibus, quod tamen repugnat differentiæ vt tali. Et similiter dispositio vltima supponit formam in subiecto in genere causæ formalis, ad quam sequitur illud accidens, licèt in genere causæ materialis sit è conuerso; & in omni genere causarum id inuenitur. Sic gratia vt tollens obicem, seu remouens terminum à quo, sequitur ad gratiam formaliter; & in genere materialis dispositionis præcedit gratiam vt regenerantem & sanantem.

Nec inconuenit gratiam respici à diuersis virtutibus & formalitatibus, secundum diuersas prioritates, quæ non sunt aliud quam diuersæ dependentiæ. Sic ergo bene stat, quod eadem forma, cum qua alia est incompatibilis, sub quadam formalitate & præcisione considerata non intelligatur vt repugnans, & sic se habet peccatum originale respectu illius gratiæ & effectuum eius.

In qua mensura detur gratia quando recedit fictio?

Secundò obiicies, Recedente fictione, vel redit totus effectus correspondens Sacramento fictè suscepto ex opere operato, vel non redit totus, sed solùm pars aliqua; si non redit totus, ergo solùm redibit ille, qui correspondet præsenti dispositioni, qua quis remouet obicem; Nam aliunde non habet determinari effectus ille; hoc autem non est dari effectum ex opere operato, sed ex opere operantis, siquidem solum datur vt correspondens huic dispositioni, & secundum mensuram eius, non autem vt correspondet Sacramento prius suscepto: si autem redit totus effectus.

Contra est primò, Quia aliàs, qui reciperet millies & plus Sacramenta informia si postea per vnum actum deuotionis recipiat sacramentum formatum, erit æqualis conditionis cum eo, qui suscepit sacramenta omnia formata; & melioris conditionis erit, si quando sacramentum formatum suscipit, cum aliquanto intensiori deuotione suscipiat, quàm alius, qui semper formatum suscepit; Consequens autem est absurdum. Sequela verò patet, Quia iste suscipit modò effectus omnium præcedentium sacramentorum informium; ergo æqualem habet gratiam cum eo, qui suscepit formata.

A Secundò facit contra hoc, Quia ideo Baptismus operatur recedente fictione, quia est medium necessarium ad tollendum originale peccatum, quod non nisi per Baptismum tolli potest; & similiter actualia ante Baptismum commissa; sed ad hoc non est necessarium quod detur per Baptismum distincta gratia ab ea, quæ datur per Contritionem & Pœnitentiam, sed solum quæ detur in ratione regenerantis, ergo non est necesse quod redeat totus effectus, & distincta gratia ab ista, quæ dispositioni præsenti correspondet. Minor patet, Quia per hoc sufficienter saluatur operatio & necessitas Baptismi recedente fictione.

Confirmatur, Nam si homo recipiat gratiam in Baptismo, & postea illam per peccatum amittat, illa numero gratia amissa non est ei amplius B debita, nec tota debet restitui, si postea resurgat, sed secundum dispositionem præsentem; ergo similiter si fictè suscepit Baptismum, non est ei debita illa gratia impedita, & ita non oportet vt tota restituatur.

Confirmatur secundò, Nam si ponamus hominem, qui fictè suscepit Baptismum; & postea conteritur contritione vt duo; alius autem ante Baptismum eadem contritione conteritur, ille primus habebit æqualem gratiam cum isto; quod est omnino absurdum; nam aliàs prodesset ei indigna & sacrilega susceptio Baptismi, vt maiorem gratiam haberet. C

Denique confirmatur, Quia qui semel suscepit gratiam per vnum sacramentum, postea ad reuiuiscentiam talis gratiæ non concurrit per se sacramentum susceptum; ergo neque quando est impeditum sacramentum concurrit postea ad dandam gratiam. Patet consequentia, Nam si attendamus ad virtutem sacramenti, eodem modo manet in suscipiente cum obice & sine obice; ergo ex hac parte non repugnaret concurrere: Si verò attendamus ad subiectum, eodem modo disponitur ad tollendum obicem gratiæ impeditæ, & ad resurgendum in perdita; ergo vel in neutro concurrit sacramentum, vel in vtroque.

D Respondetur ad principale Argumentum, concedendo quod redit totus effectus, qui Sacramento correspondere debebat ex opere operato; Quia cùm fictè susceptum fuit, sine dispositione aliqua mensurante sacramenti effectum, & applicante, ipsum sacramentum fuit susceptum, vnde solùm poterit dare illum effectum, qui præcisè ex opere operato dari debet, qui est minimus, qui à sacramento dari potest. *Effectus Sacramenti fictè suscepti, minima gratia quam ex opere operato producit.*

Ad improbationem huius Respondetur, Quod in modo quo Sacramentum fictè susceptum dat gratiam recedente fictione, diuisi sunt Auctores: Quidam enim dicunt, Præsentem dispositionem respectu Sacramenti antecedentis fictè suscepti, solum se habere vt remouens prohibens; & consequenter Sacramentum recedente tali fictione solum operari gratiam minimam quam potest. Alij vero dicunt, Quod Sacramentum fictum recedente fictione operatur secundum quantitatem præsentis dispositionis, ita quod illa dispositio efficitur propria sacramenti non impediti, & iuxta illam dat effectum suum; licèt quantum est ex se, & attendendo ad modum, quo fuit realiter susceptum, non deberet nisi E *Aliàs pro præsentis dispositionis modo, & qua tollitur obex.*

minimam gratiam dare.

Et in hac quidem sententia, Dicendum est quod ille qui suscipit Sacramenta formata, est simpliciter melioris conditionis, quia præparat se maiori gratiæ, & vt melius operetur; per accidens autem, scilicet quia iste non se melius disposuit, & alius habuit æqualem dispositionem præsentem cum illa, qua alter semper se disposuit, ideo æqualem cum illo gratiam accipiet; sicut contingere potest in opinione illorum, qui dicunt charitatem augeri solùm secundum intensiores actus, & non secundum remissos, etsi multiplicatos.

Auctoris prior Sententia.

In alia verò sententia, quæ verior videtur, Dicendum est quod Sacramento semel sine dispositione suscepto, non datur ius nisi ad minimam gratiam, ex vi illius susceptionis informis. Dispositio verò postea tollens obicem, non comparatur ad illud Sacramentum vt eius mensura, sed tantum vt obicem tollens; quia cùm non coniungatur ipsi sacramento, non applicat illud ad agendum, sed iam applicatum supponit; vnde cùm sit applicatum sine dispositione, & hæc superueniens dispositio iam non applicet ipsum, habet se solùm vt remouens prohibens respectu agentis iam applicati, & dispositio negatiua, non vt positiua, & positiuè applicatur; præsertim quia illa dispositio tollens fictionem, non est dispositio ad sacramentum & eius susceptionem, sed ad effectum sacramenti; vnde non tribuit etiam dispositiuè maiorem efficaciam, seu modum applicationis ipsi sacramento. Et sic melioris conditionis est, qui semper formata Sacramenta suscipit; quia in hoc applicantur semper melius sacramenta: & ideo melius operantur, non sic quando applicantur sine dispositione.

Sed adhuc obiicies, Illa virtus Sacramenti, quando operatur recedente fictione, inuenit subiectum dispositum dispositione positiua, & non solùm remotiua; ergo cùm sit efficax causa gratiæ, producet in illo secundum mensuram dispositionis eius; & non solùm minimum quod potest.

Respondetur, Quod inuenit subiectum dispositum dispositione positiua & positiuè applicante ipsam virtutem Sacramenti, nego; positiua respectu alterius causæ, & remotiua respectu sacramenti iam applicati, & virtutis ab eo applicato relictæ, concedo. Quare cùm virtus illa sit sacramenti iam applicati, & semel applicatum habeat virtutem determinatam, consequenter quando superuenit postea dispositio, solùm est remotiua impedimenti, non datiua, & applicatiua ad gratiam.

Ad secundam probationem, negatur minor; Nam peccatum originale tolli non potest sine infusione gratiæ, & ideo Sacramentum per se respiciens remissionem originalis, per se respicit infusionem gratiæ; cùm autem sit per se causa sufficiens operatiua gratiæ, ex eo quod coniungatur alteri sacramento, etiam causanti gratiam, vel contritioni, non debet fraudari suo effectu; crescere enim potius debet ex adiunctione ad talem causam; sicut etiam quando sacramentum suscipitur cum contritione; non sufficit quod eadem gratia, quæ contritioni correspondet ex opere operantis, correspondeat etiam sacramento ex opere operato; sed oportet quod sit noua gratia, cùm sacramentum de se sit causa operatiua gratiæ, quæ deficere non debet, ex eo quod coniungatur optimæ dispositioni. Sic cùm duo Sacra-

A menta applicantur, vnum antè susceptum, aliud modò, non debet aliquod illorum priuari suo effectu, sed vtrumque gratiam debet causare, atque adeò diuersus gradus debet correspondere vni & alteri.

Ad primam confirmationem, Respondetur, Quod in opinione eorum, qui dicunt reuiuiscere merita quoad omnem suum effectum, nulla est difficultas in Argumento; tunc enim, sicut tota manet in acceptatione Dei, sic tota est debita, si ipse obicem & peccatum abstulerit. In alia verò opinione, quæ dicit totam gratiam semel amissam manere in acceptatione Dei, realiter verò non dari nisi secundum præsentem dispositionem, Di- B cendum est quod tota gratia est debita, & quod realiter non detur, est per accidens, quia subiectum non plenè se expediuit in ordine ad totum effectum mortificatum, siquidem parum se disposuit.

In quacumque verò opinione Dicimus esse diuersam rationem de gratia nunquam data, sed impedita per fictionem, & gratia iam data & amissa: quoniam semel data & amissa solùm manet in acceptatione Dei, non verò in applicatione alicuius causæ certæ & determinatæ. Ex quo fit, quod illa quæ manent in acceptatione Dei, realiter applicantur iuxta realem dispositionem & capacitatem subiecti ad illa, quia non est alia causa à qua determinentur, quoad realem applicationem meritorum.

Merita reuiuiscentia non omnino similis operationi Sacramenti remoto obice.

C Quæ autem manent in applicatione alicuius causæ, non solum secundum dispositionem Dei, sed secundum applicationem talis causæ debent dari; & ideo totus effectus causæ sic applicatæ datur, non verò totus effectus gratiæ amissæ. Et quia talis causa applicata iam est, & dispositio qua fictio tollitur, non se habet vt applicans illam, sed applicatæ superuenit vt tollat eius impedimentum, manifestum est quod determinatio effectus dandi per illud sacramentum, ex dispositione qua applicatum est, non ex remouente obstaculum est danda; quia verò nulla fuit applicans dispositio, dabit minimum effectum quem potest.

Quod si instes; Qui tollit obicem, tollit formam contrariam gratiæ; sed quantò aliqua dispo- D sitio magis tollit de forma contraria, tantò magis inducit de alia; ergo quantò maior fuerit dispositio tollens obicem, tantò maior dabitur gratia à sacramento.

Respond. Quod obex ille, & est obex respectu effectus sacramenti, & est obex respectu causæ talis effectus & applicationis, ac operationis eius. Secundum quod est obex effectus sacramenti, sic quantò tollitur magis, tantò magis opposita forma datur: secundum verò quod est obex operationi sacramenti, non quantum tollitur, tantum datur gratiæ à sacramento; quia causa non mensurat suum effectum cum modo, quo E obex tollitur, sed cum modo quo applicatur; & cùm tollatur obex causæ iam applicatæ, dat effectum sacramentum eo modo quo applicatum fuit, non quo obex tollitur.

Vel potius dicendum, Quod dispositio remouens fictionem, si sit attritio cum Sacramento Pœnitentiæ, mensurat gratiam à Pœnitentia dandam, & non potest mensurare aliud sacramentum, cùm sit tantum vna dispositio; si verò sit contritio extra sacramentum, probabile est mensurare effectum sacramenti informis.

Ad secundam confirmationem Respondetur,

Illum qui fictè suscepit Baptismum, & postea habuit contritionem vt duo, æqualem aut meliorem effectum habere cum eo, qui non suscepit Baptismum; quia licèt in susceptione illa Baptismi peccauerit, & quantum est ex parte sua sacrilegium commiserit; tamen applicauit sibi causam, quæ ex parte Dei est efficax ad dandam gratiam, & propterea habet maiorem fructum remoto peccato, quod commisit, quia tunc, & habet ex parte sua dispositionem, sicut alius, & ex parte Dei causam infallibilem gratiæ.

Sacramẽti effectus semel amissus, nõ redit; sed impeditus sublato obice prouenit.

Ad vltimam confirmationem, negatur consequentia; Ad probationem dicitur, Quod quando Sacramentum habuit semel suum effectum, non potest iterum operari, quia virtus eius in effectu cessauit; amissio autem gratiæ semel susceptæ non est obex virtuti sacramenti, sed est destructio eius à subiecto; vnde virtus eius non manet amplius impedita; Et ita quando homo resurgit ad gratiam semel habitam, non tollit aliquem obicem ipsi sacramento positum, siquidem sacramentum iam operatum est; sed tollitur aliquid quod destruxit effectum eius; vnde ipsum sacramentum, sicut non ordinatur ad duos, sed ad vnum duntaxat effectum, vt instrumentum diuinæ virtutis, ita neque amplius potest alium effectum habere, si ille, quem dedit, destruatur; at verò quando fictè suscipitur sacramentum, impeditur virtus eius, ne effectum habeat, non effectus ipse destruitur; vnde cùm necdum habeat eum effectum, ad quem à Deo determinatur, ideo remoto obice potest illum habere; destructo autem effectu a Deo determinato, non est necesse alium habere, quia non hoc modo ordinantur à Deo sacramenta, nisi tantum ad vnum effectum.

An Sacramenta causent physicè, vel moraliter recedente fictione?

3. Arguitur, Sacramenta semel suscepta recedente fictione non operantur physicè gratiam, ergo, neque ex opere operato sacramentaliter. Patet consequentia, Quia quando non operantur physicè sacramenta, neque ex opere operato causant, Antecedens patet, Quia sacramentum recedente fictione iam non existit, ergo neque physicè operatur.

Nec valet dicere, Quod operatur media sua virtute: Nam licèt in Sacramentis imprimentibus Characterem, per illum videantur gratiam operari, quod tamen non est certum; in aliis tamen Sacramentis nullam relinquunt virtutem, per quam operentur; Nam Sacramenta præter gratiam aut characterem, nihil aliud in subiecto imprimunt: Illud enim, vel est aliquid spirituale, & hoc non apparet quidnam sit; siquidem non est aliquid in potentiis receptum, cùm non sit habitus, aut dispositio melior, quia eodem modo se habent potentiæ sicut antea; neque aliquis actus, vt patet, neque qualitas pertinens ad essentiam animæ; hoc enim præter gratiam non apparet quid sit; vel aliquid corporale, & hoc non habet apparentiam; neque apparet in qua parte corporis sit; præterquam quod sine causa multiplicantur illæ entitates, vt qui quotidie suscipit sacramenta, quotidie habeat nouos omnitus & qualitates; ac denique quia non constat quod hoc, quod relinquitur, à Deo assumatur vt instrumentum physicum gratiæ.

A Confirmatur, Nam actio illa, qua quis accessit ad Baptismum, est peccaminosa; & quod virtualiter manet in illa, est virtuale peccatum, ergo nequit causare gratiam, neque a Deo assumitur vt instrumentum gratiæ, quamuis recedat fictio; Patet consequentia, Nam recedere fictionem, est virtualem illam actionem retractari, & deleri a subiecto, ergo non potest causare gratiam, neque à Deo assumi, vt instrumentum gratiæ; præterquam quod Sacramenta ex virtute Christi, & institutione eius, & applicatione passionis ipsius operantur; passio autem Christi non applicatur actioni, seu virtuti ex sacrilega susceptione sacramenti, sed ipsi reali Sacramento, ergo postea non causant recedente fictione.

B Confirmatur secundò; Quia opus mortuum nunquam viuificatur; talis autem sacrilega susceptio est opus mortuum, ergo nunquam viuificatur.

Confirmatur tertiò, Nam Sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ, & similia sunt iterabilia, ergo nulla est necessitas, quod semel collatum Sacramentum postea effectum præstet, cùm aliud suscipi possit loco illius, quod det effectum illum, quod non curtit in Baptismo, & in aliis, quæ non possunt iterari.

Suaris opinio, Sacramenta non esse instrumẽta physica gratiæ, sublato obice. Auctoris opposita Sent.

Respondeo, Quod etsi Suarez disputatione 28. sect. 4. ad finem, neget Sacramenta, quæ recedente fictione conferunt effectum, conferre illum vt C instrumenta physica (quod esse probabile reputat Nuño, quæst. 62. art. 1. difficultate.)

Oppositum tamen verius videtur, siquidem tunc causatur gratia ex opere operato per Sacramenta Euangelica, & per applicationem passionis Christi; omnis autem causalitas moralis non eleuat Sacramenta Euangelica supra rationem signi, & modum operantis Veterum Sacramentorum, ergo diuersum modum operandi habent; si autem Deus non vtitur virtute sacramentorum, seu sacramentis virtualibus, sed se solo illam causat; Vel concurrit tunc physicè Christi Passio, vel non? non potest dici quod non concurrit; cùm sit in- D strumentum omnis gratiæ, si autem instrumentaliter concurrit passio Christi iam præterita, & solum virtualiter nunc manens; cur non & sacramenta virtualiter manentia, quæ sunt instrumenta separata meritorum Christi, & recedente fictione applicant illa merita? Vide D. Thomam qu. 69. art. 10. comparantem hunc modum dandi effectum in Baptismo præterito, ei qui datur in motu grauis, ex vi generationis præteritæ ipsius; forma enim rei genitæ perficit effectũ generantis: sic actio sacramentalis relinquens characterem, aut hominem subiectum sacramento, & illi determinatum mediante hoc effectu, causat gratiam obice remoto. Eleuatur autem ille effectus relictus non simpliciter sed ratione actionis sacramenta- E lis, cuius est effectus; & sic illa actio virtualiter manet, non solùm physica entitatiuè, sed vt sacramentalis, & eleuatiua in suo effectu seu determinatione, & remoto obice operatur.

Virtus relicta ex Sacramento suscepto.

Dicimus ergo, Quod illa virtus relicta à Sacramentis, & determinatio passiua subiecti, qua voluntariè se subiicit Sacramento; & ab ipso modificatur, talisque susceptio physicè manet, & ratione illius physicè sacramentum potest causare obice ablato. Sed est differentia, Quod in Sacramentis imprimentibus Characterem, ex subiectione ad talia sacramenta deputatur homo ad aliquam specialem actionem vel passionem, &

ideo media aliqua qualitate ad id determinatur; in aliis autem Sacramentis non deputatur specialiter ad aliquam actionem aut passionem; & ideo per illam susceptionem solùm modificatur sacramentaliter talis susceptio; Et sicut non est inconueniens, quod homo multiplicando actus suos maneat multipliciter virtualiter modificatus & determinatus; sic nec est inconueniens, quod multiplicando susceptiones sacramentales maneat virtualiter sacramentaliter determinatus multipliciter.

Virtus illa in voluntate, vel e potius in intellectu.

Illa autem virtus videtur manere in voluntate, qua se determinauit ad illam susceptionem, Sicut enim virtualiter manet affectus illi sacramento, quod semel suscepit, ita & vicissim sacramentum modificat talem virtualem affectum; vt sit affectus sacramentalis, habens applicatum sacramentum, vel potius in intellectu, quo per fidem voluit vti symbolo protestatiuo Christianæ Religionis. Vide D. Thom. in 4. dist. 4. qu. 3. art. 2. quæstiunc. 2. vbi ait, *Quod contactus sacramenti fit per intellectum, quem contactum facit fides*; Et Auctor sermonis, de Passione apud Cyprianum, *Licèt indigni sint, qui recipiant, reuerentia tamen Sacramentorum propinquiorem ad Deum parat accessum*: Hoc autem non est magis inconueniens, quod assumatur à Deo vt instrumentum quoddam, quam quod assumatur Passio Christi, virtualiter nunc manens in Humanitate eius, & voluntate qua se obtulit Patri, & sanctificauit nos.

Aliorum duplex opinio impugnata.

Nihilominus tamen Alij dicunt, Assumi à Deo pro instrumento actum, quo homo se disponit, vt recedat fictio, qui concurrit virtute præcedentis sacramenti; Alij dicunt, Etsi non existat Sacramentum, sufficere tamen quod extiterit aliquando, vt assumatur à Deo; quia sicut diuina virtus non est determinata ad distinctionem loci, ita nec ad distinctionem temporis; & ita conditio hæc existentiæ in causa efficienti suppleri potest à Deo, seu præsentia huius durationis, sicut & contactus localis.

Vtrique tamen non bene loquuntur; Primi quidem, Quia actus ille est dispositio tollens obicem sacramenti, non verò sacramentum formaliter aut virtualiter, cùm non sit aliquid ab eo relictum, sed aliquid ei superueniens, & obicem tollens, ergo non assumitur vt instrumentum, sed virtus aliqua a sacramento relicta, seu aliquid vice eius perseuerans assumi debet. Secundi verò, Quia quod nihil est formaliter nec virtualiter, & nec in se est neque in sua virtute, nequit recipere motionem causæ principalis, ergo nec agere vt instrumentum; Sicut enim agere sequitur ad esse, in his quæ agunt per formam, ita in his quæ agunt per motionem; vtrobique enim oportet esse causam in actu, quæ operetur.

Sed obiicies, Virtus Sacramenti informis non manet, ergo non relinquitur aliquid quod dici possit sacramentum virtualiter. Patet antecedens, Nam virtus sacramenti est motio supernaturalis, qua sacramentaliter mouetur à Deo; Sacramentum autem informe non recipit hanc motionem, ergo non habuit aliquam virtutem, quam reliquerit in subiecto; non enim Deus efficaci motione eleuauit sacramentum informe.

Virtus mouens, & eleuabilis.

Respondetur, negando antecedens; Ad probationem distinguo antecedens; Virtus sacramenti est motio supernaturalis, virtus intentionaliter constituens sacramentum in ratione completiua & efficaci instrumenti, concedo antecedens; vir-

A tus quæ ex susceptione sacramenti relinquitur in suscipiente, quæ est virtus eleuabilis, & sic sacramentalis non eleuatiua, seu determinatio eius sacramentalis, nego; & prima non manet, neque communicata fuit nisi inchoatiuè sacramento informi, secunda verò relicta fuit ab eo, & in eius virtute sacramentum potest operari. Prima autem virtus non permanenter datur, sed transeunter & intentionaliter, nec relinquitur ex susceptione sacramenti, sed ei à Deo agente imprimitur.

Et si iterum dicas, Nam Deus supplere potest distinctionem loci in causis, ergo & distinctionem temporis. Respondetur, negando consequentiam, Nam distinctio loci est conditio extrinseca agenti,
B pertinens ad eius applicationem ad agendum; distinctio verò temporis, est conditio intrinseca pertinens ad actualitatem formæ.

Ad primam confirmationem Respondetur, Illam susceptionem, & affectum ad Sacramentum, habere duplicem rationem; vno modo secundum quod est actio regulabilis à religione, & ab ipsa elicita; alio modo vt est voluntaria susceptio sacramenti, abstrahendo à modo debitæ vel indebitæ susceptionis, sicut dicit Diu. Thomas de Charactere, quod non datur ad bene vel malè vtendum Sacramentis determinatè, sed ad vtendum absolutè; sic ergo illa actio, quatenus est indebita susceptio tollitur, vt sacramentum operetur, per hoc quod debita dispositio ponitur;
C quatenus autem est susceptio sacramentalis, per contactum suum in intellectu mediante actu fidei, sic operatur in virtute eius recedente indebita dispositione; & hæc modificatio contactus semper cadit super aliquam determinationem passiuam relictam in anima, seu in intellectu, qua homo se determinauit, vel implicitè vel explicitè ad suscipienda sacramenta, vel hoc sacramentum. Quod si ista determinatio corrumpitur, quatenus se habet vt dispositio vel habitus, non tamen corrumpitur prout est determinatio characteris. Character enim indelebiliter est determinatus ad sacramenta validè suscipienda, vnde
D modificat actus, quibus homo ad sacramenta se determinat, & ex talibus actibus relinquitur etiam actu, vel virtualiter determinatus character, non per habitum sibi superadditum, sed per modificationem, quia character non habet producere actus, sed modificare; & ista modificatio est etiam perpetua, quia non est à quo corrumpatur; si autem aliquis nullum habuit actum, modificat sacramentalis susceptio ipsos habitus, vel characterem, & cadit super determinationem habitualem, & non virtualem.

Quòd autem dicitur, Passionem Christi non applicari, nisi Sacramento. Concedimus hoc verum esse; sed sicut applicatur sacramento suscepto, non autem sacramento vt sic; ita & susce-
E ptioni eius, in qua virtualiter sacramentum manet; totum enim id pertinet ad sacramentum; & sic agendo per illam virtutem & determinationem, agit per sacramentum.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod illa actio, vt procedit irreligiosè a suscipiente, nunquam viuificatur vt autem modificatur à Sacramento, vt a quodam instrumento Christi ex opere operato eius, sic recedente indispositione operatur, & sic dat vitam subiecto.

Actio ex se mala, vt dispositio ad gratiam Sacramenti remoto obice.

Ad tertiam confirmationem dicitur, Quod ratio quare Sacramenta operantur recedente fi-

ctione, non fundatur solum in necessitate talis sacramenti, sed in natura sacramentorum; quæ sunt causæ physicæ gratiæ, & applicatæ simul subiecto, si impediantur à suo effectu, oportet accedente fictione illum habere; & hoc vniuersaliter currit de omnibus sacramentis.

Ratio cõmunis omnibus Sacramẽtis.

Et præterea, Quia si in aliquo Sacramento sufficienter remanet in subiecto, cui semel applicatum est, vt recedente fictione possit operari; quidni & in aliis, quæ sunt similiter causæ gratiæ, remanebit itidem in subiecto sufficienter, vt recedente impedimento operentur? Necessitas enim illorum aliquid extrinsecum est, & veluti ratio finalis, in aliquibus sacramentis; ratio autem propria & quasi intrinseca est, quod virtualiter in subiecto manent, dum impediuntur, quæ ratio in omnibus currit, etsi tanta necessitas desit.

In omnibus Sacramentis aliqua necessitas, vt informia valeant.

Præterquam quod in omnibus necessitas interuenit; Nam Eucharistia, quæ magis iterabilis est, cùm sit necessaria decedentibus, quia si aliquis fictè illam suscepit, & postea copiam non habeat eam sumendi, sed tamen conteratur, aut confiteatur, oportebit fructu Eucharistiæ non carere; & simile quia in Confessione informi. Reliqua autem sacramenta, aut simpliciter, aut pro aliquo statu non sunt iterabilia, & ita oportet non fraudari effectu suo.

DVBIVM SEPTIMVM.

Vtrùm sit possibile quod res corporalis, sicut Sacramentum, sit physicum instrumentum productionis gratiæ?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

PRo cuius intelligentia, Notandum est in conclusione duas inuolui quæstiones, quas seorsum oportet tractari; Prima de productione instrumenti, quantum ad substantiam; An scilicet possit instrumentum aliquod attingere substantiam ipsam gratiæ, vel solum vnionem eius ad subiectum, aut dispositionem aliquam ex parte subiecti ad gratiam? Secunda est de productione instrumenti, quantum ad modum, An scilicet recipiendo præuiam motionem à causa principali, & etiam in se aliquam habendo operationem propriam, vel alio modo.

Instrumentum corporale attingit gratiam in se, & non solam vnionem.

Et quantum ad primum dicimus, Quod bene potest per instrumentum aliquod attingi gratia, & spiritualis qualitas in se, & non solùm vnionem eius aut dispositionem attingendo, vt volunt Aliqui, fundati in Diu. Thoma in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstione 1. vbi clarè dicit, *Quod instrumentum gratiæ, etiam instrumentaliter non pertingit ad ipsam iustificationem, seu ad vltimum effectum, quod est gratia, sed solùm ad aliquam dispositionem, quæ est necessaria ad ipsam gratiæ susceptionem.* Et idem apertè asserit in dist. 8. quæst. 1. art. 3. ad 5. vbi ait, *Quod virtus agentis principalis respicit principaliter terminum ad quem, sed virtus causæ instrumentalis non attingit ad terminum ad quem, sed habet operationem suam in his, quæ sunt circa terminum à quo; sicut qualitates actiuæ elementales non attingunt ad Animæ rationalis introductionem.* Et idem ait in 4. ad

Sacramẽtorum causalitas variè diuersis exposita.

A Anibal. distinct. 1. quæst. 1. art. 4. dicens, *Quod instrumenta non causant gratiam influendo, sed disponendo.*

Neque dici potest, Quod in his locis loquitur S. Thomas de operatione Sacramenti secundum propriam formam, non autem de operatione sibi communicata a principali agente; hoc, inquam, dici nequit; tum quia in 4. Sentent. dist. citata expresè distinguit ista duo; & de operatione instrumentali, vt instrumentalis est, dicit terminari ad dispositionem, non ad gratiam, tum quia secundum propriam operationem influendo operantur instrumenta, & non disponendo, siquidem operantur per propriam formam; vnde si negat sanctus B Thomas quod operantur influendo, loquitur de instrumentis secundum operationem sibi communicatam à principali agente; Nam secundum sibi propriam certum est influere.

At verò Alij, Quia putant gratiam creari, & non educi de potentia subiecti, censent Sacramenta non esse instrumenta attingentia ipsam gratiam in ratione qualitatis & entitatis; attingere tamen vnionem eius ad subiectum, & hoc quod est hominem esse gratum; sicut homo per generationem non attingit entitatem Animæ rationalis, & eius esse, sed communicationem eius cum corpore; sic existimant attingi per Sacramenta vnionem gratiæ ad animam, non autem produci per Sacramenta ipsam entitatem, & esse gratiæ.

C Omittimus enim modum explicandi hanc sententiam, Quod scilicet sine productione aut vnione alicuius qualitatis, quia scilicet esse Deo gratum sine qualitate intelligi potest, per hoc quod Anima sit Deo dilecta & amica. Hic enim modus iustificandi sine qualitate infusa & inhærente, reprobatus est in Concilio Trident. sessione 6. canone 11. Præterquam quod nequit intelligi physicum instrumentum, & physica causalitas circa gratitudinem extrinsecam Animæ, seu circa gratitudinem, quæ non consistat in intrinseca immutatione, sed in extrinseca acceptatione Dei; cùm ad hanc extrinsecam acceptationem nulla D possit causalitas physica pertingere; tum vt tenet se ex parte Dei, quia est quid increatum; tum prout tenet se ex parte hominis, quia si nihil intrinsecum in eo ponit, extrinsecum quid est, & non attingit actione physica, sicut neque qualibet alia extrinseca denominatio.

Sacramẽta verè attingũt ipsam substantiã gratiæ, & non solam vnionem in Anima.

Igitur vterque modus explicandi causalitatem physicam circa gratiam probandus non est, sed Asserendum, quod per instrumentalem actionem producitur in entitate, & esse gratiæ; & pro fundamento huius duo attendenda sunt; Primum, Quod gratia non creatur, propriè loquendo de creatione; Secundum, Quod potest actio instrumentalis alicuius creaturæ, etiam corporalis, attingere entitatem gratiæ: Primum manifestum E est, Quia creatio est propriè subiecti subsistentis in esse; quod autem in eo non habet esse, sed in subiecto, propriè non creatur, sed ex subiecto educitur, vt expresè ostendit S. Thom. 1. p. q. 45. art. 4. Nam fieri ordinatur ad esse; ergo illius propriè erit fieri, cuius est esse; & eius erit propriè totaliter fieri, seu ex non præexistente, cuius est propriè totaliter esse, & non dependenter ab aliquo præexistente; cùm ergo creari sit quoddam fieri, & non solùm quomodocumque fieri, sed fieri ex non præexistente; consequenter illi propriè conuenit quod habet esse independenter à subiecto, seu à præexistente; hoc

hoc autem conuenit rei subsistenti solùm in se; non verò inhærenti, & pendenti in esse ab alio; quia quod pendet in esse ab alio, pendet à præexistente, & sic non fit ex nihilo.

Vt ergo aliquid fiat creatione aut actione, quæ non pendet à præexistente, impossibile est quod terminetur ad accidens, vt inhærens; gratia autem qualitas est inhærens in Anima, & non substantia, quia vt definitur in Concil. Trident. session. can. 7. 11. *Iustificari debent homines gratia & charitate, quæ per Spiritum sanctum diffundatur, & inhæreat in cordibus eorum*: ergo non per gratiam quæ subsistat, & non pendeat à præexistente subiecto, siquidem quod inhæret, à præexistente pendet; ergo non creatur gratia creatione propria; Ex quo sequitur quod nec accipit à Deo esse in se, & postea vnitur subiecto per aliam actionem, sicut in Anima rationali contingit; quia hoc esset creari gratiam in se subsistentem, & postea communicari subiecto; ac adeo non esset accidens inhærens, sed substantialis forma, in se subsistens.

Quod si in se non habet esse ad modum Animæ rationalis, sed solùm esse dependens à subiecto, sicut reliqua accidentia; manifestum est quod talis entitas, seu qualitas non recipit per vnam actionem esse à Deo, & per aliam vnitur subiecto, sicut alia accidentia seu formæ à subiecto pendentes, quibus non communicatur per aliam actionem esse, & per aliam vnio ad subiectum; siquidem non habent aliud esse quàm dependens, ergo vt intelligatur actionem terminari ad talem qualitatem, ponendo illam in esse, debet terminari ad illam in esse dependente à subiecto, cùm non habeat aliter esse; Non enim habet illud subsistens, sed dependens; ergo quando attingitur ab actione, debet attingi secundum esse dependens; ergo non oportet dari vnam actionem quæ terminetur ad esse qualitatis, & aliam qua fiat dependens à subiecto; ac proinde actio attingens qualitatem illam secundum vnionem ad subiectum, attingit productionem illius entitatis in esse.

Nec obstat, Quod ista duo distinguuntur (scilicet entitas formæ accidentalis, & vnio eius) vnde & potest vnum sine altero conseruari; vt quando sine subiecto Deus conseruat accidens; ergo distinctis actionibus produci possunt, & sic aliud erit entitas formæ, aliud vnio eius; Hoc, inquam, non obstat, Nam esto quod distinguerentur entitas formæ & eius vnio, sicut dependentia à re dependente, quæ dependentia relatio est; tamen in ordine ad actionem eductiuam non distinguuntur; quia actio eductiua non respicit entitatem nudè, sed vt dependentem à subiecto, à quo extrahi debet per illam actionē; vnde nulla est actio quæ terminetur præcisè ad entitatem; sed cùm omnis actio rem ponat in esse, non potest abstrahere à modo ponendi illam in esse pendente, vel independente à subiecto; & ita sicut non est alia actio quæ terminetur ad rem in esse, alia quæ terminetur ad rem in independentia ab alio; sic non est alia actio quæ ponat rem in esse, alia quæ ponat esse vnitum, seu dependens à subiecto; sed si actio eductiua est, debet rem cum esse dependente à subiecto producere.

Nec obstat etiam huic actioni productiuæ gratiæ modo non creatiuo, sed eductiuo, supernaturalitas illius formæ, aut essentialis dependentia omnis formæ à Deo; ratione enim primi videtur non posse educi è subiecto Animæ; ratione verò

A secundi, oportet priùs emanare à Deo in esse, quàm ab agente particulari; & ita prius habere esse actionem Dei, quàm vniri subiecto.

Quod enim attinet ad supernaturalitatem formarum, Constat actus supernaturales, vt Visio Beatifica, actus charitatis, &c. produci actione eductiua ab Anima, & intellectu & voluntate, non autem creari; ergo similiter neque gratia creatur ratione supernaturalitatis. Quoad dependentiam verò essentialem omnis creaturæ à Deo, constat hanc non poni seorsum à dependentia, quam habent tales creaturæ à particulari agenti; quia vt ait D. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. ad 2. *Vna &*
B *eadem actio procedit à primo & secundo agente.*

Vnde non est necesse in omni productione creatiua interuenire creationem propriè dictam, eo quod interuenit dependentia essentialis à Deo; Facit enim Deus à se dependere omnem creationem, etsi non influat in illam per creationem, sed concurrendo simul cum creatura, quæ est agens secundum. Vnde ex hac dependentia non potest inferri actio Dei in creaturam, distincta ab actione creaturæ; Aliàs enim hoc modo faceret Deus dependere à se creationem, quando postea creatura concurrit, vel simul cum illa Deus concurrit, vel non; si simul, ergo superfluè ponitur antè per
C solum suum concursum attigisse creationem, siquidem postea simul tangit cum creatura; si autem non concurrit postea Deus, ergo aliqua actio erit à creatura sine concursu diuino simul tangente effectum, quod est impossibile. Quare non oportet quod in productione formarum, quæ fit à causis secundis cum essentiali dependentia & subordinatione à Deo, ipsæ formæ à Deo procedant per actionem distinctam, ab ea, qua procedunt à creatura; & ita Deus attingat earum entitatem, creatura verò agens vnionem.

Quomodo res corporalis instrumentaliter attingat Gratiam in se; quo scilicet influxu,
D *proprio, vel Dei?*

Secundum verò (scilicet quod actio instrumentalis creata potest attingere entitatem gratiæ physico & reali influxu) Suarez tom. 3. q. 62. art. 1. disp. 1. section. 1. ea ratione probat à priori, Quia non repugnat quod Deus faciat vnam creaturam pendere ab alia, à qua per se non pendet, nec ex natura sua; eo quod producatur aliqua creatura aliter, quàm ex natura sua postulat; neque repugnat vt aliqua naturalis potentia aliquid producat vltra suas naturales vires, vt intellectus Visionem Beatificam, &c. ergo neque repugnabit vt creatura aliqua attingat instrumentaliter entitatem gratiæ.

E Cæterum si istæ rationes physicè considerentur, non videntur ostendere hanc physicam efficientiam & attingentiam, Quia quando Deus facit quod pendeat vna creatura ab alia, vel facit quod pendeat à creatura ratione influxus in ipsam, & faciendo quod vna creatura influat in aliam; & tunc assumit quod probandum est; & hoc inuestigamus; vel facit quod pendeat ab alia vt sic, non tamen mediante influxu vnius in aliam; & hoc ad instrumentum non sufficit, quia si physicum instrumentum & reale est, influxum physicum in effectum habet: Item quia per hoc non videtur tolli quod non possit aliquod instrumentum concurrere ad creandum; Nam si ratio instrumenti solum consistit in eo, quod faciat Deus

Suaris explosæ rationes, possibilis instrumenti gratiæ.

vnam creaturam pendere ab alia, nulla apparet implicatio quod faciat Angelum pendere ab alia creatura, & ita creet Angelum per creaturam vt instrumentum.

S. Thomæ ratio & Thomistica solidior.

Quare ratio à priori huius influxus physici in effectum ab instrumento, sumenda est, ex eo quod perpetuò vocet D. Thomas, explicans hujusmodi influxum, Quia videlicet virtus principalis agentis communicatur instrumento per modum motionis; & ita sicut pendet effectus ille in entitate sua à virtute diuina, ita & ab instrumento virtutem eandem diuinam sibi communicatam habente; ex quo fit, Quod entitas quæ attingitur à virtute diuina, etiam per talem communicationem attingatur à virtute instrumenti; Vt enim influxus alicuius causæ attingat entitatem alicnius effectus, oportet attendere ad principium & virtutem, à qua procedit ille effectus. Si enim est virtus & principium, quod pro objecto habeat ipsam entitatem effectus, & supra illam actiuitatem habeat, vtique à tali virtute & principio attingi potest entitas effectus.

Cùm autem instrumentum non agat per formam sibi propriam, sed per virtutem communicatam a Deo per modum motionis, potest instrumentum actione sua instrumentali attingere talem entitatem, quia procedit à virtute, quæ ex se potest supra entitatem illam, non communicata instrumento per modum formæ, sed per modum motionis. Optimè ergo reddit sanctus Thomas rationem à priori, Quare instrumenta attingunt qualitatem ipsam gratiæ; quia videlicet communicatur ipsi instrumento virtus eadem diuina, quæ attingit entitatem gratiæ; & hoc per modum motionis, non per modum formæ; sic enim est in instrumento virtus supra entitatem gratiæ, vtique & influxus instrumentalis potest in ipsam entitatem gratiæ.

Angeli creatio, vt creaturæ impossibilis tāquam instrumento.

Quod si quæras, Cur eadem virtus diuina, quæ potest communicari instrumento ad producendum entitatem gratiæ, non potest communicari ad creationem Angeli? Respondetur id esse ex repugnantia, quæ est in modo producendi per creationem; Non enim solùm per creationem producitur ens in suo esse & essentia, sed etiam producitur ex nullo præsupposito, & sine vlla mutatione; & ita omnis actio immutatiua est incompetens & inepta ad creandum; omnis autem actio quæ egreditur ab instrumento, debet esse actio immutatiua alicuius, cùm sit actio creata, & modificata & determinata; Exit enim ab instrumento secundum quod aliquid virtute propria operatur; Nam cùm virtus diuina communicetur instrumento per modum motionis, & non per modum formæ, quæ illi imprimatur, aut per quam agat, oportet quod motio illa, quæ instrumento communicatur, non solùm sit passiua; sed etiam actiua in actu secundo.

Si autem ipsum instrumentum non sit in actu secundo per suam actionem, non est capax vt sit in actu secundo per actionem alienam, & motionem ei communicatam; & ita non potest Deus tribuere aliud causæ, vt agat vltra se & propriam virtutem, nisi supponendo quod agat secundum propriam virtutem, & ex motione Dei vltra illam extendetur; & hinc est quod actio quæ procedit à Deo mediante instrumento, non solùm habet transire per instrumentum, sed etiam exire ab instrumento, media tamen motione diuina; Vnde quando exit ab instrumento, oportet quod exeat ita modificata, vt sit actio immutatiua, sicut &

A ipsum instrumentum secundum propriam virtutem agit actione immutatiua; de ratione autem actionis creatiuæ, est vt non sit mutatio, sed circa nihil operetur ens; ergo repugnat ex modo producendi, quem habet talis actio, communicari alicui creaturæ etiam instrumentaliter.

Motio præuia in instrumento, vt subiiciatur principali agenti.

Quod enim non sit mutatio actio creatiua, ostendit Diuus Thomas, 1. p. q. 41. art. 2. & 3. Vnde quando D. Thomas dicit, *Quod instrumentum debet dispositiuè operari ad effectum principalis agentis*; per ly *dispositiuè*, non intelligit aliquid transiens ad ipsum effectum, aut subiectum eius, sed aliquid quo disponitur intra se instrumentum,
B seu fit capax motionis principalis agentis ad effectum; quia non potest illam motionem accipere, nisi aliquid agendo; & hoc patet ex ipso Diuo Thoma 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. vbi inquit, *Quod Deus in faciendis miraculis vtitur instrumentaliter vel interiori actu hominis, vel locutione, vel etiam exteriori actu*: Similiter Diuus Thomas hîc. 3. p. q. 56. art. 1. ad. 2. dicit, *Quod sufficit virtualis contactus ad rationem huius efficientiæ, qua resurrectio Christi causat nostram resurrectionem ex virtute diuina, quæ attingit omnia loca & tempora*: constat autem quod exterior actus hominis nihil dispositiuè emittit circa
C effectum exteriorem producendum, sed intra manens & operans eleuatur à Deo ad aliquid extra, & vltra se producendum. Igitur ly *dispositiuè* in instrumento, solum accipitur à D. Thoma pro ea dispositione, qua fit capax recipiendi diuinam motionem, quod instrumentum agat aliquid secundum propriam virtutem, & agendo eleuetur vt vltra se agat, nulla autem actione fit creatura capax recipiendi motionem ad creandum, quia creatiua actio est sine mutatione, & actio creatiua non est immutatiua; solùm ergo potest creatura mediante sua actione instrumentaliter deseruire ad producendum id, quod immutatiua actione producibile est, cùm non possit exire actio à creatura, nisi vt mutata.

Nulla Sacramenti dispositio circa ipsam gratiam.

D Ex his patet dari instrumentum physicum ad productionem gratiæ, quoad suam entitatem; Nam producere aliquam dispositionem ad gratiam, præterquam quod nihil tale requiritur, cùm gratia sit primum donum inter omnia supernaturalia, æque difficilis redditur illa sententia; Quia illa dispositio spiritualis esse debet, & non corporalis; si ergo datur instrumentum producens illam spiritualem dispositionem, cur non & spiritualem gratiam? Si enim eleuatur à Deo, vt producat spiritualem entitatem, cur non & gratiam? Quod ergo attinet ad aliam sententiam, quæ dicebat produci per instrumentum gratiam, non in entitate sua, sed vt vnitam subjecto, & secundum vnionem eius ad subiectum, ex dictis
E manet exclusa, cùm impossibile sit produci quoad vnionem per vnam actionem, & per aliam quoad entitatem; sed si producitur entitas, producitur vt vnita & inhærens, & ideò cui communicatur actio producendi vnionem, communicatur actio productiua entitatis.

Soluuntur Argumenta.

S. Thomas docet instrumentum attingere gratiæ in se: Sed objicies primò, loca illa D. Thomæ supra relata, in quibus apertè dicit non operari instrumentum ipsam gratiam, secundum entitatem suam, sed aliquid præuium ad illam; quam

ſententiam non apparet D. Thomam alibi retra- A ctaſſe; & eius ratio eſt, Quia agens principale & inſtrumentale, comparantur inter ſe vt agens miniſteriale & diſpoſitiuum, & principale; ſed agens miniſteriale nunquam introducit vltimum effectum, ſed id reſeruatur agenti principali, ergo cùm gratia ſit vltimus effectus iuſtificationis, agens miniſteriale illius non attinget ipſam gratiam, ſed aliquid ei præuium.

Et confirmatur, Quia quando res inferioris ordinis eleuatur ad cauſandum rem ſuperioris ordinis, non eleuatur ad cauſandum id, quod ſupremum & excellentiſſimum eſt in ordine ſuperiori, tum quia de extremo non tranſitur ad extremum, B niſi per medium; tum quia agens corporale non attingit Animam rationalem, ſed ſolùm diſpoſitionem ad introductionem illius, ergo nec Sacramentum corporeum eleuatur ad cauſandam ipſam gratiam, ſed aliquid ſibi præuium.

S. Thomæ text. in Sū ma, produci ipſam gratia per Sacramenta inſtrumentaliter.

Reſpondetur ſententiam illam ſancti Thomæ ab ipſo retractatam eſſe in Summa Theologiæ, quod ex tribus locis eius videtur manifeſtum; Primo Quia in 1. 2. q. 112. art. 1. inquirens, *Vtrum ſolus Deus ſit cauſa gratiæ* Reſpondet reſoluens *quod nulla creatura poteſt cauſare gratiam* vbi clarè docet & loquitur de ipſa ſanctitate, & non de aliquo præuio ad gratiam; Non enim de hoc præuio diceret, Quod eſt *quædam participatio* C *diuinæ naturæ*; & ideo à ſolo Deo cauſatam. Loquens ergo ibi de gratia quoad ſuam entitatem, in primo & ſecundo Argumento objicit de *Chriſti Domini humanitate, & de Sacramentis, quod ſunt cauſa gratiæ, ergo non ſolus Deus eſt cauſa gratiæ*; & reſpondet ſanctus Thomas, *Quod humanitas Chriſti non cauſat gratiam propria virtute, ſed virtute diuinitatis; & Sacramenta ſimiliter*: ergo cenſet ſanctus Thomas Humanitatem Chriſti ipſam entitatem gratiæ cauſare: Argumentum enim de ipſa entitate gratiæ, de qua dicit ſolum Deum eſſe cauſam, procedebat; ergo ſi gratiam illam dicit produci, non virtute propria, ſed diuinitatis; fatetur non aliquid præuium, ſed D ipſam gratiam produci à Sacramentis inſtrumentaliter.

Secundus locus eſt in 3. p. quæſt. 13. art. 2. vbi dicit, *Quod Anima Chriſti, ſecundum quod erat inſtrumentum Diuinitatis, habuit virtutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas, excepta creatione & annihilatione*, ergo cùm poſitio gratiæ in Anima ſit diuerſa immutatio à poſitione illius diſpoſitionis, quia comparantur vt effectus medius & vltimus; ad omnes illas habet Anima Chriſti virtutem inſtrumentalem; & conſequenter etiam Sacramenta poterunt habere inſtrumentalem virtutem ad gratiam in ſe producendam.

Tertius locus eſt, Quia in hac quæſtione ſexa- E geſima prima diſtinguit S. Thomas effectum principalem Sacramentorum, qui eſt Gratia, ab effectu ſecundario, qui eſt Character, de quo quæſtione ſequenti; & de hoc principali effectu dicit, *Quod Sacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales*; & explicans articulo ſecundo, quid ſit gratia ſacramentalis, dicit *Eam non diſtingui à gratia gratum faciente*, ergo cenſet ipſam, & non ſolùm aliquid diſpoſitiuum ad gratiam, vt eſt character, attingi à ſacramentali actione.

Ad rationem Reſpondetur, Agens inſtrumentale & principale, non ratione diuerſorum effectuum, quos producunt, ſed ratione diuerſi modi attingendi eumdem effectum, diſtingui, ſicut patet in ſecuri, Nam idem quod attingit artifex, attingit ſecuris; ſed ille per formam propriam, hæc per applicationem motionis eius, & quaſi deferendo eius actionem ad effectum; quod eſt miniſteriale reſpectu principalis agentis.

Ad confirmationem Reſpondetur, Illum ordinem ſeruari in naturalibus, in quibus proceditur de imperfecto ad perfectum; in ordine tamen ad Deum, non eſſe talem ordinem neceſſarium; quia poteſt quæcumque creatura vti ad quemlibet effectum voluerit, per potentiam obedientialem creaturæ.

Gratia non creatur, ſed educitur.

SEcundò objicies, Gratia non eſt forma educibilis de potentia Animæ, ſed ſola actione Dei fit, ſicut Anima rationalis; ergo ſicut eſt alia actio efficiens Animam rationalem in ſe, alia vniens ipſam materiæ; ita erit alia actio efficiens gratiam, alia vniens ipſam Animæ; & ad hanc Sacramenta concurrunt, non ad primam. Antecedens probatur; Nam gratia non eſt eiuſdem ordinis cum potentia receptiua illius (ſuſcipitur enim materialiter in eſſentia Animæ, quæ eſt ordinis naturalis) ergo non educitur ex potentia, in qua recipitur; quia eſt extra ordinem talis potentiæ ſubiectiuæ; Ergo alia eſt actio vniens illam formam tali ſubiecto, alia producens illam, vt extra ordinem talis ſubiecti.

Confirmatur, Nam in forma quæ producitur, aliud eſt entitas formæ, aliud vnio eius ad ſubiectum; & hæc duo ſeparari poſſunt, ſicut ſeparantur in re, quando Deus ponit accidens extra ſubiectum; ergo poſſunt terminare diuerſas actiones; & ſic per aliam actionem producitur entitas gratiæ, per aliam verò vnitur ſubiecto.

Confirmatur ſecundo, Nam in forma quæ vnitur ſubiecto eſt dependentia illius formæ à Deo, & à ſubiecto, cui vnitur; dependentia autem à Deo eſt eſſentialis & inuariabilis in tali forma, dependentia autem à ſubiecto variari & tolli poteſt, ergo illa forma quandocumque fit, & accipit dependentiam immutabilem & eſſentialem à Deo, & accipit aliquam variabilem reſpectu ſubiecti; illa autem inuariabilis à Deo eſt ad modum creationis, & reſpicit entitatem formæ, non vnionem eius ad ſubiectum; & ſic eſt diſtincta actio ab ea, qua vnitur forma ſubiecto; Quod præſertim habet verum in opinione Thomiſtarum, dicentium quod non indiget Deus noua actione, ad hoc vt conſeruet accidens extra ſubiectum, ſed illa ipſa quæ in ſubiecto conſeruat accidens, ſine ſubiecto illud conſeruat; & ideo non indiget ponere nouum modum in accidente ſeparato.

Reſpondetur, diſtinguendo antecedens; Gratia non eſt educibilis de potentia Animæ; diſtinguo, De potentia naturali, concedo; de potentia obedientiali, nego; & ita non eſt educibilis connaturaliter, bene tamen eſt educibilis abſolutè & obedientialiter. Plus enim requiritur vt eductio ſit connaturalis, quàm vt ſit educibilis abſolutè; ad illam enim requiritur naturalis proportio, & habitudo inter materiam & formam, potentiam & actum. Educitur Gratia de potentia obedientiali.

Ad probationem dicitur; Gratiam recipi in Anima, quæ quidem entitatiue eſt ordinis naturalis; ſecundum quod tamen obedientialiter eſt ordinis ſupernaturalis paſſiuè. Omnes enim for-

mæ ſupernaturaliter paſſiuè recipiuntur in Anima; aliæ quidem conſtituendo ſuum ſubiectum in ratione agentis ſupernaturalis, aliæ verò non conſtituunt in ratione agentis, ſed in ratione eſſendi, vt Gratia, aut actus agendi reſpectu agentis, vt Viſio Beatifica, &c. Omnes tamen paſſiuè ſunt in Anima, vt eleuantes eam ad alium ordinem, & conſequenter ſunt in illa ſecundum quod obedientialiter ſe habet ad illum ordinem, non ſecundum quod ſe habet connaturaliter ad illas. Sicut ergo inhærent in ipſa Anima ſecundum quod eleuabilis eſt ſupra ſuum ordinem, ita & educuntur & dependent ab ipſa Anima, ſecundum quod obedientialiter ſe habet ad ordinem ſupra ſe, & non ſecundum naturalem habitudinem ad illam formam.

Itaque aliud eſt accipi in entitate naturali Animæ, aliud recipi in illa ſecundum habitudinem & inclinationem naturalem ad formam; & cùm non ſuſcipiantur in ea ſecundum naturalem eius inclinationem, ſed obedientialem, conſequenter neque educuntur ex illa ſecundum naturalem inclinationem, ſed obedientialem, & ratione huius potentia ſuſceptiua eſt eiuſdem ordinis cum formâ obedientialiter, & per non repugnantiam in ordine ad Deum, non naturaliter, & ſecundum poſitiuam inclinationem, & habitudinem poſitiuam ad formam. Ad cauſalitatem autem materialem non requiritur poſitiua inclinatio ad formam, ſed ſufficit non repugnantia; Vbi enim ſubiectum eſt non repugnans, forma non repugnat intrare, cùm non intret per vim ſubiecti, ſed per vim agentis; in agente autem requiritur non ſolùm non repugnantia, ſed efficientia, & emiſſio ex ſe, vnde poſitiuam virtutem & ordinem, non ſolùm non repugnantiam habere poteſt: Anima autem rationalis, non inhæret in materia, & ſic non educitur ab eius potentia, quia non pendet ab ipſa in eſſe.

Ad primam confirmationem dicitur, Quod entitas formæ & vnio eius, in re ſunt quid ſolùm formaliter modaliter diuerſum; in ordine tamen ad actionem eductiuam non ponunt in numero; & ideo licèt diuerſas actiones terminare poſſint, veluti in ſenſu diuiſo, tamen non diuerſas actiones eductiuas, cùm eo ipſo quod eſt eductiua, neceſſariò includat facere formam vt vnitam. Sicut licèt aliud ſit natura, aliud ſubſiſtentia, tamen reſpectu creationis nequit fieri niſi res ſubſiſtens; Et licèt aliud ſit ratio obiectiua, aliud præſentialitas, reſpectu tamen intuitionis non poteſt præſcindere vnum ab alio.

Ad ſecundam confirmationem dicitur, Quod dependentia quam res habent à Deo, licèt ſit magis eſſentialis quàm alia, non tamen ſeorſum ſe habet ab ea, qua educitur à ſubiecto, ſed ſubordinat ſibi actionem inferioris agentis, quæ eductiuè ſe habet ad formam; & ſic non ponit in numero cum actione eductiua; neque ideò ponenda eſt alia actio, qua Deus faciat à ſe dependere effectum, alia qua ab agente creato dependeat; ſed illa actio diuina facit vtrumque; & quod pendeat entitas à ſe, & quod non ſeorſum à ſe pendeat, ſed ſimul à creatura cum eductione a ſubiecto, cui vnitur; ita tamen quod in tota hac productione effectus, cum dependentia à ſubiecto & ab agente creato, maior ſit dependentia a Deo, quam ab agente creato, & à ſubiecto.

Et ideo ſi Deus poteſt remoto agente creato & ſubiecto ſuſtentare formam ſe ſolo, quando tamen A ſuſtentat ſimul cum ſubiecto, non eſt neceſſe quod ſit actio ſeorſum terminata ad entitatem formæ, & alia terminata ad vnionem; ſed actio Dei, & in entitate, & in vnione, & in eius formalitate ac modo concurrit, & ſimiliter creaturæ actio ad entitatem & vnionem concurrit; ſed quia hæc in genere inferiori, illa in ſuperiori & ſupremo, magis pendet a ſuperiori, quàm ab inferiori, poteſtque per potentiam ſuperioris amoueri dependentia inferioris, manente dependentia a ſolo ſuperiori; & ideo maior iſta dependentia non variat actionem, ſed modum & graduationem actionis. Non ergo ſequitur, Quia magis dependet B à Deo quàm à ſubiecto, & ab agente creato, quod ſit diuerſa actio Dei & agentis creati; ita quod illa ſit ſeorſum ab iſta, ſed in omni iſta imbibitur actio Dei, & ab illa dependere facit effectum.

Gratia non eſt extra ſphæram inſtrumenti, & quid ſit illud operari diſpoſitiuè?

Tertiò obiicies, Nulla cauſa, etiam inſtrumentalis, poteſt operari vltra ſuum obiectum & ſphæram; ſed res corporalis non habet intra ſuum obiectum proportionatum, neque extenſiuum rem ſpiritualem, & præſertim ſuperna- C turalem, qualis eſt gratia, ergo non poteſt etiam inſtrumentaliter illam attingere. Maior certa eſt, Quia operari ſequitur ad eſſe; ergo ſicut nihil poteſt extrahi à ſuo eſſe ſpecifico, ita neque operari vltra ſuum obiectum adæquatum, proportionatum videlicet, & extenſiuum. Minor etiam patet, Quia gratia neque eſt obiectum proportionatum, neque extenſiuum rei corporalis, cùm excedat omnem ordinem naturalem.

Confirmatur primò, Quia ideo non poteſt Deus efficere quod oculus (etiam inſtrumentaliter) attingat ſonum; quia eſt extra eius adæquatum obiectum, ergo ſimiliter non poterit eleuari res corporea vt attingat inſtrumentaliter rem ſuperna- D turalem, quia eſt extra eius obiectum adæquatum.

Confirmatur ſecundò, Quia nullum inſtrumentum poteſt eleuari ad aliquem effectum, niſi habeat propriam operationem diſpoſitiuam ad talem effectum; corporale autem inſtrumentum nullam operationem propriam habet diſpoſitiuam ad gratiam. Maior eſt Diui Thomæ, 1. p. quæſt. 45. art. 5. Et ratio eius eſt, Quia aliàs non requirerentur determinata inſtrumenta ad determinatas actiones & effectus, niſi aliquid ad talem effectum operaretur inſtrumentum; & loquitur ibi ſanctus Thomas de potentia abſoluta Dei, & ſuppoſita eius motione; Dicit enim, *Non poſſe dari inſtru-* E *mentum ad creandum, neque poſſe aliquam creaturam, ſiue principaliter, ſiue inſtrumentaliter creare*; quod de potentia ordinaria nullum eſt dubium.

Si Reſpondeas, Quod per ly *diſpoſitiuè operari*, non intelligit ſanctus Thomas diſpoſitionem aliquam naturalem, & propriè operatiuam ad effectum, ſed obedientialem diſpoſitionem, id eſt, quod habeat veram entitatem capacem diuinæ motionis in tale inſtrumentum; & ita quando inſtrumentum aſſumitur ab agente naturali, requirit naturalem diſpoſitionem; quando ab infinito, ſufficit obedientialis determinatio; & ita requiruntur determinata inſtrumenta, vel obedientialiter, vel naturaliter.

Contra hoc enim est, Nam si non requiritur quod instrumentum agat secundum propriam & physicam operationem, sed solùm quod recipiat actionem & motionem Dei, ergo nihil repugnabit quod eleuetur, & recipiat motionem creatura ad creandũ, quod negat S. Thomas. Sequela patet, Nã illa motio quæ communicatur potentiæ obedientiali instrumenti, est infinitæ virtutis, vtpotè Dei; & sic potest in effectum superiorem ipsi instrumento. Item, Ex parte modi producendi non supponit in instrumento quod aliquid agat circa effectum producendum, aut materiam eius, ergo circa nullum præsuppositum subiectum operando potest motionem illam recipere, & per illam operari; illa enim motio vt est à Deo non exigit quod operetur circa aliquod præsuppositum subiectum; vt autem erit ab instrumento, non præsupponit operationem aliquam eius circa subiectum operans, cùm nulla in instrumento sit actio propria; ergo potest operari circa nullum præsuppositum, & consequenter creare.

Respondetur ad principale Argumentum, distinguendo antecedens, Nulla causa potest operari vltra suum obiectum, secundum naturalem suam virtutem, & prout illi innititur, concedo; secundum virtutem alterius agentis, & prout illi innititur, nego, Nam secundum hanc, tantum potest, quantum agens illud ei communicauerit; nisi modus operandi impedierit; Et cùm agens infinitum, quod est Deus, non communicet instrumento virtutem secundum eius potentiam naturalem, sed secundum obedientialem, potest sine vllo termino operari vltra propriam naturam. Vnde in instrumentis potest distingui triplex obiectum, Aliud est proportionatum sibi naturaliter, & in hoc possunt per modum agentis principalis; Aliud extensiuum naturale, & in hoc possunt per modum instrumenti agentis naturalis, sicut serra potest in cathedram; Aliud extensiuum obedientiale, & in hoc possunt secundum virtutem agentis infiniti, quod est Deus; & ad hoc nulla requiritur naturalis proportio, sed solum obedientialis; & ita vltra obiectum, siue extensiuum, siue proportionatum nunquam agunt; quia hoc mensuratur iuxta virtutem ab alio agente susceptam, vltra id quod ex propriis possunt.

Potentia naturalis extensiua & obedientialis.

Ad primam confirmationem Respondetur, Quod aliud est quod Deus eleuet corpus vt attingat Spiritum instrumentaliter, aliud vt attingat illud tali modo, id est vitaliter, aut vt causa principalis: Visus enim non potest attingere vitaliter sonum, etiam de potentia absoluta, quia deberet hoc facere a principio vitæ coniuncto, & non ex instrumentali motione alicuius. Similiter neque corpus potest vt causa principalis attingere rem spiritualem, quando solùm agit per organum corporeum. Cæterũ ministerialiter & instrumentaliter, & visus & corpus, & quælibet creatura potest agere vltra suum obiectum adæquatum virtutis propriæ, sed non vltra obiectum adæquatum instrumentariæ operationis; tunc enim operatur non secundum suam virtutem, sed secundum virtutem principalis agentis; vnde secundum illam mensurandum est adæquatum obiectum, non secundum istam; & ideo non agit extra adæquatum obiectum, vel propriæ vel alienæ virtutis; repugnat tamen quod tali modo, (id est, vt causa principalis aut vitalis) vltra propria operetur.

Eleuatio in rationecausæ principalis & vitalis extra obiectum suum, potentia non valet.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod circa dispositionem, quam Diuus Thomas **A** ponit in instrumento, vt agat secundum propriam formam dispositiuè ad effectum principalis agentis; variè torquentur Thomistæ. Quidam enim intelligunt requiri propriam actionem instrumenti, essentialiter distinctam ab actione communicata à principali agente, vt Ferrara 2. contra Gentes capite 21. circa 6. rationem sancti Thomæ; Alij verò (vt Caietanus. 1. p. quæst. 45. art. 5. quem sequitur Bañez ibi) dicunt requiri à sancto Thoma actionem instrumenti propriam, non tamen distinctam realiter, & distinctum terminum realem habentem ab actione principalis agentis; requiri tamen quod ipsum instrumentum operetur **B** actione propria, quæ sit aliquid præuium ordine naturæ actioni principalis; Alij verò (vt Nuño super istum articulum difficultate septima) existimant nullam actionẽ realem & naturalem præsupponi in instrumento, sed quod dispositio illa, quam debet habere instrumentum respectu affectus principalis agentis, debet esse obedientialis; dispositio autem obedientialis non est operatio propria, sed non repugnantia ad suscipiendam diuinam motionem; & sic operationem istam interpretatur largè, pro omni eo quod se habet ad instat operationis.

Operari dispositiuè instrumenti, variè expositum à Discipulis S. Thomæ.

Verius tamen videtur, Ad instrumentalem ope- **C** rationem per se non requiri quod instrumentum propriè agat, actione distincta ab agente principali, & distinctum terminum habente; requiri tamen quod operetur, seu egrediatur à potentia instrumenti actio, quæ actio egreditur virtute motionis principalis agentis, secundum dispositionem tamen & modum egrediendi instrumenti. Hoc enim expressè determinat sanctus Thomas in quæst. 3. de Potent. art. 4. dicens, *Actio alicuius, & si sit eius vt instrumenti, oportet quod ab eius potentia egrediatur.* Et valde notandum quod ibi probat Diuus Thomas, Non posse dari instrumentum creandi, quia creatio infinitam virtutem requirit in potentia, à qua egreditur. Nota illud, **D** *Aqua egreditur*; ex parte enim modi egressionis hoc requirit; & hoc est dispositiuè operari ad effectum principalis agentis; non quia aliquem terminum producat, qui sit dispositio ad effectum (neque enim semper requiritur, neque est facile assignare in productione gratiæ, in igne torquente dæmones, &c.) sed quia potentiam suam, & modum emittendi actionem ex illa, quæ est aliquid sibi proprium, accommodat & subijcit diuinæ motioni, vt à se egrediatur actio virtuosior, virtute superioris agentis.

Instrumentum verè agat necesse est; agensque principali agẽti actionem subijciat.

Et ideo S. Thomas optimè dixit in quæstione illa 45. 1. p. *Quod causa instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum* **E** *per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis.* Non enim dixit, In quantum dispositionem aliquam operatur ad effectum principalis agentis (hoc enim multos torsit, putantes quod idem esset apud sanctum Thomam, *dispositiuè operari*, & dispositionem operari) non quidem est ita, sed *dispositiuè operari* secundum sibi propria, est dispositionem præbere, seu dispositiuum modum proprium, quo exeat actio productiua effectus; Exire enim debet ab ipso instrumento, & non solùm per illud transire; Si autem ab eo exit, secundum modum proprium agendi ipsius instrumenti exit; Non potest autem secundum modum proprium operandi instrumenti exire, nisi ipsum instrumentum secundum propria operetur, non secundum propriam actiuitatem,

sed secundum modum proprium operandi; quia modus operandi in ista actione relucet, non in potentia nondum operante.

Et ideo vsus est sanctus Thomas illo verbo, *dispositiuè operari*, vt vtrumque complecteretur; & operari dispositionem, & operari dispositiuè, non quia dispositionem aliquam operatur, sed quod secundum modum suæ dispositionis, ad quem mouetur, operatur. Ad hoc ergo vt exeat actio ab instrumento, & exeat secundum modum proprium operandi ipsius instrumenti, requiritur quod ipsum instrumentum secundum propria operetur, vt illi operationi adiungatur virtuosior actiuitas superioris agentis; & ideo non oportet duplicem effectum ab agente principali operari, sed eumdem, secundum dispositionem tamen, seu modum operandi ipsius instrumenti: Si autem nihil omnino ageret instrumentum, non exiret actio ab eo secundum modum eius, sed transiret per illud, & sic frustra adhiberetur ad agendum, sed solùm ad patiendum; constat autem instrumentum agere, & ab eo exire actionem ad effectum principalis agentis.

Vnde ad Argumentum Respondetur, Quod per ly *dispositiuè operari instrumentum*, non intelligit sanctus Thomas aliquam dispositionem tanquam effectum operatum ab ipso instrumento secundum propriam virtutem, sed intelligit modum proprium operandi instrumenti, quo disponit, & afficit motionem superioris agentis, vt exeat actio ab instrumento secundum dispositionem, quam habet in modo operandi. Distingue ergo; Instrumentum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur, dispositiuè in ordine ad effectum & ex parte rei operatæ, nego; dispositiuè in ordine ad mouentem, & ex parte modificationis operationis, concedo.

Instrumentum creandi, cur dari non potest.

Ad replicam Respondetur, negando sequelam; Ad creandum enim requiritur quod non solùm ex parte effectus producatur ens in quantum ens, sed quod ex modo operandi non præcedat actio secundum potentialitatem, & dependentiam à materia; Nam eo ipso quod præcedit actio cum dependentia à materia, præcedit vt mutatio, & non vt simplex emanatio; Creatio autem mutatio non est, vt sæpe dicit Diuus Thomas; & ita actio ista, in eo quod est exire à creatura, deficit à modo, quo debet præcedere actio creatiua, Nam eo ipso quod creatura emittit ex se actionem, procedit illa à potentia, quæ non est actus purus, sed limitatus; & consequenter actio illa præsupponere debet subiectum, & in subiecto existens operari. Quod autem operatur in subiecto existens, non agit ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subiecto, sed in eo agit, in quo existit, & secundum immutationem alicuius, circa quod operatur; & ideo dicit sanctus Thomas 3. de Potent. art. 4. *Quod actio, quæ est accidens, non potest sine recipiente materia operarij*.

[...]io, quæ [...] accidēs, [...] attin[...] ipsum, [...]s, quod [...] creare.

Et præterea, Quia actio egrediens à principio quod dicit potentiam, & non purum actum, ex parte modi egressionis & processionis suæ egreditur cum potentialitate, sicut postulat actio creata; actio autem cum potentialitate egrediens, ex modo talis operationis non potest egredi circa nihil, & nullum præsupponere subiectum; tum quia vt recepta in materia operatur, quia actio quæ est accidens, extra subiectum non est; quæ autem operatur recepta in materia, vt recepta in illa, non potest operari effectum ex nullo præsupposito, & omnes entis rationes attingere.

Tum quia actio attingens ens in quantum ens, oportet quod omnes rationes entis in effectu inclusas attingat, & sic supra omnes habeat actiuitatem & actualitatem; si autem actio limitata est, & cum potentialitate procedit ex modo egrediendi, non potest actiuitatem habere supra omnes rationes entis, sed iuxta suam limitationem debet talem effectum & actus eius attingere; siquidem ex modo procedendi actio creatiua talis actio est, vt nullam rationem entis creabilis præsupponat, sed super omnes actiuitatem habeat; & ita actio, quæ sufficit creando producere formicam, sufficit producere quodcumque ens creabile; siquidem super omnem rationem entis habet actiuitatem.

Tum denique, Quia actio cum potentialitate procedens, non est se tota actiua; quia qua parte dicit potentialitatem, actiuitatem non habet, ergo non potest effectus se toto ab illa fieri, sed secundum aliquid non fit ab illa, & sic non creatur; quia in creatione effectus se toto; & secundum omnem rationem entis fit. Quando autem actio se tota non est productiua, neque se toto effectus productus illi correspondet, quæ est ratio Diui Thomæ 3. de Potent. art. 4. Sic ergo dicendum, Quod licèt in instrumento ex parte modi agendi non supponatur aliquid, quod fiat ante effectum principalis agentis, supponitur tamen modus operandi instrumenti, qui omnino repugnat modo operandi actionis creatiuæ.

Non datur actio media inter creationem & eductionem Gratiæ: & quomodo Gratia contineatur in potentia passiua Animæ.

Quartò obijcies, Gratia non educitur neque de potentia naturali Animæ, neque de obedientiali; ergo non producitur actione eductiua, & cum immutatione alicuius subiecti, sed creatiua. Consequentia patet, Quia omnis actio vel eductiua est, vel creatiua. Antecedens autem quoad primam partem (scilicet, quod non educatur de potentia naturali) apud omnes constat, cùm gratia non sit forma naturalis.

Quoad secundam partem (scilicet quod non educatur de potentia obedientiali) probatur. Quia si educeretur de potentia obedientiali Animæ, esset naturalis proportio inter Animam & gratiam ex natura rei, quod est omnino falsum; aliás appetitu naturali ferretur Anima in ipsam gratiam, vt pote in formam, cum qua naturalem habet proportionem.

Sequela probatur, Nam potentia obedientialis Animæ, est ipsa entitas Animæ, & ipsa natura eius cum respectu ad agens supernaturale; si ergo educitur gratia ex potentia obedientiali Animæ, educitur ex ipsa entitate & natura Animæ per agens supernaturale; ergo potentialiter præhabetur in entitate Animæ; & sic est proportio inter naturam & entitatem Animæ cùm ipsa gratia; Nam inter subiectum, ex quo forma educitur, & ipsam formam proportio est, & sic inter entitatem Animæ & gratiam erit proportio, vt educatur ex illa.

Confirmatur, Ad eductionem formæ ex subiecto non sufficit quod producatur forma vt pendens in fieri & conseruari à subiecto; hoc enim potius est recipi in subiecto, quam educi; alias si quantitas separata in Eucharistia, iterum vnire-

tur dependens à subiecto, in quo antea fuit, diceretur educi ex illo; ergo vltra hoc requiritur ad eductionem, quod forma educenda sit in potentialitate subiecti, à quo educitur, & contineatur intra potentialitatem eius, vt actus talis potentiæ, vt sic, quando producitur extra talem potentialitatem ducatur, quod est educi; Gratia autem non continetur intra potentialitatem alicuius subiecti, cùm sit alterius ordinis ab omni subiecto, & ab omni potentialitate, ergo non potest educi.

Cabreræ opinio. Gratiam nec creari, nec educi; sed actione media (i. infusione) dari & fieri.

Respondetur, Cabreram 2. tom. 3. p. quæst. 13. art. 2. disp. 1. §. 3. in ea opinione esse, vt censeat actionem productiuam gratiæ, neque esse creatiuam (quia non est productio rei subsistentis) neque eductiuam, quia non supponit subiectum, in quo contineatur, vt ex eo educatur, neque datur in productione illius concursus causæ materialis ad eam producendam; sed produci actione quadam media infusiua, qua scilicet producitur à Deo aliquid, vniendo illud subiecto, in quo non præhabetur; sicut si produceret hominem cum qualitate cœlesti, aut cœlum cum qualitate elementali. Potestque iuuari illo exemplo, quando Deus accidens per se extra subiectum positum vniret iterum subiecto; Sic enim se habet Deus, quod quasi producit gratiam quoad entitatem, & vnit illam subiecto, in quo non præhabetur, & ita infundit, non educit illam.

Gratiæ productio, vera eductio.

Cæterum actio hæc infusiua, distincta ab eductiua & creatiua, admittenda non est; Nam infusio illa in subiectum, vel est productio ipsius gratiæ, quæ infunditur, cùm dependentia à subiecto in esse, vel est solùm vnio rei in se habentis esse, aut aliàs productæ; Hoc secundum dici non potest, cùm gratia neque sit forma subsistens, neque producatur non vnita, & non inhærens Animæ; Vbi enim fit talis productio gratiæ? Si primum dicatur, ergo illa infusio est eductio; Nam si illa forma producitur cum dependentia in esse à subiecto, ergo cum concursu causæ subiectiuæ, seu materialis ad ipsam; quia vbi forma producitur pendens à subiecto, causatur materialiter à subiecto; quia ratione dependentiæ sequitur ad ipsum; Omne autem quod producitur cum dependentia à causa materiali, producitur eductiuè, seu educitur ex eius potentia; quia sicut quod solum pendet ab efficiente educitur in actum ab ipso, ita quod pendet ab efficiente & materiali, educitur extra potentialitatem vtriusque.

Neque ad hoc requiritur maior latitatio in materia, quàm effectus lateat in causa efficiente; Neque enim intelligitur ibi esse actu aliquo (etiam inchoatiuo & imperfecto) sed solum potentia; quia videlicet in subiecto est aliqua potentia, à qua pendere potest materialiter quoad suum esse; sicut latet in efficiente, quia pendere potest à potentia illius actiuè quoad suum esse.

Præterea, Actus supernaturales fiunt per actionem eductiuam, vt quando eliciuntur ab intellectu actus Visionis Beatificæ, & à voluntate actus Charitatis, ergo non repugnat formam supernaturalem educi à subiecto.

Potentia obedientialis, non repugnantia creaturæ, &c.

Et hinc Respondetur ad Argum. negando antecedens pro secunda parte; Ad probationẽ negatur sequela; Ad cuius probationem Respõdetur, Quod potentia obedientialis Animæ non est aliqua entitas positiua superaddita Animæ, aut alij creaturæ, aut inclinatio aliqua (saltem inchoata) ad formam supernaturalem, vt Aliqui dixerunt; sed est ipsa entitas creaturæ, vt non repugnans agenti infinito, ad omne quod voluerit de creatura efficere; & ita Gratia quando educitur de potentia obedientiali Animæ, educitur ex ipsa entitate Animæ, non secundum ordinem & inclinationem naturalem, sed secundum obedientialem. Sicut enim gratia ab entitate Animæ pendet in esse, quia illi vnitur; ita & ab entitate Animæ educitur materialiter, non secundum inclinationem & ordinem naturalem; quia sic non pendet ab illa; sicut etiam forma artificiosa non est naturalis materiæ, seu ligno, & tamen quia lignum natum est obedire artifici, educit ex illo formam artificiosam, quatenus illam efficit dependenter a concursu materiali ligni.

Sic agens infinitum, ex eo quod ei obedit creatura, educit ab illa formam, ad quam non habet naturalem habitudinem & proportionem, quia facit talem formam cum dependentia materiali à creatura, & ita continetur in entitate creaturæ, non absolutè, nec secundum ordinem propriæ naturæ, sed secundum obedientialem rationem, quam respicit agens alterius ordinis, vt materiam eius, cum qua concurrat. Continentia enim alicuius formæ in materia, non est accipienda secundùm inclusionem formæ actualis in illa, sed secundum potentialitatem ad illam. Vnde non præscindit in continendo formas ab ordine ad agens, à quo possunt educi tales formæ actiuè, sicut ab ipso subiecto materialiter; & hoc modo præhabetur forma illa in materia (scilicet obedientialiter & per respectum ad agens infinitum) non absolutè; & hoc modo est proportio inter formam & subiectum; nempe obedientialis, & non absoluta & naturalis.

Ad confirmationem Respondetur, negando antecedens; Nam si pendet forma in fieri & conseruari ab aliqua causa, quando ponitur in actu educitur ab illa; quia in potentialitate eius continebatur, & secundum genus causalitatis suæ in actum ab ea reducitur, per hoc quod pendet ab illa in fieri & conseruari. Vnde non est simile de vnione accidentis separati ad subiectum; Non enim tunc pendet à subiecto ex vi illius vnionis in fieri, sed in conseruari; quare non requiritur vltra hanc dependentiam latitatio formarum in materia; Neque enim actu ibi latent, sed potentia, & quod possint ab ea poni in actu secundum materialem concursum; sicut latent in causa efficienti, & inde exeunt, quia possunt ab ea efficienter poni extra secundum efficientem concursum.

Lucē & species Cabreræ nō educi, quod improbabile.

Ex quo patet, Malè inferre Cabreram, quod formæ intentionales, vt lux & species, non educuntur de subiecto (verbi gratia ex diaphano) quia in eius potentia non continentur, sed à sole verbi gratia effunditur lux in diaphanum; quod simili modo posset dicere de formis artificialibus, quod ab artifice infundantur subiecto; & similiter non inueniretur inconueniens, quod calor infunderetur ab igne per medium. Quid enim amplius aliæ formæ habent? aut quid minus pendent à subiecto, vt ab eo educi non dicantur?

Sed instat Cabrera 3. tom. qu. 62. art. 1. disput. 3. §. 14. Nam potentia quam habet Anima ad Gratiam non se habet, vt potentia, *ex qua* fiat gratia, sed vt potentia, *in qua* suscipiatur gratia; ergo non potest ex Anima educi gratia. Consequentia patet, Quia ideo Anima rationalis non educitur ex materia, ad eius productionem in fieri & in esse, quia non pendet ab illa, vt *ex qua* recipiat tale esse, sed vt *in qua* recipiatur;

ergo similiter si gratia solum pendet ab Anima, vt à potentia *in qua*, non *ex qua* fiat, non educitur ex illa. Antecedens autem probatur, Quia esse gratiæ & fieri gratiæ transcendit omnem rationem & entitatem in creatura inuentam, ergo ex nulla entitate aut ratione creaturæ fieri potest, licèt in illa recipi possit. Vnde cùm in nulla entitate & ratione Animæ contineatur gratia, consequenter non se habet vt potentia, *ex qua* educatur, sed *in qua* recipiatur.

Quod si respondeatur, Animam secundum potentiam obedientalem continere virtualiter gratiam, & ex illa educi; Contra arguit. Quia potentia obedientialis secundum suam intrinsecam entitatem, est ipsa naturalis Animæ essentia; & ita si à potentia obedientiali educit Deus gratiam, ex naturali Animæ essentia educeretur, & in ea contineretur; quod repugnat; Sic enim non esset gratia aliquid transcendens ordinem Animæ, si intra eius naturalem entitatem potentialiter continetur, quantumcumque obedientialiter dicatur in illa contineri; quia ly *obedientialiter*, super entitatem addit nouum respectum ad agens supernaturale.

Respondetur negando antecedens; Ad probationem, concesso antecedente, distinguitur consequens; Ex nulla entitate creaturæ realiter & formaliter accepta, potest fieri gratia, concedo; obedientialiter, nego; Nam vt aliqua creatura dicat non solùm potentiam *in qua*, ad aliquam formam, sed etiam potentiam *ex qua*, sufficit quod concurrat ad productionem illius formæ, vt causa *à qua* dependeat in fieri & in esse; si enim in suo esse pendet a tali subiecto, non solùm est in illo, sed etiam ex illo; siquidem ex illo in genere causæ materialis esse habet. Cùm ergo secundum potentiam obedientialem natura Animæ det esse gratiæ, vt subiectum, ex illa entitate secundum potentiam obedientialem educitur gratia, vt à causa materiali; Sicut enim educitur à causa efficiente, quia ab illa habet esse, sic & ex causa materiali, quia ab illa pendet in esse, & hoc modo dicitur contineri obedientialiter in Anima, quia potest pendere ab illa in esse secundum causalitatem materialem; in quo differt ab Anima rationali, quia licèt fiat in materia, non tamen pendet in esse à materia, etiam secundum genus causæ materialis; sed in se habet esse per creationem, & illud communicat materiæ ac supposito; at verò gratia, sicut quodlibet accidens, pendet à subiecto in esse, & sic educitur ex illa.

Anima rationalis nõ educitur, quia ipsa esse habet.

Ad replicam Respondetur, Quod potentia obedientialis entitatiuè non distinguitur à natura & essentia creaturæ, distinguitur tamen secundum ordinem & habitudinem; quia entitas Animæ non continet in se gratiam secundum quamcumque rationem & inclinationem, sed secundum quod respicit agens infinitum; & sub hac ratione non est inconueniens, quod contineat in se quamcumque formam, etiam transcendentem ordinem naturæ; quia omnis potentia passiua continet formas & actus, secundum ordinem quem habet ad potentiam actiuam. Non enim antecedenter ad agens continet in se formam, sed tantum, & tales continet, quantum potest agens extrahere ab illa, & in illa efficere. Vnde potentia passiua respectu agentis infiniti, continet plures formas, quàm respectu agentis creati; sicut res naturalis non continet easdem formas respectu agentis naturalis, & respectu artificialis; & sic ea quæ continentur in natura Animæ secundum potentiam obedientialem, transcendunt ipsam naturam Animæ secundum se, & omnia quæ continentur in illa secundum potentiam naturalem.

Secundò dicitur, Quòd Gratia potest dupliciter considerari; vno modo in ratione accidentis & qualitatis, secundum quod est aliquid creatum; alio modo secundum formalem rationem gratiæ, in quo transcendit omne ens creatum, & etiam seipsam in quantum est accidens creatum, & solùm respicit Deum, vt est actus purus, & in eo quod excedit omnem creaturam. Si ergo consideretur gratia primo modo, educibilis est de potentia Animæ; quia pro ea parte, qua est quid creatum, non implicat ex creatura educi; quia pro hac parte illi proportionatur in ratione creaturæ; secundo autem modo excedit ipsam Animam excessu analogico, sicut Deus excedit creaturam; & secundum eam rationem, sicut non dependet ab Anima, sed à Deo, ita neque educitur ab Anima, sed exit à Deo. Quia tamen entitas gratiæ quid creatum est, & accidens inhærens entitatiuè, est educibilis; esto in ratione formali gratiæ transcendat omnem capacitatem Animæ; Et licèt eadem sit gratia quantum ad entitatem, & quantum ad rationem gratiæ, est tamen diuersa consideratio secundum quod respicit subiectum, aut secundum quod respicit Deum; sicut aliã est consideratio relationis secundum *in*, & secundum *ad*.

Gratia non educitur, sed vt accidens.

An virtus instrumentalis corporalis sit, vel spiritualis?

Quintò objicies, Res corporea solùm potest recipere accidens & virtutem corpoream, ergo quamtumcumque agens principale ei velit communicare virtutem, solùm poterit communicare virtutem corpoream: Hoc autem non potest attingere rem spiritualem; quia actio identificatur cum termino; virtus autem per modum motionis, actio est superioris agentis; ergo vt attingat rem spiritualem, debet esse actio & motio spiritualis.

Confirmatur, Quia omne agens corporeum requirit contactum circa passum, vt operetur in illud; Sacramentum autem corporeum, & instrumentum Dei non attingit passum, ergo non potest agere etiam instrumentaliter circa illud. Minor patet, tum in igne inferni torquente dæmones, qui sunt in aëre; tum in actu interiori, aut locutione, quando in rem distantem operatur, vt in Sacramento Matrimonij, aut etiam Pœnitentiæ, ergo tale instrumentum tunc non est eleuabile.

Respondetur, Quod de hac virtute impressa instrumento latius dicetur dubio sequenti; Interim tamen Respondetur solutione Diu. Thomæ, in hac quæst. art. 4. ad. 1. Quod in re corporea non potest esse virtus spiritualis, per modum virtutis permanentis & completæ, bene tamen instrumentaliter, & per modum transeuntis; vbi per ly *permanentis & transeuntis*, non intelligitur, parum vel multum durans in subiecto; Nam neque etiam per instans potest intellectus inhærere lapidi, aut quantitas Angelo; sed intelligitur per ly *transeuntis & permanentis*, virtus seu motio habens esse perfectè aut imperfectè, per modum tendentiæ aut per modum termini, per modum intentionalis aut realis immutationis.

Virtus spiritualis in re corporea per modum transeuntis.

Ratio enim, Quare repugnat spiritualem entitatem inhærere corpori est, Quia per inhærentiam accidens participat esse à subiecto, quod qualitas

qualitas spiritualis habere non potest à subiecto corporeo, aliàs existeret res spiritualis per esse corporale; motio autem spiritualis, qua instrumentum mouetur a principali agente, sicut non habet rationem spiritualitatis perfectè, & vt forma, ita neque habet esse spirituale perfectè, sed se habet vt via ad esse spirituale, & ad entitatem spiritualem; & ita non repugnat quod recipiatur in corpore, & habeat esse incompletè corporeum, quatenus per illam corpus manet eleuatum. Vnde dicit Diu. Thomas quæst. 27. de Verit. art. 4. ad. 5. *Virtus illa communicata instrumentis corporeis, neque potest dici corporea, neque incorporea propriè loquendo: quia corporeum & incorporeum sunt differentiæ entis completi, sed propriè dicitur virtus ad incorporeum; sicut motus magis dicitur ad ens, quàm ens.*

Virtus hæc non corporea aut spiritualis, sed ad spiritualè.

Ex quibus colligitur, Quod licèt corpus non possit dare esse virtuti, quæ propriè est incorporea; virtuti tamen quæ non est propriè corporea neque incorporea, sed est virtus ad incorporeum, & reductiuè solùm est incorporea, bene potest dare esse; non tanquam enti aut formæ, sed tanquam motui, & cuidam Postprædicamento ordinato ad rem spiritualem.

Neque ob hoc similiter, motus physicus potest esse in re spirituali, quia motus physicus entitatiuè non distinguitur a suo termino; vnde non potest esse nisi in subiecto sui termini; Quia motus caloris (verbi gratia) est calor in fieri; & ita talis motus non potest poni in Angelo.

Motus physicus in re spiritali non capit.

Item, Quia motus physicus non potest subordinare sibi virtutem Angeli, vt sit Angelus eius instrumentum; quia inferius nequit subdere sibi superius, neque inuenit in eo capacitatem, quæ tantum potest esse modo quantitatiuo & extenso.

At verò motio instrumentalis, est communicatio quædam virtutis principalis agentis, per modum motus, ipsi instrumento, vt actio eius habeat pro termino aliquem effectum supra se, & vt habeat effectum extra ipsum instrumentum, vnde talis motio communicari potest rei corporeæ, vt pote quæ non sit plenè res spiritualis, cùm non pertineat ad prædicamentum spiritualis entitatis, quin communicetur ipse effectus eius, qui est extra instrumentum, nec virtus principalis agentis, quæ est in Deo; Vnde non videtur quod illa motio sit entitatiuè corporea, & virtualiter spiritualis; tum quia difficultas eadem est, Quid sit illud virtualiter esse spiritualem. Nam si est aliquid corporeum, nequit attingere spiritualem effectum; si autem est aliquid spirituale, quomodo est in illa entitate corporea?

Tum quia si entitas illa est corporea, non solùm per modum transeuntis, sed etiam per modum permanentis esset in instrumento corporeo, neque indigeret Diu. Thomas distinguere, & explicare quomodo in subiecto corporeo sit. Si enim entitatiuè corporeum est, vt quid Diu[illegible]mas dicit, Quod virtus illa spiritualis potest [illegible] per modum transeuntis in corpore, non per modum permanentis? Ad quid etiam dicit, quæst. 62. art. 4. art. 2. Quod illa virtus instrumentalis non est in genere, sicut motus, si entitatiuè formaliter est quid corporeum? Si tamen dicatur entitatiuè esse corporea, dicendum est, quod intentionaliter est spiritualis; sicut species impressa intentionaliter est substantia, & entitatiuè accidens.

Virtus intentionaliter spiritualis.

Ad confirmationem Respondeo dupliciter, Primò, Quod ad agendum sufficit contactus virtualis, & non requiritur quantitatiuus & formalis; sicut sol tangit aurum intra terram; sic per motionem illam, potest instrumentum attingere Spiritum; quia virtus principalis est illi indistans, licet instrumentum non sit indistans. Secundò dicitur, Quod contactus agentis ad patiens est conditio quædam extrinseca, quam Deus potest supplere; & ideo sine illa potest agere agens corporeum, sicut sine applicatione ignis potest comburere.

Contactus virtutis, & indistantia.

DVBIVM OCTAVVM.

Vtrùm in instrumento requiratur aliqua præuia motio, qua eleuetur à Deo ad effectum principalem, & quid sit illa motio?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Scilicet præuiam illam motionem requiri, eamque esse actualem eleuationem, & concursum quo Deus cum instrumento ad effectum principalem concurrit, ita vt præter illam motionem non sit necessarius alius concursus, sic eleuato instrumento & moto superueniens.

Motio præuia in instrumentis.

Pro intelligentia huius conclusionis, & controuersiæ præsentis, Notandum est, quod in vno principio certo omnes Authores conueniunt, in alio verò longè dissentiunt. Id in quo conueniunt omnes, est, Quod in omni causa effectiuè operante, ante causalitatem & efficientiam eius, requiritur virtus actiua, seu actiuitas, qua constituatur in actu primo in ordine ad effectum producendum; & huius ratio manifesta est, Quia in omni causa efficiente & concurrente per causalitatem suam ad effectum, oportet & quod sit positiuus ordo & habitudo ad effectum, & quod causalitas ipsa, seu actio exeat naturaliter, & emittatur à tali causa; ad vtrumque autem acquiritur actiuitas, seu actus primus in causa efficiente; quia positiuus ordo & inclinatio causæ ad effectum, non potest fundari nisi in aliquo, in quo contineatur talis effectus, & à quo pendere possit. Hoc autem continens effectum, & à quo pendet effectus, virtus actiuitatis effectus est. Similiter actio, vt exeat ab aliqua causa, requirit in illa actualitatem sufficientem emittere ex se talem actionem, quæ comparatur ad principium vt actus secundus; ergo oportet illam habere principium, quod sit actus primus; & hoc est actiuitas, seu virtus constituens causam efficientem in ratione principiantis actionem, & emittentis actum secundum; In hoc omnes conueniunt.

Proponuntur quatuor modi dicendi.

Dissentiunt verò valde in assignando, Quid sit in instrumento, id, quo constituatur in actiuitate hac, seu in actu primo ad effectum, quem instrumentaliter producit. Licèt enim requiratur ex parte instrumenti aliqua actio, qua dispositiuè operetur ad effectum principalis agentis, vt sanctus Thomas dicit; tamen hoc solùm requiritur vt conditio, seu dispositio ad operandum instrumentaliter, non vt actus primus instrumenti; Quia per actum primum oportet quod respiciat ordine positiuo effectum, vt sit eiusdem eleuationis, seu ordinis cum illo, quod non habet per actionem suam propriam. Ad explicandum ergo hunc actum primum in instrumentis.

Instrumenti virtus in actu primo.

Cabrere opiniones esse virtutem illi additam.

Quidam posuerunt qualitatem quamdam in instrumentis, per quam accipiant virtutem instrumentariam ad operandum; sicut videmus per Characterem, qui est qualitas in Anima inhærens, accipere Sacerdotem virtutem instrumentariam, seu potentiam ad effectum supernaturalem consecrationis.

Alij verò, Quia qualitatem communicari instrumento, videbant esse communicari formam; & si per talem qualitatem habebat actiuitatem suam, id erat habere actiuitatem permanenter; & aliunde per solum motum Dei non videbatur communicari instrumento actum primum, sed secundum, dixerunt constitui in actu primo instrumentum per virtutem obedientialem actiuam, quæ est inchoatiuè & incompletè virtus actiua.

Suaris, potentia obedientialis actiua.

Alij verò, & vt qualitatem fugerent, & in natura creata actiuitatem hanc obedientialem ab ipsa naturali entitate indistinctam tollerent, dixerunt, Causam instrumentalem non constitui in actu primo per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecam subordinationem ad Deum, per quam ad omne eius imperium subijcitur.

Mag. Vincentij Altur. Extrinseca subordinatio ad Deū.

Denique alij dixerunt, Quod cùm instrumentum non constituatur in actu primo permanenter & formaliter, sed transeunter & ministerialiter; ideo aiunt constitui in actu primo instrumentum per motionem Dei, qua mouet ipsum instrumentum, & per modum motus illud sibi coniungit, & communicat suam virtutem; ideoque motio diuina, seu principalis agentis, constituit instrumentum in actu primo, id est, ipsa virtus principalis agentis (per modum motus & intentionaliter communicata) coniuncta & continuata cum instrumento.

Diuina motio.

Antequam id quod verius videtur in hac parte explicemus, Est notandum, Quod attribui per aliquam formam aliquem actum primum, potest intelligi tripliciter, Vno modo totaliter, id est, tanquam per formam dantem totam virtutem ad agendum; sicut aqua per calorem sibi extrinsecus communicatum, constituitur in ratione calefactiui; & ipsa aqua solùm materialiter se habet, & vt sustentans formam sic actiuam; Alio modo attribuitur per aliquam formam actus primus inchoatiuè; sicut per Characterem Sacerdos constituitur inchoatiuè instrumentum consecrationis, & sicut per potentiam intellectiuam sine specie homo est inchoatiuè in actu primò ad intelligendum, hoc, aut illud obiectum; Tertio modo attribuitur per aliquam formam actus primus completiuè, quia videlicet tribuit actum complentem vim actiuam, quæ per aliam entitatem est inchoatiuè; sicut per speciem impressam constituitur intellectus in actu primo completiuè, non quia species sit ipsa vis actiua intelligendi, sed quia complet virtutem actiuam intelligendi, vt exeat in actum intellectionis.

PRIMA CONCLVSIO.

Virtus instrumentalis non est qualitas permanens.

IGitur, Quod instrumentum non constituatur per aliquam qualitatem, tanquam per totam virtutem agendi in actu primo, ad producendam gratiam, apud omnes constat. Non enim instrumento communicatur virtus ad principalem effectum, sicut communicatur calor aquæ ad calefaciendum; Nam non potest dari qualitas creata

In instrumentoSacramentis, non est qualitas permanens ad effectum & gratiam.

A productiua gratiæ, sicut calor est productiuus calefactionis & calidi; quia cùm gratia sit immediatè participatio diuinæ naturæ, in eo in quo excedit omnem creaturam, non potest dari aliquid creatum quod producat ipsam, sicut calor producit calidum; Neque instrumentum hoc modo potest constitui in actu primo ad agendum, quia virtus productiua gratiæ spiritualis, non potest inhærere instrumento corporeo, sicut calor aquæ; Est enim ibi in esse completo calor, & inhæret per modum formæ informantis, quod nequit facere virtus spiritualis in re corporea; nec potest etiam operari per formam sibi communicatam ab extrinseco, cùm sit contra rationem instrumenti operari per formam sibi permanenter inhærentem.

B Deinde etiam certum est, Quod non potest per qualitatem aliquam attribui instrumento virtus agendi in actu primo completiuè; Nam virtus quæ completur per qualitatem in actu primo est virtus quæ constituitur in actu primo, vt forma, ex qua deinde procedit actio, vt à principio formali. Omne autem agens quod agit per formam, est agens principale, non instrumentale; Ideo enim ponuntur in potentijs hominis qualitates supernaturales, & habitus infusi, vt tanquam agens principale operetur actus supernaturales; Si ergo per qualitatem tanquam per formam inhærentem constituitur aliquid in ratione productiui gratiæ, actio quæ exit ab ista qualitate, vt à forma & principio agente, exit ab ea vt à principali agente.

C Et confirmatur, Quia omne agens quod agit per formam, intendit producere effectum similem sibi in illa forma; quia effectus semper assimilatur agenti in forma, & principio producendi effectum; igitur si per qualitatem tanquam per formam constituitur in actu primo aliquod agens ad productionem gratiæ, intendit assimilare sibi effectum in illa forma, & sic effectus correspondebit huic agenti, vt habenti principium & formam productiuam sui, quod est esse principale agens illius; Si autem per illam qualitatem non constituitur tanquam per formam ad agendum, ergo non constituitur in actu primo, quando qualitas

D illa forma est dicens ordinem ad actum secundum, aliàs non constitueret in actu primo, si non diceret ordinem ad actum secundum; vel ergo dicit ordinem ad actum secundum in quantum forma est, & qualitas informans & inhærens, & sic per illam tanquam formam constituetur in actu primo; vel dicit ordinem ad actum secundum, non in quantum est qualitas informans & inhærens, sed vt est concursus & motio transiens, & sic frustra dicitur per qualitatem constitui in actu primo; Motio enim & concursus distinguitur à qualitate informante & inhærente; & sic parua erit quæstio, An illa motio & concursus entitatiuè sit qualitas, vel non sit qualitas: dummodò intelligatur non constitui per rationem formæ in actu

E primo.

Si verò [illegible]us, Per qualitatem non constitui in actu primo completiuè instrumentum, sed inchoatiuè; si intelligatur de virtute inchoatiua habente actiuitatem ad influendum in effectum, clarum est quod repugnat instrumento, vt probabitur in sequenti sententia; si autem sit inchoatiua quasi capacitatem quamdam tribuens, id non erit inconueniens in instrumentis permanentibus, & in animatis ponere, sicut ponitur Character in Sacerdote; in Sacramentis autem poni non debebit; quia vel consistunt in successiuo motu, vel

operantur ratione vsus & actionis successiuæ, sicut Eucharistia per manducationem.

SECVNDA CONCLVSIO.

Non consistit in potentia obedientiali actiua.

Secundò dicendum est, Esse impossibile quod instrumentum constituatur in actu primo per potentiam obedientialem actiuam, sicut ponit Suarez, qui præcipuè fundatur in eo, quod putat ad rationem instrumenti sufficere, quod non habeat virtutem completam ad aliquid efficiendum, sed indigeat ab alia causa compleri; vel quod non propria virtute, sed aliunde accepta agat.

Suaris, potentia obedientialis actiua exagitata.

Quia impossibile est quod potentia obedientialis in creatura, intelligatur esse aliqua positiua inclinatio, & habitudo ad effectum supernaturalem, sed solùm non repugnantiam vt Deus vtatur creatura sua ad omne, quod non implicat contradictionem; sed impossibile est instrumentum constitui in actu primo ad productionem gratiæ, per non repugnantiam, sed per positiuam inclinationem; ergo impossibile est per talem obedientialem potentiam constitui instrumentum in actu primo.

Maior probatur, Quia potentia obedientialis non est aliquid superadditum entitati creaturæ, sed ipsa entitas creaturæ, secundum quod nata est subijci & obedire Creatori; hoc enim non habet creatura per superadditam entitatem, sed eo ipso quod creatura est, & sicut vt sit creatura non indiget alia entitate superaddita, ita neque vt sit obediens Creatori, & non repugnans ad omnia quæ Creator velit in illa, non indiget superaddita entitate; ipsa autem entitas creaturæ, sine alio superaddito, non dicit positiuam inclinationem in supernaturalia, & positiuum ordinem ad ipsa; Quia cùm supernaturalia excedant totum ordinem naturalē, & se habeant vt vniuocæ participationes Dei, omnis entitas creata ordinis naturalis remanet extra totum ordinem supernaturalium, & consequenter positiuè non potest ordinari ad illum.

Igitur per obedientialem potentiam (quæ non distinguitur ab entitate cuiuscumque creaturæ) non potest positiuus ordo, & inclinatio dari in supernaturalia; vbi autem incipit aliquid positiuè ordinari ad supernaturalia, incipit positiuè intrare talem ordinem, ergo quidquid manet extra, & infra talem ordinem, non positiuè ordinatur ad supernaturalia. Est autem aliquid in potentia obedientiali ad Creatorem, per hoc ipsum quod est creatura, ergo per potentiam obedientialem non ordinatur positiuè ad supernaturalia, sed solùm manet non repugnans ad eleuationem supernaturalem; & ita neque inchoatiuè ordinatur ad supernaturalia; siquidem neque inchoatiuè potest intrare positiuè in talem ordinem.

Minor autem argumenti probatur, Quia ab instrumento constituto in actu primo ad effectum supernaturalem, positiuè egreditur effectio, seu productio illius; ergo debet per actum primum positiuè ordinari ad talem effectum; non ergo sufficit potentia obedientialis, quæ intra ordinem positiuum ad supernaturalia non est.

Quod si potentia obedientialis sufficeret constituere aliquid in ratione instrumenti in actu primo; cùm in omnibus creaturis detur talis potentia obedientialis, hoc ipso quod creaturæ sunt; omnes essent instrumenta in actu primo ad producendam gratiam, aut effectum supernaturalem; nec particularem ordinationem in hoc haberent Sacramenta, vt dicerentur esse in actu primo; sed

A omnes entitates creatæ essent formaliter instrumenta, solúmque requireretur ex parte Dei applicatio, & concursus cum tali re ad effectum; applicatio autem non dat virtutem, nec constituit in actu primo id, quod applicatur, sed id supponit; ergo ante applicationem dicerentur res creatæ instrumenta formaliter in actu primo respectu effectuum supernaturalium.

Præterea, Quia instrumentum respectu effectus, ad quem instrumentaliter concurrit, debet se habere vt ad aliquid excedens suam propriam virtutem, & solùm ex participatione principalis causæ concurrens; ergo respectu huius effectus sic excedentis, solùm potest constitui in actu primo
B per participationem causæ principalis; omne autem quod antecedit in instrumento participationem agentis principalis, solùm potest se habere dispositiuè ad talem effectū, non verò vt actiuitas eius, ergo repugnat quod instrumentū per virtutē actiuā sibi congenitam inchoatiuè constituatur in actu primo respectu effectuum, quos solùm instrumentaliter attingit, & vt excedentes respicit.

Et hoc præsertim habet verum in instrumentis diuinæ virtutis; Quia in instrumentis, quæ assumuntur ab agentibus naturalibus, aliquid est in instrumento, quo indiget agens naturale ad suum effectum, & ideo non potest æqualiter agere vno instrumento sicut alio; sicut non potest quis scri-
C bere securi, sed calamo; & ideo agens naturale non præuenit in instrumento suo omnem ordinem ad effectū; at verò Deus æquè bene potest gratiam producere ablutione & ambulatione, aut quauis alia re; vnde non supponit in instrumento aliquem ordinem ad effectum, sed omnē ordinem ipse præuenit, & ab ipso deriuatur; ergo non debet esse inchoatiua virtus actiua in instrumentis Dei.

TERTIA CONCLVSIO.

Virtus instrumentalis non est extrinseca assistentia.

Tertiò dicendum est, Non constitui instrumentum in actu primo per extrinsecam subordinationem ad Deum, sine aliqua creata virtute, & immutatione in se suscepta, vt dicit Magister Vincentius. Probatur, Quia in primis id est expressè contra D. Thomam, qui fatetur in instrumento esse virtutem creatam ad effectum supernaturalem; non ergo debet explicari per solam extrinsecam subordinationem ad Deum; virtus enim creata non est in Deo, sed in instrumento; Id enim expressè ponit in 3. part. quæst. 74. art. 4. vbi inquit, *Quod verbis consecrationis inest quædam virtus creata ad conuersionem sacramenti faciendam: & oppositum* inquit, *quod scilicet supradictum est*, (id est, quæst. 62. art. 4.) *& dictis Sanctorum repugnat, & derogat dignitati Sacramentorum Nouæ Legis*: igitur contra Diu. Thomam est tollere hanc virtutem creatam ab in-
E strumentis; & consequenter dicere, Quod per solam extrinsecam subordinationem ad virtutem increatam, instrumentum constituitur in actu primo ad operandum.

Vincentij Asturié. extrinseca ad Deum subordinatio.

Præterea, Quia vt sæpe diximus, Instrumentum non potest constitui in actu primo ad effectum supernaturalem, nisi per positiuum ordinem, & inclinationem in effectum, per solam autem non repugnantiam seu ordinem negatiuum, nequit constitui in actu primo; cuius ratio est, Quia actio positiuè exit ab instrumento, & sic requirit in ipso positiuum ordinem ad effectum; Nam si

non est in causa, à qua exit actio, actiuitas sufficiens vt talis actio emittatur, nequibit exire à causa; si ergo positiuè emittitur talis actio, positiuam actiuitatem exigit, vt emittatur; sed per extrinsecam subordinationem ad Deum non potest instrumentum acquirere positiuum ordinem, & actiuitatem ad emittendam ex se actionem & effectum supernaturalem, ergo. Probatur minor; Nam per extrinsecam subordinationem nihil ponitur in instrumento positiuum, quod antè non erat; sed omne quod ante extrinsecam subordinationem erat, non poterat habere positiuum ordinem ad effectum supernaturalem, neque ab eò positiuè exire actio supernaturalis, ergo neque post extrinsecam subordinationem; Si enim nil in instrumento intrinsecum & positiuum ponitur, quomodo ab eius intrinseca & positiua entitate potest positiuè exire illa actio supernaturalis?

Et confirmatur, Quia ibi debet esse actiuitas positiuè constituens actum primum, à quo positiuè exit actus secundus; sed actus secundus non exit extrinsecè ab instrumento, sed per propriam eius operationem; aliàs frustra assumeretur instrumentum ad agendum, si ab illo non exit actio; ergo neque extrinsecè solùm debet constitui in actu primo, sed intrinsecè.

Præterea, Quia instrumentum respicit agens principale reali relatione, inquantum eius instrumentum reale est, & ab eo realem dependentiam habet in agendo, quam non habet dum instrumentum non est; ergo hæc realis dependentia & relatio, requirit fundamentum reale & positiuum, ex quo consurgat; sed non consurgit ex ipsa virtute Dei, neque fundamentum hoc est in Deo; tum quia relatio est temporalis; tum quia Deus non est instrumentum neque dependet, ergo habet fundamētum temporale, & de nouo in creatura, ergo aliquam realem immutationem supponit in creatura, in qua exsurgat ista relatio; & sic aliquid in ipso instrumento de nouo recipitur, vt sit instrumentum Dei.

Denique, Quia etsi in instrumentis, quæ naturaliter sunt colligata cum causa principali, non requiratur noua immutatio causæ principalis in instrumento, vt operentur; sicut in calore animalis vt producat carnem, non requiritur noua virtus ab illo proueniens; nempe ab animali; tamen in instrumentis quæ de nouo colligantur, etiam naturaliter, oportet nouam dari immutationem, qua dicatur hoc instrumentū subordinatum tali causæ, & vnitum illi; hæc autē noua immutatio non debet se tenere ex parte Dei, ergo ex parte instrumenti.

Quod etiam patet, Quia ipsa virtus Dei, vt tenet se ex parte Dei, non est actus primus instrumenti immediatè; sic enim nil operaretur instrumentum, neque actionem emitteret; neque relatio instrumenti ad Deum posset esse actus primus instrumenti; siquidem relatio non est actiua, neque ab ea exire potest operatio, & actus secundus effectus supernaturalis, ergo præter relationem instrumenti, & præter virtutem Dei increatam, necessarium est ponere aliquid in instrumento, quo habeat virtutem & actiuitatem ad operandum.

Et licèt probabile sit, Quod ad complendam actiuitatem & actum primum alicuius causæ, sufficiat sola assistentia extrinseca alicuius complentis, sine vnione inhærentiæ; sicut probabile est quod diuina essentia in ratione speciei potest complere actiuitatem intellectus glorificati, per solam assistentiam extrinsecam sui ad intellectum; tamen quod detur tota actiuitas & actus primus ad agendum alicui

A causæ per solam extrinsecam assistentiam, omnino repugnat; Nam oportet quod agens, seu causa à qua exit actio, in se habeat esse agens, & in se habeat actiuitatem, & id quo agat, & quo emittat actionem, alioquin intelligi nequit, quod ab eius entitate exeat actio, nisi in sua entitate habeat quo agat, & actiuitatem qua emittat actionem: Licèt ergo complementum talis actiuitatis possit intelligi, quod sit extrinsecum & assistens, tamen quod tota ratio agendi sit extrinseca, & tamen ab ea exeat actio, impossibile est omnino. Virtus assistens quid possit.

QVARTA CONCLVSIO.

B *Virtus instrumentalis consistit in motione.*

Quartò dicendum est, Instrumentum constitui in actu primo per motionem receptam à Deo, quæ motio sit virtus creata per modum motionis, seu intentionis, & per modum transeuntis communicata instrumento.

Hæc videtur esse mens D. Thomæ, qui perpetuò asserit virtutem communicatam instrumēto, communicari illi *per modum transeuntis, & intentionaliter:* vt in hac. qu. 62. art. 1. & 4. & in 4. dist. 1. qu. 1. art. 4. & qu. 27. de Veritate art. 4. & alibi sæpe, vbi sanctus Doctor semper ponit hanc differentiam inter causam instrumentalem & causam principalem, Quod *causa principalis agit per virtutem suæ formæ: causa verò instrumentalis, non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum, quo mouetur à principali agente. Vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti:* & addit adhuc Diu. Thomas, *Quod quia instrumentum non operatur nisi in quantum motum à principali agente, quod per se operatur, ideo virtus principalis agentis habet esse permanens, & completum in natura: virtus autem instrumentalis habet esse transiens de vno in aliud; sicut motus est actus imperfectus ab agente in patiens.* Motio autem ista non est motio ex parte effectus, quasi fieri ipsius, sed ex parte causæ, quia debet ordinare ipsam in effectum. Quia vt dicit Diu. Thomas 3. p. qu. 62. art. 4. ad. 1. *Per istam vim spiritualem ordinatur Sacramentum ad effectum spiritualem:* sed dicitur motus, quia est ens quoddam incompletum, & virtus non assimilatiua effectus ad se, sed ad causam principalem, cuius vices gerit, vnde reductiuè est qualitas, & à D. Thoma reducitur ad gratiā, quam producit, in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 2. Vide D. Thomam 3. de Potent. art. 7. ad. 7. & 27. de Veritate. art. 4. vbi explicat hanc motionem, per hoc quod sit *institutio, sanctificatio, applicatioque Sacramentorum;* Et in præsenti articulo quarto, *quod sit ordinatio ad effectum spiritualem;* quod coniunge cum his, quæ docet 1. p. q. 103. Motio intentionalis, quo instrumentū constituitur in actu primo.

C

D

Ex quo conficitur Argumentum; Nam virtus principalis agentis est id, quo constituitur in actu primo ad effectum producendum; ergo & virtus instrumenti est actus primus, quo constituitur instrumentum. Rursus, Sed virtus in instrumento non est virtus formæ, sed virtus motionis, qua mouetur à principali agente, ergo actus primus in instrumento non est aliqua forma, vt extrinsecum quid, sed aliquid per modum motionis.

E

Et ratio huius est, Quia instrumentum necessariò debet habere pro effectu aliquid excedens propriam virtutem, & propriam formam agendi; si enim non operetur aliquid vltra propriam virtutem, non operatur instrumentaliter, & ministerialiter tantùm, sed principaliter, & quantum ac-

tingere ex propriis potest; ergo in eo in quo instrumentaliter operatur, oportet quod virtute aliena operetur; sed non virtute aliena sibi permanenter data & communicata, ergo per modum motionis & transeuntis. Minor patet, Quia si communicaretur sibi per modum permanentis talis virtus, vel ipsa communicata indigeret noua eleuatione instrumentali, vt instrumentaliter operaretur, vel non indigeret noua eleuatione instrumentali, sed solo concursu ad actum secundum; si indiget noua eleuatione instrumentali; ergo illa virtus permanens non datur vt cõstituatur in actu primo instrumentali, siquidem posita illa virtute permanente, adhuc non intelligitur eleuatũ instrumentum ad operandum instrumentaliter; & consequenter neque motũ instrumentaliter à principali agente; & sic non est in actu primo instrumentali, sed solum habet dispositionum vt eleuetur.

Sicut Sacerdos habens Characterem per modum permanentis, non est per illum in actu primo ad consecrandum, sed per eleuationem, qua ad talem actionem eleuatur; licèt per characterem fiat capax vt eleuetur; igitur quousque instrumentum constituatur eleuatum per modum causæ principalis, non constituitur in actu primo instrumentali; siquidem instrumẽtum quandiu caret eleuatione ad effectum principalis agentis, non habet positiuum ordinem & proportionem cum effectu, ergo neque est in actu primo; siquidem quandiu caret eleuatione, est adhuc in inferiori ordine ad effectum, & per eleuationem trahitur ad id, quod est extra se, seu vltra se; ergo quousque eleuetur non est in positiuo ordine, & actualitate sufficienti ad effectum, & consequenter neque est in actu primo respectu effectus. Si ergo per qualitatem illam permanentem nondum est eleuatum instrumentum, sed ad hoc indiget eleuatione, non est in actu primo, & in actualitate qua exire possit actio instrumentaliter, quousque eleuetur.

Si verò posita illa virtute permanente non indiget eleuatione, sed solo concursu ad actum secundum, operatur per illam virtutem tanquam per formam, quæ in actum reducitur, & per illam assimilare sibi debet effectum, & sic agit vt causa principalis, oportet ergo quod communicetur hæc virtus per modum motionis.

Præterea; Quia cùm certum sit Actum primum & secundum debere proportionari positiuè, cùm secundus exeat positiuè à primo, & constet actum secundum & effectum esse eleuatum supra totum id, quod formaliter habet instrumentum; necessarium etiam est, quod actus primus eleuatum reddat instrumentum in ordine ad illum effectum; eleuatio autem ista instrumenti nequit permanenter esse in instrumento, & per modum formæ, sed per modum motionis; tum in instrumentis corporeis, in quibus eleuatio ad supernaturale & spirituale non potest esse per modum formæ, & inhærere illis vt forma in subiecto; tum ex ratione communicationis instrumentalis, quia id quod est principium agendi vt forma, semper est id in quo debet assimilari effectus ipsi agenti; aliàs frustra per formam diceretur agere, aut producere effectum, si talis effectus non assimilatur tali principio formali, siue perfectè & secundum adæquationem, vt in causis vniuocis, siue inadæquatè & imperfectè, vt in æquiuocis; Effectus autẽ nunquam assimilatur instrumento, sed causæ principali, ergo non supponit in instrumento principium formale agendi, & consequenter neque formã eleuantẽ ipsum instrumentũ, vt per illam tanquã per principium agendi operetur, ergo solum per motionẽ constitui potest in actu primo, seu per aliquod quod non se habeat permanenter vt forma sed transeunter vt motio.

Ac denique, Quia instrumentũ in agendo instrumentaliter dependet à causa principali, & solùm secundum eius motionem agit vt aliquod ministerialiter deseruiens, ergo non debet virtutem operandi habere in se, eo modo quo causa principalis; igitur si causa principalis habet virtutẽ per modum formæ, non debet communicari instrumento, vt instrumentaliter agat etiam per modum formæ; sed solum per modum motionis & transeuntis.

Soluuntur Argumenta.

Quæ probant eam virtutem in Sacramentis non esse motionem.

CONTRA QVARTAM CONCLVSIONEM, positam pro quarto modo.

An motio sit per modum auxilij, sufficientis vel efficacis, præuij vel simultanei, & cum quo effectu identificatur?

Primò arguitur, Instrumentum nequit constitui in actu primo ad agendũ per concursum actualem, & in actu secundo se habentem, ergo per aliquid antecedens concursum actualem, ergo non per motum & motionem. Antecedens probatur, Nam instrumentum prius debet esse in actu primo, quam agat in actu secundo; ergo non potest constitui in actu primo per concursum in actu secundo. Consequentia verò probatur, Quia si constituitur in actu primo antecedenter ad actum secundum, & non potest constitui per actum secundum, necessariò oportet quod constituatur per aliquid antecedens actum secundum, & concursum actualem; Rursus, Sed motio illa Dei non est aliud quàm eius concursus actualis, ergo per motionem non potest constitui in actu primo instrumentum, sed per aliquid antecedens motionem. Antecedens probatur, Nam motio Dei mouens instrumentum, non est per modum auxilij sufficientis, seu dantis potentiam, sed per modum efficacis motionis, ergo est per modum concursus actualis, & in actu secundo.

Et confirmatur; Quia si illa motio non est per modum cõcursus actualis, ergo posita illa motione in instrumento, indigebit instrumentum nouo & distincto concursu superueniente motioni, vt reducatur ad actũ secundum; & sic per motionem constituitur instrumentum, vt in potentia reducibili ad actum secundum, sicque operabitur per illam sicut per formam.

Confirmatur secundò; Quia si motio diuina esset tota virtus agendi in instrumentis, ergo instrumẽta hæc, præsertim inanimata, non agerent omnino, quia auxilium hoc non est in ipsis instrumentis, ac adeò neque per illud dicitur agere, quod patet; Quia auxiliũ hoc, seu concursus actualis, est actio quæ identificatur cum effectu, seu termino talis actionis; effectus autem seu terminus extra instrumentũ est, ergo non identificatur cum instrumento, sed cum effectu extra, & sic per illud non agit instrumentum.

Et confirmatur tertiò, Quia præter virtutem increatam Dei, & motionem ipsam in actu secundo, non datur alia motio constituens in actu primo instrumentum; siquidem per actualem operationem causæ principalis subordinantis sibi instrumẽtum, illud operatur effectum suum, ergo præter operationẽ Dei in actu secundo, & virtutem increatam,

à causa principali, difficile esset explicare, quomodo fiat instrumenti, & ei communicetur; Cæterum illa actio, quæ vt procedit à Deo est simplicissima, cùm sit actio increata; tamen vt se tenet ex parte creaturæ, & habet rationem motus respectu instrumenti, & rationem productionis respectu effectus, & sic mouet instrumentum, vt ab illo exeat actio virtuosa supra virtutem propriam, vt tendat ad effectum simul cum actione Dei: sicut etiam quando Deus adiuuat causam principalem inferiorem, actione sua mouet causam, redditque actuatam; & iterum simultaneè cum eius actione concurrit ad effectum; postquam prius concurrit ad causam; Sic in instrumento, ad quod duplex concursus facit in principali, facit vnicus in instrumento, cum duplici formalitate, quia mouetur à Deo actione virtuosa, & supra naturam instrumenti; & ita pro quanto illa actio ex parte creaturæ etiam est motus, dat istam eleuationem instrumento, vt actio exeat ab ea supra virtutem suam; sed hæc actio identificatur cum simultaneo concursu Dei ad effectum, qui entitatiuè non distinguitur à motione eleuante.

Et si adhuc instes, Nam motio illa, seu actio & concursus Dei, vt motus, est in instrumento; concursus autem simultaneus est in effectu, cum quo identificatur, effectus autem instrumenti extra instrumentum est, ergo entitatiuè distingui debent motus ille, vt eleuans; & concursus simultaneus cum tali instrumento eleuato; Respondetur, Quod concursus ille simultaneus, qui cum productione simul tendit ad effectum, non tendit simpliciter ad effectum, sed eleuando simul instrumentum; & ideo non est inconueniens identificari cum duplici effectu, quia virtualiter duplex actio est, cùm sit actio eleuatiua; præsertim, quia isti effectus non sunt disparati, sed ordinatè se habentes, & non identificantur cum vtroque eodem modo; sed cum vno per modum motionis, & cum alio per modum effectus & iste exit ab illo, & continuatur productio effectus cum motione instrumenti; & sic non est inconueniens, quod ab eodem entitatiuo concursu virtualiter multiplici, prodeant hi duo effectus ita ordinatè se habentes. Dicendum itaque, Quod si motio vt est in instrumento & effectu, esset duplex terminus completus & adæquatus, tunc non posset identificari cum vtroque eadem actio; cæterum illa actio habet pro termino incompleto & initiatiuo eleuationem passiuam instrumenti, & pro completo & adæquato effectum extra, & ideo vna actio sufficit ad vtrumque.

Habet ergo ille concursus duplicem effectum entitatiuè, scilicet eleuationem passiuam instrumenti, quæ est communicatio virtutis principalis agentis per modum motionis; & effectum ipsum ordine quodam consequentem ad motionem; Non tamen concursus est duplex, sicut nec effectus, sed vnus & idem; quia à causa principali non prius procedit concursus ad instrumentum, & inde ad effectum, sicut ad causas principales; quæ quia in ratione causæ actuari debent, prius est concursus ad ipsas, deinde ad operationem & effectum; at verò in causas instrumentales, quia non actuari in forma sua, sed eleuari debent vltra formam suam, ipse concursus qui à Deo exit vt productio effectus, habet eleuare instrumentum, & cum sic eleuato concurrere ad effectum; & ita habet ille concursus effectum in instrumento (scilicet ele-
A uationem passiuam) & effectum extra instrumentum; non tamen concursus vnus sistit in eleuatione vt in termino, & alius inde exit ad effectum.

Concedimus ergo, Quod eleuatio est in instrumento, & concursus simultaneus tendit ad effectum; non tamen iste est duplex concursus, sed duplex effectus eiusdem concursus, qui non simpliciter tendit ad effectum, sed subordinando sibi instrumentum, & trahendo vt sit principium simul illius productionis; & ita actio eleuans & producens ex parte Dei eadem est, licèt habeat duplicem effectum; in instrumento, eleuationis passiuæ; in effectu, productionis extra causas; Et
B ita eleuatio passiua & concursus simultaneus, vt identificatur cum effectu, entitatiuè distinguitur, cùm sint in diuersis subiectis; concursus tamen simultaneus actiuè, & eleuatio ipsa actiuè, non distinguuntur, sed attingendo instrumentum, & reddendo illud virtuosum per modum motionis, attingit etiam effectum; sicut artifex applicando serram, artificiosè facit cathedram; & musicus tangendo chordas, artificiosè efficit musicam; quia illa actio habet tendere ad effectum, non simpliciter, sed mouendo instrumentum, & subordinando illud; & ita duplicem effectum habet consequenter, in instrumento passiuam eleuationem, quæ non est effectus completus, sed inten-
C tionalis, & per modum motionis, & extra instrumentum simultaneè concurrendo cum productione, exeunte ab instrumento ad effectum; Neque est inconueniens, Quod attingendo instrumentum, identificetur cum productione, quæ ab illo exit; siquidem ab eo originatur, vt sic transeat ad effectum; non tamen sic debet fieri in auxilio, quod datur causis principalibus; quia agens superius non intendit eas applicare per modum instrumenti, mouendo vt agant, sed intendit formam earum actuare & perficere, & deinde ad operationem concurrere. Vnde oportet quod alia entitate forma actuetur, alia operatio ipsa simultaneè exeat.

D Et ex his patet ad confirmationes. Ad primam dicitur, Quod illa motio est concursus actualis, non tamen simpliciter tendens ad effectum, sed cum motu & eleuatione, ac subordinatione instrumenti; & ideo non oportet aliud auxilium entitatiuè distinctum adhibere, vt reducatur instrumentum de potentia ad actum; Nec ista motio habet solum esse simplex productio, sed eleuatiua, & productiua simul; eleuatiua respectu instrumenti, productiua simul cum actione instrumenti concurrendo.

Ad secundam confirmationem, negatur antecedens; Ad probationem dicimus, Quod hic concursus actualis non solùm identificatur cum effectu, sed etiam cum instrumento, quatenus est
E eleuatiuus eius; quia licèt sit vnus entitatiuè, virtualiter est multiplex; & ita habet duplicem terminum, vnum per modum motionis in instrumento, alium per modum effectus extra instrumentum. Neque est inconueniens, Quod vna actio virtualiter multiplex, cum pluribus effectibus identificetur, vt patet in sole producente tot effectus in his inferioribus, & eodem igne producente plures calefactiones; Sic non est inconueniens, quod idem concursus & productiuus sit & eleuatiuus, habeatque per modum motionis dare virtutem creatam instrumento, & concurrere simultaneè cum productione effectus. In quantum eleuatiuus, identificatur hic concursus cum in-

strumento; in quantum productiuus, cum actione exeunte ab instrumento, & cum effectu.

Quod si illa actio ab instrumento non exiret, difficilius appareret, Quomodo eadem actio quæ eleuat, identificaretur tanquam concursus simultaneus cum effectu; exeundo autem ab instrumento, cum illo identificatur, & cum effectu vt exeunte ab illo; in quo etiam eleuationem posuerat; Sicut eadem actione producitur essentia, & propria passio, & tamen passiones dimananr ab essentia.

Ad tertiam confirmationem Respondetur, Verum esse, quod præter virtutem Dei, & motionem ipsam in actu secundo, non datur alia motio B media constituens in actu primo instrumentum, cùm instrumentum non sit forma actuanda, vt procedat in actum, & quæ tali motione actuatiua indigeat; & sic cùm per modum motionis constituatur in actu primo, illa motio quæ est productio, non simplex, sed eleuatiua, vtrumque habet facere, scilicet eleuare instrumentum, & in actu primo constituere per eleuationem, & producere effectum simul cum instrumento eleuato. Et quando dicitur, Quod motio ista non est virtus ad agendum, sed actio Dei identificata cum effectu, non cum instrumento, distinguitur; Non est virtus per modum formæ, concedo; per modum motionis & eleuationis actualis, nego. Item, Est actio identificata cum effectu, distinguo; identificata cum effectu nudè & simpliciter, nego; mediante subordinatione & eleuatione instrumenti, concedo; Quia sicut ille effectus non habet procedere à Deo simpliciter & immediatè, sed mediante instrumento, ita non habet identificari cum effectu immediatè & simpliciter, sed mediante eleuatione instrumenti. Et ita in quantum eleuatiua illa actio, habet identificari cum instrumento; non simpliciter, sed per modum motionis & tendentis vlterius ad effectum. Et non est inconueniens, Quod eadem actio identificetur cum duobus distinctis subiectis ratione diuersorum effectuum, quando vnus ordinatur ad alium, & D non simpliciter identificatur cum vtroque, sed cum vno per modum motionis & transeuntis, & cum alio simpliciter & permanenter per modum effectus. Et ita licèt eleuatio sit in instrumento, & effectus extra instrumentum, actio tamen eleuans instrumentum, & emittens effectum ac productionem effectus ex illo, eadem est, & in vno identificatur per modum motionis & transeuntis, & in alio per modum effectus.

Quid ponat motio instrumentalis in instrumento?

Secundò obijcitur, Illa motio qua eleuatur instrumentum immutat realiter & intrinsecè instrumentum, ergo aliquid habet producere in instrumento, quod antè non erat; ergo motio illa, seu eleuatio actiua aliquem terminum habet in instrumento tanquam effectum, in quo constituatur in actu primo instrumentum, ergo non constituitur in actu primo per motionem, sed per terminum motionis, & postea indigebit alio concursu, vt à tali termino prodeat actio producens effectum; & sic motio formaliter loquendo non erit virtus instrumenti, sed causaliter; quia virtus instrumenti est quid productum per talem motionem.

Confirmatur, Quia instrumentum debet constitui in actu primo per virtutem actiuam, ex qua A videlicet procedat actio productiua effectus; sicut in Sacerdote ponitur Character ad consecrandum; sed per motionem non habet virtutem actiuam, ergo motio distinguitur à virtute instrumenti. Minor patet, Quia motio est de genere passiuorum, sicut motus est in mobili; per illam enim passiuè mouetur, & eleuatur instrumentum, ergo.

Confirmatur secundò, Nam causis quæ eleuantur ad actus supernaturales, præter motionem Dei datur virtus seu qualitas suscepta in ipsis causis, per quam constituantur in actu primo, ergo similiter in instrumentis. Patet consequentia, Quia secundum se minorem proportionem habent cum actionibus supernaturalibus, ergo ad faciendam istam proportionem virtus actiua dari debet in instrumentis, sicut in alijs causis.

Respondetur, Aliquos existimasse quod virtus instrumenti non esset ipsa motio, qua mouentur à principali agente, sed quod esset terminus aliquis per talem motionem habitus, aut productus in ipso instrumento; essetque talis terminus, seu virtus principium effectus instrumentalis, & id quo constitueretur instrumentum in actu primo instrumentali; & hanc refert opinionem & impugnat Caietanus, in hac quæst. art. 4. & Nauarrete tom. 2. controuers. 15. §. 6. *Virtus instrumenti, terminus aliquis in eo habitus per motionem; opinio quædam.*

C In qua opinione duo consequenter dicenda videntur; Primum, Quod illa motio, vt tenet se ex parte instrumenti, non est effectio aut productio in genere causæ effectiuæ respiciens illum terminum, sed solum formalis tendentia ad illam per modum motionis, non actionis, licèt vt tenet se ex parte Dei, sit actio. Hoc patet, Quia motus, vt se tenet ex parte mobilis, non est productio, sed ratio formalis tendentiæ ad terminum, non ratio effectiua; Est enim motus, *Actus entis in potentia*, seu ipse terminus, vt ab imperfecto exiens ad perfectum; licèt motus consideratus ex parte agentis dicatur actio. Et sic calor productus in aqua per motum, non est effectus motus, sed producitur ab actione medio motu, primo; mediante tendentia de imperfecto ad perfectum. Si ergo eleuatio illa ex parte passi est motio tendens ad terminum, non se habet vt productio effectiua, sed vt tendentia formalis; Actio enim mediante tali tendentia, producit in instrumento illum terminum, quatenus ille terminus per motum in subiecto producitur; & sic motus non identificatur cum termino, vt actio aut passio, sed vt quid imperfectum tendens ad perfectionem, seu vt res in fieri cum re in facto esse.

Secundum quod debet dici est, Quod ista motio secundum rationem motionis, si habet terminum distinctum à se in instrumento, completur in illo vt in termino suo; Omnis enim motus, E cùm sit in fieri, & imperfecta tendentia ad perfectum terminum, in ipso termino sistit & completur; & ita illa motio completur in tali termino. Respectu enim effectus postea exituri ab instrumento, ista motio non se habebit vt motus, siquidem ille effectus non producitur per motum, neque est terminus illius, vt motio est; vnde vt exeat actio ab instrumento per illam virtutem, seu terminum à motione acquisitum, indigebit nouo concursu (simultaneo saltem.) Quia cùm motio illa habuerit terminum suum in instrumento, & hic terminus sit virtus creata recepta in instrumento, quæ non est actus purus in agendo, sed potentialitatem dicens, oportet quod reducatur

in

in actum ab aliquo concurſu diuino; & ſic præter productionem talis termini, in qua ſiſtit illa motio vt in termino, incipiat nouus concurſus termino illi ſuperueniens, & cum eo concurrens; Sicut in cauſa principali, quia oportet cauſam ipſam terminari vltima actualitate ad agendum, indiget concurſu præuio talem terminum ponente, & & deinde alio ſimultaneo comproducente effectum.

Exagitata hæc opinio: Motum intentionalé, non habere terminum in mobili, ſed extra.

Hæc tamen ſententia reijcienda eſt; Nam licèt motio phyſica, ſeu omnis motus habeat terminum in quo compleatur, motio tamen intentionalis non habet terminum in ipſo mobili, cuius eſt motio, ſed extra tale mobile; Motio enim intentionalis non reſpicit terminum, ſicut tendentia, & ſicut terminus in fieri & in eſſe imperfecto, terminum in facto eſſe & in eſſe perfecto, ſed ſicut virtus cauſæ principalis in eſſe diminuto & tranſeunte, reſpicit effectum; Vnde ſicut ſpecies imperfecta magis reſpicit obiectum, cuius eſt ſemen intentionale, quàm conceptum ſeu cognitionem, cuius principium eſt ſimul cum intellectu: ſic motio intentionalis communicata inſtrumento, magis reſpicit virtutem cauſæ principalis, cuius gerit vices, & per quam habet efficere vnum in ratione principij actionis cum virtute cauſæ principalis, quàm reſpiciat aliquem terminum per modum tendentiæ & imperfecti.

Vnde ſicut virtus cauſæ principalis non reſpicit pro termino aliquid in inſtrumento ponendum, ſed effectum extra inſtrumentum producendum, in quo diſtinguitur à concurſu cauſæ ſuperioris cum cauſa inferiori principali, in qua cauſa ſuperior non ſolum reſpicit effectum producendum, ſed cauſam inferiorem actuandam, & ita diſtincto concurſu vtrumque perficit; principalis verò cauſa non reſpicit inſtrumentum perficiendum, ſed reſpicit primò effectum producendum, cum ſubordinatione tamen inſtrumenti, & ita vno concurſu habet id facere; ſic motio intentionalis, quæ eſt vicaria ſeu vices gerens illius virtutis principalis, non habet pro termino aliquid in inſtrumento, ſed aliquid extra inſtrumentum; & ideo ſanctus Thomas, Virtutem inſtrumentalem, & virtutem cauſæ principalis non diſtinguit, niſi tanquam formam propriam, ſeu virtutem propriæ formæ, & virtutem per modum motionis ſeu motus, vt in hac quæſtione & articulo, & etiam articulo quarto, & vbicumque tractat de inſtrumentis; & ideo dicit Non aſſimilari effectum virtuti inſtrumenti, ſed virtuti cauſæ principalis; ſicut etiam conceptus non aſſimilatur ſpeciei impreſſæ, ſed obiecto, cuius eſt intentionalis virtus ipſa ſpecies.

Motus, actus imperfecti, aliud à motione in inſtrumenti.

Conſtat autem motum, qui eſt actus imperfecti, neque eſſe virtutem per modum motus, ſed rem ipſam producendam in fieri; neque de eo dubitari poſſet, An aſſimiletur illi effectus? cum ſit ipſemet effectus in fieri; ſanctus Thomas autem ponit Virtutem inſtrumenti vt principium cui non aſſimilatur effectus. Dicitur autem per modum motus dari illam virtutem, quia non permanenter, ſed tranſeunter datur; non tamen quia tranſeunter, datur tanquam actus imperfecti, aut actus entis in potentia tendens ad terminum; ſed vt virtus ipſa principalis in eſſe diminuto & tranſeunte, quia ſolùm ſeruit vt vniatur principali agenti, & fiat vnum cum illo in ratione principij efficientis.

A Quare ad Argumentum dicitur, Quod illa motio immutat realiter inſtrumentum, non cauſaliter, ſeu producendo aliquem terminum, ſed formaliter, tanquam virtus principalis agentis intentionaliter, & per modum motus participata; & ita illa motio non eſt cauſaliter virtus inſtrumentaria, ſed formaliter; non formaliter permanenter, ſed formaliter intentionaliter. Vnde neque terminum habet à ſe productum, neque alio concurſu indiget reducente de potentia ad actum ipſum terminum, ſed ab eodem concurſu principalis cauſæ, intendente producere effectum procedit, & communicatio intentionalis propriæ virtutis, non vt terminus, ſed vt id quo producatur terminus; quia non ſimpliciter procedit à virtute principalis agentis, prout in principali agente eſt, ſed prout intentionaliter in inſtrumento; cui ideo communicat virtutem intentionaliter, & effectum producit eodem concurſu, vt ſupra dictum eſt. B

Ad primam confirmationem Reſpondetur, Conſtitui per virtutem actiuam in actu primo, non quæ ſit virtus actiua per modum formæ, ſed per modum intentionalis motionis; & hæc conſtituitur per motionem, non paſſiuè ſe habentem & reſpicientem terminum, cuius ipſa ſit motus & tendentia, ſed habentem in ſe virtutem principalis agentis tanquam vices eius gerens, & intentionaliter habens vt inſtrumentaliter effectum producat; C Character autem in Sacerdote non eſt virtus actiua, qua habitualiter conſtituatur inſtrumentum in actu primo ad productionem effectus ſupernaturalis, ſed media eleuatione ſubjecti habentis characterem conſtituitur in actu primo. Character autem dicitur virtus actiua reductiuè, & ad modum potentiæ datur permanenter, quia facit Miniſtrum capacem ad recipiendum, vel agendum aliquid tanquam inſtrumentum animatum, & quaſi debitum ſibi facit concurſum eleuatiuum; non tamen ipſe character, tanquam forma dans actiuam virtutem, reducitur in actum per concurſum datum ſibi, ſicut alij cauſæ principali, ſed per concurſum eleuantem ad agendum effectum ſupernaturalem.

Virtus actiua in actu primo, vt forma, & vt motio intentionalis.

Character, virtus actiua reductiuè ad modū potentiæ.

D Ad ſecundam confirmationem Reſpondetur, Quod illæ cauſæ, quæ eleuantur vt ſint cauſæ principales ſupernaturalium actionum, non fiunt agentia per motum, ſed per formam; Vnde in eis operari, non dicit cauſam præciſam operationis, ſed concurſum, vt acutè dicit Caietanus. 1. p. quæſt. 19. art. 8. & ita indigent recepta qualitate per modum formæ, & principij; inſtrumenta autem non indigent qualitate per modum formæ, ſed indigent motione intentionaliter continente virtutem principalis agentis; qua poſita, non oportet apponere vlteriorem terminum productum per hanc motionem intra inſtrumentum, E cùm illum non habeat motio intentionalis in ſuo mobili.

Cauſæ principalis eleuatio per formam.

Sed adhuc inſtabis, Nam ille terminus dictæ motionis virtualiter erit ſpiritualis, & intentionaliter continebit ipſam virtutem principalis agentis, ſicut motio, ergo non eſt cauſa cur non ponatur; Antecedens patet, Quia terminus eſt idem entitatiuè cum motione, ergo ſicut motio intentionaliter continet virtutem principalis agentis, ita & terminus. Et quod ſignificetur per modum termini, nihil obſtat, Nam terminus perfectior eſt quàm motio, ergo ſi motio eſt virtualiter

Q

spiritualis, multo magis & terminus; & confirmatur, Quia per motionem ponitur instrumentum in actu secundo, ergo ab eadem motione nequit actiuè constitui in actu primo; Nam non potest esse idem principium passiuum, & actiuum respectu eiusdem.

Respondetur distinguendo antecedens, Ille terminus erit virtualiter & intentionaliter spiritualis, Ea formalitate quæ requiritur ad instrumenta, nego antecedens; alia formalitate, transeat; Ad rationem enim instrumenti non requiritur quod communicetur virtus principalis agentis per modum termini aut formæ, quia terminus aut forma principalius respiciunt effectum, vt principium efficiendi, quàm causam principalem, à qua deriuatur, & cuius communicationem facit; vnde & auxilium præueniens, quod Deus communicat causæ principali, quia communicatur illi vt principio efficienti per modum formæ, consequenter communicatur illi vt terminus, & non vt motio; quia licèt subordinet illam causam superiori agenti, constituendo tamen illam & perficiendo in ratione causæ principalis, subordinatæ tamen, vnde præcipuè magisque habet ordinare illam ad effectum, quàm subordinare superiori; instrumentum autem è conuerso, magis habet subordinari superiori, quam ordinari ad effectum, vel perfici in se: quia vt instrumentum est, non habet aliud quàm quod à principali deriuatur. Vnde multò melius id fit per motionem, quàm per terminum, vt distinguitur à motione; Quia licèt terminus perfectior entitatiuè intelligatur, quàm motio, non tamen ea formalitate quæ requiritur ad rationem instrumenti, sed ea quæ requiritur ad rationem causæ principalis.

Motio instrumenti & auxilium præueniens, longè diuersa.

Præterquam quod motio intentionalis, non est via & tendentia ad terminum intra ipsum mobile, sed extra; cùm non sit imperfectum quid dicens ordinem ad perfectum, sed sit communicatio virtutis superioris intentionaliter & transeunter. Vnde sicut species, quæ intentionaliter continet obiectum, principalius respicit obiectum, cuius gerit vices, quàm potentiam vel conceptum; sic illa motio præcipuè respicit virtutem, cuius est intentionalis vices gerens, quàm instrumentum vel terminum; vnde aptior est ad perficiendum instrumentum, quàm terminum.

Ad confirmationem dicitur, Quod illa motio vt intentionaliter descendit à causa principali, & recipitur in instrumento, passiuè se habet; vt autem importat virtutem, quæ non sistat in instrumento, sed tendat ad effectum, actiuè se habet; & ideo respectu diuersorum habet formalitatem actiui & passiui, quod non est inconueniens; sicut in potentiis & actibus immanentibus & speciebus exemplum poni potest; & ita instrumentum si consideretur seorsum à causa principali, oportet quod mediante aliquo passiuo perficiatur, & trahatur ad causam principalem; vt autem consideratur instrumentum tractum & factum vnum cum causa principali, oportet quod se habeat actiuè ad effectum: sic enim videmus, quod ea quæ obedientialiter eleuantur, prius natura debent pati, quàm actiuitatem agendi habeant; & in hoc distinguitur distincta ratio potentiæ obedientialis, quod licèt omnis potentia obedientialis respectu sui Creatoris passiuè solum se habeat, & negatiuè (scilicet vt non repugnantia) tamen aliquæ per hanc non repugnantiam, & passiuam rationem ordinantur ad recipiendam actiuitatem, vt potentiæ vitales, aliæ non ordinantur ad recipiendam actiuitatem, sed præcisè ad patiendum; sicut intellectus noster recipiendo passiuè species, ordinatur vt effectiuè & actiuè producat conceptus.

Virtus in instrumento, seu motio, passiuè & actiuè.

Tertiò arguitur ex Suarez tom. 1. 3. p. disput. 35. sect. 5. Ille motus seu motio, aut est aliquid impressum humanitati Christi aut Sacramentis, vel non; si non est aliquid, ergo Humanitas vel Sacramentum non agunt per illum motum, sed solum causa principalis; siquidem non est actio, neque aliquid illius; Si autem est aliquid impressum humanitati Christi, vel esset alteratio, & tunc oporteret producere qualitatem, quod est falsum; vel motus localis, & tunc deberet producere vbi, cùm tamen sine mutatione loci possit Christus efficere miraculum; vel esset alius quilibet motus, & hic est imperfectius quid ex natura sua, quam quælibet qualitas, ergo non potest constituere sufficienter in actu primo instrumentum ad agendum supernaturalem effectum, & consequenter nec per illum eleuatur instrumentum ad effectus supernaturaliter.

Confirmatur, Instrumentum separatum nequit moueri sine aliquo impresso, aut qualitate impressa ei, distincta ab ipsa motione; sed Sacramenta sunt instrumenta separata, ergo præter motionem indigent aliquo distincto aut qualitate distincta sibi impressa.

Respondetur, Motum illum, seu motionem intentionalem esse aliquid impressum in instrumento, non per modum qualitatis, sed per modum motionis, quæ propriè non est corporeum quid, aut spirituale, vt dicit sanctus Thomas, quæst. 27. de Veritate art. 4. ad 5. sed quid imperfectum, & reductum ad incorporeum, cuius est intentionalis participatio per modum motus, non per modum formæ; sicut non est propriè ens, vti & motus non est propriè ens, sed via ad ens, & Postprædicamentum. Et dicimus Quod illa motio nec est alteratio, neque motus localis, sed diuina motio, seu communicatio diuinæ virtutis per modum motionis, quam Aristoteles non agnouit; sed habet se ad modum intentionalis participationis per modum transeuntis & motus; sicut in fidibus cytharæ recipitur motus artificiosus, & in securi motus, non solùm ad secandum, & expellendum corpus, sed etiam ad effectum artis inducendum.

Motio instrumenti, aliquid est impressum, vt motio, non vt forma.

Et ad improbationem Respondetur, Quod sicut dicit Diu. Thomas art. citato solutione ad sextum, Incompletum non potest esse causa effectus completi & supernaturalis, tanquam causa principalis & virtute propria, sed tanquam causa instrumentalis, & quid reductum ad virtutem principalem, & ab ea deriuatum, & dependens per modum motus; sicut cytharœdus aut artifex, licèt applicando per motum localem instrumentum, producat effectum artificiosum, tamen non solum motum localem ei communicat, quia effectus artificiosus, qui de nouo producitur, non fit per motum localem, neque potest eius effectus esse formaliter loquendo, sed fit per artificiosam actionem; & hæc cùm non exeat ab artifice immediatè, debet exire mediante instrumento; & sic non solus motus localis ei communicatur, sed artificiosa productio.

Ad confirmationem Reſpondetur, Inſtrumenta ſeparata dupliciter ſumi, aut quia non ſunt continua nec contigua; & tunc indigent aliquo impulſu, aut qualitate præter motionem; vel non ſunt continua, ſed ſunt contigua, & tunc ſufficit motio intentionalis ſine impulſu, ſicut patet in ſecuri, quæ artificioſè mouetur; Sacramenta autem contigua ſunt Deo, quia Deus vbique eſt præſens. Secundo dicitur, Illum impulſum eſſe neceſſarium in actionibus phyſicis, & quæ per contactum fiunt, non in ſupernaturalibus, quæ à contactu non pendent; & ideo per ſolam motionem intentionalem fieri poſſunt. Sicut aliud eſt impulſus quo corpus (verbi gratia ſagitta, aut ſecuris) mouetur, aliud dicitur actio, qua artificioſè mouetur; hæc ſecunda eſt intentionalis ratio inſtrumenti, prima eſt phyſicus motus ad effectum principalem mouendi, ſeu ſecandi, & cætera; Nam ſine impulſu ſecuris non ſecat, neque cælum mouetur ſine impulſu.

Impulſus conditio neceſſaria in inſtrumentis phyſicis, non diuinis.

Soluuntur Argumenta.

Pro primo modo dicendi, quæ probant virtutem in inſtrumentis eſſe qualitatem, contra 1. Conc.

PRimò arguitur, Neceſſariò eſt ſupponendum aliquid in inſtrumentis, vt conſtituantur in actu primo ad agendum inſtrumentaliter, ſed ad hoc non ſufficit motio, aut extrinſeca ſubordinatio, ergo debet eſſe qualitas. Patet conſequentia, Quia ſi eſt aliquid ſuperadditum ipſi inſtrumento, non eſt id ipſum quod antè inſtrumentum habebat; ergo vel aliquid intrinſecum, vel extrinſecum; extrinſecum autem non ſufficit, vt iam probatum eſt, intrinſecum autem vel debet eſſe motio, vel qualitas. Minor verò probatur; Nam motio illa vel eſt motus tendens ad perfectum in ipſo inſtrumento, & ſic debet habere terminum in ipſo inſtrumento, qui non eſt aliud quàm qualitas, vel eſt motio intentionalis repræſentans virtutem cauſæ principalis per modum motus, & ſic oportet quod talis intentionalis participatio fundetur, & ſit in aliqua entitate, ſicut intentionalis repræſentatio obiecti eſt in entitate ſpeciei impreſſæ, quæ qualitas quædam eſt; ſimiliter ergo & iſta intentionalis motio in aliqua entitate eſt, quæ ſit qualitas, aliàs non apparet quomodo produci poſſit in inſtrumento, ſi entitatem non habet.

Confirmatur, De facto Sacerdos eſt inſtrumentum conſecrationis, & conſtituitur in actu primo per qualitatem ſibi inhærentem, id eſt per Characterem, qui reducitur ad genus potentiæ tanquam potentia inſtrumentalis, vt ſanctus Thomas docet quæſt. 63. art. 2. & de Charactere loquitur ſicut de virtute ſacramentali, quæ eſt in Sacramentis, ergo non repugnat inſtrumentum conſtitui potens in actu per qualitatem permanentem.

Reſpondetur negando minorem; Et ad probationem dicitur, Quod illa motio eſt intentionalis, vt explicatum eſt; ad hoc autem non requiritur quod ſit aliqua entitas ſeu qualitas, quia vt dicit ſanctus Thomas articulo quarto infra, Non eſt in aliquo genere, ſed ſicut motus non eſt in genere, ſic nec illa motio; & vt dicit, quæſt. 27. de Veritate art. 4. ad quintum, Illa virtus non eſt corporea aut incorporea (propriè loquendo) ſed virtus ad incorporeum; ſicut motus non eſt ens propriè, ſed via ad ens.

Virtus in Sacramentis nec corporea, nec [illegible] propriè, [illegible] ad ſpiritualia.

Et ad id quod dicitur, Quod talis intentionalis participatio debet fundari in aliqua entitate ſeu qualitate, ſicut fundatur intentionalis repræſentatio ſpeciei; Reſpondetur, Quod quando intentionalis participatio datur per modū permanentis aut diſponentis, etiam fundari debet in entitate aliqua inhærenter permanente, quæ debet eſſe qualitas; quando autem intentionalis participatio datur per modum tranſeuntis, & per modum motus, non fundatur in aliqua entitate prædicamentali, ſed in aliquo de genere motus; non tamen motus naturalis, ſed ſuperioris ordinis, qui per modum fluxus diuinam virtutem communicet. Sicut enim datur ad actionem per modum tranſeuntis habendam, & non vt conſtituatur res in ratione principij & formæ, ideo non fundata in aliqua entitate, quæ ſit forma, ſed in aliquo quod ſit motus dari debet. Ita videtur ſentire ſanctus Thomas, qui tenet virtutem inſtrumentalem non eſſe in Prædicamento, ſed reductiuè ad ipſum pertinere, ſicut motus ad actum cuius eſt motus.

Poteſt ſecundo Reſponderi in Aliorum opinione, qui cenſent illam virtutem eſſe entitatiuè corpoream, & virtualiter ſpiritualem; quod illa motio fundatur ſuper aliqua entitate, quæ additur inſtrumento, non tanquam forma productiua, ſed tanquam quid deferens intentionem virtutis principalis; & ideo non operari inſtrumentum per qualitatem ſuperadditam, quæ ſe habeat vt forma & ratio operandi, bene tamen per qualitatem, quæ ſolum materialiter ſe habeat, vt fundamentum intentionalis virtutis; & ita formalis ratio agendi non eſt qualitas, bene tamen materialis. Cæterum ſicut auxilium, quo Deus concurrit cum cauſis principalibus, non eſt qualitas aliqua, ſed actualitas qualitatum & potentiarum omnium actiuarum, ſic non eſt inconueniens dicere, quod illa motio intentionalis non eſt qualitas, ſed actualis quædam participatio diuinæ virtutis per modum tranſeuntis, excedens in actualitate omnem qualitatem, quæ per modum formæ ſe habeat, & ideo non debet eſſe qualitas prædicamentalis; Vnde non indiget concurſu prævio, ſicut cauſæ principales creatæ, ſed ſolùm ſimultaneo, & ita ſi eſt actualitas excedens modum potentiæ & formæ creatæ, non debet eſſe entitas prædicamentalis, ſed ad modum motus ſe habens, quantum ad rationem tranſeuntis, in actualitate tamen excedens entitatem prædicamentalem, ſicut excedit actualitas auxilij; & ideo non debet intentionalis participatio fundari in entitate, quæ ſit qualitas, in quo differt à Charactere, qui eſt qualitas prædicamentalis, cùm non ſit vltimum in actualitate agendi, ſicut illa motio, ſed determinati principij aptitudo & potentia; Et hæc ſit tertia reſponſio.

Motio virtualiter ſpiritualis, entitatiuè corporea, alia opinio.

Ad confirmationem Reſpondetur, Quod in opinione aliquorum, vt Suarez, &c. qui cenſent contra Diu. Thomam Characterem non poni in ſecunda ſpecie qualitatis, ſed in prima, nec reduci ad rationem potentiæ etiam inſtrumentalis, non habet vim argumentum; In ſententia autem ſancti Thomæ dicendum eſt, Quod character non ponitur tanquam virtus actiua, & conſtituens in actu primo inſtrumentali, cùm præter characterem indigeat Miniſter eleuatione & motione, ſicut alia inſtrumenta; ſed per characterem ordinatur ad aliquos actus ſupernaturales communicandos miniſterialiter, & facit ſibi debitam illam motionem intentionalem inſtrumenti. Dicitur tamen reduci ad potentiam, quia in aliquo imitatur rationem potentiæ, quatenus non reſpicit communicationem

Character in Miniſtro vt quædam deputatio, non vt virtus in actu primo.

illorum actuum bene vel malè, sed simpliciter.

In potentia enim naturali duo sunt, Alterum quod dicat actiuitatem & vim ad producendum effectum; Alterum quod dicat illam non ad producendum tali vel tali modo, sed ad simpliciter producendum effectum: Instrumentaria autem potentia, quæ antecedit eleuationem, non coincidit cum potentia in primo (scilicet in actiuitate) sed in secundo; & loco actiuitatis dicit aptitudinem vt eleuetur veluti connaturaliter, & debitum sibi facientem concursum eleuatiuum. Quod autem aliqua virtus imitatur aliam quantum ad aliquam rationem, sed non quantum ad omnem, secundum quod est talis virtus, ideo reductiuè pertinet ad talem virtutem; sicut apparet in partibus potentialibus alicuius virtutis, quæ non habent essentiam talis virtutis nisi secundum quid & reductiuè; sicut quia Temperantiæ proprium est moderari delectationes tactus (in quo consistit eius essentia) ideo omnis virtus moderatiua, aut refrænatiua, licèt non sit in materia tactus, est pars potentialis Temperantiæ, sicut Modestia, Humilitas, Continentia, & aliæ, de quibus sanctus Thomas 2.2. à quæst. 155.

Aliquid reductiuè & secundum quid, non tale simpliciter.

Similiter in Prædicabilibus dicunt Logici, Quod indiuiduum vagum reductiuè pertinet ad prædicabile speciei, non quia importet quidditatiuum prædicatum de pluribus solo numero differentibus, sed quia importat complexum prædicatum, quod solùm de indiuiduis prædicatur, quia indiuiduationem importat, vt *Quidam homo*: & ideo quia imitatur speciem in hoc, quod est de solis indiuiduis prædicari, licèt non in eo quod est quidditatiuè prædicari, ideo reductiuè pertinet ad Prædicabile Speciei.

Sic ergo Character, & quælibet aptitudo, seu virtus instrumenti antecedens eleuationem, imitatur potentiam, non in eo quod est habere vim & actiuitatem ad producendum (sic enim esset potentia directè) sed in eo quod est ordinationem ponere ad simpliciter agendum vel patiendum, non ad bene vel malè, facereque sibi debitum concursum, non reductiuum de potentia ad actum (sicut potentiæ actiuitatem habentes) sed eleuatiuum ad effectum; & ita effectus productus non correspondet actiuitati characteris, sed eleuationi superuenienti illi; Et talem virtutem instrumentalem ante eleuationem non repugnat poni in Ministro permanenter, quia per ipsam non acquirit instrumentum actiuitatem, seu actum primum ad agendum, sed dispositionem & aptitudinem ad recipiendam eleuationem & actiuitatem, & quo facit sibi debitum, & quasi connaturalem concursum eleuatiuum, qui non est debitus non habenti characterem; & ideo character est qualitas supernaturalis, & dans ordinem ad actus supernaturales, non per modum actiuitatis, sed per modum aptitudinis & capacitatis connaturalis; sicut calamus, ex eo quod acuitur & disponitur ad literas formandas, aptitudinem acquirit quasi proximam & inchoatam in genere entis ad formandas literas, & hæc aptitudo non est iam in genere naturæ, sed in genere artis.; sic in genere supernaturali ponitur per characterem aptitudo, qua fiat sibi connaturalis eleuatio instrumenti, non tamen illi aptitudini, tanquam actiuitati correspondet effectus, sed soli eleuationi.

Et vlterius nota, Quod Character est qualitas ministerialis, qua aliquis vt Minister voluntarius Sacerdotij Christi ei in operando configuratur, & A ideo non præbet actiuitatem quasi physicam ad effectus supernaturales, sed voluntariè vtitur hoc charactere ad hoc, vt actus protestatiua fidei sint verè sacramentales, & validè atque in ordine ad ea quæ sunt cultus Dei, ministerialiter ordinentur secundum ordinem ad Sacerdotium Christi & ex hac validitate facit sibi debitum concursum eleuatiuum Sacramenti aut Ministri ad operandum supernaturalia.

Item Character constituit instrumentum per modum deputationis ad ministerium, non per modum eleuationis & actualitatis proximæ ad agendum. Pertinet enim Character ad constituendum Ministrum, non ad constituendum B instrumentum in actu.

Dicimus ergo ad Argumentum, Quod per Characterem Sacerdos non constituitur in actu primo quantum ad actiuitatem, sed quantum ad aptitudinem vt connaturaliter eleuetur, & ideo pertinere dicitur reductiuè ad rationem potentiæ actiuæ, non ratione actiuitatis, sed ratione aptitudinis, & ordinis ad simpliciter agendum vel patiendum.

Secundò obijcies, In Sacramentis (vt fatetur Diu. Thomas) debet dari virtus creata superaddita illis & spiritualis, vt docet in hac quæstione articulo quarto, ergo oportet ipsis superaddi qualitatem, quæ sit talis virtus spiritualis; Patet consequentia, C Nam Sacramenta ex sua natura non sunt instrumenta ad gratiam producendam, sicut calor naturaliter est instrumentum ignis, ergo oportet quod id habeant per aliquam entitatem superadditam, distinctam realiter ab ipsa natura sacramenti; & hæc qualitas esse debet, præsertim quia sacramenta eleuantur ad producendam aliquam formam realiter distinctam, quam secundum se producere non poterant, ergo etiam indigent virtute distincta sibi superaddita, qua non indiget instrumentum artis, quia non eleuatur ad producendum formam realiter distinctam ab ea, quam sine arte producere poterant, sicut est figura, aut quid simile. D

Confirmatur, Quia instrumenta naturalia non operantur per motum à principali agente receptum, sed per qualitatem, vt deriuatam ab agente principali, ergo etiam instrumenta supernaturalia; Antecedens probatur, Quia semen & calor animalis non operantur per aliquem motum eis impressum ab animali, & phantasma est instrumentum quo intellectus agens producit species, & tamen non recipit motum, sed ipsa qualitas caloris, aut phantasmatis est instrumentalis virtus ad agendum, ergo.

Confirmatur secundò, Nam causæ principalis ordinis naturalis, quando eleuantur ad actiones ordinis supernaturalis, aliquam motionem, saltem per modum dispositionis, recipiunt; vt in ordine E ad contritionem homo recipit auxilium per modum dispositionis, ergo similiter instrumenta ad actus seu effectus supernaturales, oportet quod habeant qualitatem, seu virtutem ordinis supernaturalis, alias non fient proportionata ad talem effectum.

Denique sanctus Thomas in articulo quarto, inter motionem & virtutem distinguit, dicens ad tertium, *Quod in instrumento acquiritur virtus ex hoc, quod mouetur à principali agente* ergo præter motionem datur virtus, quæ non sit motio; & hæc erit qualitas. Et quæst. 27. de Veritate art. 4. ad quartum, ait, *Quod virtus instrumentalis*

est in Sacramentis, sicut species coloris in aere. sed species coloris est in aere sicut qualitas, ergo & virtus instrumentalis in instrumento.

Respondetur ad principale Argumentum, negando consequentiam; Ad probationem respondetur, Quod ea quæ sunt naturaliter instrumenta alicuius effectus, ex ipsa naturali coniunctione ad causam principalem habent virtutem suam participare, & ita non indigent nouo aliquo superaddito, quo eleuentur ad effectum principalem; quia naturalis colligatio ad talem causam, proportionatum & idoneum reddit instrumentum ad talem effectum; at vero instrumentum quod ex natura sua non est coniunctum cum causa (scilicet principali) oportet quod per aliquam nouam immutationem eleuetur, & proportionetur ad effectum principalem; non tamen oportet quod hæc immutatio & proportio fiat per qualitatem, cùm non eleuetur instrumentum vt per formam agat (hoc enim est causæ principalis) sed vt per motum agat; supponendo scilicet virtutem agendi in principali agente, in se autem solùm communicationem intentionalem; & ideo sufficit motio, non vero qualitas requiritur.

Instrumenta naturalia & coniuncta, ipsa à se eleuata: alia, motione eleuanda.

Nec obstat, Quod producant formam realiter distinctam, quam non producunt instrumenta artis; ex hoc enim non sequitur quod debeant habere virtutem realiter distinctam, tanquam qualitatem & formam completam, sed tanquam motionem & quid incompletum in ratione virtutis, cùm solùm intentionaliter ei communicetur virtus causæ principalis. Quare forma realis producenda & realiter distincta, supponit realem virtutem, & formam productiuam realiter; sed hoc in agente principali; in instrumento verò non requiritur quod etiam supponat virtutem per modum formæ, & in entitate completa, sed per modum motionis & incompletè.

Ad confirmationem primam Respondetur; Quod instrumenta naturalia, quæ naturaliter sunt coniuncta causæ principali, non indigent noua eleuatione ad operandum, eo quod ex naturali coniunctione habilitatem recipiunt ad operandum, sed solùm indigent actuali operatione quamuis phantasma, quia deseruit in intellectu agente ad aliquid spirituale producendum, eleuatione indigeat & motione, qua producat tales species spirituales. At verò supernaturalia instrumenta, cùm ex natura sua non habeant habilitatem aliquam, aut actiuitatem ad effectum supernaturalem, & aliàs producant effectum excedentem ordinem naturæ, vt fiant habilia & proportionata in actu primo, indigent noua immutatione; non tamen quæ sit qualitas noua per modum formæ, sed noua motio intentionaliter participans virtutem agentis supernaturalis.

Phantasma eleuatur per intellectum agentem.

Quin potius sicut instrumenta naturalia non recipiunt nouam qualitatem supra id quod ex natura sua habent, vt instrumentaliter actuentur, & in actu primo constituantur, sic neque instrumenta supernaturalia; sed indigebunt noua motione, vt in actu primo sint, sicut causa principalis, intentionaliter communicando in eius virtute.

Ad secundam conf. Respondetur, Quod causæ principales non indigent sola applicatione & motione, sed indigent forma, qua operentur ad modum causæ principalis; & ideo oportet quod non solùm moueatur homo à Deo ad effectum supernaturalem, sed etiam qualitatem per modum formæ, siue habitualiter siue dispositiuè recipiat, vt A per principium sibi proprium operetur tanquam causa principalis. At verò causæ instrumentales, non operantur per formam, sed per motionem & applicationem causæ principalis, & communicando in eius virtute, non entitatiuè & formaliter, sed intentionaliter & ministerialiter; & ita sufficit eis motio & applicatio, vt proportionata fiant instrumentaliter ad effectum producendum.

Et notandum, Quod ista applicatio seu motio includit concursum simultaneum & præuium, quia & attingit effectum, & eleuat instrumentum; concursus autem in effectum simultaneus est, & concursus in causam præuius; sed quia causa principalis non habet pro directo fine & termino B eleuare instrumentum, sed producere effectum, ideo concursus ille debet esse tendens ad effectum, & consequenter simultaneus, non tamen præcisè ac simpliciter tendens in effectum, sed subordinando sibi instrumentum; & consequenter eleuando illud. Vnde terminus proprius talis concursus debet esse effectus extra instrumentum; eleuatio verò passiua instrumenti, non est effectus & terminus actionis propriè & directè, sed intentionalis & transiens.

Motio in instrumento, concursus præuius & simultaneus.

At vero causa superior respectu inferioris, etiam principalis, non solùm habet pro directo effectu producere id, quod causa inferior efficit, sed etiam C actuare & perficere causam sibi subiectam & inferiorem, eiusque virtutem vltimo actuare; vnde indiget distincto concursu à simultaneo, vt perficiatur talis causa in quantum causa; vnde causa superior respicit inferiorem, vt virtus actualior virtutem minus actualem, & in actum reducendam, & ideo oportet concursu suo intendere talem actualitatem; at verò causa principalis non respicit instrumentalem sicut habentem virtutem inferiorem actuandam à se, sed sicut nullam virtutem habentem, & quæ trahi debet ad communicationem virtutis principalis modo intentionali & transeunte; vnde non oportet concursu distincto perficere & eleuare instrumentum, & D alio tendere ad effectum; sed simpliciter tendere ad effectum, subordinando sibi modo intentionali instrumentum, & non per modum virtutis & formæ.

Ad id quod adducitur ex Diu. Thoma, Respondetur, Quod virtus quæ acquiritur instrumento hoc ipso quod mouetur, non est virtus per modum qualitatis & formæ, sed per modum transeuntis & motionis, vt dixerat in corpore articuli. Ad illud de specie coloris in aere, dicitur exemplum tenere in duobus; Primum, Quod sicut species in aëre pendent à præsentia lucis & colorati, ita virtus instrumentalis à principali; Secundum, Quod sicut species coloris non facit coloratum aerem, sic nec communicatio virtutis in in-E strumento facit ipsum causam principalem.

Soluuntur Argumenta.

Pro secundo modo dicendi, quæ probant potentiam obedientialem actiuam contr. 2. Conc.

PRimò arguitur. Non est impossibilis in rebus creatis potentia obedientialis actiua, sed illa non est ordinis naturalis, & ad effectus naturales, sed supernaturales, ergo vt instrumentum actiuè constituatur in ordine ad effectum supernaturalem, talis potentia obedientialis concurret, & sufficiet; Minor certa est, Quia ad effectus natu-

rales dantur potentiæ ordinis naturalis, quæ non sunt obedientiales, sed naturales, ergo obedientialis potentia debet esse ad aliquid, quod excedat naturalem ordinem. Maior ostenditur, primò, Quia datur potentia obedientialis passiua, vt omnes fatentur, vt faciat Deus de creatura, & in creatura, quod voluerit, ergo & dabitur actiua, vt faciat per creaturam, quod voluerit; Omni enim potentiæ passiuæ, aliqua actiua in eodem ordine respondet.

Secundò, Quia potentiæ vitales habent potentiam obedientialem ad actus supernaturales, siquidem naturalis ad eos non sufficit, & hæc potentia obedientialis non est passiua, ergo actiua. Minor patet, Quia potentiæ vitales respectu actuum vitalium non se habent passiuè, quia in B actibus vitæ debent se mouere, ergo potentia, quam habent, ad actus supernaturales vitaliter eliciendos, non est passiua. Et idem Argumentum fit de potentia obedientiali, qua duo corpora possunt esse in eodem loco, vel vnum corpus in duobus locis, & eadem anima informare duas materias, & idem accidens plura subiecta; Tertiò, Quia quælibet res creata est participatio summi & primi entis, & ex hoc habet ei obedire; sed summum ens habet virtutem actiuam ad opera supernaturalia, ergo participatiuè potest esse talis virtus in creaturis, quæ participantur à Deo.

Confirmatur, Quia instrumentum non subordinatur causæ principali, eiusque motioni & eleuationi, nisi provt agens, & non provt patiens, C ergo ante eleuationem supponitur actiuitas in instrumento ad agendum effectum, & non solùm passiua non repugnantia; Antecedens probatur, Nam instrumentum ex subordinatione quam habet ad causam principalem, non se habet vt omnino nihil agens; aliàs effectus soli causæ principali attribueretur, & ab ea exiret, non ab instrumento, ergo si ex tali subordinatione se habet instrumentum vt agens, non subordinatur illi vt purè patiens, sed vt actiuè productiuum, & ex eleuatione causæ principalis vltra propriam virtutem producens. Item, Quia subordinatur causæ principali ad operandum, & non ad essendum, seu re- D cipiendum, ergo subordinatur illi vt operatiuum, & non vt purè receptiuum; & consequenter vt agens subordinatur ei, & non vt patiens; & sic supponitur in eo virtus actiua ad effectum ante eleuationem.

Respondetur ad principale Argumentum, negando maiorem; & implicatio ea est, Quia omnis potentia actiua debet dicere intrinsecum & positiuum ordinem ad suum actum, seu effectum; actiua enim potentia debet esse id, à quo positiuè potest exire effectus, ergo debet respicere effectum vt positiuè potens super illum; si autem non est id, à quo positiuè potest exire effectus, nondum ergo habet actiuitatem ad talem effectum, sed solùm non repugnantiam, & sic non est po- E tentia actiua. Habere autem positiuum ordinem ad effectum supernaturalem, nulla naturalis entitas potest; cùm sit ordinis omnino inferioris, & qui nihil omnino dicat de ordine supernaturali; ideo repugnat quod naturalis entitas habeat potentiam obedientialem actiuam respectu supernaturalis effectus.

Potentia actiua obedientialis vt repugnet, non passiua.

Ad primam probationem dicitur, Quod potentia passiua sufficienter saluatur in non repugnantia, qua agenti subdi potest, vt in illa, & ex illa operetur; ad actiuam autem non sufficit non repugnantia, sed requiritur ordo positiuus ad actum; quia actus respicit potentiam actiuam, vt principium à quo exit positiuè, vt ab efficiente; potentiam autem passiuam respicit, vt recipientem. Ad hoc autem vt exeat positiuè actus ab aliquo, requiritur in illo positiuus ordo ad talem actum; vt autem recipiatur in aliquo, sufficit quod in illo non sit resistentia, aut repugnantia & incompossibilitas, & in agente sit vis ad introducendum talem actum in subiecto; Vnde materia non respicit formam introducendam nisi mediante agente, & prius respicit agens, quàm actum, quantum ad introductionem formæ; & ideò si supponitur in agente virtus infinita, subiectum seu materia secundum quod subditur tali virtuti, respicit etiam actus sibi superiores, vt recipiat; potentia autem actiua, eo ipso quod actiua est, secundum se respicit actum à se procedentem, seu potentem procedere in eo genere, quo potentia actiua est, & hoc repugnat entitati naturali respectu actuum supernaturalium.

Ad secundam probationem Respondetur, distinguendo minorem, Potentia obedientialis potentiarum vitalium non est passiua formaliter, nego, radicaliter concedo & ita radicaliter est actiua, non formaliter; radicalis enim actiuitas non est positiuus ordo ad actum & effectum, neque radix vnde dimanat positiuus ordo & formalis actiuitas, sed dicitur radicalis actiuitas, quia id quod materialiter præsupponitur ad eleuationem debet esse actiuum, & in ratione actiui eleuabile; vnde debet habere capacitatem per aliquam actiuitatem, quam capacitatem aliæ res non habent, quæ similiter actiuæ non sunt; Non enim lapis aut oculus eleuabilis est vt videat aut amet Deũ, sicut est eleuabilis intellectus & voluntas; quæ diuersa capacitas non consistit in aliqua actiuitate formali, dicente ordinem & virtutem ad effectum supernaturalem positiuè, cùm tota virtus & actiuitas proueniat à principio supernaturali; sed consistit in eo quod sit talis entitas & potentia, quæ possit induere pro virtute & ratione formali operandi, virtutem supernaturalem; non potest autem virtus supernaturalis fieri virtus & ratio operandi, nisi illi quæ est potentia operatiua, & taliter operatiua; vt sicut habet virtutem naturalem respectu sui objecti naturalis, ita supernaturalem possit induere respectu eius, quod supra naturam sui objecti est.

Potentia vitalis passiua formaliter, radicaliter actiua.

Hoc ergo dicitur esse Actiua potentia radicalis, quæ videlicet taliter est operatiua, quod radicem habeat vt induat virtutem illam operandi supra naturam suam. Omnis enim potentia ordinem habet ad objectum mediante virtute sua; & ratione virtutis habet formalem & positiuum ordinem ad objectum & effectum; & ita virtus vt dicitur in primo de Cœlo est vltimum potentiæ, quia scilicet est eius actiuitas formalis, & ratione eius potentia habet formali actiuitate tendere ad objecta. Hoc ergo quod est vltimum potentiæ ad agendum naturaliter respectu naturalium operationum, non seruit, neque dicitur potentia ratione illius esse in potentia actiua obedientiali respectu actuum supernaturalium; sed quia potentia ipsa, vt distinguitur ab vltimo potentiæ, quod est virtus, est veluti radix ipsius virtutis, & comparatur potentia ad virtutem, vt radicalis actiuitas ad formalem; ideo respectu virtutis sibi supernaturaliter superuenientis est in potentia passiua formaliter, & radicaliter in actiua, idest, suppo-

nit rationem potentiæ, quæ est veluti radix actualitatis formalis, seu virtutis; est tamen potentia passiua, vt suscipiat actiuitatem formalem, seu virtutem vltra naturam suam; in præsenti autem non de actiuitate radicali, sed de formali inquirimus; de illa videlicet in qua constituitur in actu primo.

Et ita hoc sensu intelligi potest illud Augustini, *Posse habere fidem, naturæ est hominum; excolere autem, gratiæ est fidelium:* Quia videlicet ipsa potentia naturalis, quæ est radicalis actiuitas respectu virtutis suæ, quæ est vltimum potentiæ; talis, inquam, potentia est in potentia passiua respectu virtutis alterius ordinis; & ideo secundum se nullo modo habet actiuam potentiam formaliter inclinantem ad actum supernaturalem; quia virtus eius, quæ est actiua potentia formalis, est solum ad naturales effectus; habet tamen potentiam ipsam, quæ acceptura est virtutem, & rationem formalem agendi vltra se; & ad hanc virtutem seu formalem rationem habendam, est in potentia passiua; & ideo omnis potentia obedientialis passiua est, & non actiua (loquendo de actiuo formaliter) quia tamen requiritur quod id quod actiuitatem hanc formalem, quæ est virtus & vltimum potentiæ in alio ordine, accepturum est, sit potentia radicalem ordinem dicens ad virtutem, ideo vbi non est potentia, neque virtus supernaturalis potest superuenire; & ideo non omnia sunt in potentia obedientiali ad ejiciendos actus supernaturales, sed solum illa, quæ potentiam habent virtutis talis susceptiuam & capacem. Ad rationem autem instrumenti non requiritur potentia, quia non debet suscipere formam & virtutem agendi, sed ex motione debet agere; vnde sufficit potentia obedientialis purè passiua, & nullo modo actiua, nec radicaliter.

Ex quo fit, Quod potentiæ vitales debeant se mouere vitaliter, & à principio intrinseco, non tamen per virtutem intrinsecam, & formalem actiuitatem intrinsecam, sed per supernaturalem virtutem, quæ ipsam vitalem potentiam in ratione vitæ supernaturalizat & eleuat, ipsumque principium intrinsecum & vitale ad vitalitatem priorem trahit, dando illi virtutem alterius ordinis; vt sicut per propriam virtutem principium illud vitale operabatur vitaliter juxta suam naturam, sic per virtutem superioris ordinis sibi communicatam operetur vitaliter supra suam naturam, per principium tamen intrinsecum supra naturam eleuatum; Ita quod imaginandum est, Quod ipsum principium vitæ supernaturalizatur in ordine ad illas actiones; non tamen ex vna parte manet principium vitale, & ex alia principium supernaturale, sed quod ipsum principium naturale, in ipsa radice intrinseca vitalitatis supernaturalizatur, & eleuatur, sicut per virtutem suam ad agendum supra se, & ad talem supernaturalizationem & eleuationem ipsa vitalis potentia est in potentia passiua, quamuis ipsa radix actiuitatis sit.

Minus verò difficultatis habet, quod dicitur de corpore, vt sit in duobus locis, aut duo corpora in vno loco, &c. hæc enim non fiunt per productionem alicuius actus, qui procedat ab ipsis corporibus aut formis, sed per applicationem extrinsecam agentis infiniti, qui tales res applicat, & conjungit inter se; vnde non debent tales res facere, per actiuitatem aliquam, sicut neque per aliquam actionem.

A Ad tertiam probationem Respondetur, Quod licèt sint omnes creaturæ participationes summi entis, non tamen participant illud vniuocè, sed analogicè, & secundum ordinem inferiorem: vnde non debent participare de virtute eius actiua, quæ excedit omnem creationem, sed solùm habere non repugnantiam vt fiat de creatura, quod ipse voluerit.

Ad confirmationem Respondetur, Quod instrumenta subordinantur causæ principali vt agentia, non tamen per actiuitatem antecedentem ad talem subordinationem, sed per actiuitatem communicatam per talem subordinationem, & à tali B causa principali; & ideo non subordinantur quia jam sunt agentia, sed vt sint agentia; sicque principalius respiciant agens, cui subordinantur, quàm actum: Et ad probationem antecedentis Respondetur, Quod instrumentum non se habet vt patiens, quod jam est constitutum in actu primo; antequàm vero in actu primo constituatur, purè passiuè se habet, quia neque actiuitatem formalem, neque radicalem habere debet; quia non est in actu primo nisi per participationem causæ superioris principalis; & ideo non supponitur agens, & per causam principalem extenditur talis ratio agendi, vt existimauit Suarez, sed in ordine ad C effectum principalem ita se habet, ac si nullomodo esset agens, quia nullum positiuum ordinem secundum se ad illum dicit. Quapropter solum debet subordinari instrumentum, vt agens ex participatione causæ principalis, non autem vt ex se habens quod sit agens; Quantumcunque enim supponatur actiuitas in instrumento, tamen ad effectum principalem non est in actu, nisi per eandem virtutem, per quam agens principale, communicando in ea intentionaliter; Et sic antequam in eà communicet, solùm passiuè se habet; quia solùm respicit agens principale, a quo participat virtutem, non autem actum; tunc autem incipit esse in actu primo, quia incipit respicere D effectum, seu actum producendum.

Subordinatio potentiarum ad actus supernaturales, & rei corporalis vt est instrumentum Dei.

Ad id quod dicitur, Quod subordinatur causæ principali ad operandum, & non ad essendum, vel recipiendum; concedo subordinationem illam esse ad operandum, non tamen quia antecedenter sit jam operatiuum, & habeat virtutem actiuam ad operandum supra se, sed quia capax est ad suscipiendum id quo operetur; & suscipiendo hoc à causa principali, operatur. Itaque ex fine ad quem ordinatur illa subordinatio, distinguitur; eo quod se habet ad recipiendum, vel operandum; vtrobique enim causa subordinata suscipit à superiori subordinante; sed aliquando id quod suscipit, est solum forma inhærens & in- E formans, aliquando est ratio operans, siue vt forma, siue vt motio; & tunc ad operandum subordinatur, non tamen actiuè se habendo ante talem subordinationem, sed passiuè.

Secundò arguitur; Potentia obedientialis passiua non est solùm non repugnantia, sed realis potẽtia passiua ad actum, vel formam supernaturalẽ, ergo non repugnat dari etiam potentiam actiuam obedientialem. Consequentia patet, Quia tota ratio quare negatur potentia obedientialis actiua, est, quia obedientialis potentia nihil reale ac positiuum dicit in ordine ad formam & actum supernaturalem, ergò si hoc non obstat, nihil obstat. Antecedens probatur, Nam potentia passiua intrinsecè includit positiuam entitatem cum positiua & reali capacitate alicuius actus, vt patet in

Animá rationali respectu gratiæ; sicut enim illam positiuè & realiter recipit, sic præintelligitur in illa realis capacitas, & potentia eius. Item, Quia Anima ratione potentiæ obedientialis habet causalitatem physicam in genere causæ materialis respectu gratiæ; quia ratione huius realiter educitur gratia de potentia obedientiali animæ, pendetque reali dependentia ab ea in fieri & conseruari, & fit realis compositio ex gratia & ex anima, vt ex subiecto & accidente, ex potentia & actu, ergo illa potentia obedientialis non est solùm non repugnantia, sed etiam positiua, ac realis potentia.

Confirmatur, Quia potentia obedientialis nihil aliud est quàm ipsa entitas creaturæ, secundùm quod ex eo quod creatura est, subest perfectissimo dominio Creatoris, vt vtatur ea secundum omnem modum non implicantem contradictionem, quo ipse voluerit; sed non implicat contradictionem Deum vti creatura non solùm passiuè, sed etiam actiuè, ergo non solùm passiua potentia obedientialis, sed etiam actiua ponenda est. Minor probatur; Nam si implicaret contradictionem, vel esset ex parte Dei, vel ex parte creaturæ; sed id est possibile, & non implicatorium; neque potest ex parte Dei deficere & implicare, neque ex parte creaturæ; quia non apparet in quo consistat hæc repugnantia ex parte creaturæ, vt non possit Deus vti ea, etiam quoad hunc vsum, cùm sit omnibus modis subiecta Deo.

Et confirmatur secundo, Quia per hanc potentiam obedientialem, qua instrumentum subordinatur Deo, non vtitur Deus instrumento, vt recipiat in se aliquid, sed vt agat, seu emittat ex se effectum; qui cùm sit superioris ordinis, non potest ab ipso exire, ergo subordinatur Deo; non vt causa materialis & subiectum receptiuum, sed vt agens imperfectum & inchoatum, quod debet perfici per superius agens, ergo datur virtus actiua obedientialis; siquidem non subordinatur Deo nisi vt causa actiua alteri causæ actiuæ; & sicut in instrumentis artium, instrumentum non subordinatur artifici vt causa materialis, sed vt causa effectiua, instrumentalis tamen & inferior, sic instrumentum Dei (supernaturalis agentis) non subordinatur Deo vt causa materialis, sed vt effectiua, instrumentalis tamen, ergo secundum virtutem actiuam obedientialiter subordinatur Deo, & non secundum virtutem passiuam.

Confirmatur tertiò, Quia non minus pertinet ad omnipotentiam Dei, quod creaturæ illi obediant in agendo, quàm in recipiendo; sed non possunt ei obedire in recipiendo, nisi supponatur potentia passiua antecedenter ad imperium & motionem Dei, ergo neque poterunt ei obedire in agendo, nisi supponatur potentia actiua antecedenter ad motionem Dei. Nec enim per illum motum recipiunt potentiam ad obediendum in agendo, ergo antecedenter ad motionem Dei distinguendæ sunt potentiæ obedientiales ad agendum, & ad recipiendum; & sic alia est potentia obedientialis ad agere, alia ad pati; & illa dicetur potentia obedientialis actiua, hæc passiua; & in hac potentia actiua constituit Suarez actum primum instrumenti, supponendo subordinationem eius ad causam principalem quoad applicationem ad agendum, non solum secundum propriam actiuitatem, sed & vltra illam; extendendo videlicet actiuitatem, quam inchoatiuè habet.

Respondetur ad principale Argumentum, dupliciter; Primò ad consequentiam; secundò ad

A ad antecedens. Ad consequentiam Respondetur, negando illam, etiam dato antecedente; Et ad probationem dicitur, Quod repugnantia ad potentiam obedientialem actiuam non est, quia in se sit aliquod reale & positiuum; sed quia respectu effectus excedentis naturalem virtutem, non potest positiuum & realem ordinem habere, nisi habeat realem ac positiuam virtutem respectu talis actus, à qua ipse possit exire. Per potentiam autem obedientialem respiciunt creaturæ, non effectum aut formam, sed agens infinitum primò & immediatè; quia respiciunt id cui obedire debent, non id quod efficere, aut recipere debent; Et dico quod respiciunt id, cui obedire debent, non sentiendo, aut cognoscendo eius imperium, sed subijciendo se eius motioni. *Vnde potentia obedientialis actiua repugnet, nõ passiua.*

B

Quod autem priùs respiciat potentia obedientialis id, cui obedire debet, quàm effectum vel formam, ad quam ordinatur, ex eo manifestum est, Quia potentia obedientialis non se debet determinare ad hunc vel illum effectum, ex aliqua determinatione suæ entitatis aut formæ, sed ex determinatione Creatoris, cui obedit creatura, ex eo quod creatura est, ergo prius habet potentia obedientialis respicere Creatorem, quàm effectum à se producendum, vel formam suscipiendam; præsertim quia potentia non dicitur obedientialis respectu effectus vel formæ, sed respectu eius cui subditur, & cui obedit, & ex obedientia ad illum, habet ad effectum vel formam procedere. Igitur in hoc differt potentia obedientialis ab alijs, quod potentia obedientialis non respicit immediatè aliquem actum, sed mediante obedientia ad superius agens, respicit id, ad quod ipsum agens vult deducere creaturam; in potentia enim obedientiali includitur, & respectus ad id, cui est obediens & subiecta, & respectus ad id quod exequitur ex tali obedientia.

C

Ex his autem respectibus, prior est & formalior qui est ad id, cui est obediens, quàm qui ad id, quod exequitur; cùm iste quod exequitur, ex obedientia & subiectione ad primum exequatur, & non è conuerso. In alijs autem potentijs non obedientialibus, prius est ordo ad effectum, cuius est potentia; & si ordo iste sit agentis inferioris, in eo quod inferior respicit auxilium superioris; supponit enim potentiam iam respicientem effectum; Si ergo potentia obedientialis respicit prius id, cui obedit, quàm id, quod exequitur; manifestum est quod prior est passiua, quàm actiua; respectu enim eius, cui obedit, actiua esse non potest, sed passiua. Dicimus ergo, & quod quantumuis potentia obedientialis sit realis & positiua, tamen respectu eius, cui obedit, quod est præcipuum in potentia obedientiali, non est actiua, sed passiua; & ideo repugnat, quod in quantum obedientialis, positiuum ordinem dicat ad effectum; sed debet ordinem dicere ad agens, cui obedit, & mediante communicatione superioris agentis, respiciet effectum exequendum; & sic non potest dari potentia actiua obedientialis, sed passiua; tunc autem fiet actiua obedientialis potentia, quando communicatur ei virtus à superiori agente.

D

E

Secundò Respondetur ad antecedens, Quod potentia obedientialis non est sola non repugnantia, sed realis & positiua potentia, distinguo; Est realis ac vera potentia, materialiter & entitatiuè, concedo; formaliter & secundum ordinem formalem, nego. Potentia enim obedientialis dicit quidem entitatem creatam, in quantum verò *Potentia vera & positiua materialiter, formaliter negatiua.*

creata

creata est, obediens est Creatori; non tamen dicit formalem proportionem cum actu, vel forma supernaturali, sed solam non repugnantiam, vt Creator faciat de creatura, quod voluerit. Vnde licèt Anima recipiat realiter gratiam, & habeat realem capacitatem eius entitatiuè & materialiter, non tamen formaliter. Vt enim recipiatur aliqua forma realiter in aliquo, sufficit quod sit realis entitas non repugnans susceptioni eius; non tamen requiritur quod inclinet in illam formam; imò etsi repugnet secundum aliquam peculiarem formam, aut rationem, si tamen in ratione subiecti & substantiæ non repugnat, suscipi potest; vt patet in eo quod violenter recipitur in aliquo subiecto.

Et ad id quod dicitur, Quod gratia pendet physicè in genere causæ materialis ab Anima; ita verum est, sicut argumentum probat; non tamen inde concluditur, quod hæc potentia passiua formaliter sit quid positiuum, sed solùm entitatiuè & materialiter; Quia vt aliquid pendeat physicè ab aliquo subiecto in genere causæ materialis, sufficit quod entitas à qua pendet, sit realis & physica; quamuis inclinatio aut proportio ad talem formam physica non sit; Cuius ratio est, Quia causa materialis non causat emittendo ex se effectum, sed recipiendo & sustentando, & per vnionem & coniunctionem formæ ad se; Vt autem forma aliqua coniungatur suo receptiuo, sufficit quod tale receptiuum sit entitas realis; sic enim ei vniri potest realiter, & in vnione hac realiter pendere ab eo; & ideo licet non sit proportio & conuenientia inter formam & materiam positiuè & formaliter, est tamen negatiuè & obedientialiter; quia videlicet non est repugnantia in subiecto, & est entitas realis, à qua realiter pendere potest in vnione sua; & sic est sufficiens requisitum, vt physicè & in genere causæ materialis ab anima pendeat, & vt ex potentia eius obedientiali realiter educatur; siquidem vt pendens in genere materiali ab anima quoad suum esse, producitur, & vt compositionem realem faciat ex actu & potentia, tanquam ex forma & subiecto, quia realis vnio inter ipsa intercedit; siquidem realem & physicam entitatem dicunt.

Potentia obedientialis, ipsa creatura.

Ex quo fit, Quod potentia obedientialis, neque est facultas aliqua, seu reale aliquid superadditum creaturæ, nec gradus aliquis ipsius naturæ, saltem ratione distinctus, aut aliquid congenitum creaturæ, quod aliquomodo ab illa distinguatur; sed ipsa ratio creaturæ, vt supremo modo subiecta Creatori; Quidquid enim creatum est, eo ipso quod creatum est, perfectissimo modo subiicitur Creatori; esse autem creatum non est aliquid distinctum à creatura, vel ei superadditum; neque gradus eius, sed quid transcendentaliter imbibitum in creatura; & similiter obedientialis potentia est transcendentalis ista subiectio, in omni entitate creata, eo quod creata est, imbibita.

Ad primam confirmationem Respondetur, distinguendo minorem, Non implicat Deum vti creatura actiuè actiuitate communicata à Deo, concedo; antecedenter ad vsum Dei circa creaturam, nego; Quia ante vsum Dei non antecedit in creatura actiuitas, & ordinatio ad effectum supernaturalem, sed ordinatio ad Deum agentem infinitum, quæ ordinatio passiua est. Implicat ergo quod ante vsum Dei circa creaturam, præsupponatur actiuitas in ipsa, & ordinatio actiua ad effectum, sed præsupponitur ordo ad Deum, A qui est positiuus, vt vtatur creatura siue ad agendum, siue ad recipiendum. Hæc autem implicatio ex parte creaturæ consistit in eo; Quod potentia obedientialis non consistit in aliqua virtute, aut proportione cum effectu supernaturali (sic enim jam non esset solùm potentia obedientialis, sed formalis) sed consistit præcipuè in ordine ad agens, cui obedit, & subjicitur; & mediante determinatione talis agentis respicit effectum, aut potentiam, ad quam ab ipso ordinatur; Ante talem verò ordinationem seu determinationē agentis, non respicit potentia obedientialis formam, aut actum supernaturalem, sed agens; repugnat verò esse potentiam obedientialem, & quod antecedenter ad vsum agentis, cui obedit, respiciat B actiuè effectum.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod Deus non vtitur instrumento, vt recipiat præcisè, & sistendo in receptione; sed vt recipiat ad agendum; non tamen subordinatur, vt jam in se agens inchoatiuè & imperfectè; quia instrumentum & causa principatus non comparantur, vt causa imperfectè, & perfectè agens; sed instrumentum comparatur ad agens principale, vt causa nihil ex se habens actiuitatis, communicans tamen in actiuitate agentis per intentionalem eius participationem. Sic ergo quando dicitur, Quod instrumentum non subordinatur Deo, vt causa C materialis & receptiua, distinguo, vt materialis, & receptiua in ordine ad communicationem in actiuitate cum causa principali, nego, Adhoc enim in potentia passiua est; & ante receptionem talis communicationis, nullo modo in actiuitate est ad effectum; & ita non subordinatur vt agens imperfectum respectu perfecti, sed est in potentia vt recipiat, non formam informantem, sed actiuitatem agendi; & ideo vtitur Deus instrumento, non vt recipiat præcisè & purè, neque vt agens, sed vt recipiens ad agendum, seu vt recipiens id, quo agat, quia ex se id non habet, sed ex communicatione cum causa principali, & sic non debet in se antecedenter ad eleuationem habere potentiam actiuam, & inchoatam in ordine ad effectum supernaturalem: imò si quam potentiam actiuam habet, respectu tamen effectus supernaturalis nullo modo est in actu primo & actiuitate, nisi quando eleuatur, & non antè.

Potentia materialis & passiua in ordine ad receptionem, actiua in ordine ad effectum ex virtute recepta & eleuante.

Ad id quod dicitur de instrumentis artium, quæ subordinantur artifici vt causæ effectiuæ, & non vt formales, aut materiales, Respondetur; Quod subordinantur vt causæ effectiuæ, præhabendo ex se actiuitatem ad effectum artis, nego; suscipiendo illam in eleuatione artificis, concedo: Et sic talis subordinatio in genere causæ effectiuæ non est in genere causæ effectiuæ purè & simpliciter, sed effectiuæ ex consortio & conjunctione, E ac deriuatione à causa principali; quod est esse effectiuam secundum quid, & dependenter ab alio, & supponendo prius in se potentiam passiuam & materialem ad virtutem effectiuam suscipiendam; non autem præsupponendo efficientiam, quæ perficiatur per eleuationem, sed quæ in integrum & totaliter per eam efficiatur. Vnde sicut creaturæ subordinantur Deo, vt entia realia existentia, & non vt nihil; non quia ante istam subordinationem habeant existentiam, sed quia per istam subordinationem eam habent, & vt fiant subordinantur Deo; sic instrumenta subordinantur vt agentia, non quia ante istam subordinationem agentia jam sint, sed vt per subordinationem agentia fiant.

R

Ad tertiam confirmationem Respondetur, negando consequentiam; Et ratio diuersitatis est, Quia antecedenter ad eleuationem supponitur potentia cum respectu & subiectione ad eleuantem, vt ei obediat, non tamen cum ordine & respectu positiuo ad actum, seu effectum; vnde cùm respectu eleuantis, cui obedire debet, non se habeat actiuè, habere se debet passiuè, & sic respectu eius saluatur sufficienter potentia passiua per non repugnantiam, non autem saluatur respectu eius potentia actiua, sed solùm respectu actus, seu effectus. Cùm autem potentia obedientialis primum & immediatum ordinem dicat ad Deum, cui obedit, & respectu cuius potentia obedientialis est, & mediante eo respiciat formam aut effectum passiuè, vel actiuè, hinc est quod potentia obedientialis vt sic, in suo primario & immediato respectu passiua potentia sit; licèt intra genus positiuæ huius potentiæ, quædam ordinentur ad agendum aliquem effectum, quædam ad recipiendum aliquam formam. Et sic Deus, supponendo solùm in creatura non repugnantiam, seu potentiam passiuam obedientialem, respectu sui, deinde positiuè illas inclinat & mouet, quasdam ad agendum, quasdam ad patiendum.

Potentia obedientialis respectu Dei cui obedit, passiua; respectu eius ad quod obedit, sub Deo actiua.

Quare ad Argumentum dicitur, Quod creaturæ possunt obedire Deo & in agendo, & in recipiendo, & quod ad recipiendum supponitur potentia passiua respectu Dei, cui obediunt, non tamen supponitur potentia actiua respectu ipsiusmet Dei, in ordine ad quem potentia obedientialis sumitur; & ideo respectu Dei omnis creatura subditur sine potentia actiua obedientiali; respectu autem eius ad quod ordinatur à Deo, quædam passiuè ordinantur, quædam actiuè; & in hoc est differentia in his potentiis obedientialibus, non quod antecedenter ad motionem & vsum Dei, aliquæ dicant respectum & ordinem formalem ad actum efficiendum, aliæ ad formam recipiendam; quia antecedenter ad motionem Dei, nulla creatura dicit ordinem ad actum & formam, sed solùm ad Deum, cui debet obedire; & sic per ordinem ad formam vel actum, non est distinguenda alia potentia obedientialis actiua, alia passiua; sed radicaliter & remotè quędã dicunt ordinẽ ad Deum cum non repugnantia vt eleuentur ad agendum, quædã cum repugnantia vt eleuentur ad agendum, cum non repugnantia tamen vt eleuentur ad patiendũ.

Et in hoc fateor esse aliquam distinctionem, antecedenter ad motionem & vsum Dei; non tamen ex ordine passiuo aut actiuo ad formam vel effectum, sed ex ordine obedientiali ad Deum sumitur potentia obedientialis, cum repugnantia vel non repugnantia ad vnum aut aliud; quæ tamen non repugnantia ad agendum vel patiendum, non constituit rem in actu primo ad agendum; & ideo de hoc præsenti non inquirimus.

Tertiò arguitur, Actus potentiæ vitalis aut liberæ, qui sunt supernaturales quoad substantiam, necessariò supponunt potentiam obedientialem actiuam in eliciendo illos, ergo non repugnat dari talem potentiam actiuam obedientialem, nec est cur negetur in instrumentis. Consequentia probatur, Nam actus vitales magis dependent à principio intrinseco & connaturali, quàm actus instrumenti ab instrumentis, ergo si hoc non obstante pendent à potentia obedientiali actiua, etiam in instrumentis non repugnabit quod pendeant ab illis mediante potentia obedientiali actiua.

Et præterea, Quia potentia vitalis respectu

A actuum supernaturalium instrumentaliter se habet, siue operetur cum auxilio extrinseco, siue cum habitu; Nam potentia vitalis nequit virtute sua propria influere in substantiam actus supernaturalis, ac per hoc nec physicè illam attingere, cùm sit extra totam latitudinem talis virtutis; & quod attingatur vitaliter aut liberè, non facit virtutem potentiæ esse proportionatam cum substantia illius actus; & ita impossibile est quod attingatur essentia & substantia talium actuum instrumentaliter, & vitalitas ipsorum principaliter, cùm vitalitas pertineat intrinsecè, & imbibatur in entitate actus, nec possit attingi essentia physicè, nisi vitaliter attingatur.

B Neque etiam potest vitalis potentia attingere substantiam actus supernaturalis virtute obedientiali; tum quia hæc apud nos non est actiua, tum quia si potentia obedientialis est sufficiens virtus vt sit causa principalis, cur non in aliis creaturis non vitalibus erit sufficiens, vt sit causa principalis; cùm etiam eleuentur ad efficiendum aliquid intra idem genus; verbi gratia intra genus qualitatis, sicut per propriam virtutem poterant.

Nec denique vitalis potentia attingit vt causa principalis actum supernaturalem per virtutem sibi supernaturaliter additam, tum quia actus ille non elicitur solùm à qualitate supernaturali superaddita potentiæ vitali, sed etiam ab ipsa potentia; cùm impossibile sit pendere actum vitalem à sola qualitate extrinsecus adueniente, ergo respectu

C elicientiæ quam potentia habet, instrumentaliter se habebit; tum quia vt causa dicatur principalis, oportet etiam quod agat virtute propria proportionata ad effectum, vel eminentiori quàm effectus, ergo etiam oportet quod agat virtute sibi connaturali, si enim virtute connaturali non agunt, solùm agunt virtute alterius sibi communicata, quæ est instrumentalis; ergo causa quæ non agit virtute connaturali, non agit virtute principali, sed instrumentali.

Antecedens autem Argumenti principalis probatur, Quia actus supernaturales non possunt effectiuè manare à sola qualitate supernaturali superaddita; præsertim quando eliciuntur actus

D supernaturales sine habitu, vt in eliciente attritionem, vel vltimam dispositionem, secundum quod antecedit gratiam, ergo oportet quod effectiuè manent à potentia, aliàs vitales non essent illi actus aut liberi, ergo supponant actiuam potentiam, & non solùm passiuam, in ipsa potentia eliciente; hæc autem actiuitas naturalis non est, cùm tota entitas actuum supernaturalium excedat latitudinem actiuitatis naturalis, neque ab ea effectiuè possit manare, ergo debet esse actiuitas obedientialis.

Respondetur negando antecedens Argumenti principalis; & deinde etiam negando consequen-

E tiam; Ad probationem antecedentis dicitur, Quod actus supernaturales manant à sola qualitate supernaturali, vt à ratione agendi, & virtute potentiæ, non vt à radice & potentia; & ita actus supernaturalis effectiuè est à potentia, non vt condistinguatur à qualitate supernaturali, sed vt induit illam tanquam virtutem agendi, eleuantem ipsam radicem & vitalitatem potentiæ. Itaque non comparantur qualitas & potentia vitalis, sicut actiuitas & actiuitas ad eliciendum actum supernaturalem, sed sicut potentia & actiuitas potentiæ, eleuans ipsam ad ordinem superiorem agendi; non quia extendat actiuitatem potentiæ,

Actus vitalis supernaturalis, vt à sola qualitate, & vt à potentia.

A sed quia nouam & distinctam actiuitatem ordinis superioris ei præbeat, & ideo habitus supernaturales non se habent solùm vt adjuuantes potentiam, sed vt præbentes potentiæ rationem agendi, & rationem potentiæ supernaturalis; ita quod ipsa potentia & radix agendi supernaturalizatur, vt sicut mediante actiuitate sua naturali agebat naturaliter, ita mediante actiuitate supernaturali agat supernaturaliter; & ita actus manat à potentia & à qualitate supernaturali, sed non vt à distinctis actiuitatibus, sed vt à potentia & actiuitate potentiæ in ordine superiori. Et sic nec ab actiuitate naturali, aut obedientiali potentiæ manat ille actus, sed ab actiuitate supernaturali B illi potentiæ infusa, vt per eam supernaturaliter agat, sicut per suam virtutem naturaliter.

Habitus supernaturalis, tota virtus agendi in eo ordine, non quid solùm adiuuans.

Nec obstat, quod sine habitu aliquando operetur; Tunc enim non sine auxilio diuino recepto in potentia, non ad modum habitus, sed ad modum dispositionis, operantur potentiæ, & vltima dispositio secundum quod est consummata & completa, procedit ab habitu charitatis, à quo formatur, seu perficitur; vt autem imperfecta adhuc consideratur, & ratione dispositionis, quasi in fieri, procedit ab auxilio.

Idem de auxilio, cùm sine habitu exit talis actus.

Ad consequentiam autem Argumenti, dicitur, Quod actus vitales pendent à principio intrinseco, sed non oportet quod virtus & ratio produ- C cendi sit etiam ab intrinseco, sed sufficit quod ab extrinseco sit addita illi potentiæ, vt ex potentia & virtute fiat vnum principium vitale ordinis supernaturalis; non autem quod à potentia aliqua actiua, non supernaturali, formaliter procedat & dimanet ille actus: In instrumentis autem, licèt non pendeat à principio intrinseco effectus, aut à virtute intrinsecè supernaturalizante, pendet tamen ab actiuitate, qua constituatur in actu primo proportionatè, & aptè cum effectu producendo; & ideo non per actiuitatem obedientialem sibi inditam, sed per motionem causæ superioris debet actiuitatem instrumentalem habere.

Ad aliam probationem Respondetur, Quod D illa continetur Suarez 1. tom. 3. part. disput. 31. sect. 6. in solutione quarti argumenti, ad asserendum quod potentiæ vitales, quantum ad id, quod conferunt in efficiendis actibus supernaturalibus quoad substantiam, se gerere vt instrumenta diuinæ gratiæ, & non vt principia principalia; neque repugnare, quod agant vitaliter & instrumentaliter, nec quod liberè & instrumentaliter; quia vitaliter procedere actum, est solùm procedere à proximo & radicali principio vitæ, siue illud principium connaturaliter & principaliter influat in actum, siue non connaturaliter, sed instrumentaliter. Liberè enim procedere actum inquit, eo ipso quod potentia potest non elicere actum, sed suspendere; & hoc E saluatur etiam si instrumentum eliciat, dummodò non vt inanime, neque vt necessitatum eliciat, sed taliter quod possit non elicere; quia videlicet sic eleuatur ad eliciendum actum supernaturalem, vt non priuetur virtute propria ad suspendendum influxum, vel eliciendum actum contrarium, qui naturalis erit; sic Suarez.

Suaris vexata opinio, potentiam vitalem liberè, instrumentum esse respectu actuum supernaturalium.

Cæterum nullomodo admittenda est hujusmodi sententia, cùm sit omnino contra rationem potentiæ vitalis, vt in eo, quod vitaliter operatur, operetur vt instrumentum. Vnde ex hoc præcipuè compulsi sunt Thomistæ admittere habitus supernaturales infusos, & tanquam formas inhærentes potentiis, vt haberent potentiæ principia, quibus tanquam causæ principales operentur: dato verò quod solùm instrumentaliter operentur, ruit fundamentum ponendi hos habitus, cùm sufficiat ad id communicatio Dei actualis per auxilium suum, quoties operari debent potentiæ; sicut Sacramenta, quæ instrumentaliter operantur, solùm per communicationem actualis auxilij & motionis instrumentaliter operantur, neque indigent habitu aut qualitate sibi superaddita, ergo similiter potentiæ vitales, si operarentur instrumentaliter, etsi vitaliter, non indigerent qualitate sibi superaddita, sed solùm actuali auxilio.

Exploditur, à ratione communi

potentia vitalis, quæ est causa principalis.

Et præterea, Quia omnis causa quæ agit per formam, cui assimilatur effectus, per se, & non per accidens, non agit instrumentaliter, sed principaliter; siquidem agit per formam proportionatam effectui, ita vt sit eiusdem, vel eminentioris ordinis cum effectu; sic enim connaturalis est effectui & actioni, non autem requiritur quod connaturalis sit etiam subjecto; aliàs omne subjectum, quod per qualitates sibi non proprias, sed extraneas operatur, instrumentaliter operabitur; sicque solùm esset causa principalis alicuius effectus, quando qualitates actiuæ sunt propriæ subjecti passiones, quod est absurdum; Qualitates autem supernaturales impressæ potentiis, sunt formæ, quibus actus supernaturales assimilantur, & connaturales illis actibus, ac proportionatæ; sicque per illas potentiæ non instrumentaliter operabuntur, sed principaliter.

Quod effectus potentiis assimilatur in forma per quã agunt.

Ac denique, Quia potentia vitalis, quando vitaliter operatur, mouet se, & à principio intrinseco, & per virtutem, quæ non solùm sit motio, sed forma inhærens. In hoc enim vitales potentiæ à non vitalibus differunt, quod in illis mouet se agens, & non solùm mouetur; Quod autem mouet se, in eo actu quo se mouet, non operatur vt instrumentum; siquidem instrumentum vt pendens & motum à principali causa operatur; vnde supponit aliam causam principalem, à qua moueatur, aliàs non instrumentaliter se habet, sed principaliter; si non vt pendens & motum à principali agente operatur; ergo implicat quod principaliter operetur (id est, vt mouens se) & instrumentaliter, id est, vt ab alio principali motum, & non à se.

Quod potentia vitalis, ipsa se mouens.

Ad Argumentum ergo Respondetur, Quod potentia vitalis attingit actum supernaturalem per qualitatem supernaturalem sibi adiunctam, non quomodocumque, sed adiunctam vt totalis actiuitas, & non vt actiuitas supponens aliam actiuitatem in potentia, & extendens illam; & ita non pendet ille actus à sola qualitate superaddita potentiæ, sed etiam ab ipsa potentia; non tamen per distinctam actiuitatem à qualitate superaddita; sed ipsa qualitas superaddita est totalis actiuitas potentiæ; & ita dependet à qualitate vt ab actiuitate & virtute potentiæ; à potentia autem, vt à radice actuata & perfecta per virtutem, & actiuitatem illam supernaturalem. Neque requiritur vt potentia operetur tanquam principalis causa, quod operetur per virtutem sibi connaturalem, sed per virtutem connaturalem effectui & actioni, non subiecto elicienti, sed tamen inhærenti illi vt forma & ratio agendi, & virtus operandi; sic enim agit virtute sibi communicata, non vt instrumento, sed vt causæ principali, & vt agenti,

anquam causa principalis.

An virtus instrumentalis entitatiuè corporea sit vel spiritualis?

Quartò arguitur, Motio, qua mouetur instrumentum corporeum, debet esse entitatiuè quid corporeum, cùm in corpore subiectetur, ergo nequit esse virtus constituens in actu primo instrumentum ad operandum effectum supernaturalem. Consequentia patet, Quia quidquid corporeum est, est improportionatum respectu effectus supernaturalis, & extra latitudinem eius, nec positiuè dicens ordinem ad illum, ergo non potest in actu primo constituere ad effectum supernaturalem. Antecedens vero probatur, Nam illa motio est subiectiuè in re corporea, ergo debet esse entitatiuè quid corporeum. Quidquid enim recipitur in aliquo, ad modum recipientis se habet; & cùm existentia quam habet illa motio in re corporea, sit corporea, ipsa nequit esse entitatiuè supernaturalis, ergo antecedenter ad motionem oportet ponere actiuitatem, qua instrumentum sit in actu primo.

Confirmatur primò, Quia illa motio est idem cum actione & motu ipsius instrumenti; Non enim alia ratione motum suum peragit instrumentum, & alia effectum causæ principalis; sed hæc actio & motus instrumenti est corporeus, ergo & motio Dei qua mouet instrumentum.

Confirmatur secundò, Vsus ille, seu motio qua Deus vtitur instrumento, vel sumitur actiuè, vt se tenet ex parte Dei, vel passiuè, vt se tenet ex parte creaturæ & instrumenti; vt tenet se ex parte Dei non est ratio agendi ipsi creaturæ, neque est actus eius primus; cùm sit actio increata; si vt tenet se ex parte creaturæ, non est de genere actiui, sed passiui, ergo non constituit in actu primo ipsum instrumentum, sed in via & fieri ad actum primum, ergo non per motionem potest constitui in actu primo instrumentum.

Confirmatur tertiò, Nam motio illa est actualis applicatio instrumenti ad agendum, ergo per illam non constituitur in actu primo; quia applicatio actum primum supponit, seu rationem & principium agendi; sed antè intelligitur constitui.

Ac denique Diu. Thom. in quæst. 6. de Potent. art. 4. determinat ex Diu. Gregorio, Creaturas cooperari quandoque Deo in actionibus miraculosis potestatiuè, Quia, vt inquit Gregorius, *si hominibus data est potestas filios Dei fieri, non est mirum si ex potestate mira facere possint*: ergo non solum passiua potentia obedientialis ponenda est, sed etiam actiua; siquidem creatura non solùm ad fieri, sed etiam ad facere ordinatur.

Respondetur ad principale Argumentum, Quod multi tenent hanc motionem, & vsum passiuum communicatum instrumentis, esse entitatiuè corporeum, & intentionaliter seu virtualiter spiritualem; sicut species, quæ est entitatiuè qualitas, intentionaliter est substantia; & virtus cœli formaliter non est vitalis, quia non procedit à corpore viuo; virtualiter tamen est vitalis, vt procedit ab intelligentia. In qua sententia dicendum est ad consequentiam argumenti, Quod, entitas corporea entitatiuè est extra latitudinem rei spiritualis & supernaturalis, intentionaliter tamen adæquat illam, sicut accidens substantiam; non enim repugnat intentionalem communicationem rei superioris inueniri in re inferiori.

Virtus sacramentalis entitatiuè corporea, solùm spiritualis intentionaliter, opinio.

Et fundari potest hoc in eo, quod Diu. Thom. dicit in hac quæst. art. 4. Quod in sacramento est virtus, quæ proportionatur instrumento; & ita videtur quod entitatiuè sit corporea. Cæterum sanctus Thomas tractans hoc argumentum in 27. de Verit. art. 4. ad 5. dicit, *Ad quintum dicendum, Quod virtus illa neque potest dici corporea, neque incorporea propriè loquendo; Corporeum enim & incorporeum sunt differentiæ entis completi; sed propriè dicitur virtus ad incorporeum; sicut motus magis dicitur ad ens, quàm ens.* Hæc Diu. Thomas; ex cuius verbis elicitur, Quod sicut motus in eo quod motus non dicitur entitatiuè corporeus, sed simpliciter est Postprædicamentum, sic illa motio, secundum quod motio, non debet dici entitatiuè corporea, sed intentionaliter spiritualis, & virtus seu ordinatio ad rem spiritualem, & communicatio quædam instrumenti, seu tractio vt communicet cum virtute causæ principalis; quæ tractio seu communicatio datur per modum actualis influxus, & per modum transeuntis; & ita sicut actualis influxus, quo vltimò causa actuatur ad agendum à Deo, non est actualitas quæ entitatiuè sit prædicamentalis, sed ad modum existentiæ est transcendentalis, & in actualitate superat omnem entitatem prædicamentalem; sic illa motio est quædam actualitas transiens per modum motus, quæ non est prædicamentalis, cùm non detur per modum potestatis, aut formæ (in quo superat Characterem, qui per modum spiritualis potestatis datur) sed per modum actualis motus & influxus, & ideo non debet entitatiuè esse qualitas, sicut character, aut quoduis aliud prædicamentum.

S. Thomæ opinio, Neutrum propriè esse, sed ad incorporeū.

Cùm ergo illa motio sit ipse concursus actualis Dei ad effectum, cum quo entitatiuè & simpliciter identificatur; cum instrumento verò solùm per modum transeuntis, & in fieri; inde est quod illa motio entitatiuè potius dicatur spiritualis, quia est concursus ad rem spiritualem, & secundum quod recipitur in instrumento non extrahitur à ratione concursus, sed solùm ponit communicationem ipsius cum causa principali per modum motus & concursus transeuntis; ideoque tanquam quid incompletum recipitur in instrumento, & vt aliquid transiens ad vlteriorem terminum; & consequenter sicut motus identificatur cum termino, magis quàm cum subiecto, sic motus ille identificatur magis cum termino, quàm cum instrumento.

Motio illa entitatiuè magis spiritualis, quæ sit ipsum fieri formæ, secundùm quid & transeunter corporalis.

Quod si instes, Nam instrumentum illud realiter immutatur ab illa motione, seu ab eo quod passiuè recipit, ergo illud reale & entitatiuum, quod recipit, vel est aliquid entitatiuè corporeum, vel incorporeum; nec potest esse motus & tendentia ad terminum; siquidem terminus est extra instrumentum, & motio illa est in instrumento, ergo secundum id quod recipitur in instrumento, corporeum quid est. Respondetur primò, Quod realiter immutatur per modum transeuntis, concedo; per modum permanentis, nego; Vnde non oportet quod relinquat in eo aliquid corporeum. Item, Quando immutatur ab aliquo, quod simpliciter, & per se identificatur, & subiectatur in illo, debet esse corporeum; quando autem identificatur simpliciter cum effectu spirituali, & solùm secundum quid, & transeunter cum corpore, eleuando illud per modum transeuntis, non requiritur quod sit corporeum, sed solùm quod dicat ordinem ad corporeum; Sicut Anima indiuiduatur ex ordine ad corpus. Vide Nuño in hac quæstione post articulum sextum.

Respondetur secundo, Quod in instrumento sic eleuato, & est considerare effectum, & est considerare actiuitatem seu actionem; effectus relictus est passiua eleuatio, seu esse tractum & subordinatum ad causam principalem, non quidem tractum ad esse, sed ad agere; & hoc est relatio quædam: Sicut esse vnitum in Humanitate fundatum in vnitate, sic illud esse tractum, & quasi vnitum virtuti Dei, est relatio fundata in tractione; Et si placet dicere, quod sit modus relictus (sicut quidam dicunt de immutatione consecuta in Humanitate ex vnitione) non contradico. Talis autem modus, quantum ad relationem, non est quid corporeum propriè loquendo. Si verò modus sit præter relationem, erit entitatiuè corporeus in corporeis instrumentis, sicut est in carne Christi esse vnitam diuinitati. At verò actiuitas instrumenti in effectum nequit esse corporea, etiam entitatiuè. *Et hæc* (dicit Diu. Thomas) *non est corporea, aut incorporea propriè loquendo, sed est virtus ad incorporeum*; seu incorporeus ipse effectus, incompletè contentus in ipso instrumento, per communicationem cum virtute causæ principalis, & per modum fluxus, ipsum instrumentum ordinans ad effectum. Et hæc actiuitas non distinguitur à concursu tendente in effectum, nisi quod identificatur talis concursus, seu actiuitas cum instrumento per modum transeuntis, & incompleti & intentionaliter, cum effectu vero simpliciter, & in genere entis.

Quapropter realiter immutatur instrumentum, & à passiua communicatione, seu subordinatione ad causam principalem, & à concursu, seu motione per modum incompletum, & motus in se recepti intentionaliter, habentis actiuitatem causæ principalis; quæ propriè non est corporea, aut incorporea, sed via & motus ad incorporeum, seu intentionalis tendentia ad illud. Et quando dicitur, Quod habet esse corporeum, vt pote subiectatum in re corporea; dico, Quod non habet existentiam & esse completum, sicut neque est forma completa; & hoc esse incompletum, seu existentia, non repugnat quod proueniat à re corporea, quia id quod existit per illam non est propriè res incorporea, sed tendentia ad incorporeum; nec propriè existit, sed tendit ad existere, & per modum transeuntis habet esse; & ita non repugnat quod per esse imperfectum proueniens à re corporea existat, non tanquam forma aut virtus completa, sed tanquam Postprædicamentum.

Et ex hoc etiam soluitur, quod principaliter intendit replica, Quia licèt Sacramentum corporeum immutetur à motione, immutatur secundum aliquid altius & alterius ordinis à corpore, & consequenter non per aliquid corporeum, sed per aliquid spirituale transiens. Vnde & illa motio non habet esse, aut rationem indiuidualem ex ipso subiecto, cum quo identificatur; quia illa motio non identificatur cum subiecto, sicut motus cum mobili; Motus enim est fluxus formæ; & quia forma illa subjectari debet in passo, ideo motus, seu fluxus formæ subjectatur etiam in passo, seu in mobili; motio autem illa intentionalis est communicatio virtutis diuinæ ad effectum, non in ipso instrumento, sed extra habendum, vnde habet suam peculiarem inexistentiam perfectam, sicut alia accidentia, dependentem tamen ab esse rei corporeæ, quod propter sui imperfectionem in genere entis inconueniens non est; sicut neque vt ex ordine ad rem corpoream indiuiduetur, sicut Anima rationalis ex ordine ad corpus indiuiduatur; sic illa motio cùm in genere entis sit imperfectissimum, & existentia eius imperfectissima, dependet ab existentia corporis, & indiuiduatur ex ordine ad illud, & ideo non recipitur in subjecto ad modum recipientis, quia non propriè, completè & perfectè recipitur in subjecto, sed transit, & eleuat subjectum vltra se; vnde non oportet quod recipiatur ad modum eius.

Si enim esset qualitas, aut entitas quædam ad aliquod genus pertinens, curreret quod Argumentum dicit; quia verò in genere non est, nihil concludit; Quia si est via ad spirituale esse perfectum, ipsa in genere entis est quid imperfectissimum; & ità non repugnat quod in existendo pendeat à re corporea. Constat enim quod de potentia absoluta potest gratia, seu spiritualis qualitas poni in lapide inhærenter; & hoc quod in perfectis qualitatibus fit de potentia absoluta, in imperfectis fit de ordinaria; quia motus spiritualis debet recipi in corporibus, quæ spiritibus obediunt in motu, sicut phantasma mouetur ab intellectu agente. Spirituale intentionale in re corporea; in qua & perfectum, de potentia absoluta.

Ad primam confirmationem Respondetur, Quod illa motio formaliter loquendo non est idem cum actione instrumenti, sed solùm materialiter & realiter, quatenus identificatur cum concursu ad effectum, & hic cum actione instrumenti; sicut motus est formaliter postprædicamentum, & materialiter identificatur cum termino aut subjecto; sic formaliter ratione motionis & actiuitatis non est idem quod motus, seu actio instrumenti, sed aliquid præueniens eam, & actiuitas à qua procedit talis actio virtuosè; entitatiuè autem non distinguitur à consursu præuio cum ipsa causa identificatio; & ideo licèt actio illa sit corporea, tamen prout virtuosa, est spiritualis; & ita actiuitas, à qua procedit, vt virtuosa, spiritualis est reductiuè & impropriè. Motio, ipse motus instrumenti realiter, formaliter quid præuium.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod illa motio, seu vsus passiuus, vt se tenet ex parte creaturæ, est passiuus in ordine ad causam principalem, à qua deriuatur & descendit, non tamen in ordine ad effectum, ad quem dirigitur: Vnde non est purè passiuus, sed eleuatiuus instrumenti vt agat vltra se: sicut etiam motio physica prædeterminans causam recipitur in ipsa causa, non tamen vt forma solùm inhærens, sed vt ratio vltima, & complementum agendi; & ita licèt recipiatur in causa, tamen non solùm habet recipi, sed etiam tendere ad effectum, & esse ratio agendi; Neque repugnat quod idem respectu diuersorum habeat rationem actiui & passiui: & sic instrumentum secundum se seorsum patitur ab illa motione, dum trahitur ad communicationem cum causa principali, vt autem tractum & factum vnum cum ipsa, actiuè respicit effectum, sicut ipsa. Vsus instrumenti, ipsa eius eleuatio.

Ad tertiam confirmationem Respondetur, Quod illa motio est actualis applicatio, distinguo; Pura applicatio, nego; applicatio virtuosa, dans actiuitatem & virtutem per modum intentionis, & trahendo instrumentum vt communicet cum virtute causæ principalis, concedo; & talis applicatio non supponit, sed dat actum primum; sicut in musico tangente chordas artificiosè patet. Applicatio virtuosa, ipsa instrumentum eleuans.

Ad D. Thomam Respondetur, ipsum clarè dicere in eodem articulo, Quod sic agunt Sancti vt instrumentum diuinæ virtutis, non quasi aliqua virtute habitualiter in eis manente, vel gratuita

vel naturali; sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis in Sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur communiter; non ergo ex potentia obedientiali passiua infert sanctus Thomas actiuam per modum habitus, sed per modum motionis & intentionis.

SOLVVNTVR ARGVMENTA

Pro tertio modo dicendi, quæ probant assistentiam extrinsecam contra 3. Concl.

Primò arguitur, Instrumentum non agit per virtutem propriam, sed per virtutem ipsius causæ principalis sibi conjunctam & applicatam; ergo non requiritur aliqua virtus recepta in instrumento, sed sola extrinseca subordinatio, & conjunctio cum virtute principali sufficit. Antecedens est certum, Quia instrumentum vt instrumentum agit extra propriam virtutem ex vi causæ principalis, & non virtute propria. Consequentia verò probatur, Quia quæcumque virtus ponatur in instrumento, non est virtus causæ principalis, sed ab illa distincta, ergo non agit per illam instrumentum effectum causæ principalis, sed vltra illam virtutem oportet quod sit conjunctum & subordinatum virtuti causæ principalis, ergo per talem subordinationem constituitur in actu primo; idest, in actiuitate qua possit producere effectum causæ principalis.

Confirmatur, Productio gratiæ, quæ per instrumentum fit, & per causam principalem, est vna & eadem, & simplex actio, quæ relata ad Deum est principalis, relata ad creaturam est instrumentalis, ergo non exigit duas virtutes & duo principia, à quibus procedat, sed vnicum tantum; hoc autem est virtus principalis agentis, ergo præter illam non requiritur alia intrinsecus recepta in instrumento, sed sufficit extrinseca subordinatio eius ad virtutem principalis agentis.

Et confirmatur secundò, Quia si per virtutem aliquam in se receptum instrumentum constituitur in actu primo, ergo productio exiens ab instrumento distinguitur à virtute instrumenti, a qua exit, siquidem illa productio exiens ab instrumento identificatur cum gratia, quæ est effectus productus; motio autem, seu virtus instrumenti, manet in instrumento; ergo alia erit productio gratiæ, & alia productio talis virtutis in instrumento, nec per concursum influentem & producentem gratiam producet Deus virtutem in instrumento, sed per distinctam; & sic duplex actio Dei interueniet, quando Deus producit gratiam simul cum instrumento.

Respondetur, negando consequentiam; Nam quod agat instrumentum per virtutem causæ principalis, non tollit realem influxum instrumenti, & quod realiter procedat actio ab instrumento ad effectum; Ad hoc autem requiritur, quod in ipso instrumento sit actiuitas, à qua prodeat illa actio; & cùm non sit actiuitas ipsius causæ principalis, eo modo quo est in causa principali, debet esse virtus ipsa causæ principalis per modum motionis, & per modum transeuntis communicata instrumento. Igitur instrumentum non agit per virtutem propriam, sed per virtutem causæ principalis, instrumentaliter sibi communicatam, & per modum transeuntis, concedo; sibi non communicatam, sed extrinsecus solum se habentem, nego; Et ita negatur consequentia, Ad cuius probationem

Virtus instrumenti, ipsa causæ principalis, in esse intentionali.

A dicitur, Quod quæcumque virtus ponatur in instrumento, non est virtus causæ principalis, distinguo, completè & perfectè, concedo; incompletè & intentionaliter, nego, & per hanc virtutem intentionaliter receptam in instrumento agit vltra propriam virtutem, & agit per virtutem causæ principalis sibi communicatam secundum intrinsecam subordinationem, & non solùm extrinsecam.

Ad primam confirmationem, concesso, quod vna actio sit productio gratiæ, negatur, quod non requirat duas virtutes, quando instrumentaliter producitur, quia vna & simplex actio bene potest à duobus principiis subordinatis pendere, sicut patet in actione causæ primæ & secundæ, quæ ab vtraque procedit, eo quod sunt causæ diuersi ordinis, quibus effectus & productio eius necessario

Vnius effectus plura principia subordinata.

B subordinatur: Sicut enim eadem entitas plures habet gradus essentiales, ita non repugnat à pluribus causis diuersi ordinis pendere & procedere; & præsertim quando virtus inferioris agentis, seu instrumenti, non est virtus distincta à virtute causæ principalis, sed eadem in alio esse; nempe, intentionaliter, & per modum transeuntis recepta.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod illa productio gratiæ procedens ab instrumento, non distinguitur ab eius virtute instrumentali, vt actus secundus ab actu primo simpliciter & completè, sed vt ab actu primo transeunti,

C & intentionaliter productionem respiciente. Vnde non indiget duplici concursu, alio dante virtutem, alio eliciente actionem, sicut in causis principalibus; sed eodem concursu, quo Deus tendit ad effectum producendum in actu secundo, dat instrumento actum primum, & simul actum secundum ad talem effectum; quia actus primus, quo constituitur instrumentum, est coniunctus cum actu secundo, & inseparabilis ab illo, solumque formaliter distinguuntur: Cuius ratio est, Quia instrumentum non est in actu primo per aliquam formam seu virtutem, quæ sit in potentia ad agendum, & ita indigeat Dei concursu reducente illam virtutem de potentia ad actum; sic enim ageret per formam & virtutem propriam effectum

Actus primus ipse simul cum secundo in instrumento, ex vnoque causæ principalis influxu.

D supernaturalem.

Quare actus primus instrumenti, non potest esse terminus primò & directè productus per aliquam actionem, cùm non sit aliqua forma habitualis, seu virtus ipsi instrumento per aliquam actionem impressa, sed est subordinatio instrumenti ad causam actualiter producentem, & operantem effectum; non quidem simpliciter, sed cum subordinatione actiua instrumenti, vt egrediatur ab eo actio in effectum. Cùm ergo in instrumento actus primus non sit aliqua forma cui effectus assimiletur in aliquo gradu, sed tota assimilatio correspondeat actiuitati causæ principalis, non oportet

E (imò nec potest) per actionem distinctam dari ista impressio instrumento, & per aliam tendere ad effectum, cùm ad motum non sit motio neque actio; sed per eamdem actionem, qua agens principale est in actu secundo ad producendum effectum, habet simul subordinare sibi instrumentum, & ordinare illud vt effectus exeat ab eo supra naturam suam; & ita illa productio quæ exit ab instrumento, distinguitur à motione impressa instrumento; vt actus secundus à primo exeunte per modum transeuntis & fluxus, non per modum virtutis & formæ in instrumento, & consequenter non per aliquam specialem actionem producto;

Ad motum enim non datur actio; sed per eandem actionem quæ perfectè tendit ad terminum extra, intentionaliter actuatur instrumentum.

Diuinæ actionis effectus, non motio propriè, sed terminus extra productus.

Vnde illa productio Dei, & actio ad extra, habet pro effectu, non quod est in instrumento (quia hoc non propriè est effectus, sed motio) sed id, quod extra instrumentum producitur; quia tamen producit illud simul cum instrumento, & vt exeat ab instrumento, non supponit in illo virtutem aliquam, aut formam, a qua exeat, ideo simul illa actio motionem imprimit, eleuando instrumentum, & ad effectum concurrit cum instrumento, quod est præcipuè intentum à causa principali; Nec repugnat quod eadem actio habeat duplicem effectum, præsertim quando vnus ordinatur ad alium, & vnus est effectus simpliciter, & alius secundum quid; quod non est simpliciter effectus, sed motus ad effectum. Et licèt actio egrediens ab instrumento distinguatur ab ista motione, tamen actio causæ principalis concurrens ad effectum cum instrumento, & habet motionem imprimere instrumento, quæ motio non est simpliciter terminus actionis, & habet per talem motum ad vlteriorem effectum tendere, qui est simpliciter effectus talis concursus, licèt non sit immediatè solum à causa principali, sed mediantè instrumento, & concurrendo cum illo.

Secundò arguitur, Ex conjunctione ad causam superiorem, sine aliqua motione addita instrumento de nouo, causa inferior instrumentalis operatur effectum supra propriam virtutem; ergo non est opus alia virtute superaddita instrumento, neque per modum qualitatis, neque per modum motionis. Antecedens multis exemplis constat; Calor enim in animali, ex conjunctione ad animam, sine noua virtute superaddita producit carnem; Phantasma ex conjunctione ad intellectum agentem producit speciem spiritualem, sine noua virtute superaddita; & similiter color ex conjunctione ad lucem, & motus cœli ex conjunctione ad Intelligentiam mouentem, producit viuentia; ac denique intellectus & voluntas, sine aliqua qualitate superaddita, ex sola subordinatione ad diuinum auxilium, producunt primos actus supernaturales.

Confirmatur, Nam semen sine aliqua motione superaddita sibi, quæ sit intentionalis virtus causæ principalis, producit effectum instrumentaliter, ergo non est necessaria intentionalis motio recepta in instrumento, sed sufficit subordinatio ad agens principale.

Confirmatur secundò, Nam imperium Dei practicum applicatum creaturæ sufficienter constituit illam in actu primo ad instrumentalem actionem, ergo sine aliqua immutatione naturali ex parte instrumenti, per subordinationem ad causam principalem, & applicationem imperij practici constituetur in actu primo. Antecedens probatur, Nam practicum Dei imperium non solùm est formaliter immanens, sed virtualiter transiens; ergo ipsum diuinum imperium est de se accommodabile creaturis, & virtus diuina per imperium sic applicata sufficienter constituet causam instrumentalem in actu primo, cùm non per propriam virtutem in actu primo constituatur.

Respondetur, distinguendo antecedens, Ex coniunctione ad causam superiorem, sine aliqua motione de nouo constituitur causa instrumentalis in actu primo; si coniunctio ipsa sit connaturalis, vel ad obiectum extrinsecum connaturale, concedo; A si coniunctio ipsa sit obedientialis, & ad obiectum excedens terminos naturæ, nego. Quando enim duæ causæ connaturaliter coniunguntur, ipsa naturalis colligatio, sine alia motione superaddita, est sufficiens constituere in actu primo causam instrumentalem inferiorem. Quando autem colligatio non est naturalis inter vnam causam & aliam, sed solùm obedientialis non repugnantia, oportet quod quando de nouo causa ordinatur ad superiorem effectum, per aliquam sui immutationem ordinetur; & ita virtutem de nouo suscipit à causa principali, seu actiuitatem ad agendum, quam non per modum formæ, sed per modum motus habere debet.

Causæ naturaliter colligatæ, si ipsis subordinantur, sine noua virtute, non quasi dispa ratæ.

B Et hinc patet ad exempla adducta in probationem antecedentis; quamuis in illo de phantasmate, probabilius sit, quod ad quamlibet speciem producendam, intellectus agens sua actione & illustratione mouet phantasma, vt producat speciem, quæ excedit latitudinem corporei phantasmatis, quia spiritualis est. Similiter, Motus cœli, cùm procedat ab Intelligentia, procedit vi virtuosus; Et sic non solum est corporeus, sed etiam vitalis, non ex pura & extrinseca subordinatione, sed ex ipsa processione ab Intelligentia. Quod verò adducitur de intellectu & voluntate, quando C ante receptionem habituum operantur actus supernaturales, dicimus, Quod tunc præmouentur, & præaccipiunt auxilium diuinum, quod aliquid reale est; & ab illo accipiunt virtutem, non per modum habitus, sed per modum dispositionis transeuntis, vt vitaliter operentur actus supernaturales; Vnde non ex sola extrinseca subordinatione, sed ex reali virtute, & immutatione superaddita operantur.

Intellectus agens impressio in phantasma.

Cœli motus virtuosus Intelligentia imprimente. Primi motus in intellectu & voluntate: ex Dei auxilio per modum motionis & dispositionis.

Ad primam confirmationem Respondetur, Quod semen est instrumentum naturale viuentis, & virtus naturalis eius ab eo decisa; vnde ex coniunctione naturali ad viuens, virtutem habet, vt decisum ab eo operetur sine noua motione, sed D per virtutem quam ex ipso viuente habet, vt naturalis eius virtus, At verò instrumentum obedientiale, trahitur de nouo ad operandum ex influxu causæ principalis; vnde oportet quod de nouo immutetur aliqua actiuitate, & ordinatione ad effectum; non per modum formæ, sicut causa principalis, sed per modum motionis.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod practicum Dei imperium constituit creaturam sufficienter in actu primo, immutando passiuè ipsam, concedo; sine mutatione eius, & aliqua virtute creata recepta in ipsa, nego; Quia eo ipso quod imperium illud mouet creaturam ad agendum, oportet quod ei actiuitatem præbeat, vt ab E ea exeat actio; quod non potest fieri nisi ex vi illius passiuè immutetur creatura, & suscipiat actiuitatem ad hoc vt actio egrediatur; quod optimè per illud imperium fieri potest, quia virtualiter est transiens.

Dei imperiú virtualiter transiens & immutás creaturam.

Tertiò arguitur, Humanitas Christi est coniuncta Verbo diuino, & intrinsecè terminata eius personalitate, ergo ex coniunctione hac virtutem habebit ad operandum supernaturaliter; siquidem causa inferior ex coniunctione cum causa superiori, quando coniunctio illa est permanens, virtutem participat vltra propriam naturam.

Confirmatur; Corpus Christi mortuum erat sanctificatiuum, & productiuum gratiæ, & tamen nullum habebat motum aut motionem, ergo sine aliqua motione potest instrumentum operari;

& ita illud faciet ex sola subordinatione ad causam principalem. Et simile Argumentum est, de Christo Domino sacramentaliter existente in Eucharistia.

Confirmatur secundò, Nam si virtus productiua gratiæ motui attribuitur, ergo caro Christi non est quæ sanctificat, sed motus eius humanitatis; siquidem non caro, sed motus influit in effectum, & habet virtutem susceptam principalis agentis, ergo solùm talis motus influit; & præsertim secundum opinionem, quæ dicit, Actionem, quæ est motus, esse in passo; tunc enim, quando (verbi gratia) Christus Dominus liniuit oculos cæci, non in Christi Humanitate, sed in oculis cæci fuit ille motus; & consequenter illa virtus instrumentalis. Ac denique, Quia ex artificiosis instrumentis non potest deduci consequens argumentum ad instrumenta supernaturalia, cùm artifex mouendo instrumenta nil efficiant supra naturam ipsorum instrumentorum; solùm enim applicatur instrumentum ad diuersa loca, vt expellat vnum corpus, aut aliud inducat, ergo ex huiusmodi motione non trahitur sufficiens argumentum ad ponendum motionem in instrumentis supernaturalibus; præsertim quia ille motus plerumque non est corporalis, sed volitio, aut intellectio Animæ Christi, quæ proinde ipsius carnem sanctissimam corporaliter non afficiunt, & ita per illa non mouentur ad causandam in nobis gratiam.

Humanitas Christi ipsa per virtutē eleuatur admodū transeuntis.

Respondetur, Quod Humanitas Christi ex coniunctione ad Verbum, & terminatione intrinseca illius, non acquirit aliquam virtutem, aut actiuitatem supernaturalem, sed solùm radicale principium operatiuum, quod est suppositum; Vnde sicut præter suppositum requirit facultates in Anima (intellectum videlicet & voluntatem) vt operetur tanquam agens principale; sic præter suppositum requirit motionem & actiuitatem instrumentalem, vt instrumentaliter operetur. Ex terminatione autem præcisè humanitas illa solùm acquirit esse terminatam, & personatam, & tractam ad esse diuinum; non verò actuatam esse ad agendum. Vnde Verbum non vnitur Humanitati, vt agens, sed vt terminus; vnde vt sit agens supernaturaliter, oportet quod ei addantur virtutes, seu formæ agendi supernaturaliter; & vt dicatur instrumentum, oportet ei addi motionem, & participationem virtutis principalis agentis, cùm instrumentum operetur ex motione & participatione virtutis principalis agentis; principale autem agens respectu Humanitatis Christi, non est Verbum solum, sed tota Trinitas, ergo ex sola terminatione Verbi non intelligitur constitutum instrumentum, sed ex subordinatione ad totam Trinitatem, & consequenter ex motione de nouo participata.

Quare licèt talis terminatio sit radicale principium dignificans omnes actiones Christi Domini, non tamen est formalis actiuitas omnium actionum, cùm solùm vniatur vt terminus, non vt actiuitas, seu ratio agendi; & ita ex coniunctione ad talem terminationem, non acquirit Humanitas maiorem actiuitatem, sicut acquirit causa inferior ex vnione ad superiorem; quia vnitur ei non solùm vt terminanti, sed vt agenti, & communicanti formalem actiuitatem (quod in præsenti non fit) cùm formalis actiuitas non à sola persona Verbi, sed à tota Trinitate descendat.

Ad primam confirmationem Respondetur, Aliud esse motum seu actionem quæ in instrumento præ-

Instrumenti motus proprius, & ratio ipsa instrumenti.

A exigitur, tanquam conditio antecedenter ad motionem causæ principalis, aliud esse motum seu motionem, quæ requiritur in instrumento vt actus primus & ratio agendi; in quo videtur allucinatus Magister Vincentius; Motus enim, qui est actio propriè instrumenti, & ad quam ipsum se habet vt causa principalis, non est actus primus instrumenti, sed si requiritur, requiritur vt conditio; & secundum plures, de potentia absoluta non est necessarius aliquis talis motus, seu actus, sed res omnino quiescens à motu naturali, potest accipi à Deo vt instrumentum, solùm ratione obedientialis motus, seu non repugnantiæ.

Eius actio propria, respectu Dei non necessaria.

B Cæterum si vellemus dicere, Quod ista actio omnino præexigitur ad hoc, vt exeat actio productiua effectus principalis ab instrumento, quæ non exibit, nisi tale instrumentum agat, dicendum est, quod Corpus exangue Christi Domini poterat agere, saltem aliqua actione largè loquendo, videlicet per contactum ad alias res, vt ad Crucem, vel ad sepulchrum, & per mutuam reactionem & repassionem, quam habent corpora etiam inanimata; non enim necesse est quod sit motus localis sensibilis, sed sufficit quilibet motus; verbi gratia, infrigidatio, aut humefactio, aut descensus, aut quilibet alius contactus, quo qualitates vnius corporis alteri communicantur;
C has quidem actiones possumus reperire in cadauere exangui. Cæterum motio illa, quæ constituit instrumentum in actu primo, est motio spiritualis, & participatio virtutis increatæ, quæ communicatur ipsi corpori, vt moueatur motu virtuoso & sanctificatio, sicut communicatur chordis vt moueantur harmonicè.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Virtutem illam, quæ à causa principali communicatur instrumento, non communicari ipsi motui instrumenti, sed instrumento, vt motum producat. Constat enim, quod quando motus exit ab instrumento, subordinatur causæ principali, & exit virtuosus, vt supra propriam naturam operetur;
D non autem quando iam exijt motus à causa instrumentali, tunc eleuatur ipse actus secundus. Dicimus ergo, Quod ipsum instrumentum suscipit in se virtutem creatam, constituentem ipsum in actu primo per modum transeuntis; atque adeò antecedentem ipsum motum; vnde non motui, sed instrumento constituto virtuosè attribuitur productio effectus principalis.

Quod autem adducitur de instrumentis artificiosis, dicimus quod applicatio artificis duo facit, & mouere instrumentum, ac motu locali ordinare; & mouere artificiosè, vt videlicet artificiosum effectum producat; Quantum ad motum præcisè, solum artifex est applicans, securis verò per suam aciem expellit corpora, aut mouet localiter;
E quantum ad formam artificiosam non se habet artifex vt applicans, sed vt communicans instrumento virtutem ad effectum artis, qui de nouo tunc producitur; & non per solam virtutem naturalem, sed per motionem artificiosam, vt in pulsatione chordarum patet, quando simplici motu pulsantur, aut quando artificioso & harmonico.

DVBIVM

DVBIVM VLTIMVM.

An ita sit de facto quod Sacramenta Nouæ Legis sint causæ Physicæ gratiæ, an morales?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

PRo cujus intelligentia Aduertendum est, Quod hoc differt inter causalitatem physicam & moralem, quod moralis non respicit effectum quoad esse suum, & eductionem extra causas, sed respicit voluntatem à cujus dispositione vel efficacia pendet effectus; Vnde causa moralis solùm habet mouere voluntatem per propositionem objecti, non autem habet in ipsum effectum influere per operationem & efficaciam, seu actionem productiuam ipsius esse. Vnde causa moralis supponit physicam operatiuam effectus; ipsa verò effectum non operatur, sed expectat ab alio, vt dicit Diuus Thomas. Et loquimur de morali causalitate, secundùm quod condistinguitur à physica, & seorsum ab ea reperitur. Quando enim agens physicum alicuius effectus est agens liberum, quia videlicet per intellectum & voluntatem operatur, tunc non repugnat esse simul morale, quia liberè agit, dum agit physicè; sed non loquimur in præsenti de hac moralitate causæ, sed de causalitate morali.

Causa moralis.

Bene stat enim, Quod causa moralitatem habeat, quia causa libera est, & tamen physicè operetur, quia effectum in esse producit; si tamen causalitas moralis sit, nunquam attingit rem in esse, nec influit realiter in ipsam per productionem, sed solùm extrinsecè se habet, vt mouens moraliter voluntatem ad hoc vt operetur, vel applicet aliquid ad effectum. Et hoc est quod quærimus in præsenti; An taliter Sacramenta sint causa gratiæ, quod non solùm causalitatem moralem habeant, sed etiam physicam: Et quia similis ratio est de Humanitate Christi & de Sacramentis; ideo consequenter afferemus in probationem ea, quæ de Humanitate Christi dicuntur, & quæ de Sacramentis.

Igitur quod attinet ad sanctum Thomam; clarè tenet quod Humanitas Christi & Sacramenta physicè influant gratiam. Et primò quidem id patet ex 3. p. quæst. 13. art. 2. vbi loquens de Anima Christi, inquantum est instrumentum vnitum Verbo, dicit, *Quod habet virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, quæ conducunt ad finem Incarnationis; non autem ad annihilationem vel creationem;* si autem non loqueretur de instrumento physico, sed morali, vel de conditione extrinsecus requisita, clarum est quod non posset negare virtutem moralem ad creationem vel annihilationem; Nihil enim repugnat quod Christus impetrare posset annihilationem Diaboli, vel creationem vnius Angeli aut Animæ.

Humanitas Christi instrumentum physicum diuinitatus.

Secundò, Quia in quæst. 84. ejusdem 3. partis distinguit apertè modum physicum, quo passio Christi operata est salutem nostram, à modo morali. In primo enim articulo determinat, Quod per modum meriti operata sit salutem; in secundo, Quod per modum satisfactionis; in tertio, Quod per modum sacrificij; in quarto, Quod per modum redemptionis; qui omnes quatuor modi sunt causalitatis moralis, ergo quando postea in articulo sexto determinat; Quod etiam per modum efficientiæ operata sit salutem tanquam Verbi instrumentum, manifestum est loqui de effi-

A cientia physica; Nam si de efficientia morali loqueretur, eo ipso quod loquebatur de operatione per modum meriti & satisfactionis & redemptionis, loquebatur de efficientia morali; ergo si præter omnes istos modos addit modum efficientiæ instrumentalis, planè loquitur de efficientia, quæ non est moralis; siquidem de ipsa in quatuor aliis articulis locutus fuerat.

Et ideo sanctus Thomas in articulo sexto ponens argumentum, *Quod non potest idem operari per modum meriti & per modum efficientiæ: Quia ille qui meretur expectat effectum ab alio, ergo si passio Christi operata est salutem per modum meriti, non potest operari per modum efficientiæ:* B Respondet; *Quod passio Christi respectu diuersorum habet meritum & efficientiam: respectu enim Diuinitatis habet efficientiam, respectu verò voluntatis humanæ, habet rationem meriti.* Quæ responsio nulla esset, si non loqueretur de efficientia physica, sed morali, tum quia efficientia moralis expectat effectum ab alio, cùm ipsa non det esse effectui; sanctus Thomas autem loquitur de efficientia, quæ non expectat effectum ab alio, sed ipsa facit effectum; tum quia efficientia moralis respectu voluntatis humanæ Christi est, & non solùm respectu diuinitatis, cùm diuinitas physicè efficiat, & non sola causalitate morali.

C Similiter in quæstione quadragesima nona articulo sexto determinat, *Quod mors Christi in fieri operabatur salutem, sicut passio: mors autem in facto esse, non potuit operari salutem per modum meriti, sed solùm per modum efficientiæ, quando iam erat Anima à corpore separata, ac adeò non merebatur*, & idem docet de Resurrectione Christi quæst. 56. art. 1. ad. 3. super Epistolam ad Romanos cap. 4. 25. super illa verba, *Resurrexit propter iustificationem nostram;* vbi ostendit sanctus Thomas, Resurrectionem Christi non operari per modum meriti, quia Christus resurgens iam non erat in statu merendi, & ideo solùm operari per modum efficientiæ; si autem per efficientiam D intelligeret moralem efficientiam, non distingueret illam contra meritum; meritum enim moralis efficientia est.

Nec potest dici, Quod efficientia illa, licèt non sit meritum, est tamen impetratio, quæ non repugnat Christo, etiam post resurrectionem. Contra hoc enim est primò; Quia tunc non ipsa Resurrectio, neque ipsa Ascensio in cœlum haberet causalitatem in nostram salutem, sed actus voluntatis aut intellectus, quo Christus post Resurrectionem & Ascensionem orauit; Diu. Thomas autem de ipsa Resurrectione & Ascensione, & de ipsa Morale in facto esse, prout est separatio Animæ à corpore, dicit; Quod per modum efficientiæ operata sunt; ergo non loquitur de oratione E aut impetratione, sed de causalitate physica, qualis Resurrectioni ipsi competere potest.

Secundò, Quia Diu. Thomas dicit, *Quod Mors, Resurrectio & Ascensio Christi operata sunt salutem nostram, vt instrumenta diuinitatis, & ex virtute diuinitatis sibi coniuncta:* oratio autem & impetratio Christi Domini non sunt eius humanitatis, vt instrumentum diuinitatis, quasi diuinitas sit principale agens in orando & impetrando, sed voluntas & intellectus sunt ibi principales causæ, cùm oratio & impetratio sint actus vitales & in causalitate morali Christus non se habet instrumentaliter, sed principaliter, ergo loquendo de instrumentali virtute, loquitur S.

Thomas secundum causalitatem physicam, non moralem.

Tertiò, Quia ad causalitatem quam Sacramenta & Humanitas Christi habent in gratiam, sanctus Thomas ponit virtutem specialem per modum transeuntis, receptam in illis ex virtute diuinitatis; virtus autem hæc specialis est realis & physica; aliàs si non esset realis & physica, non diceret Diuus Thomas, *Quod est reductiuè in genere, sicut motus: quod non repugnat esse in re corporea per modum transeuntis:* omnia enim ista ad entitatem moralem, quæ in determinatione voluntatis consistit, necessaria non sunt. Si ergo illa virtus est realis & physica, causalitas ad quam sanctus Thomas ponit talem virtutem, non est causalitas moralis; hæc enim sine tali virtute physica fieri potest; non enim consistit in reali influxu. Illam autem virtutem specialem manifestè ponit sanctus Doctor in Sacramentis, quæst. 62. art. 4 & in Passione Christi, quæst. 48. art. 6. & in Morte eius, quæst. 49. art. 6. & in Resurrectione, quæst. 56. art. 5.

Stabilito ergo quod sit hæc sententia sancti Thomæ; probatio eius sumitur & ex authoritate Sanctorum, & ex congruentiis: Longum autem esset recensere diuersa sanctorum Patrum dicta circa hanc efficicientiam. Notentur verba sancti Leonis Papæ Sermone quinto de Natiuitate, vbi dicit; *Virtus Altissimi, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, facit vt regeneret vnda credentem;* manifestum est autem quod virtus illa Altissimi non causalitate morali, sed physica fecit, vt Maria pareret Saluatorem; eadem ergo facit Baptismum regenerare.

Sacramenta causare gratiā physicè, petunt Sanctorum testimonia.

Notentur & verba Gregorij Nysseni in libro de Baptismo, vbi respondens dubitationi, qua aliquis interrogare posset, Qua ratione aqua regeneret, Respondet *id fieri, sicut in natiuitate hominis secundum carnem.* Et adhuc instans, *Dices*, inquit, *fortassis, Semen causa effectrix hominis est; audi igitur contra à nobis, Quod aqua quæ benedicitur, purgat & illuminat hominem:* Vbi manifestè Nyssenus de physica efficientia loquitur; non enim aliter semen effectrix causa est, ergo & Baptismus physica efficientia illuminatiuus est.

Optimè etiam Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 42. inquit; *Quod sicut viribus ignis intensius aqua calefacta vrit, non aliter quàm ignis; sic Spiritus sancti operatione, aqua qua Baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem & potentiam.* Vnde & meritò talem virtutem aquæ miratur Augustinus, tractatu 80. in Ioan. vbi dicit, *Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Si autem Sacramenta solùm tanquam signa, aut moralia instrumenta se haberent, vt quid Patres tam solicitè virtutem in eis quærunt, & similitudine agentium physicorum explicant? Videantur multæ aliæ authoritates Sanctorum apud Suarez disput. 9. sect. 2. & Cabrera super istum articulum disp. 3. §. 10. Et quidem sanctus Thomas, totam rationem efficientiæ Sacramentorum ex Sanctorum authoritatibus deducit; qui dicunt Sacramenta Nouæ Legis non solum significare, sed & causare gratiam; Modus autem moralis operationis in rebus inanimatis non transcendit rationem signi, vt inductiuè facile constabit; & facit satis Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. vbi enumerans causas physicas & morales iustificationis nostræ, post A causam finalem, efficientem & meritoriam, ponit pro instrumentali Baptismum; si autem Baptismus esset moralis causa, vel ad meritoriam reducendus erat, vel ad rationem signi; propriè autem instrumentalis non est, nisi quod physicè instrumentalis est.

Ratio autem pro hac parte, solùm sunt congruentiæ; quia tota causa à priori huius, pendet ex voluntate Dei. Præcipuæ autem congruentiæ sunt; Primò ex modo causandi Sacramentorum Nouæ Legis, qui eleuatior & sublimior esse debet, supra modum causandi Sacramentorum Veterum, itemque efficacior; constat autem moralem causalitatem non defuisse sacramentis antiquis, cùm ad præsentiam illorum Deus gratiam daret, præsertim in Circuncisione; Et licèt modo Sacramenta eam conferant ex meritis Christi iam exhibitis, tamen si hoc non extrahit sacramenta nostra à modo causandi causalitate morali, non excedunt in modo operandi nostra sacramenta illa antiqua. B

Ratione probata cōclusio.

Secundò, Quia causalitas moralis, si qua in Sacramentis interuenit, non excedit rationem signi; sed Sacramenta Nouæ Legis non solùm significant, sed efficiunt quæ significant, ergo vt habeant plus quàm significare, oportet etiam quod habeant aliquid vltra causalitatem moralem; siquidem per illam non extrahuntur à ratione signi. Minor constat apertè ex Concil. Florent. & Trident. sessione 7. can. 6. vbi definitur *Sacramenta Nouæ Legis non esse tantùm signa externa iustitiæ acceptæ, aut notas quasdam Christianæ professionis, sed continere & conferre gratiam:* ergo necesse est aliquam causalitatem ponere in Sacramentis, quæ non sit sola significatio. C

Major autem probatur, Quia Sacramentis non potest competere causalitas moralis ratione alicujus actus moralis, quem ipsa exerceant & eliciant, sicut meritum, aut satisfactio, aut redemptio sunt actus moralis causalitatis; ergo solùm potest competere causalitas moralis secundum quod sunt aliquid relictum ab actibus moralibus, vt contineant eorum valorem & efficaciam in effectum; Non possunt autem hoc continere nisi significando & repræsentando talem efficaciam & valorem, sicut chirographum repræsentat decretum legis, & denarius plumbeus est signum voluntatis Regiæ dandi tale aut tale beneficium; ergo omnis causalitas moralis communicata Sacramentis, solùm potest esse per modum signi significantis efficaciam actuum meritoriorum & moralium Christi. Et hujus ratio est, Quia non est causalitas moralis in istis inanimatis, nisi inquantum mouent voluntatem aliquam, vt ipsis positis conferat effectum; quæ motio fieri ab eis non potest nisi vt à signo. D

Tertia congruentia est, Quia hic modus operandi physicè instrumentaliter gratiam est possibilis, vt ostensum est; ergo valde decet Humanitatem Christi & eius Sacramenta; præsertim cùm non repugnet authoritas aliqua; immò si in proprietate & rigore intelligenda sunt loca Scripturæ, de virtute & causalitate physica loquuntur, sicut illud, *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, Lucæ 6. 19. Et, *Ego sensi virtutem de me exisse*, Lucæ 8. 46. Quæ ad moralem virtutem referre improprium est. Et de Carne Christi communiter Concilia & Sancti dicunt *esse viuificatricem*; quod morali causalitati non conuenit, cùm hæc non ad Carnem, sed ad Animam pertineat. Sic autem appellatur in Concilio Ephes. Can. 11. E

& in Epistola Synodali ad Nestorium: Eodem autem modo loquuntur Concilia & Scriptura de Sacramentis.

Quod verò Sacramenta sint etiam causæ morales nostræ sanctificationis, ex dictis colligi potest, Quia sunt signa practica continentia pactum Dei de danda gratia per appositionem illorum; ergo sicut causalitas physica non excludit significationem, sic nec causalitatem moralem. Item quia ex pacto suo & promissione infallibili facta Sacramentis, mouetur Deus ad dandam gratiam per illa, ergo sunt causæ morales, siquidem non possunt mouere Deum nisi moraliter, videlicet tanquam pactum & promissio facta à Deo; & ita sicut Deus manet obligatus ex promissione, moraliter loquendo, ita & sacramenta, quibus facta est hæc promissio, dicuntur causa moralis, vt Deus det gratiam per illa.

Soluuntur Argumenta.

Objicies primò locum D. Thomæ in 3. dist. 16. quæst. 1. art. 3. vbi inquit D. Thomas, *Quod ad actiones miraculosas nulla creatura, nec etiam Anima Christi, habet potentiam, nisi per modum intercessionis aut orationis:* ergo solùm agnoscit modum moralem in instrumento; quem locum objicit Vasquez 3. part. disp. 57. cap. 5. Respondet Caietanus D. Thomam retractasse sententiam in articulo secundo quæstionis 13. vel per ly *modum orationis, aut intercessionis*, comprehendere modum instrumentalem. Ridet Vasquez hanc solutionem, quia est idem, ac si per rubrum intelligeretur viride. Sed non aduertit verba D. Thomæ ibi in eadem dist. vbi subjungit; *Et hoc fuit signum Deitatis in Christo, quod imperando signa perficiebat, & non orando, sicut alij Sancti.* Vbi clarè S. Thom. alium modum admittit, quàm per modum orationis, quæ est instrumentum morale; Imperium autem Dei cùm sit physicè operans, per illud potest humanitas Christi physicè instrumentaliter operari. Et ita subdit ibi solut. ad 4. *Quod miracula sanitatis faciebat Christus non virtute humanitatis, sed diuinitatis.*

Objicitur secundò ratione, Sacramenta non possunt aliter concurrere ad nostram iustificationem, quàm passio Christi Domini, ex qua habent virtutem; sed Passio Christi non concurrit physicè ad nostram iustificationem, ergo neque Sacramenta. Minor probatur, Quia Passio Christi jam præteriit, & non est actio physicè sicut nec mors eius, ergo non potest physicè operari, siquidem quod non est, neque physicam habet operationem.

Nec potest dici quod concurrat physicè humanitas Christi, quæ passa est; Nam humanitas modò in cœlo existens nullum motum, aut actionem imprimit Sacramentis; ergo ex illa humanitate sacramenta non habent physicum influxum, & consequenter illum absolutè non habent; siquidem non magis possunt physicè influere quàm humanitas Christi.

Confirmatur, Non minus habet mundare & dare gratiam Baptismus fictè susceptus recedente obice, quàm si fictè non suscipiatur; sed saluatur verè & propriè causalitas gratiæ in Baptismo recedente fictione, sine physica causalitate; ergo & quando suscipitur sine obice. Minor probatur, Nam quando recedit fictio jam Baptismus non est, nec aliquid illius remansit, quod causet physicè virtute Baptismi. Character enim de se non est instrumentum ad producendam gratiam, vt patet quando simul character & gratia dantur; tunc enim gratia non datur mediante Charactere; ergo neque quando non datur simul gratia. Non est autem assignare aliquid aliud, quòd remaneat ex Baptismo physicè, vt physicum habeat influxum. Et simile argumentum potest fieri de gratia sacramentali, quæ est proprius effectus sacramenti; talis autem sacramentalis gratia, cùm addat auxilium diuinum super habitualem gratiam, vt dicit S. Thomas sequent. art. non datur statim cum effectu sacramenti, sed postea suo tempore; & plerumque effectus sacramentalis est solum aliquid morale, vt in Baptismo remissio totius pœnæ; ergo gratia sacramentalis non efficitur physicè à Sacramentis.

Respondetur negando minorem, vt negatur à D. Thoma quæst. 48 art 6. & quæst. 49. art. 6. Et de Resurrectione Christi agens quæst. 56. art. 1. ad 3. Ad probationem dicitur, Quod Passio & Mors & Resurrectio Christi licèt jam transierint in actu, & in ratione motus aut actionis, manet tamen virtute in effectu suo, videlicet in humanitate, quæ affecta fuit passione, morte & resurrectione; Et quia hæc humanitas sic affecta, modò & in æternum manet, ideo modò & in æternum consummare potest sanctificatos virtute sua effectiua. Sic enim dicit S. Thomas quæst. illa 56. art. 1. ad 3. *Quod Resurrectio Christi est causa efficiens & exemplaris nostræ resurrectionis. Efficiens quidem, in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum diuinitatis ipsius, & operatur in virtute eius; & ideo sicut alia quæ Christus in sua humanitate fecit, vel passus est, ex virtute diuina sunt nobis salutaria, ita & Resurrectio eius.* Ex quibus verbis apparet, Non esse mentem S. Thomæ, quod actio ipsa, quæ jam præteriit, assumatur vt instrumentum Diuinitatis, sed humanitas, quæ secundum actionem illam resuscitata manet, & passa est aut mortua; & ideo Resurrectio dicitur concurrere physicè, quia humanitas resuscitata concurrit.

Ad id verò quod dicitur, Quod humanitas modò in Cœlo existens nullum motum, aut actionem imprimit Sacramentis, Respondetur id non esse impossibile, quia bene potest diuina virtute res distans operari in id quod distat. Quia vt sanctus Thomas ibidem dicit, Virtus illa præsentialiter attingit omnia loca & tempora; Et quidem cùm Suarez concedat disp. 9. sect. 2. ad 5. Quod humanitas Christi immediatè influit in effectum Sacramenti, & causat gratiam in Anima simul cum Sacramento; non video cur non possit concedi, quod etiam imprimit in ipsum Sacramentum, cùm tam distans sit à Christo Sacramentum, sicut Anima, in qua eius effectus causatur; & ita admittendo quod Sacramenta agunt, & constituuntur in actu primo per motionem, non video cur & à Christi humanitate non imprimatur.

Suarez opinio non satis consequens, de Christi humanitate & Sacramentis.

Ad confirmationem Respondetur, Quod vt supra iam dictum est, quidam censent Sacramentum fictè susceptum recedente fictione non operari physicè, sed moraliter. Nec hoc officit sententiæ de causalitate physica, quia intelligitur eam conuenire Sacramento existenti, cùm existentia sit vna de conditionibus requisitis ad physicam operationem. Et ita cùm Sacramentum non relinquat aliquem effectum, ipso non existente non

Sacramenta fictè suscepta non causant physicè gratiã remoto obice.

oportet admittere physicam operationem. Quod A explicatur amplius, Quia Sacramentum est solùm causa instrumentalis respectu gratiæ; vnde ipsa non existente, non oportet quod aliquem effectum reliquerit in subiecto, cùm solùm ordinet ad instrumentaliter efficiendum principalem effectum gratiæ; quem si non efficit, non est alius, quem efficiat, & relinquat in subiecto; & sic non oportet amplius assignare causam instrumentalem physicam talis effectus.

Nihilominus tamen opposita sententia est etiam satis probabilis, videlicet relinqui à Sacramento determinationem in voluntate, quæ se Sacramento subiecit; & recedente fictione, ex vi talis determinationis sacramentalis, (id est, à Sacramento relictæ & modificatæ) resultat effectus gratiæ in sacramentis quæ characterem non imprimunt; Nam vbi Character imprimitur, recedente fictione per characterem vt effectum sacramentalem minus principalem, datur effectus principalis, qui est gratia.

Auctoris sent. causa-te.

Nec refert, quod quando non fictè suscipitur, non datur mediante charactere gratia; Nam tunc Sacramentum ipsum influit formaliter, & sic non oportet ponere virtualem influentiam, seu mediante virtute à se relicta; sicut nec tunc mediante determinatione voluntatis, in sacramentis non imprimentibus characterem, causat gratiam, sed per seipsum; Quando tamen non adest sacramentum, sufficienter saluatur hæc causalitas physica mediante virtute aliqua à sacramento relicta; Et hæc probabiliter ponitur character in imprimentibus characterem; in non imprimentibus autem, determinatio sacramentalis, qua voluntas se subiecit sacramento. Sicut enim non est inconueniens remanere virtualem determinationem physicam voluntatis, qua amauit finem, vt ex ea se determinet ad media; sic nec est inconueniens remanere eandem determinationem voluntatis ad sacramentum susceptum, qua se illi subiecit; & hanc determinationem à sacramento suscepto modificatam manere, vt recedente fictione gratiam operetur; cùm nihil absurdi in huiusmodi virtute relicta appareat.

Ad id quod dicitur de gratia sacramentali, Respondetur, Quod vt dicemus art. sequent, Gratia sacramentalis addit supra gratiam habitualem aliquid intrinsecum, & perfectionem aliquam specialem ipsi inhærentem, ad quam requirit speciale auxilium Dei; quod non obscurè indicauit Sanctus Thomas infr. quæst. 72. art. 7. ad 3. vbi loquens de gratia, quam dat Sacramentum Confirmationis, ait, *Addere supra gratiam habitualem aliquid effectiuum particularis effectus*: hoc autem intrinsecum esse debet ipsi gratiæ. Et in hac sententia argumentum difficultatem non habet; Per Sacramentum enim datur gratia simul cum hac perfectione intrinseca, licèt effectus eius, & auxilium ad talem effectum alio tempore sequatur. In sententia tamen Aliorum, qui dicunt gratiam sacramentalem non addere intrinsecam perfectionem supra gratiam habitualem, sed solum actuale auxilium ad particulares effectus, dicendum est, Per sacramentum non dari quidem istud actuale auxilium, sed dari ius & ordinem ad illud suo tempore dandum; & ita datur gratia habitualis physicè per sacramenta, cui habituali gratiæ, vt per sacramentum collatæ, facta est promissio de dando auxilio ad speciales effectus pro suo tempore.

Gratia sacramentalis, peculiaris perfectio intrinseca.

Imò ipsum Dei auxiliū peculiarius debitum.

Arguitur 3. Non potest Sacramentum esse physicum instrumentum ad creandum, ergo neque ad causandam gratiam. Antecedens est doctrina sancti Thomæ, generaliter negantis instrumentum creationis 1. p. quæst. 45. art. 5. Consequentia verò probatur, primò quidem, Quia gratia non potest fieri nisi per creationem, cùm non contineatur in potentia alicuius creaturæ, è qua educi possit.

Secundò, Quia gratia est formalis participatio diuinæ naturæ, ita quod Deus respectu gratiæ est agens vniuocum, sicut ignis vt calidus respectu caloris recepti in aqua, ergo non potest educi è subB iecto, quod solùm æquiuocè & virtualiter habet participare Deum; in tali enim potentia contineri non potest formalis Dei participatio. Nec sufficit quod in illa producatur, & fiat dependenter ab illa; siquidem non educitur de potentia alicuius forma aliqua ratione dependentiæ ab illa, aut existentiæ in illa, sed ratione continentiæ in illa, è qua continentia extrahitur.

Tertiò probatur illa consequentia, Quia ideo negat sanctus Thomas dari instrumentum ad creationem, quia necesse est quod instrumentum aliquid dispositiuè operetur ad effectum principalis agentis; nihil autem dispositiuè se habet ad effectum creationis, cùm sit productio totius entis C ex nihilo, & sic non datur instrumentum creationis; sed etiam nihil dispositiuè operatur Sacramentum ad gratiam, cùm gratia sit formalis & vniuoca participatio Dei, respectu cuius nihil est dispositio, si non sit i lius ordinis; ergo non est instrumentum physicum respectu illius.

Confirmatur, Sacramenta non aliter operantur physicè gratiam quàm Mors Christi, aut eius Corpus iacens in sepulchro sed hæc non concurrebant physico concursu; ergo neque Sacramenta; Minor probatur, Quia Mors est nihil, & sic instrumentaliter operari non potest; Corpus etiam mortuum nullam actionem habebat, nec dispositiuam operationem, quæ semper præexigitur in instrumentis, ergo non poterat esse instrumentum D physicum.

Confirmatur secundò, Deus non conseruat gratiam mediante sacramento, siquidem eo transacto à solo Deo conseruatur; ergo nec mediante illo iam producitur, siquidem actio conseruatiua & productiua eadem est; ergo si conseruatiua est solius Dei, & non per instrumentum, etiam & productiua, quæ idem est cum illa, non erit ab instrumento, sed à solo Deo; actiones enim distinguntur per principia à quibus exeunt.

Respondetur ad principale Argumentum, negando consequentiam. Ad primam probationem Respondetur, Gratiam non creari, cùm producatur vt inhærens, & non vt per se primò esse habens. Constat enim ex Concilio Trident. sess. 6. E can. 11. Spiritum sanctum diffundi in nobis, per gratiam & charitatem, quæ inhæreat in Anima; quod autem vt inhærens producitur, non creatur propriè loquendo de creatione, siquidem fit dependenter à subiecto, & cum inmutatione subiecti. Sicut autem non repugnat quod inhæreat in creatura, ita nec quod contineatur in potentia eius, non secundum naturalem ordinem & habitudinem, sed secundum obedientialem; Non enim contineri in potentia alicuius est aliud, quàm dependere à potentia eius, & esse actum dependentem à tali potentia. Continetur enim aliquid in potentia, tanquam causatum in causa; & sicut non

Gratia de potentia animæ educitur.

est causatum aliquid à causa materiali, & à potentia, nisi in quantum pendet ab ea; sic nec continetur in ea, nisi in quantum pendere potest ab ea. Sicut ergo pendet gratia ab Anima secundum ordinem & habitudinem obedientialem, sic & continetur in ea obedientialiter; sicut formæ artificiosæ continentur in materia naturali, ad quas tamen inclinatio naturalis non est, quia continentur in ea obedientialiter, & secundum dependentiam potentialem mediante ordine ad agens, à quo reduci possunt in actum.

Gratia vt gratia, seu participatio diuini esse, & vt accidens & qualitas.

Ad secundam replicam Respondetur (& potest esse secunda solutio præcedentis) Quod gratia est formalis participatio diuini esse immediata, in esse tamen diminuto, & in modo essendi diminuto (scilicet in esse accidentali) Vnde secundum quod est formalis & vniuoca Dei participatio, non respicit subiectum, sed Deum, cuius est participatio; & sic non educitur è subiecto, sed originatur & deriuatur à Deo; secundum verò quòd habet modum essendi diminutum & accidentalem, sic respicit subiectum, in quo inhæreat, & consequenter è quo educatur. Sicut formalis repræsentatio obiecti, secundum quod formalis similitudo, non respicit subjectum, sed objectum; secundum tamen quod illa similitudo est quædam qualitas, sic respicit subjectum, quod est intellectus. Vnde gratia respectu Animæ, dicit duplicem analogiam, Alteram secundum quod est formalis participatio Dei; sic enim fundat ad Animam analogiam ordinis diuini & supernaturalis, ad ordinem naturalem & creatum. Alteram accidentis ad substantiam, quia illa formalis participatio diuinæ naturæ, quæ est ordinis supernaturalis, entitatiuè est qualitas & accidens, sicque analogatur cum Anima analogia accidentis; vnde & ad prædicamentum accidentis spectat, scilicet ad qualitatem.

Igitur secundum primam analogiam gratia nec dicit inhærentiam nec educibilitatem, quia non respicit subjectum in quo est, sed objectum à quo est, seu principium cuius est repræsentatio & semen: Sicut verbum secundùm quod est formalis similitudo, non respicit intellectum in quo subjectatur, sed objectum quod formaliter repræsentat. Eadem tamen gratia, seu formalis participatio Dei, entitatiuè considerata, habet se vt accidens, & dicit analogiam ad Animam prædicamenti qualitatis; sicque pendet ab Anima, & inhæret in ea, & educitur ex ea; non tamen secundum inclinationem naturalem, sed obedientialem; Et ideo hæc proportio analogica & obedientialis, sufficit vt recipiatur & inhæreat in ea talis gratia; non autem requiritur proportio vniuoca & naturalis; sicut quodlibet aliud accidens & qualitas; licèt analogetur cum substantia, inhæret illi; immo non inhæreret nisi analogaretur.

Opinio Nuño, de instrumenti virtute præuia, quod sit ipsa potentia obedientialis.

Ad tertiam replicam Respondetur, Quod Aliqui (vt Magist. Nuño) intelligunt D. Thomam, quod quando dicit, *Quod instrumentum debet operari dispositiuè ad effectum principalis agentis*, intelligitur dispositiuè obedientialiter, non autem dispositiuè naturaliter, seu realiter; Et ita non requiritur quod aliquam dispositionem operetur propriè loquendo, sed solùm quod obedientialiter se habeat ad hoc, quod moueatur à Deo; Et hæc obedientialis susceptio motionis diuinæ, quæ in qualibet entitate reperitur, est sufficiens vt instrumentum agat ad effectum principalem; Quia sicut quantò agens est efficacius & actiuius, tantò potest debiliori & minus apto instrumento effectum operari; ita quando summè actiuum est, solùm requirit in instrumento aptitudinem entitatiuam, idest, quod sit ens, vt possit instrumentaliter agere.

Impugnatur.

Cæterum in hoc mihi videtur peti principium; Nam D. Thomas intendit probare, quod nulla creatura potest eleuari ad hoc vt sit instrumentum creationis; ac adeò quod non potest obedientialiter se habere respectu huius effectus. Idem enim est eleuari vt instrumentum, & obedient. aliter dispositiuè se habere, & recipere motionem diuinam; Si ergo D. Thomas probat quod non potest creatura, etiam obedientialiter, esse instrumentum creationis, quia oportet quod dispositiuè obedientialiter se habeat ad talem effectum; idest, suscipiat motionem ipsam à Deo, quæ susceptio est obedientialis dispositio & operatio, probaret idem per idem. De hoc enim est difficultas, Quare non potest creatura obedientialiter se habere ad creandum, & suscipere illam motionem infinitam? siquidem non est inconueniens, quod infinita motio sit instrumentaliter in creatura, vt patet in conuersione transubstantiali, & productione gratiæ.

Solutio.

Respondet Nuño, Quod eo ipso quod reciperetur motio diuina ad creandum, jam motio esset creata, atque adeò non esset actio respiciens ens creabile inquantum creabile, siquidem jam supponeret aliquod ens creatum, scilicet ipsam motionem & ipsam creationem, quæ est instrumentum; & sic non terminaretur ad ens inquantum ens, siquidem supponeret aliquod ens creatum.

Impugnatio.

Cæterum hæc solutio non satisfacit, Quia quando dicitur, quod creatio terminatur ad ens in quantum ens, intelligitur ad omnem gradum entis, pertinentem ad terminum qui creatur, non autem extra talem terminum; hoc enim impertinens est; Nam si Deus modò creat Angelum, vel quando creat Animam vnius pueri, sufficit quod illa actio attingat omne ens pertinens ad Angelum qui creatur, & ad Animam quæ creatur; non autem quod habeat pro termino ad quem omne ens, siue pertinens ad Angelum qui creatur, siue non pertinens; aliàs vt Deus modò crearet Angelum, deberet creare & attingere omnem creaturam; Si ergo non requiritur quod attingat omnem creaturam & omne ens, sed solùm illud quod est de ratione termini producti per creationem, ergo quod præsupponatur aliqua creatura, quæ suscipiat motionem ad creandum, non facit quod præsupponatur aliquid de termino ad quem, seu pertinens ad terminum ad quem; & ita cur illa talis creatura non poterit suscipere illam motionem? sicut modò quando Deus creat vnam Animam, cur non poterit assumere Angelum, qui jam creatus est, & per illum creationem attingere, vt sit instrumentum creationis Animæ?

Instrumenti dispositiua actio præuiè, ipse modus agendi creaturæ

Quare dicendum est, Quod quando sanctus Thomas docet instrumentum dispositiuè debere operari per aliquid sibi proprium ad effectum principalis agentis, non debet necessariò intelligi de dispositione producta, sed sufficit quod intelligatur de dispositione producente, seu modo producendi creaturæ. Operari enim dispositiuè potest intelligi, vel quia producit & operatur aliquid, quod sit dispositio ad effectum principalem, sicut qualitas est dispositio ad formam substantialem; vel potest intelligi quod dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis, quia præbet dispositionem seu modum operandi proprium,

cui debet se accommodare modus operandi principalis agentis.

Vnde oportet notare quod D. Thomas quæst. 45. art. 5. non dixit Instrumentalem causam debere operari effectum aliquem, qui sit dispositio ad effectum principalis agentis, licèt in exemplis quæ adducit, quia sunt ad sensum manifesta, id inueniatur, vt manuducat ad instrumenta diuina, sed dixit quod instrumentum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis. Illud autem verbum *dispositiuè operatur*, rectè intelligitur de dispositione operante, non operata. Repugnat autem dispositionem aliquam operantem dari circa creationem, eo quod dispositio operans, est mutatio, quia habet actionem inhærentem, & consequenter ipse terminus non est ex nihilo. Et in hoc sensu verificatur respectu omnium instrumentorum, etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, Quia agens principale, quando mediante instrumento operatur, oportet quod actio illa, etsi virtutem & actiuitatem habeat à principali agente, modum tamen habeat ab instrumento; quia necesse est quod actio illa ab instrumento exeat, & ita exeat secundum modum instrumenti, & propriam ipsius dispositionem in agendo; & hoc est operari dispositiuè secundum aliquid sibi proprium, idest, secundum proprium modum agendi, à quo veluti à dispositione modificatur actiuitas & actio causæ principalis, seu vt à dispositiua ratione operandi.

ex subjecto, à quo nec instrumenta diuina abstrahunt, vt possint esse creatiua.

Ex quo fit, Quod cùm modus proprius operandi cuiuscumque creaturæ sit ex aliquo præsupposito, quia impossibile est actionem creaturæ esse nisi immutatiuam; Cùm enim actio creaturæ sit accidens, oportet in aliquo recipi, quod per illam immutetur. Sicut ergo repugnat actionem creaturæ non esse accidens, & non esse mutationem, ita repugnat quod exeat à creatura actio creatiua, quæ non sit accidens, neque mutatio, cùm sit ex nullo præsupposito, & in nullo recepta. Vt autem creatura sit instrumentum creationis, oportet actionem exire ab ipsa, & consequenter secundum modum proprium operandi creaturæ se habere; idest, & quod sit accidens, & quod sit mutatio. Repugnat ergo quòd sit instrumentum creandi; quæ omnia non currunt in productione gratiæ, cùm & ipsa sit accidens, & per mutationem subiecti fiat. Quare quando substantia (quæ solùm potest esse creationis terminus) per actionem creatiuam producitur, cùm actio illa non supponat subjectum in quo recipiatur, oportet quod non sit accidens, sed substantia; & à quocumque agente repugnauerit procedere actionem, quæ sit substantia, repugnabit etiam procedere actionem quæ sit creatio.

Actio creatiua ipsa substantia, quæ est Dei propria.

Ad primam confirmationem Respondetur, Quod Mors Christi, secundum quod est nihil, non assumitur vt instrumentum diuinitatis; sed vt in Corpore illo vnito Diuinitati dicit mutationem illam physicam, in qua fundatur priuatio mortis. Mors enim, cùm priuatio sit, in aliquo fundatur. Vnde dicit sanctus Thomas 3. p. quæst. 49. art. 6 Quod mors in facto esse, secundum quod dicit separationem animæ à corpore, operabatur per modum efficientiæ; in quantum scilicet nec per mortem diuinitas fuit separata à Christi carne; & ideo quidquid contigit circa carnem Christi, etiam Anima separata, fuit nobis salutiferum. Quare non ipsa priuatio mortis, sed caro Christi mortua fuit instrumentum diuinitatis.

Mors Christi vt operatiua.

A Quod autem additur, Corpus mortuum non habuisse aliquam actionem; jam supra diximus potuisse habere aliquam, scilicet contactum aliquem, vel infrigidationem, aut humectationem, aut motum; ac denique tale fuit illud corpus, quod ex illo prodire poterat aliqua actio immutatiua, quæ sufficit vt diuina virtute moueretur ad opus supernaturale; & ita mouebatur motu spirituali intenti obiecti, seu vsu passiuo Dei Agentis principalis. Et ita habes solutionem, & pro his qui requirunt instrumentum non omnino quiescens, sed mouens, & pro his, qui dicunt sufficere entitatem motam à Deo, licèt in se sit quiescens; quod latius 1. p. de Creatione habetur.

Actio in Christi corpore mortuo.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Non esse necessarias easdem causas pro productione rerum, & pro conseruatione; præsertim quando causæ sunt instrumentales; Nam animal producitur mediante semine, non tamen conseruatur ab illo; & species in memoria existentes fiunt per sensus externos, & ab obiectis externis, non tamen conseruantur ab illis; & Deus se solo conseruat accidentia, quæ per causas naturales dependenter à subiecto producta fuerunt. Sic ergo licèt mediante instrumento exierit actio productiua gratiæ, tamen cessante influxu instrumentali, quia transit instrumentum, manet diuina virtus & actio, quæ in instrumento fuit, conseruans sine instrumentis quod produxit.

B

Conseruatio sine instrumento, rei illo productæ.

C Arguitur quartò, Causa moralis excellentior est quàm physica; ergo multo excellentius tribuitur Christo & Sacramentis, quàm physica. Antecedens probatur, Nam excellentius operatur Rex, aut Prætor imperans, quàm executor talis imperij; ergo excellentius operatur causa moralis, quàm physica.

Confirmatur, Vbi non est contactus physicus, sed distantia, agentia corporea & physica non operantur physicè; ergo Humanitas Christi in cœlo existens, & Sacramenta non attingentia Animam vel hominem (vt quando inter distantes fit Matrimonium aut Pœnitentia) non poterunt instrumentaliter concurrere.

D Confirmatur secundò, Quia respectu gratiæ antiquorum Patrum Passio Christi non habuit influxum physicum, siquidem nondum erat exhibita, & solùm operabatur vt pretium speratum redemptionis humanæ, quæ causalitas solùm moralis erat; ergo etiam respectu nostræ gratiæ non se habet Humanitas & Passio Christi vt realiter influens. Patet consequentia, Nam inconueniens est, quod vnum caput in quædam membra influat physicè, in alia solùm moraliter; ergo si constat, quod in aliqua solùm moraliter influit, non est cur ponamus hunc physicum influxum in nostram gratiam.

E Respondetur distinguendo antecedens, Causa moralis excellentior est quàm physica, In actionibus quæ vilitatem & inferioritatem important, concedo; in his quæ dignitatem dicunt, nego antecedens; Nam etiam in politicis, digniores actiones non solùm moraliter, sed & physicè fiunt ab his, qui digniores sunt. Causare autem gratiam est maximæ dignitatis, & ideo singularem excellentiam dicit causatio physica illius, & præsertim in rebus inanimatis, in quibus causatio moralis semper inferior est ad causationem physicam.

Causa physica nobilior morali.

Secundò dicitur, Quod causa moralis & simul physica excellentior est, quàm physica tantùm; Humanitas autem Christi est moralis & physica

causa gratiæ, & similiter Sacramenta; & in causis A instrumentalibus excellentior semper est physica, quam moralis, cùm sit excellentior modus causandi instrumentaliter.

Tertiò dicitur, Quod causa physica quando operatur per virtutem superiorem aliquem effectum, & ad quem requiritur virtus eleuatissima, multò excellentior est quàm moralis, quæ sine tali virtute operatur; quando autem ad aliquid agendum, vel operandum sufficit virtus inferior & vilis, excellentior est causa moralis, quàm physica; vt exemplis facilè quisque videre potest.

Ad primam confirmationem Respondetur, Quod contactus non requiritur vt ratio agendi, B sed vt conditio extrinseca & applicatiua, quæ proinde suppleri à Deo potest.

Contactus virtutis in instrumentis diuinis

Secundò Respondetur, Quod in instrumentis sufficit contactus virtualis, non verò necessarius est quantitatiuus. Vnde sanctus Thomas 2. 2. qu. 178. art. 1. ad 1. concedit quod Deus potest vti interiori actu, ad causandum miraculum instrumentaliter. Et de igne inferni conceditur communiter à Theologis, quod torqueat dæmones in isto aëre existentes. Quia ergo Deus instrumento confert virtutem superioris ordinis, potest illa virtute tangere rem distantem à se corporaliter; non tamen distantem ab illa virtute; quia illa non agit corporali modo, nec per diffusionem sui per spa- C tium, sed secundùm ordinationem Dei, respectu cuius nihil est distans. Quare bene potest esse quod contactus corporalis instrumenti sit circa vnum subiectum, & virtualis seu spiritualis circa aliud, vt in exemplis adductis patet.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod gratia antiquorum Patrum, quoad sui inceptionem & productionem, non poterat pendere physicè à Christi Humanitate, quæ non existebat physicè; quando verò physicè talis humanitas extitit, omnis gratia hominum ab illa, vt à fonte, *de cuius plenitudine omnes accipiunt*, deriuata est. Vnde & gratia antiquorum Patrum tunc physicè D incœpit dependere à Christi humanitate, & quoad sui conseruationem; nostra verò etiam quoad productionem; & sic nulla est deformitas in Capite, quia in omnes physicè influit; Nec est inconueniens, quod id quod antea non conseruabatur medio physico instrumento, modò conseruetur illo medio; sicut idem quod ego manu nuda teneo aut moueo, possum tenere manu vestita per chirotecam.

Gratia Patrum ipsa à Christi Humanitate physicè post Incarnationem.

Quintò arguitur, Non potest eadem causa esse simul physica & moralis. Antecedens probatur, primò quidem, Quia effectus non potest pendere à duplici causa totali; causa autem moralis totalis est, & similiter causa physica, ergo. Secundò pro- E batur, Quia vel est causa moralis & physica instrumentaliter, vel est moralis principaliter, & physica instrumentaliter. Moralis principalis esse non potest, cùm non agat per liberum arbitrium, nec imperando, nec sicut Anima Christi, quæ est principalis moralis; nec etiam instrumentaliter; Nam intelligi non potest quomodo concurrat aliqua causa moraliter instrumentaliter; Etenim si inquantum moraliter mouent sunt instrumenta, supponunt principale agens à quo moueantur instrumentaliter; Sacramenta autem solùm respiciunt Deum vt agens principale, Deus autem non est agens morale: respectu enim gratiæ est solùm principium & efficiens, respectu autem sui non est causa moralis mouens, aut inducens se vt causet gratiam: ergo Sacramenta vt subordinantur Deo non possunt esse moralia instrumenta.

Confirmatur primò, Nam Sacramenta non sunt causæ eo modo, quo sunt signa gratiæ; sic enim non excederent vetera Sacramenta; sed causalitas moralis non excedit rationem signi in sacramentis; ergo non habent sacramenta esse causæ morales, sicut non habent esse causæ secundum quod sunt signa.

Confirmatur secundò, Quia sequeretur quod & Sacramenta Veteris Legis non differrent à nostris in ratione causæ moralis, & quod nostra possint dici causæ sine quibus non gratiæ, quæ datur per illa; consequens est falsum, ergo. Sequela quoad primam partem probatur, Quia Sacramenta antiqua erant signa practica & promissoria gratiæ, & quasi sub fideiussione redemptionis & pretij à Christo exhibendi, gratiam dabant, ergo morali causalitate: Hi enim modi dandi aliquid causalitates morales sunt.

Quoad secundam partem probatur, Quia in causa *sine qua non*, verè saluatur causalitas moralis; vt in eo qui applicat ignem ad comburendam domum, ergo si sacramenta sunt signa moralia gratiæ, sunt causæ *sine quibus non* illius.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, Quod idem effectus bene potest pendere à duplici causa totali diuersi generis, aut ordinis, sicut idem effectus quem imperat dominus, exequitur seruus; præmium quod meritoriè causat homo, physicè dat Deus. Vnde vnaquæque causa est totalis, non absolutè, sed in suo genere; & hoc modo non repugnat eundem effectum à pluribus causis pendere. Vide S. Thomam 3. p. quæst. 48. art. 6. ad 3. respondentem huic argumento.

Ad secundam probationem dicitur, Quod Sacramentum concurrit moraliter instrumentaliter, non principaliter. Esse autem morale instrumentum sufficienter intelligitur, per hoc quod aliquid concurrat tanquam signum practicum, continens promissionem aut pactum de dando aliquo. Sic enim tale signum moraliter concurrit, quatenùs defert significatiuè decretum aut imperium, seu pactum alicuius; & ideo dicitur esse instrumentum voluntatis, seu agentis liberi ac moralis. Sacramenta ergo sunt instrumenta moralia, & respectu Christi Domini illorum institutoris, & causæ moralis effectus eorum secundum humanitatem; & respectu Dei, cuius non solùm sunt instrumenta physica influxus in gratiam, sed etiam signa practica, & pactum eius continentiæ; Vnde mouent ipsum moraliter ex pacto & promissione eius, vt illis adhibitis det gratiam.

Sacramenta instrumenta moralia Dei & Christi.

Vnde Sacramenta non solùm respiciunt Deum vt agens principale physicum, sed etiam vt agens morale, instituens videlicet ac pasciscens, & quasi contractum faciens cum hominibus per signa sacramentalia de danda gratia. Et similiter ipsa Sacramenta instrumenta sunt moralia Dei, quatenus mouent Deum vt physicè det gratiam, dum intuetur in eis pactum & promissionem suam infallibilem; Sic ergo quatenus subduntur Deo instituenti & pasciscenti, & quatenus mouent Deum moraliter, dicuntur instrumenta moralia.

Ad primam confirmationem respondetur, Quod Sacramenta nostra, & sunt causæ morales inquantum signa, & alio modo quàm signa; & in vnoquoque differunt à Sacramentis veteribus; in hoc, quia physicè causant, quod non faciebant illa; in ra-

Sacramenta nostra aliter signa & præstantius quàm vetera.

ctione verò signi, quia sunt signa rei jam factæ, & demonstratiua & rememoratiua, cùm tamen sacramenta vetera potius essent prognostica, & nullo modo rememoratiua. Vnde & D. Thomas in præsent. art. non negat causalitatem moralem significationi, sed dicit eam non excedere rationem signi, vt denarius plumbeus, &c.

Ad secundam confirmationem pro prima parte sequelæ, negatur quod Sacramenta Legis Veteris non differrent à nostris, non solùm ratione causalitatis physicæ, sed etiam ratione causalitatis moralis. In nostris enim Sacramentis est de facto applicata virtus, & valor meritorum Christi, & continent pretium jam exhibitum, & moralem illius æstimationem habent ex applicatione facta talis valoris; ac proinde sunt morales causæ respectu Christi vt hominis, & passionis eius; At vero Sacramenta antiqua, solùm erant signa practica Dei protestatiua fidei Christi, & promissionis Patribus factæ; non tamen habebant applicatum valorem meritorum Christi, nec æstimationem pretij. Vnde concursus moralis illorum sacramentorum erat veluti per accidens, & tanquam conditio sine qua non; quia scilicet decreuerat Deus, vt qui ritè illa susciperet, consequeretur gratiam in fide, quam per illa protestabat; non tamen ipsa sacramenta moralem virtutem sibi conjunctam continebant, & valorem quem offerrent Deo ad dandam gratiam, quæ est causalitas moralis per se. Vnde erant causæ morales tanquam signa deferentia promissionem Dei in eorum protestatione, non tanquam offerentia pretium & merita, ob quæ daretur gratia; & ideo causalitas moralis illorum erat veluti remota, & tanquam conditionis sine qua, non adhuc in genere morali; causalitas autem moralis nostrorum sacramentorum est per se, & virtuosa, ac valorem continens moralem, videlicet meritorum Christi. Non tamen dicendum est quod habebant illa sacramenta sub fideiussione promissionem meritorum Christi, quia Christus Dominus, cùm nondum venisset, nondum promissionem suorum, (etiam sub fideiussione) eis alligauerat.

Ad secundam partem sequelæ dicitur, Quod causa, quæ est physica in vno genere, potest esse *sine qua non*, in alio; & sic sacramenta secundum quod signa habent se vt conditio *sine qua non*, respectu sui vt causæ physicæ.

Sextò objici possunt dicta Patrum, præsertim auctoris sermonis de Baptismo Christi apud Cyprianum, vbi ait, *Remissio peccatorum, siue per Baptismum, siue per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet.* Hieron. etiam in 4. cap. Isaiæ, *Ex hoc* (inquit) *discimus quod homo solùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctum.* Et similiter Augustinus in 15. de Trinit. cap. 26. de discipulis Christi, ait, *Orabant vt veniret Spiritus sanctus; in eos, quibus manus imponebant; non ipsi eum dabant.*

Respondetur Patres, in quibus hæ & similes locutiones inueniuntur, solùm velle docere, quod Deus sit principalis author gratiæ, & quod homines vel elementa ex se non habent vim dandi illam, non tamen negant quod ex communicatione virtutis Dei, & subordinatione ad eam, etiam homines & sacramenta non possint instrumentaliter causare gratiam; non propria virtute, sed Dei.

Cætera argumenta, quæ possunt hîc fieri de virtute illa & motione quid sit? & quomodo subjectetur in re corporea; quomodo sine contactu agat sacramentum? quomodo res corporales ad rem spiritualem possit eleuari? & similia quæ in Nuño & Cabr. ponuntur, à nobis supra dubio septimo & octauo posita & soluta sunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Gratia Sacramentalis aliquid addat supra Gratiam Virtutum, & Donorum?

NOtádi sunt in titulo articuli illi duo termini, *Gratia Sacramẽtalis*, & ly *Gratia Virtutum & Donorum.* Per Gratiam sacramentalem intelligit sanctus Thomas gratuitum beneficium, quod specialiter per Sacramenta confertur secundum specialem eorum institutionem, & ad speciales eorum effectus. Constat enim Sacramenta distincta pro distinctis effectibus instituta esse (saltem formaliter loquendo) aliàs si pro eodem omnino instituerentur, frustra essent diuersa sacramenta in ratione sacramenti. Sicut Baptismus confert gratiam vt regeneratiuam, Confirmatio vt firmatiuam & roboratiuam, Eucharistia vt cibantem, &c. Hoc ergo quod est Gratia sub formalitate regeneratiuæ, cibantis, &c. est Gratia Sacramentalis. Per Gratiam autem Donorum & Virtutum intelligit sanctus Thomas, Gratiam gratum facientem, quæ est similitudo diuini esse, ex qua fluunt virtutes supernaturales, & dona Spiritus sancti. Vnde sanctus Thomas, in corpore hanc explicans comparationem, ait, *Quod Gratia perficit essẽntiam Animæ, in quantum participat similitudinem diuini esse. Et sicut ab essẽntia Animæ fluunt potentiæ, sic à Gratia Virtutes & Dona.* Loquitur ergo de gratia habituali sanctificante, & super hanc dicit addere gratiam sacramentalem. Igitur sensus quæstionis est, An gratia vt ad sacramentales effectus specialiter ordinata, addat aliquid super gratiam ipsam sanctificantem, & virtutes ac dona ab ea dimanantia? vt explicat hîc Caietanus & omnes Thomistæ, & colligitur ex textu.

Gratia Sacramentalis, & Virtutum atque Donorum.

Conclusio est affirmatiua; Quam vt ostendat sanctus Thomas, assumit distinctionem, quæ est inter Gratiam, & Virtutes ac Dona ab illa dimanantes, vt ex ea probet, quod etiam gratia sacramentalis ab vtrisque distingui, eisque aliquid addere deberet. Gratia ergo habitualis secundum se perficit essentiam animæ, & in ea ponit participationem esse diuini; virtutes autem ac dona sunt perfectiones fluentes ab ipsa gratia, vt per eas perficiantur potentiæ animæ supernaturaliter, sicut per gratiam essentia animæ perficitur. Et ideo sicut ab essentia rei fluunt potentiæ in ordine ad actus, ita à gratia fluunt virtutes ac dona in ordine ad actus supernaturales potentiarum. Subsumit autem sanctus Thomas, *Sacramenta ordinantur ad quosdam speciales effectus in vita Christiana, præter actus potentiarum Animæ, vt Baptismus ad regenerandum hominem in Christo, Eucharistia ad cibandum, &c.* ergo sicut virtutes addunt supra gratiam, quia ordinantur ad actus potentiarum supernaturaliter eleuandos, ita sacramentalis gratia, quia ordinatur ad speciales effectus præter actus potentiarum, debet addere diuinum auxilium vt perficiantur tales effectus; & sic patet quod sacramentalis gratia addit, super gratiam virtutum & donorum.

Gratia Sacramentalis addit supra gratiã communi tet.

In

In solutione ad primum Aduerte distinctionem illam sancti Thomæ, Quod Gratia Virtutum & Donorum sufficiens est ad generalem ordinationem actuum Animæ; ad speciales tamen effectus, qui sunt in vita Christiana, requiritur gratia vltra virtutes & dona, quæ est sacramentalis; quæ distinctio consistit in hoc, Quod ordinatio actuum Animæ potest sumi, vel absolutè in ordine supernaturali, siue per Christum siue non, siue vt specialiter ad Christum pertinens & ad eius gubernationem, siue non; & hoc modo se habent dona & virtutes & gratia, quæ ad ordinem supernaturalem absolutè necessaria sunt in quacumque consideratione; & hæc vocatur generalis ordinatio. Potest etiam sumi ordinatio actuum Animæ, secundum quod specialiter in Christiana vita, & in lege ac gubernatione Christi, & coniunctione ad ipsum homines perficiuntur; & sic indigent sacramentali gratia, quæ est participatio Dominicæ Passionis, vt sanctus Thomas dicit 27. de Verit. art. 5. ad 12.

In solutione ad secundum Nota dictum sancti Thomæ, Quod vitia & peccata, quantum ad præsens & futurum sufficienter excluduntur per virtutes & dona, quatenus per illa impeditur homo ad peccandum; quantum autem ad præterita peccata, quæ transeunt actu & manent reatu, indiget homo remedio quod specialiter datur per Sacramenta; Vbi non vult dicere sanctus Thomas, C Quod peccata præterita seu cõmissa non destruuntur per virtutes ac dona, quæ illis contraria sunt; aliàs enim non diceret, Quod quantum ad præsens excluduntur per virtutes, id est, non manent de præsenti, quando virtutes infunduntur, & sic excluduntur; sed quia speciales effectus, seu defectus relinquuntur ex peccatis, qui specialiter retardant hominem, aut obstant ad perfectionem vitæ Christianæ, aut ad finem eius, qui est beatitudo; ideo oportet quod specialiter illi curentur per Sacramenta Christianæ Legis; & hi defectus sunt id præsertim, quod non sufficienter exluditur per virtutes & dona, cùm illa tantum habeant excludere habitus vitiosos sibi contrarios, D & peccati deformitatem; & similiter in posterum præseruare; speciales verò defectus obstantes perfectioni & vitæ Christianæ, non nisi ratione sacramentorum habent tollere.

Gratia Sacramétalis necessaria.

In solutione ad tertium, perspice bene quod dicit sanctus Thomas, scilicet, *Gratiam Sacramentalem se habere ad Gratiam communiter dictam, sicut species ad genus*: vbi per *Gratiam communiter dictam*, non intelligit communem in prædicando, sed in causando. vel sicut commune potestatiuum respectu partium potestatiuarum, vt Anima respectu suarum potentiarum. Sicut enim gratia non est communis in prædicando respectu virtutum & donorum, sic nec respectu gratiarum sacramentalium. Vel potius dicitur Gratia communis, quia est communis effectus omnium sacramentorum, & per omnia datur, vt dicit sanctus Thomas in 4. dist. 7. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. vel denique, Quia gratia secundum effectum iustificandi est communis omni statui, scilicet Innocentiæ, Legis Naturæ, Scriptæ & Gratiæ. Similiter quando dicit sanctus Thomas, Quod se habet Gratia sacramentalis ad Gratiam communiter, sicut ratio speciei ad genus, comparatio non stat quantum ad omnia, sed quantum ad id, quod argumentum postulabat. Argumentum enim intendebat probare, Quod si gratia sacramentalis ali- A quid adderet ad habitualem, æquiuocè esset gratia; quia in formis quælibet additio aut diminutio soluit speciem. Respondet autem sanctus Thomas, Quod non omnis additio soluit speciem, seu rationem formæ, cui additur; Quia additio ad aliquid quod se habet vt commune, seruat naturam rei communis, non variat, & super illam addit; sicut species addit ad genus, & non variat naturam generis, vt homo respectu animalis. Vnde animal non dicitur æquiuocè de animali vt sic, & de animali quod est homo. In hoc itaque se habet Gratia sacramentalis ad Gratiam habitualem, sicut species ad genus, & vt minus commune ad magis commune; non quia essentialis eius species sit, sed B quia additio eius ad gratiam habitualem non soluit speciem & naturam gratiæ, sed supponit.

Gratia cõmunis, seu communiter dicta.

DVBIVM VNICVM.

An Gratia Sacramentalis addat aliquid reale intrinsecum & permanens in Anima, & in Gratia habituali? An verò solùm aliquid actuale per modum transeuntis, quale est auxilium diuinum actuale?

CONCLVSIO EST.

Addere aliquid per modum permanentis, non tanquam res à re distinctum a Gratia & à Virtutibus, sed formaliter solum.

Pro intelligentia huius est Aduertendum, Quod in hac parte duo sunt certa apud Theologos; vnum verò dubitationem habet. Certum est primo singula Sacramenta habere pro effectu distinctas Gratias sacramentales; tum quia habent distinctos fines ad quos ordinantur; tum quia habent distinctam significationem, & consequenter distinctam causalitatem; tum denique quia habent distinctam necessitatem; quæ omnia innuunt diuersos effectus. Nam si esset omnino idem effectus omnium, non oporteret distingui taliter Sacramenta, sed solùm esset distinctio eorum in cæremonia externa, quæ est valde materialis diuersitas. Secundò certum est, Diuersitatem effectuum non consistere in sola diuersitate primæ aut secundæ gratiæ, intentionis aut remissionis eius; quia ad huiusmodi distinctionem non essent necessaria distincta Sacramenta, sed idem sufficeret sæpius repetitum, vel saltem duo, quo primò posset acquiri gratia, & deinde augeri, aut amissa recuperari. Quod si remissam infunderet, per repetitionem eius augeri posset. Igitur ad has solùm differentias in effectibus non erat necessarium diuersa Sacramenta instituere; sed vnum, aut duo essent satis. Quare oportet quod Gratiæ sacramentales, seu proprij effectus Sacramentorum, aliquo modo distinguantur, & inter se, & à E gratia habituali; & quod hæc diuersitas non consistat solum in magis aut minus, aut in eo quod per repetitionem eiusdem facilè potest consequi.

Illud ergo manet dubium, An id in quo differt Gratia sacramentalis ab habituali sit distinctum ab ea, & à Virtutibus ac Donis tanquam res à re, vel tanquam modus à re, & An sit aliquid permanens, vel solùm actuale auxilium?

Et dicimus quod non est aliquid distinctum tanquam res à re, seu nouus habitus, nec solùm aliquid actuale per modum transeuntis datum à Deo; sed aliquid formaliter distinctum à gratia habituali & virtutum, & permanenter receptum in

Gratia Sacramentalis, forma-

liter intrinsece distincta a Gratia communiter & habituali.

Anima. Et quidem quod sit aliquid permanens in Anima, videtur clarè colligi ex sancto Thoma in primis in isto articulo, vbi inquit, *Gratiam sacramentalem dari in remedium aliquorum defectuum, qui ex peccatis præteritis causantur, secundum quod peccata transeunt actu, & remanent reatu.* Defectus autem illi sunt quid permanens in Anima; ergo oportet quod tollantur per aliquid permanens, & non per modum transeuntis se habens, & per aliquid intrinsecum ei, qui habet defectum, & indiget remedio. Et infra qu. 72. art. 7. ad 3. ait, Quod *Gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter dictam, aliquid effectiuum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentum*: ergo oportet quod sit aliquid permanenter receptum, & intrinsecè in Anima: alias non daretur vt effectiuum, sed vt motio. Et excluditur ex verbis D. Thomæ solutio Magist. Soto, dicentis quod per gratiam communiter dictam accipitur aliquid commune ad gratiam habitualem & ad auxilium Dei, scilicet pro dono gratuito vt sic; euidenter enim dicit sanctus Thomas, quod addit super gratiam gratum facientem communiter dictam; gratia autem gratum faciens non abstrahit ab habituali & actuali.

Soti opinio aduersa S. Thomæ.

Præterea in 4. dist. 7. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 2. explicans distinctionem inter Gratiam habitualem virtutum ac donorum, & Gratiam sacramentalem, dicit *Quod gratia Sacramentalis perficit remouendo primò & principaliter defectum ex peccato consequentem; sed Gratia virtutum & donorum perficit inclinando in bonum virtutis & doni*: sicut Gratia Confirmationis, remouendo infirmitatis morbum; Fortitudinis autem Donum & Virtus, inclinando ad bonum quod est proprium virtuti vel dono. Item dicit sanctus Thomas hîc in art. Quod *effectus sacramentalis est aliquid speciale præter actus potentiarum*: ergo auxilium diuinum, quod addit gratia vt sacramentalis, non est actualis concursus solùm; hic enim est aliquid ad actus potentiarum requisitum; ergo oportet quod gratia sacramentalis sit aliquid intrinsecum & permanens in Anima, alias non remoueret morbum & defectum, qui intrinsecus est & permanens in ipsa. Et 27. de Verit. art. 5. ad 12. ait, *Quod defectus peccati, contra quos Sacramenta instituuntur, latentes sunt, vnde Sacramentorum effectus proprium nomen non habent.* Quæ omnia non possunt saluari sine aliquo permanente intrinseco.

Caietani opinio, addere solùm speciale auxiliū, explosa.

Nec sufficit responsio Caietani super istum articulum, Quod licèt in libris Sententiarum aliter expressisset Diu. Thomas, tamen cùm in præsenti articulo dicat quod sacramentalis gratia addit super gratiam virtutum & donorum Auxilium diuinum, & apud D. Thomam diuinum Auxilium non sumitur pro habituali, sed pro actuali dono, vt in 1. 2. quæst. 111. patet, ideo ex hoc loco debet dici, quod sacramentalis gratia solùm addit aliquid actuale, extendens gratiam donorum & virtutum ad aliquem specialem effectum. Hæc, inquam, responsio non valet; Nam expressè in hoc articulo solutione ad secundum ait sanctus Thomas, quod *Gratia sacramentalis datur in remedium quoad præterita peccata, quæ transeunt actu, & permanent reatu*: ergo oportet quod remedium permanens extinguat, tanquam gratia sacramentalis illud, quod permanet reatu, seu permanenter sequitur ex reatu; ergo non retractat hîc quod in libris Sententiarum, & quæstio-

A nibus Disputatis dixit; Nec per diuinum Auxilium intelligere potest sanctus Thomas aliquam diuinam motionem ad agendum, sed aliquid permanens, sanans, seu reparans defectus peccati, cum connotatione ad auxilium, vt speciales effectus operetur ad speciales fines ordinatos. Nec apud sanctum Thomam nouum est, per ly *Auxilium* intelligere donum habituale, Nam in 1. 2. qu. 109. art. 7. inquirit sanctus Thomas, An possit homo resurgere à peccato sine Auxilio gratiæ? & Respondet negatiuè; Intelligit autem per auxilium gratiæ, tam donum habituale quam motionem internam, vt explicat in calce corporis art. dicens, B *Et ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc, quod homo à peccato resurgat, & quantum ad habituale donum, & quantum ad interiorem Dei motionem.*

Auxilium in S. Thoma etiam Gratia habitualis.

Et præterea, Quia vt ipse Caietanus fatetur hîc, & infra quæst. 72. art. 7. ad 3. Essentia gratiæ sacramentalis non est distinctæ speciei à gratia sanctificante communiter dicta, sed eius essentiam retinens addit aliquid effectiuum specialis effectus; ergo impossibile est quod gratia sacramentalis sit actuale auxilium; Nam actuale auxilium, cùm sit actualis concursus Dei, non habet eandem essentiam & speciem quam gratia habitualis. Est C enim distincta entitas, etiam physicè, auxilium & concursus Dei, à potentia & habitu recipiente hoc auxilium. Vt ergo essentia gratiæ sacramentalis non distinguatur specie ab essentia gratiæ habitualis, & donorum ac virtutum, oportet quod sit aliquid permanens, perficiens ipsam gratiam, non tanquam res seu habitus distinctus, sed vt modus, aut formalitas.

Ratio autem huius est, Quia Gratiæ sacramentales, in quantum sacramentales, ordinantur vel ad diuersos defectus reparandos in homine, vel ad diuersos effectus supernaturales, & pertinentes ad vitam Christianam efficiendos ab ipso homine; ad vtrumque autem requiritur plusquam concursus actualis; Quia ad defectus reparandos, cùm D ipsi sint intrinsecè in homine & permanenter, non solum transeunter, necessariò requiritur aliquid permanens. Ad effectus vero efficiendos ab ipso homine, non sufficit actualis concursus Dei, nisi supponat in homine formam, seu perfectionem cui accommodatur ille concursus; Quia cùm non sit Deus solus qui operatur, sed homo, & non operetur homo vt instrumentum, sed etiam vt causa principalis; siquidem Gratia sacramentalis non datur sicut potestas ad efficiendum præcisè, sed ad debitè efficiendum; homo autem debitè non efficit, nisi per actus voluntatis & intellectus; inde est quod oportet dari ei gratiam sacramentalem, vt operetur ad modum causæ principalis.

Et deinde, Quia operatur homo per illam gra- E tiam secundum quod viuit vita Christiana, & secundum communicationem peculiarem ex gratia Christi; hoc autem quod est habere in se vitam Christianam secundum imitationem gratiæ Christi, non est solus actualis concursus, sed aliquid permanens. Adde quod per Gratiam sacramentalem operatur homo ad libitum, quando vult; ergo debet aliquid permanens esse in homine, quo operetur vt vult, & non solum aliquid per modum transeuntis, sicut Prophetia, quæ ideo non est in manu Prophetæ vt illa vtatur quando voluerit, quia non per modum habitus, sed actualis concursus datur.

Denique, Quia si Gratia sacramentalis in solo

actuali concursu consistit, non poterit effectiuè procedere à Sacramentis; quia concursus actualis est actio Dei, quæ non attingitur ab vllo instrumento: ergo vt gratia sacramentalis sit effectus sacramenti, oportet quod aliquid intrinsecum & permanens ponat in homine.

Quod autem Gratia sacramentalis non addat nouum habitum realiter distinctum super gratiam sanctificantem, & virtutum ac donorum, probatur primò, Quia gratia sacramentalis nec ordinatur ad effectus realiter distinctos ab effectibus virtutum & donorum; nec ad reparandos defectus, quos reparat, indiget distincto habitu à gratia sanctificante; vt verbi gratia, Confirmatio habet pro effectu robustam confessionem fidei sine erubescentia nominis Christi; qui actus substantialiter est fidei; ergo non indiget ad hoc nouo & distincto habitu. Item defectus, quem tollit Pœnitentia sanando, aut Baptismus regenerando, aut Extrema-Vnctio alleuiando, substantialiter fit per habitum gratiæ, non ergo indiget nouo habitu ad sanandum, vel regenerandum, vel alleuiandum. Similiter debita executio Ordinum est actus Religionis supernaturalis intendentis cultum Dei.

Gratia Sacram. & communiter dicta, idem habitus.

Secundò, quia si Gratia sacramentalis esset diuersus habitus realiter à gratia sanctificante, & virtutibus ac donis, esset æquiuocè gratia, vt argumentatur sanctus Thomas, in 3. argument. art. Quia omnis additio, vel substractio in formis variat speciem; quantò magis si est habitus diuersus entitatiuè? Nam ille habitus vel esset eiusdem speciei cum gratia sanctificante, vel virtutibus & donis, vel esset alterius speciei: Si eiusdem, superfluè poneretur in subjecto, essentque duo accidentia eiusdem speciei in illo. Si diuersæ, ergo cùm gratia sacramentalis de se ordinetur ad sanctificandum hominem, & non sit gratia gratis data, sed gratia quæ opponitur culpæ & peccato, daretur gratia sanctificans diuersæ speciei, quod est impossibile, cùm gratia sanctificans sit participatio diuini esse vniuoca, quæ consequenter debet esse vna, & vnius speciei, sicut & ipsum diuinum esse vnum est; vel saltem esset assignandus aliquis actus, ad quem per se ordinaretur habitus ille sacramentalis gratiæ; qui dari non potest, cùm omnis actus, qui à sacramentali gratia fit, non sit realiter & substantialiter diuersus à virtutibus supernaturalibus, aut donis.

Denique, Quia aliàs per quodlibet Sacramentum infunderetur duplex habitus Gratiæ contra peccatum; Alter scilicet Gratiæ sanctificantis, qui communiter per omnia sacramenta infunditur; Alter sacramentalis gratiæ, qui esset realiter diuersus à gratia sanctificante; hoc autem falsum est; ergò. Et sanctus Thomas clarè tenet, quod non sit habitus diuersus, tum quia dicit quod *addit Auxilium diuinum super gratiam virtutum & donorum*: Auxilium autem diuinum non est habitus realiter diuersus; tum quia in solut. ad 3. dicit, *Quod se habet Gratia sacramentalis ad gratiam communiter dictam, sicut species ad genus*: constat autem quod species substantialiter includit naturam generis; Gratia ergo sacramentalis, non potest esse realitas distincta à gratia communi; Sic enim non se haberet vt species ad ipsam.

Nec potest dici, Quod Gratia sanctificans sit verè & essentialiter genus metaphysicum gratiæ sacramentalis; sic enim ex gratia sanctificante & gratia sacramentali fieret vnus habitus essentialiter, sicut ex genere & differentia fit vnum, cùm tamen gratia sanctificans sit vnius speciei atomæ; ergo quod se habeat sicut species ad genus, ne dicatur æquiuocè gratia, est quia non addit realem & diuersum habitum supra gratiam sanctificantem, sed substantialiter est gratia sanctificans, aut virtutum, cum noua formalitate & modo.

Et si inquiras, In quo consistit iste modus & formalitas? Respondetur, Consistere in quadam deriuatione & imitatione gratiæ Christi, seu perfectionis, quæ est in Christo, in quantum sumus membra eius. Sumitur ex D. Thoma hîc in corpore vbi dicit, *Esse specialem effectum sacramentalem, quatenus homo fit membrum Christi.* Per Sacramenta enim communicamus ei, & Passioni ac Gratiæ eius, tanquam membra viuentia in Spiritu Christi; Gratia autem Christi Domini in hoc eleuatur supra quamcumque gratiam, quia potest in omnes effectus possibiles gratiæ, vt sæpè docet sanctus Thomas. Potest autem hoc non per gratiam alterius speciei à nostra, sed per perfectionem & formalitatem, ac modum habendi diuersum à nostra. Hic igitur modus & perfectio, quæ in Christo est secundum plenitudinem ad omnes modos & effectus gratiæ, per Sacramenta deriuatur ad determinatos quosdam modos & perfectiones, quibus speciales effectus gratiæ producit.

Quis modus & formalitas Gratiæ Sacramentalis.

Hic verò modus Gratiæ Animæ Christi, non est aliud, quàm quod Gratia Christi se habeat in eo vt propria passio, & ad modum potentiæ ei connaturalis (sicut calor in igne habet modum potentiæ naturalis) & vlterius ex eo quod coniungitur Verbo diuino habet rationem vniuersalis principij ad omnes effectus gratiæ possibiles; quia ex hoc dicitur Gratia illa plena, non solùm quantum exigit subiectum, sed quantum ratio gratiæ potest, esto in intensione infinita non sit. Ex his ergo duabus perfectionibus Gratiæ Christi, habent deriuari & communicari Gratiæ Sacramentorum, quatenus ordinatur ad hoc vt homines faciant membra Christi, secundum distinctionem & varietatem membrorum. Habet, inquam, deriuati perfectio quædam ac formalitas, qua veluti trahitur gratia membrorum ad participandum de gratia Capitis, non solum in ipsa substantia gratiæ, sed etiam in perfectione, qua potest defectus aliquos peccati perfectiùs extinguere, & potest in aliquos effectus perfectiùs operari, ex coniunctione cum gratia Christi; habendo se per modum potentiæ, sicut gratia Christi modum potentiæ habet; licèt non in illa perfectione, qua Christus, sed quasi reductiuè ad illum; & ita potest quis ex peculiari modo subordinationis & deriuationis à Gratia Christi per Sacramentum Confirmationis (verbi gratia) confiteri firmiùs & sine erubescentia nomen Christi, quàm alius cum magna intensione habens fidem; quia ille veluti ex connaturalitate ad Christum, & coniunctione confitetur ipsum, iste verò ex credulitate, & contentione credendi in Christum.

Similiter ex eo quod Christus est vniuersale principium ad omnes effectus & modos Gratiæ, habet per distincta Sacramenta imprimere in membra sua peculiares modos & effectus, quibus speciales defectus peccati tollantur, & qui ad speciales effectus gratiæ ordinentur; Et sicut lux Solis, & lux Lunæ aut ignis, aut alterius astri sunt eiusdem speciei; nihilominus tamen aliam perfectionem induit lux proueniens à sole in aëre, vel in elementa, quàm lux Lunæ vel ignis; sic gra-

A via deriuata per Christum, alium modum & perfectionem habet participare ad tollendos defectus peccati, & specialiter operandos effectus gratiæ, quàm gratia quæ non venit per Christum secundum realem eius influxum per sacramenta; siue ille modus ponat gratiam reductiuè ad aliam speciem qualitatis (verbi gratia potentiæ naturalis) siue intra eandem speciem communicetur; sicut lux in aëre deriuata a sole, alium modum & perfectionem habet, intra eandem tamen speciem lucis, & non ad aliam speciem qualitatis transeundo.

Vel dicendum, Quod inducit modum alterius speciei qualitatis, etsi non alterius speciei gratiæ, in esse & ratione gratiæ, sed alium accidentalem B modum. Et sicut Sapientia, quæ est Donum, & Sapientia, quæ est disciplina, distinguuntur, Quia donum ex connaturalitate & sapore ad res diuinas cognoscit; disciplina verò ex discursu circa easdem res diuinas; sic suo modo, Confiteri fidem ex connaturalitate & coniunctione ad Christum per Sacramentum Confirmationis, differt a modo confitendi fidem ex intentione fidei, licèt substantialiter sit idem actus. Et similiter nutritio Charitatis per coniunctionem cum ipso Christo Domino per manducationem, aut nutritio Charitatis per actus feruorosos, licèt substantialiter sint idem, tamen in modo differunt, vt datur per Eu- C charistiam, aut sine illa; & sic de reliquis.

Soluuntur Argumenta.

Sed objicies primò, Nam D. Thomas dicit hîc, Quod *Gratia Sacramentalis addit supra gratiam communiter acceptam Auxilium diuinum ad speciales effectus, sicut Virtutes ac Dona addunt super gratiam sanctificantem perfectionem ad determinatos effectus*: sed auxilium diuinum non est perfectio habitualis; ergo sacramentalis gratia non addit perfectionem, seu modum permanentem intrinsecè in Anima.

Confirmatur, Quia Gratia Sacramentalis, ex D eo quod sacramentalis, non habet effectum aliquem intrinsecum & permanentem, diuersum ab eo quem habet gratia sanctificans, & gratia virtutum ac donorum, ergo non est necesse quod addat aliquid intrinsecum & permanens in ipsa anima. Consequentia patet, Quia vbi non est diuersus effectus, aut distincta perfectio, non est ponendum diuersum principium ad talem effectum. Antecedens verò probatur, Nam effectus quem facit Gratia Sacramentalis Confirmationis, est actus fidei, seu confessio eius firma & sine erubescentia; actus autem hic non est alius actus quàm fidei, ergo ad illum eliciendum non requiritur aliquid intrinsecum præter habitum fidei.

Nec dici potest, Quod ad nouum modum ac E peculiarem, qui inuenitur in confessione illa fidei, requiritur Gratia Sacramentalis: Primò quidem, Quia multi sine Sacramento Confirmationis æquè fortiter, aut fortius quàm confirmati, fidem confessi sunt; vt patèt de Machabæis, & de multis aliis Martyribus etiam nondum baptizatis. Secundò, Quia non ad quemlibet modum quo actus aliquis producitur, necessarium est ponere principium intrinsecum permanens operatiuum talis modi, sed sufficit diuinum auxilium actuale cum habitu supernaturali, etiam remisso; sicut cum diuino auxilio fortiori potest quis elicere vehementiorem & intensiorem actum, etiamsi habeat habitum minus intensum; ergo similiter quemlibet alium modum potest quis cum auxilio actuali, & habitu gratiæ ac virtutum elicere, sine superaddita perfectione intrinseca.

Respondetur, Quod per auxilium diuinum intelligitur confortatio quædam diuina, sicut confortatur principium inferius ex continentia ad principium superius. Et hoc modo homo quatenus fit membrum Christi per Sacramenta, confortatur & firmatur ad aliquid faciendum, quod non haberet sine sacramento; & hoc vocatur auxilium; quod quidem est diuersum specie in vno & in alio sacramento. Et, vt iam dictum est, sanctus Thomas, per Auxilium diuinum non intelligit quod purè est concursus actualis, sed aliquid etiam permanenter receptum in homine; quod quia non ordinatur ad actus entitatiuè distinctos, nec datur vt habitus substantialiter & entitatiuè acceptus, ideo dicitur à D. Thoma esse auxilium diuinum: Sicut in Donis Spiritus sancti, quia dantur ad hoc vt homo de facili sit mobilis & obediens impulsui Spiritus sancti ad altiora ipsum mouentis, dicitur homo moueri ex motione Spiritus sancti, & tamen operatur per aliquid sibi intrinsecum, scilicet per donum, quod est habitus in eo receptus: Ita qui operatur ex Gratia Sacramentali, dicitur operari ex auxilio diuino, & Gratia Sacramentalis dicitur addere auxilium diuinum; non quia non ponat aliquid intrinsecum in Anima, vt essentialiter quis operetur effectus sacramentales, & remoueantur intrinsecè defectus peccati; sed quia id fit ex peculiari participatione & deriuatione a Christo, & ex peculiari connotatione ad auxilium Dei, vt fiant tales effectus.

Quid auxilij nomine in Gratia Sacramentali.

Simile in Donis.

Itaque per ly *Auxilium diuinum*, totum hoc intelligit sanctus Thomas, videlicet & perfectionem aliquam ex communicatione cum gratia Christi, & diuinum concursum ad specialiter faciendos illos effectus, qui sit veluti connaturalis, & proportionatus homini sic communicanti per sacramentum cum gratia Christi. Si autem alteri detur similis concursus extra sacramenta, non datur veluti connaturaliter & proportionatè. Vnde qui non Confirmatus confitetur fidem firmiter, & sine erubescentia, non id facit ex officio, & veluti connaturaliter, sed quasi extra regulam.

Ad confirmationem Respondetur, Quod effectus aliqui sacramentales non distinguuntur entitatiuè & substantialiter ab actibus virtutum & donorum, & ideo neque gratia sacramentalis dicit habitum entitatiuè & realiter distinctum, sed solum modaliter. Ad primam replicam contra hoc Respondetur, Quod multi non confirmati fidem fortiter confessi sunt, id tamen ex speciali Dei benignitate, quæ sacramentis non alligauit suam virtutem. Hoc tamen non tollit, quin hic sit specialis effectus sacramenti. Sicut amor mutuus inter coniuges sine Sacramento Matrimonij in multis inuenitur; non tamen per hoc tollitur quin sit effectus eius specialis, & sic de aliis dici potest.

Effectus Sacramenti sine Sacramento, sed alio modo.

Secundò tamen dicitur, & melius, Quod confiteri fidem veluti ex officio & sacramentaliter, & ex coniunctione quadam & connaturalitate ad Christum & participatione eius gratiæ, non inuenitur extra Sacramentum Confirmationis, inuenitur tamen confiteri fidem intensè & fortiter, vel ex intensione maiori habitus fidei, vel ex peculiari Dei auxilio, non tamen ex sacramentali coniunctione ad Christum; Et similiter amor mutuus inter coniuges, quasi ex naturali amicitia & coniunctione extra Sacramentum Matrimonij

inuenitur, non tamen amor mutuus sacramentalis ex conformitate ad Christū cum Ecclesia, &c.

Ad secundam replicam Respondetur, Quod quando modus procedendi ad actum refunditur in principium operans, & supponit ipsum perfectum, indiget non solùm actuali concursu, sed etiam aliquo permanenti superaddito; verbi gratia vt faciat aliquem effectum ex officio & ex connaturalitate & coniunctione ad aliud principium; tunc oportet non solùm actuale auxilium & concursum superaddere, sed etiam perfectionem aliquam intrinsecam & permanentem; operari autem intensiuè aut fortiùs, cùm sit operari ex majori conatu, non supponit modum perfectionis in principio operante, sed conatum fortiorem; conatus autem actuale quid dicit, & non permanens & intrinsecam.

Secundo arguitur, Ex eo quod gratia sacramentalis se extendat ad plures effectus quàm gratia communiter dicta, non indiget noua perfectione sibi intrinsecè addita; ergo non est cur ponatur distincta perfectio, sed sufficit aliquid actuale. Antecedens probatur, Nam iustitia originalis erat idem cum gratia gratum faciente, vt constat ex 1. p. quæst. 95. art. 1. & tamen plures effectus habebat illa iustitia originalis, quam sola gratia, vt patet, ergo.

Confirmatur, Impossibile est quod id quod addit gratia sacramentalis supra gratiam communiter dictam sit aliquid specie distinctum in ratione gratiæ aut qualitatis, ergo impossibile est quod sit intrinsecè & permanenter superadditum gratiæ. Consequentia patet, Quia non potest esse aliquid solo numero distinctum, aliàs essent duo accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto. Antecedens verò probatur, Nam in ratione gratiæ non potest gratia sacramentalis esse diuersæ speciei, cùm gratia gratum faciens sit vna in specie atoma; in ratione etiam qualitatis non potest esse diuersæ speciei; quæ enim differunt specie, differunt etiam numero, & sic gratiæ sacramentales essent realiter distinctæ vt res à re.

Nec dici potest, Quod sit eadem gratia cum distinctis formalitatibus. Contra hoc enim est primo, Quia tunc eadem qualitas transiret de specie ad speciem; gratia enim sine illo modo esset in specie habitus, & cum modo sacramentali transiret ad speciem potentiæ, & similiter fortitudo infusa secundùm rationem virtutis esset in vna specie, & secundùm gratuitum donum sacramentale esset in alia.

Secundò, Quia gratia quæ deriuatur à Christo per Sacramenta non potest participare modum quo gratia est in Christo; quando enim aliqua qualitas inest alicui agenti non solùm in ratione passibilis qualitatis, sed etiam naturalis potentiæ, non communicatur alteri subiecto in ratione naturalis potentiæ, sed in ratione solùm passibilis qualitatis; sicut calor ignis communicatur aquæ, vt passibilis qualitas, & non vt naturalis potentia; ergo gratiæ Christi, quæ in illo habet rationem propriæ passionis & naturalis potentiæ, non potest istum modum communicare per sacramenta.

Nec potest dici, Quod communicat illum imperfectè, & quasi instrumentaliter; Nam si illa gratia communicatur vt virtus instrumentaria, per illam homo solùm aget instrumentaliter, quod tamen est impossibile; cùm actus qui eliciuntur à gratia sacramentali sint vitales, qui proinde non

A habent pro principio instrumentalem virtutem.

Respondetur ad principale Argumentum, negando antecedens. Ad probationem dicitur, Quod vt colligi potest ex D. Thoma in 2. distinct. 20. quæst. 2. art. 3. Iustitia originalis condistinguitur contra gratiam gratum facientem, & aliquam perfectionem addit super eam, quam modò non habet. Vnde in 1. p. quæst. 100. art. 1. ad 2. dicit, *Quod radix originalis iustitiæ est ex subiectione supernaturali rationis ad Deum, quæ fit per gratiam gratum facientem:* Si autem radix eius est, aliquid formaliter est iustitia originalis diuersum à gratia gratum faciente. Vnde ordinatio illa est B subiectio inferiorum virium ad rationem, & perfectionem aliquam superadditam ponebat in gratia; quare iustitia originalis radicaliter non distinguebatur à gratia gratum faciente, formaliter verò distinguebatur, & superaddebat ei, cùm diuersum effectum haberet per modum permanentis. Vnde & peccatum originale, pro formali habet destructionem & defectum iustitiæ originalis, quantum ad eius radicem, scilicet gratiam; pro materiali autem habet inordinationem passionum & inferiorum virium ad superiora; quæ est materialiter concupiscentia effrænata; & importat habitum seu dispositionem positiuam inordinatam talium virium, vt S. Thomas latè explicat 1. 2. C quæst. 82. art. 1. & 3.

Iustitia orig. aliquid modaliter supra gratiam communem.

Ad confirmationem Respondetur, Quod gratia sacramentalis addit aliquid specie distinctum ad gratiam communiter dictam, quæ respectu gratiæ est species accidentalis, in ratione verò Sacramentalis gratiæ, est diuersa essentialiter; sicut albedo & nigredo sunt species accidentales hominis, & essentiales qualitatis; & in hoc sensu dicitur à D. Thoma, Quod se habet gratia sacramentalis ad gratiam communiter dictam sicut species ad genus; id est, sicut species accidentalis seu modalis, quæ includit entitatem generis, & addit aliquid formaliter distinctum. Ad probationem antecedentis dicitur, Quod quæ differunt specie differunt numero, si differunt specie essentiali & D perfecta, aut etiam substantiali vel entitatiua; quæ autem differunt specie modali aut accidentali, non differunt etiam numero, quæ est differentia entitatiua & realis, vel etiam differunt numero vt modus non vt res; & modus non eiusdem speciei, sed diuersæ.

Gratia sacramentalis modale aliquid intrinsecum supra gratiam communem.

Ad primam replicam contra hoc Respondetur, Quod eadem qualitas pertinet ad duplicem speciem, non entitatiuè, sed formaliter, seu modaliter: Immò non est inconueniens, quod idem secundùm diuersas rationes pertineat ad distinctas species, sicut & ad distincta prædicamenta; Quare non transit eadem qualitas de specie ad speciem E entitatiuè & realiter, sed accidentaliter & formaliter; bene enim potest dispositio habere modum habitus & è contrà; & similiter habitus habere modum potentiæ aut passibilis qualitatis, licèt entitatiuè non sit potentia aut passibilis qualitas, sed dispositio aut habitus; & è contra in his qualitatibus est inuenire quod vna induit modum alterius, etsi entitatiuè non sit ipsa; hoc tamen per aliquid sibi adiunctum & intrinsecum; & sic est in præsenti de gratia secundum se, & vt sacramentalis.

Ad secundam replicam dicitur, Quod qualitas quæ est in agente secundùm rationem propriæ passionis, aut naturalis potentiæ, non potest communicari alteri subiecto secundum eundem mo-

dum vniuocè & perfectè; bene tamen imitatiuè & imperfectè, & non solùm instrumentaliter. Gratia enim sacramentalis in nobis, non est virtus instrumentaria; nec inchoata, vt Character (sic enim esset potentia, & non daretur ad bene operandum, sed ad simpliciter operandum) nec completa, quia hæc solùm est motio transiens, & non perfectio manens; gratia autem sacramentalis permanenter est in Anima; (contra Nuño hic) non ergo est dicendum quod instrumentaliter in nobis recipitur, sed quod ex communicatione & participatione ad gratiam Christi, habet gratia illa sacramentalis specialem aliquem modum, seu vigorem participare ad bene efficiendum speciales effectus. Sicut lux eo quod participatur & deriuatur à sole, habet specialem vim operandi, quam lux alterius astri, vel etiam lux ignis. Ista autem vis, seu modus operandi aut tollendi defectus, intrinsecè est in ipsa Anima, & in ipsa gratia vt deriuatus à Gratia Christi.

Tertio arguitur ad probandum quod Gratia Sacramentalis vt sacramentalis debet esse habitus diuersus realiter à Gratia Donorum & Virtutum; Nam si gratia sacramentalis non est alius habitus realiter distinctus ab habitu gratiæ communiter dictæ, frustra instituta sunt diuersa sacramenta ad dandas diuersas gratias sacramentales, quod est falsum; Sequela patet, Nam gratia communiter dicta, vel per omnia sacramenta datur, vel etiam sine sacramento; si ergo sacramentalis gratia non est habitus distinctus, per quodcumque sacramentum dabitur, & sic non erit necessarium ponere speciale sacramentum pro ea gratia. Sicut si protestatio fidei constans fieri potest per gratiam communiter dictam, frustra ad talem effectum adhibetur Sacramentum Confirmationis, cùm sine illo dari possit gratia communiter dicta; Auxilium autem diuinum non potest esse peculiaris effectus Sacramenti; tum quia concursus actualis non est effectus Sacramenti; tum quia Sacramenti effectus est oppositus culpæ, cui opponi non potest auxilium actuale; tum quia Deus paratus est dare auxilium cuicumque facienti quod in se est; ergo ad illud solum non debet peculiare institui Sacramentum.

Confirmatur primò, Quia gratiæ sacramentales habent suos effectus peculiares specie distinctos; ergo ad id exigunt habitus peculiares distinctos; Nam saltem de potentia ordinaria non potest dari actus specie distinctus, sine principio specie distincto; Nec sufficit ad id ponere solùm auxilium actuale, quia hoc non est principium eliciens actum, sed concurrens cum principio proprio ad eliciendum: ideo autem ponuntur in nobis virtutes, quæ sunt habitus, quia earum actus sine principio proprio nequeunt elici; ergo similiter cùm gratia sacramentalis sit effectiua alicuius specialis effectus, vt dicit S. Thomas quæst. 72. art. 7. ad 3. oportet quod habitum & qualitatem distinctam addat.

Confirmatur secundò, Nam ex eo quod homo est mobilis à Spiritu sancto ad aliquos actus superiores, ponuntur in eo Dona, quæ sunt habitus reales distincti à gratia & virtutibus, ergo similiter, quia per gratiam sacramentalem homo mouetur ad peculiares effectus supernaturales, oportet quod speciales habitus sacramentales in eo ponantur.

Respondetur ad principale Argumentum, negando sequelam. Ad probationem dicitur, Quod gratia sacramentalis etsi non sit habitus distinctus entitatiue ab habitu gratiæ, est tamen habitus gratiæ cum distincto vigore, & modo & virtute; sicut de luce Solis vt procedit à sole sæpè dictum est, quæ tamen est eiusdem speciei cum luce ignis: immò adhuc lux Corporis beati, est eiusdē speciei & naturæ cum hac nostra, & tamen ob distinctum modum & perfectionem accidentalem longè diuersos effectus habere potest, etiamsi hæc nostra esset alias intensior. De quo videri potest sanctus Thomas in Supplemento quæst. 85. art. 2. Non ergo repugnat eidem naturæ & qualitati diuersos modos a Deo tribui, non variantes, nec soluentes speciem qualitatis, sed ad diuersos effectus eam ordinantes; & sic gratiam sacramentalem perficit ordinando ad speciales effectus efficiendos, vel defectus tollendos, non tamen distinctum habitum infundendo.

Nec ob hoc sequitur quod per vnum Sacramentum detur omnis gratia sacramentalis alterius, Quia licèt detur habitus gratiæ, non tamen modus & perfectio specialiter, secundùm quam gratiæ sacramentales differunt: Sicut licèt per alterationem generetur qualitas, quæ entitatiuè non differt ab intensione eius, non tamen propterea per alterationem producitur intensio, aut qualitas intensa. Ad id autem quo probatur, Non addere solùm concursum actualem, concedimus totum; & præcipue quia gratia sacramentalis debet opponi culpæ in subjecto, quod non habet auxilium actuale.

Ad primam confirmationem Respondetur, Sacramenta ordinari ad effectus specie distinctos non specie entitatiua, sed formali, & accidentali ipsi gratiæ sanctificanti. Vnde non requirunt ad id habitus entitatiuè distinctos, sed formaliter; seu eundem habitum cum diuersa formalitate: Sicut lux vt efficiat effectus Lunæ aut Solis, non requirit diuersam entitatem & speciem lucis, sed eandem aliter modificatam; Immò licèt effectus aliqui essent entitatiuè distincti, sufficeret tamen entitatiuus habitus gratiæ cum nouo modo aut perfectione, sicut in exemplo de luce patet: sic enim modificata à sole & virtute eius, potest effectus entitatiuos, quos non potest lux Lunæ, aut lux ignis.

Ad secundam confirmationem dicitur, Quod in motione Spiritus sancti per dona, mouetur homo & dirigitur ad actus virtutis heroicæ seu diuinæ, & excedentes speciem virtutum moralium; Vnde sicut ad actus virtuosos virtutis moralis ponuntur in hominibus habitus reales & entitatiui, sic in ordine ad actus heroïcos & diuinos oportet ponere habitus, quibus homo dirigatur ex motione altioris principij, sicut & ipsi actus sunt altioris speciei; At verò effectus gratiæ sacramentalis, non est excellentior in specie, sed in modo & virtute, & accidentali quadam perfectione, aut sublatione defectus, & ideo non est necesse ponere ad illos habitum entitatiuè distinctum.

Quartò arguitur; Gratia sacramentalis Baptismi differt specie à gratia sacramentali Confirmationis, ergo etiam differt à gratia communiter dicta. Consequentia patet; Quia si vtraque essent idem cum gratia communiter dicta, essent idem inter se; *Quæcumque* enim *sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Antecedens verò probatur, tum ex D. Thoma infra quæst. 72. art. 7. ad 3. vbi respondens illi Argumento, Quod duo accidentia solo numero differentia non possunt esse simul in eo-

dem subiecto, & sic gratia Baptismalis & Confirmationis simul esse non possunt, ait, Quod *ipsæ gratiæ non solo numero differunt, sed specie*: Tum quia Sacramenta ipsa inter se specie distinguuntur, ergo & gratiæ sacramentales quas causant, & ad quas ordinantur vt ad finem, & vt ad specificatiuum.

Confirmatur, Quia vt dicit sanctus Thomas in hoc art. solut. ad 3. *Gratia Sacramentalis comparatur ad gratiam communiter dictam, vt species ad genus*, ergo præsupponit quod gratia communiter dicta est genus ad gratiam gratum facientem & ad gratiam sacramentalem. Patet consequentia, Nam si gratia communiter dicta est genus, saltem duas species habere debet; quæ non sunt aliæ quàm gratia gratum faciens, & gratia sacramentalis. Rursus gratia sacramentalis est species condiuisa contra gratiam gratum facientem, ergo est habitus realiter ab illa distinctus; Nam duæ species reales sub eodem genere, debent esse distincti reales habitus; & quæ differunt specie, differunt etiam numero & realitate sub eo genere, sub quo sunt species.

Confirmatur secundò, Quia in gratia sacramentali concurrunt omnia, quæ requiruntur vt sit habitus realis; Nam gratia sacramentali vtimur cùm volumus; sicut gratia Confirmationis confitemur fidem audacter quando volumus; & sic permanenter debet esse in homine. Item est effectiuum specialis effectus supernaturalis, vt docet sanctus Thomas infra quæst. 72. art. 7. ad 5. & quælibet gratia sacramentalis est peculiaris effectus effectiua, ergo oportet quod sit habitus realis & realiter diuersus; Nam non est principium effectiuum per modum instrumenti, cùm homo eliciat (verbi gratia) confessionem fidei vitaliter & vt causa principalis; ergo non sufficit auxilium actuale, sed requiritur habitus operatiuus homini inhærens, vt eliciat supernaturales istas actiones modo connaturali. Denique Quia gratia sacramentalis in septem species gratiæ diuiditur, iuxta numerum sacramentorum; non potest autem vnus habitus entitatiuè diuidi in tot species, quia non potest idem indiuiduum entitatiuè esse in multis speciebus, ergo non est eadem entitatiuè gratia in omni gratia sacramentali, sed est diuisio in diuersos habitus.

Species quasi modales gratiæ Sacramentorum.

Respondetur ad principale Argumentum, distinguendo antecedens; Gratia baptismalis differt specie à gratia Confirmationis; specie accidentali gratiæ, & tanquam formalitas ac modus gratiæ, concedo; specie essentiali & entitatiua, nego. Vnde non sequitur quod sint idem inter se formaliter loquendo, sed solùm entitatiuè & materialiter, quia etiam formaliter non sunt idem cum gratia communiter dicta. Ea autem quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se, si sint eadem re & ratione, idest, indiuisibili modo idem, non autem virtualiter multiplici, vt explicat sanctus Thomas. Item, *Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, eo modo quo sunt eadem vni tertio, & non aliter, & sic si sunt eadem entitatiuè vni tertio & materialiter, sunt etiam materialiter & entitatiuè idem inter se, non formaliter & specificatiuè. D. Thomas autem quãdo dicit, Quod *Gratia Baptismalis & Confirmationis non sunt eiusdem speciei*, loquitur non quantum ad entitatem & habitum talis gratiæ, quæ est gratia communiter dicta, sed quantum ad formale, quod addunt supra gratiam communiter dictam. Non est A autem inconueniens, quod in eadem entitate sint duæ formalitates specie distinctæ; sicut duæ qualitates specie distinctæ, aut duo modi possunt esse in homine, quæ accidentalis speciei sunt respectu subiecti seu entitatis, essentialis verò inter se.

Species accidentalis & essentialis.

Ad primam confirmationem Negatur consequentia; Quando enim sanctus Thomas dicit, *Quod gratia sacramentalis se habet sicut species ad genus, respectu gratiæ communiter dictæ*, non loquitur de specie essentiali, sed accidentali, secundum quam consetuatur ratio gratiæ sine æquiuocatione, sicut sine æquiuocatione inuenitur genus in se, & in sua specie, vt patet de animali secundum se, & vt in homine; Non enim dicitur B tunc animal æquiuocè. Et hoc præcipuè intendebat in illa solutione sanctus Thomas, scilicet quod gratia gratum faciens & gratia sacramentalis non æquiuocè dicantur gratia, quia se habent sicut genus & species; non quia gratia gratum faciens sit genus metaphysicum ad gratiam sacramentalem, sed quia sit aliquid communius (saltem in causando) & sicut genus non æquiuocatur ex eo quod sit in specie, sic nec gratia gratum faciens ex eo quod sit sacramentalis. Vnde negamus quod gratia gratum faciens sit condiuisa contra gratiam sacramentalem vt duæ species; sed potius gratia gratum faciens est gratia communiter dicta, quæ diuiditur in varias gratias sacramentales; non vt verum genus in species essentiales, sed vt entitas in C diuersos modos & formalitates; Et ita non oportet quod gratia habeat plures species, cùm non sit genus metaphysicum ad gratias sacramentales, sed quod habeat diuersos modos, qui sint veluti species potestatiuæ eiusdem gratiæ; & solùm habet se ad modum generis, quantum ad hoc, quod non æquiuocè dicitur gratia secundum se & vt sacramentalis; sicut non æquiuocè dicitur animal vt genus, & vt in homine.

Quod verò additur, Quod quæ differunt specie, differunt numero; iam explicatum est, de his quæ differunt specie entitatiua & reali, aut etiam substantiali, non modali tantum; Eo enim modo quo differunt specie, differunt numero, scilicet formaliter, non entitatiuè.

Gratia sacramentalis habitus, non realiter, sed formaliter seu modaliter distinctus.

D Ad secundam confirmationem Negatur antecedens; licèt enim in gratia sacramentali concurrant omnia vt entitatiuè habitus, non tamen vt diuersus habitus entitatiuè a gratia communiter dicta. Ad hoc enim præter conditiones allatas in argumento, requiritur quod ordinaretur ad actus substantialiter & entitatiuè diuersos; & ad tollendos defectus, qui non essent peccati, cum quo entitatiuè & substantialiter habet oppositionem gratia, & consequenter cum omnibus defectibus eius; licèt quoad extensionem & modum tollendi, indigeat nouo aliquo modo, aut perfectione addita. Cùm verò actus quos per gratiam sacramentalem E operamur, non sint entitatiuè & substantialiter distincti ab actibus Virtutum & Donorum, verb. grat. ab actu Fidei, actus Confirmationis, ab actu Charitatis, dulcedo & feruor Eucharistiæ; ab actu Spei, alleuiatio Extremæ-Vnctionis, ab actu Religionis, bonus vsus Ordinum, &c. ideo non requiruntur habitus entitatiuè distincti, sed solùm noua perfectio præexistentis, qua ex coniunctione & deriuatione à gratia Christi id faciant, & secundum modum imitantem gratiam Christi, vt explicatum est. Et licèt quia augetur in gratia augeatur etiam in virtutibus, hoc tamen est quantum ad communem modum augmenti, quod est

per intensionem; quantum autem ad specialem perfectionem quam ex connaturalitate & coniunctione, & imitatione cum gratia Christi habemus, in quantum vt membra eius participamus physicè per sacramenta de Spiritu eius, non fit ista perfectio & firmitas nisi per sacramenta, & gratiam sacramentalem.

Ad vltimum dicitur, Non esse inconueniens quod eadem entitas diuidatur in multas species sibi accidentales aut modales, & sit sub pluribus speciebus, quantum ad modum & formalitatem, licèt non possit esse sub pluribus speciebus entitatiuè distinctis & perfectè. Quin potius si dicatur eandem qualitatem poni secundum diuersas rationes sub distinctis speciebus, non est inconueniens; sicut communiter dicitur de calore, qui & est passibilis qualitas, & potentia naturalis, seu passio ignis, & potest etiam esse dispositio. Melius tamen mihi videtur prima solutio, Quod scilicet eadem qualitas induat modum aliarum specierum qualitatis, non tamen sit eadem species entitatiuè.

Gratia sacramentalis extra Sacramentum de potentia absoluta, non ordinaria.

Si quæras, An gratia sacramentalis possit à Deo dari extra Sacramenta? Respondendum est, Quod sub ea formalitate qua sacramentalis est, & quam participat ex reali influxu à Christi passione, non datur nisi per Sacramenta de lege ordinaria; quia tamen Deus gratiam suam Sacramentis non alligauit, non repugnat quod illam etiam extra Sacramenta det. Non tamen intelligas, quod omnis physicus influxus Christi in gratiam causet gratiam sacramentalem; sicut non causauit illam in Antiquis Patribus, quando cœpit influere physicè in ipsos post exhibitam suam passionem; sed tunc causat gratiam sacramentalem, quando sic influit, vt specialiter ordinet gratiam, & hominem cum gratia ad speciales gratiæ effectus, aut ad speciales defectus tollendos, vel speciali modo; sicut potest Deus communicare lucem alicui corpori, & non cum illis perfectionibus & modis quibus communicatur corpori glorioso.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Sacramenta Nouæ Legis contineant Gratiam.

Gratia in Sacramentis, vt instrumentis & signis.

RESpondet sanctus Thomas vnica conclusione. Gratia est in Sacramentis Nouæ Legis vt effectus in causa, non secundum similitudinem alicuius formæ permanentis, æquiuocè vel vniuocè productiuæ gratiæ, sed secundum virtutem instrumentalem, quæ per modum transeuntis continet effectum. Continent etiam Sacramenta gratiam tanquam signa.

Hanc conclusionem ostendit sanctus Thomas declarando, quibus modis aliquid contineat alterum; & relictis aliis, duo tantum faciunt ad propositum, scilicet continere aliud tanquam signum suum signatum, quia continet illud significatiuè, & sicut causa continet suum causatum, sicut dicimus effectum præhaberi in causa secundum virtutem causæ. Sacramenta ergo cùm sint signa, oportet quod significatiuè contineant suum significatum, quod est gratia: Similiter cùm sint causæ gratiæ, non principales, sed instrumentales, dicentur continere gratiam sicut causa continet effectum. Cùm autem causa contineat effectum ratione virtutis suæ, qua est productiua effectus, & ordinatur ad illud; eo modo quo causa habuerit

A virtutem ad effectum, continebit illum; Sacramenta autem non habent virtutem per modum formæ, siue æquiuocè, siue vniuocè productiuæ gratiæ, vt ostensum est, sed solùm habent virtutem per modum motionis & transeuntis, ergo continere dicuntur gratiam sicut instrumentum, & sicut virtus imperfecta & transiens ad effectum.

Hinc est quod solut. ad 1. ait sanctus Thomas, *Quod gratia non est in sacramento vt in subiecto*, vt de se patet, quia gratia subiectatur in Anima; *nec vt in vase*, si vas sumatur pro locante, quia gratia non est corpus locatum ab aliquo vase; sed est in illo vt in vase instrumentali, eo modo quo
B Scriptura sacra solet appellare instrumenta, vasa, vt Vas electionis, Vasa interfectionis, quæ continent interfectionem & mortem instrumentaliter.

In solut. ad 3. aduerte duo quæ sanctus Thomas dicit: Primum est, Quod illud spirituale, quæ est virtus addita instrumento, non perfectè existit in eo, sed secundum esse fluens & incompletum. Secundum est, Quod ex hoc dicitur contineri à Sacramento, quia non perfectè, sed imperfectè existit. Quid autem intelligat sanctus Thomas per illud esse fluens; dicimus quod non est ipsa entitas gratiæ, sed motio seu via ducens ad gratiam, non per modum simplicis concursus & produ-
C ctionis, sed productionis eleuantis instrumentum; vnde ratione illius dicitur contineri gratia, sicut in via continetur terminus, & in productione effectus: & ita ratione illius virtutis, dicitur Sacramentum continere gratiam virtualiter; Si respiciamus ad ipsam formam gratiæ, & ad modum quo talis forma est in subiecto, quod informat; sic enim non est formaliter in Sacramento, cùm non sit in eo forma gratiæ informando, sed est virtualiter, quia est via ad formam gratiæ informatiuam Animæ. Et sicut virtus causæ est aliquid diuersum ab effectu causato, cùm tamen ratione illius causa virtualiter contineat effectum, sic Sacramentum continet gratiam ratione motionis
D distinctæ à gratia.

Continere gratiam virtualiter aut formaliter, seu eius fieri.

Cæterum si respiciamus non ad formam gratiæ, quæ est causanda, sed ad causalitatem & processum ipsius, talem causalitatem Sacramenti motio non virtualiter, sed formaliter continet, quia motio ipsa causalitas est eleuatiua & productiua simul; & ita non est virtus ad causalitatem, sed ipsa causalitas formaliter; quod est attentè notandum.

Quoad secundum quod sanctus Thomas dicit, est aduertendum, Quod spirituale vt spirituale, & ex genere suo, est superius ad omne corpus, & supernaturale ad naturale; vnde ex genere suo spirituale debet continere corpus, potius quàm è contra. Potest tamen contingere quod illud quod spirituale est, ratione imperfectionis in es-
E sendo possit contineri ab aliquo corpore; & id quod supernaturale, ab eo quod naturale est. Nam si spirituale illud sit transiens & incompletum, quod corpori imprimitur, corpus autem sit permanens in esse, manifestum est quod esse transiens debet contineri, & pendere ab esse permanenti. Sicut in vniuerso videmus, Quod licèt corpus viuum in gradu entis sit perfectius corpore non viuo, tamen si corpus viuum, non quà viuum, sed quà corpus, est corruptibile & transitorium in modo essendi, & habendi formam, corpus autem non viuum (vt cœlum) in modo essendi sit incorruptibile, ab illo pendere potest, & contineri corpus viuum ratione illius imperfectionis; & sic

Spirituale intentionale in corpore, Gratia in Sacramentis.

sic licèt illa motio vt procedit à Deo, & intentionaliter communicat virtutem Dei, eleuet Sacramentum & trahat ad modum suum, non verò deprimatur ad illud, tamen quà ens est imperfectissimo modo & incompleto essendi, pendere potest à re corporea, & contineri ab ea dicitur.

Similiter Gratia quæ forma supernaturalis est, licèt vt respicit Deum, & est eius formalis & vniuoca participatio, (non vniuoca in ratione essendi, sed in similitudine & participatione reali) sic non continetur ab Anima, sed potius continet eam, & reducit ad superiorem ordinem; & sic est *radix portans*, Rom. 11.18. Tamen eadem gratia, quia in genere entis habet imperfectiorem modum essendi, quàm Anima, scilicet in ratione accidentis, ideo non repugnat quod secundum hanc considerationem contineatur ab Anima, & ab ea pendeat; & ex illa vt ex subiecto educatur. Quæ omnia obserua, pro his quæ diximus de spiritualitate virtutis Sacramenti, quomodo sit in re corporea, & pro eductione gratiæ ab entitate Animæ.

Aduertendum etiam est, Quod licèt sanctus Thomas solùm assignauerit Sacramentis duplicem modum continendi gratiam, scilicet vt signum & vt causa, tamen secundùm aliquam considerationem potest attendi alius modus continendi, non tam respectu gratiæ in se formaliter, quàm respectu virtutis spiritualis; Hanc enim spiritualem virtutem continet ipsum Sacramentum, & tanquam accidens in subjecto (quia Sacramentum est subjectum per modum transeuntis illius motionis, & eleuationis spiritualis) & tanquam partem in toto, quia sumendo totum hoc conjunctum ex virtute & Sacramento, seu Sacramentum motum, motio & eleuatio consideratur vt pars huius conjuncti. Hæc tamen continentia non est respectu gratiæ, quæ producitur, sed respectu motionis producentis gratiam per instrumentum, & ipso instrumento contentæ.

Conclusio sancti Thomæ posita, est iam de fide definita, vt patet in Florentino in Decreto Vnionis, & in Trident. sess. 7. can. 6. Vnde modus iste loquendi, Quod Sacramentum continet gratiam proprius est, & apud Philosophos etiam vsitatus, qui communiter dicunt Causam præhabere & continere effectum. Qui autem dicunt Sacramenta esse solum causas morales, dicunt Sacramenta continere gratiam moraliter in ratione influxus moralis & pacti, quo Deus alligauit infallibiliter causam gratiæ Sacramentis, scilicet passionem & merita Christi, quæ moraliter influunt, & continent omnem gratiam, sicut etiam meritum continet præmium. Vndè & in hoc differunt à Sacramentis Veteribus, quod Sacramenta Vetera tantùm habebant significare gratiam, & datorem eius, aut etiam impetrare ratione dispositionis suscipientis; quæ omnia influxum moralem non continent, cùm non haberent adiuncta merita Christi, & redemptionem passionis eius. Nostra verò Sacramenta taliter sunt signa, quod continent pretium ipsum redemptionis, & valorem meritorum Christi; Vnde moralem influxum habent, & non sunt signa solùm tanquam conditio moralis; Sicut argentum signatum est morale pretium & valor rei emptæ, vel acquisitæ per illum; signum autem promittens talem pecuniam, est conditio moralis rei emptæ, nec influxum habet moralem, cùm maneat purè in ratione signi, & non habeat adjunctum valorem moralem rei dandæ, sicut habent nostra Sacramenta, ex passione Christi denuata.

Continere gratiā Sacramenta nostra, Fides docet.

Continentia moralis ipsa sufficiens.

A

B

C

D

E

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in Sacramentis sit aliqua virtus causatiua Gratiæ?

PRIMA CONCLVSIO.

HI qui ponunt Sacramenta esse instrumentales causas gratiæ, necessario debent in Sacramentis ponere virtutem aliquam instrumentalem ad inducendum effectum. Secunda conclusio, Virtus ista instrumentalis habet esse transiens & incompletum, non sicut causa principalis, quæ habet esse permanens & absolutum.

Ratio & probatio primæ conclusionis, præter authoritatem August. & Bedæ in argumento *sed contra* allatam, reducitur à D.Thoma ad rationem causæ. Si enim Sacramentum causa est, etiamsi instrumentalis sit, oportet quod aliqua virtute exerceat causalitatem suam; omnis enim causa debet esse in actu primo, vt emittat ex se actum secundum; & consequenter debet habere virtutem & actiuitatem ordinatam ad actum secundum, & ad effectum producendum; ergo cùm Sacramentum ex entitate sua naturali non habeat talem virtutem, vt de se notum est, oportet quod superaddatur ei virtus aliqua sic causatiua.

Virtus in Sacramentis, quod gratiæ instrumenta.

Secunda verò conclusio ostenditur ex differentia operandi causæ principalis & instrumentalis. Causa enim principalis operatur per formam sibi permanenter conjunctam, cui assimilatur effectus; instrumentali autem causæ non assimilatur effectus, per se loquendo, & sic non operatur per formam sibi permanenter conjunctam, sed per subordinationem & motum, quo mouetur à causa principali. Non potest autem causa principalis mouendo instrumentalem communicare ei formam, per quam agat; sic enim constitueret illam vt causam principalem; ergo mouendo illam intra limites instrumentalis causæ, oportet quod citra communicationem formæ actiuæ eam moueat, & consequenter solùm per aliquid transiens, quod per modum motionis, non formæ productiuæ se habeat; Si enim communicatur ei virtus, & non permanenter & perfectè, sicut causæ principali; ergo incompletè & transeunter; Et pro qua parte transeunter, dicitur per modum motionis dari, quia quod transeunter se habet, motus est.

Virtus transiens & incompleta.

Sed tamen semper distinguendus est in instrumento duplex motus, seu actio (siue entitatiuè vnus sit, siue non) nempe & ille qui progreditur ab actiua virtute instrumenti, putà in cithara simplex motus fidium, & in securi simplex scissio; alius qui progreditur ex communicatione virtutis superioris; vt in cithara, motus fidium artificiosus & musicus; in securi, scissio artificialiter producens lectum. Et illa communicatio virtutis superioris, quia non fit per formam permanenter receptam in instrumento, dicitur fieri per motionem, quæ virtutem superiorem intentionaliter continet; Et quia transeunter & incompletè, ideo ad modum motus, quo passiuè agens superius vtitur inferiori virtuosè, scilicet eleuando ipsum vt vltra se agat, id est, vltra actiuitatem propriam, qua simplicem motum poterat producere. Produ-

Instrumenti motus proprius, & a superiori agente.

citur enim simplex motus ab instrumento, vt nititur propriæ actiuitati; producitur motus artificiosus aut diuinus, vt nititur actiuitati superiori, per modum motionis sibi communicatæ. De hac autem virtute satis supra in hac. q. art. 1. dubio. 8. actum est.

Cabrera non sibi cōstans.

In solutione ad primum, Nota obiter contradicere sibi Cabreram in hoc 3. tom. quatenus super istum articulum explicans solutionem ad primum, ait, Quod virtus causatiua gratiæ, quæ est in Sacramentis, est formaliter spiritualis, & non corporalis; quia si esset formaliter corporea, & virtualiter spiritualis, posset esse in subiecto corporeo complete & permanenter, cùm nulla sit repugnantia quod entitas permanens eleuatur ad effectum spiritualem, sicut eleuatur entitas transiens. Quod & vlterius ibi explicat; Attamen oppositum huius docuerat super primum articulum huius quæstionis disput. 3. §. 14. num. 129. & 130. scilicet virtutem illam instrumentalem esse formaliter corpoream, & virtualiter spiritualem, quod & in secundo tomo quæst. 13. tractans istam quæstionem dixerat. Contrarietatem in dictis eius nota.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Sacramenta Nouæ Legis habeant virtutem ex Passione Christi?

PRima conclusio, virtus instrumentalis sacramenti deriuatur à Deo mediante instrumentali virtute Humanitatis Christi.

Secunda conclusio, Gratiam sacramentalem specialiter habent Sacramenta communicare ex Passione Christi, magis quàm ab aliis eius actionibus.

Tertia conclusio ad 2. Sicut virtus Christi copulatur nobis per fidem, & specialiter virtus vt remissiua peccati, per fidem Passionis eius; sic virtus Sacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipuè est ex fide Passionis Christi.

Primam conclusionem ostendit sanctus Thomas ex modo, quo proportionaliter & connaturaliter inter se ordinantur instrumenta. Quando enim ad aliquem effectum concurrunt plura instrumenta, vnum coniunctum, & aliud separatum, talis ordo seruatur, vt virtus præcipui efficientis deriuetur ad instrumentum separatum per coniunctum; sicut per brachium & manum, quæ est instrumentum coniunctum homini, mouet baculum aut calamum aut securim, quæ sunt contigua; & rursum per contiguum instrumentum mouet disiunctum, putà sagittam aut lapidem, vel aliam quamlibet materiam; ergo cùm Humanitas Christi sit instrumentum diuinitatis ad opera gratiæ, & ad miracula, quæ ordinantur ad finem Incarnationis, & sit coniunctum ipsi diuinitati tanquam natura suo supposito, oportet quod Sacramenta, quæ sunt instrumenta separata, habeant virtutem suam deriuatam à Diuinitate per Humanitatem Christi, vt seruetur porportionalis & aptus modus vtendi ordinatè instrumentis; licèt verum sit, quod hunc ordinem potest Deus non seruare, sed immediatè communicare virtutem instrumentis sine media Humanitate.

Christi Humanitas instrumentum influēs in Sacramenta.

Secunda conclusio, præter authoritatem Glossæ in Argumento *sed contra* inductam, ostenditur à

A D. Thoma ex ordinatione gratiæ sacramentalis, quæ ad duo ordinatur; videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, & iterum ad perficiendum hominem in his, quæ sunt ad cultum Dei; sed vtrumque deriuatur à Christo specialiter ratione Passionis eius, ergo Sacramenta Nouæ Legis habent communicare gratiam sacramentalem specialiter ex Passione Christi. Maior certa est, & ex art. 2. huius quæstionis constat, vbi explicatum est quid diceret gratia sacramentalis supra rationem gratiæ communiter acceptæ. Minor verò ex quæst. 48. & 49. huius partis supponitur, vbi ostensum est, quod ad remissionem peccati, quantum ad purgationem delicti, specialiter operata est Passio Christi meritoriè & satisfactoriè & efficienter.

B Et in quæst. 56. art. 2. ad 4. explicat sanctus Thomas, quomodo specialiter Passio Christi concurrat quantum ad remissionem culpæ, scilicet secundum rationem causæ exemplaris; cùm enim in iustificatione nostra, & sit terminus à quo, qui destruitur, & cui morimur (scilicet peccatum) & sit terminus ad quem, scilicet nouitas vitæ, licèt quantum ad vtrumque Passio Christi & Resurrectio, & omnes actiones eius concurrant effectiuè, in ratione tamen exemplaris, Passio & Mors eius specialiter causant exemplariter remissionem culpæ, & mortem peccati; Resurrectio autem iustificationem & nouitatem vitæ, iuxta quod dicitur C Rom. 4. 25. *Quod traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

Sacramentorum virtus, præcipuè ex Passione Christi.

Igitur tollere defectus peccati, quod est quasi mors peccati, specialiter habet attribui Passioni & Morti Christi. Similiter Christus per suam passionem initiauit ritum Christianæ religionis, quatenùs *Seipsum obtulit oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*, Ephes. 5. 2. Et ad Hæbr. 9. 1. dicitur, quod *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* Vnde & Nouum Testamentum in sanguine & morte Christi confirmatum est; nec enim valet, D dum viuit, qui testatus est. Igitur initiatio religionis Christianæ in Nouo Testamento, in Morte & Passione Christi specialiter facta est. Cùm ergo sacramentalis gratia præcipuè geminum hunc effectum habeat, scilicet defectus peccati præteriti tollere, & perficere in ordine ad cultum Dei in religione Christiana & Nouo Testamento, oportet quod principium & radix eius specialis sit Passio Christi, & secundum quod est destructiua peccati, & secundum quod est initiatiua Noui Testamenti & religionis Christianæ secundùm Sacerdotium & Pontificatum Christi.

E Tertia conclusio explicatur sic, Quia Christus habitat in nobis per fidem, Eph. 3. 17. & virtus eius communicatur nobis per fidem; inchoatiuè quidem & fundamentaliter per fidem, etiam informem; perfectè autem & efficaciter per fidem viuam, *quæ per dilectionem operatur*, Gal. 5. 6. dilectio autem seu Charitas dicitur *vinculum perfectionis*, ad Col. 3. 14. Et ideo fides per charitatem formata habet copulare, seu esse vinculum ad virtutem Christi, tanquam dispositio ex parte nostra, vt conjungamur ei. Si ergo virtus remissiua peccati specialiter pertinet ad Passionem Christi, vt explicatum est; fides Passionis eius habet esse speciale copulatiuum virtutis eius, & specia-

Fides Passionis Christi potissima dispositio in Sacramentis,

liter eſt diſpoſitio, qua homines liberantur à peccato, iuxta illud Rom. 3. 25. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.*

Igitur ſimiliter virtus Sacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, eſt ex fide Paſſionis Chriſti; videlicet vt ex diſpoſitione ex parte hominis, vt ei coniungatur virtus Paſſionis Chriſti per Sacramenta. Nec enim intelligendum eſt, quod Sacramenta habeant virtutem iuſtificandi ex fide, ſed quod fides eſt diſpoſitio ex parte noſtra, vt applicetur virtus Paſſionis Chriſti per Sacramenta; Et ita oportet quod ſpecialiter iſta diſpoſitio ſit fides Paſſionis, ſiquidem quod ſpecialiter operatur in remiſſione culpæ, eſt Paſſio Chriſti, vt explicatum eſt.

DVBIVM VNICVM.

Circa. 2 Conclu.

An Sacramenta ſpecialiter habeant virtutem ex Paſſione Chriſti.

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Præter ea quæ dicta ſunt in corpore articuli, eſt Notandum, quod omnes Chriſti actiones ab inſtanti Conceptionis ſuæ, vſque ad Aſcenſionem in cœlum, operatæ ſunt ad ſalutem noſtram; aliter tamen & aliter; Nam actiones eius poſt mortem, cùm non eſſent amplius meritoriæ, ſolùm operabantur efficienter ſalutem noſtram, ſecundùm quod Humanitas Chriſti eſt inſtrumentum Diuinitatis, & efficaciam habet ex diuinitate ſibi coniuncta; ſicut de Chriſti Reſurrectione dicit ſanct. Thomas 3. p. quæſt. 56. art. 1. & ſuper cap. 4. Epiſt. ad Rom. lect. vltima; aliæ verò actiones, quæ factæ ſunt à Chriſto ante mortem eius, non ſolùm efficienter, ſed etiam meritoriè & ſatisfactoriè operabantur ſalutem noſtram, quia erat tunc Chriſtus in ſtatu viatoris & merentis; Efficienter quidem operabantur ſalutem noſtram, quia erant actiones virtute Diuinitatis procedentes ab Humanitate; meritoriè autem, quatenùs voluntariè fiebant ab humanitate ſacratiſſima, & ordinabantur ad noſtram ſalutem.

Chriſti actiones cauſa noſtræ ſalutis diuerſimodè.

Præter hanc etiam efficientiam actionum Chriſti in noſtram ſalutem, ſiue phyſicam, ſiue moralem, eſt etiam cauſalitas eius in noſtram ſalutem per modum exemplaris, vt explicat ſanctus Thomas quæſt. 56. art. 1. ad 3. & art. 2. ſecundùm quod Apoſtolus explicat quod *Corpus noſtrum, configurari debet corpori claritatis eius*, ad Phil. 3. 21. Et de morte eius ac paſſione dicit ad Rom. 6. 4. quod *conſepulti ſumus per baptiſmum cum illo in mortem. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Et cap. 8. 17. dicit, quod debemus compati, vt & conglorificemur. Cùm ergo conſtet actiones Chriſti fuiſſe exemplaria noſtrarum actionum, vt ei nos conformemur & aſſimilemur, in hac exemplaritate Paſſio Chriſti ſpecialiter eſt cauſa remiſſionis peccatorum; Reſurrectio enim eius habet vim cauſæ exemplaris reſpectu nouitatis vitæ, quam per iuſtificationem acquirimus, quæ eſt terminus ad quem iuſtificationis; Paſſio autem Chriſti habet cauſalitatem exemplarem reſpectu deſtructionis peccati, & mortis Animæ, quæ eſt terminus à quo iuſtificationis; quia in ſimilitudinem mortis eius nos morimur peccato. Et ideo quando in nobis totaliter deſtruitur peccatum, quoad culpam & quoad pœnam, conſepeliri dicimur Chriſto. Propter quod Eccleſia canit, *Quod mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.*

Sic ergo colligimus, Quod Paſſioni Chriſti generaliter cum aliis actionibus eius, attribuitur remiſſio peccatorum, duplici modo; & ſpecialiter præ aliis actionibus, etiam duplici modo. Generaliter quidem attribuitur, & efficienter phyſicè, ſicut omnis alia actio, ſiue meritoria Chriſti, ſiue non meritoria, vſque ad eius Aſcenſionem, operata eſt ſalutem; & efficienter moraliter, quatenus paſſio adhuc fuit actio voluntaria Chriſti viatoris. Specialiter autem attribuitur Paſſioni hic effectus, & ſecundùm rationem cauſæ exemplaris (in quo genere ſpecialiter Paſſio reſpicit remiſſionem peccatorum) & ſecundùm rationem cauſæ moralis ſatisfacientis & merentis, quia Paſſione ſua conſummauit ſatisfactionem debitam, & omne meritum pro nobis; ſatisfactio autem ſpecialiter reſpicit peccatum deſtruendum; Et quia Sacramenta ordinantur vt quædam medicinæ ad tollendos defectus peccatorum, ideo ſpecialiter habent virtutem ab illis Chriſti actionibus, quæ ſpecialiter peccati deſtructionem operatæ ſunt, ſicut eius Paſſio.

Soluuntur Argumenta.

Sed obijcies, Aliqua Sacramenta inſtituta fuerunt, & in vſu ante Paſſionem Chriſti, vt patet de Baptiſmo & Euchariſtia; & etiam de Ordine; in die enim Cœnæ Apoſtoli ordinati ſunt Sacerdotes Noui Teſtamenti, & de Sacrificio Euchariſtico ſacramentaliter participarunt, quod non fecerent niſi eſſent baptizati; ergo Baptiſmus, Euchariſtia & Ordo fuerunt in vſu ante Paſſionem Chriſti, ergo non habuerunt ſpecialiter virtutem ex illa.

Confirmatur, Nam aliqua Sacramenta magis ordinantur ad terminum ad quem noſtræ iuſtificationis, videlicet ad gratiam, & vitæ nouitatem ac perfectionem, quàm ad terminum à quo, qui eſt remiſſio peccati; ergo ſpecialius debent attribui Reſurrectioni Chriſti, quàm Paſſioni. Conſequentia patet ex ratione ſancti Thomæ 3. part. quæſt. 56. art. 2. ad 3. dicentis, Quod *Reſurrectio eſt cauſa exemplaris noſtræ iuſtificationis, ex parte termini ad quem.* Antecedens verò patet præcipuè in Euchariſtia, quæ ordinatur ad nutriendam charitatem, & eius dulcedinem; quæ præcipuè ſe tenet ex parte termini ad quem iuſtificationis & gratiæ.

Reſpondetur, Fuiſſe quidem inſtituta illa Sacramenta ante Paſſionem & Mortem Chriſti; ſed tamen ad hoc inſtituebantur, vt ex Paſſione eius virtutem haberent. Vnde & ipſa Euchariſtia in memoriam Paſſionis eius inſtituta eſt, licèt illo tempore, quo anteceſſit paſſionem, non eſſet ſignum rememoratiuum Paſſionis. Et ſicut ante Paſſionem ſuam per multas meritorias actiones ab inſtanti conceptionis ſuæ operari incœpit Chriſtus noſtram ſalutem & ſanctificationem; non tamen vſq; ad paſſionem & mortem illam conſummauit; ita non eſt inconueniens, quod vſus illorum Sacramentorum ante Mortem Chriſti habuerit effectum aliquem ex operationibus Chriſti Domini, & eius humanitate, non tamen ita conſummatum ſicut poſt paſſionem. Ad hoc quippe

Sacramentorum virtus per Chriſti Paſſionem conſummata; etſi ante illā inchoata.

ordinabantur, vt ex Passione consummaretur. Nec enim ante mortem Christi confirmatum erat Testamentum Nouum, quod in Sacramentis Ecclesiæ instituebatur, licèt iam esset institutum. Vnde non habebat tantam efficaciam. Vnde & Baptismus ante Passionem non poterat efficaciter aperire regnum cœlorum, qui est vnus ex effectibus eius; & sic non est inconueniens, quod non tantam virtutem, & tantam gratiam darent illa Sacramenta ante Passionem, sicut postea.

Ad confirmationem Respondetur, Sacramenta non ordinari ad terminum ad quem nostræ iustificationis, secundùm quod imitantur specialiter Passionem Christi, nisi tollendo aliquem defectum. Vnde & Eucharistia ordinatur ad nutriendam charitatem per modum cibi, & sic tollendo famem ex peccato ortam; Est enim specialis hic effectus peccati, supponens indigentiam in homine, secundùm quod scriptum est de filio prodigo Luc. 15. 14. dissipante luxuriosè bona sua, *Quod facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.* Licèt ergo Eucharistia nutriat, & sic supponat subiectum iam viuens; in hac tamen nutritione specialem tollit defectum, qui est egestas & fames ex peccato relicta ad nutritionem charitatis; Et hoc quidem inquantum Sacramentum; Nam inquantum Sacrificium, constat specialissimè repræsentare cruentum Christi Sacrificium, id est, Passionem eius.

Eucharistia ipsa, contra defectum ex peccato relictum.

Secundò arguitur, Nam rationes D. Thomæ, quas affert in Articulo, nullo modo conuincunt Sacramenta ex Christi Passione specialiter descendere, ergo. Antecedens probatur, Nam quod affert in Argumento *sed contra*, scilicet Ex latere Christi pendentis in Cruce fluxisse Sacramenta, non probat intentum; Nam vt ex contextu Scripturæ constat, & definitur in Clementina vnica de Summa Trinitate, Apertio lateris facta est Christo iam mortuo; ergo non fuit in illa aliquod meritum Christi, quia iam non erat viator, & consequenter neque virtutem vllam tribuere poterat Sacramentis.

Quod etiam affert in corpore, scilicet *Christum Dominum in Passione sua initiasse religionem nostram*, falsum videtur, cùm in nocte Cœnæ instituerit Sacrificium Nouæ Legis, & ordinauerit Sacerdotes, & condiderit Nouum Testamentum; ergo tunc initiata est religio Christiana.

Confirmatur, Omnia Christi opera meritoria fuerunt nostræ salutis, & ex parte suppositi erant æqualis meriti & virtutis; ergo ab omnibus illis Sacramenta habent virtutem, sicut ab illis omnibus salus nostra effecta est; Et sic non est tribuendum hoc specialiter passioni eius, siquidem omnia illa opera sunt æqualis efficaciæ ad nostram salutem, quæ per Sacramenta deriuatur. Item, Quia certum est Christum Dominum pro nostra salute obtulisse totam vitam suam, omnesque eius labores & actiones; ergo ex omnibus illis habent virtutem Sacramenta, & non specialiter ex Passione Christi.

Respondetur, Supponendo pro certo, quod actiones vel passiones Christi ab instanti separationis Animæ non fuerunt meritoriæ, vt probat sanctus Thomas 3. parte, quæst. 49. art. 6. dicimus quod illa apertio lateris Christi non habuit communicationem virtutis ad Sacramenta per modum meriti formaliter loquendo, sed per modum efficaciæ, sicut de ipsa morte Christi dicit sanctus Thomas: Fuit tamen signum & figura Sacramentorum præcipuorum, quæ in sanguine Christi constant, & in aqua conficiuntur; quæ Sacramenta in meritis passionis fundabantur. Et hoc significabat fluxus ille sanguinis & aquæ, licèt iam ille non esset meritorius, sed effectus; Quæ intelligentia colligitur ex cap. *Cùm Marthæ, de Celebratione Missarum.*

Sacramenta, vt ex Christi latere.

Ad improbationem eius quod Sanctus Thomas affert in corp. Dico quod Christus Dominus quantum ad institutionem Religionis Christianæ, in nocte Cœnæ initiauit illam; quantum autem ad reale complementum, in Passione sua exhibuit & initiauit eam, seipsum Patri offerendo realiter; Vnde & ad Hebr. 9. 17. dicitur, quod *Testamentum morte testantis confirmatur*; & sic initiatio seu principium Religionis, & Testamentum quoad firmitatem & robur, in Passione initiatum est; quoad institutionem verò, in die Cœnæ inceptum est.

Initiatio religionis in Cœna & in Passione.

Ad confirmationem Respondetur, Quod omnia opera Christi, quantum ad generalem rationem efficaciæ meritoriæ & valoris, fuerunt causa & virtus Sacramentorum; specialiter tamen Passio Christi, vtpote complementum omnium satisfactionum & meritorum, & tanquam causa exemplaris specialiter remissionis peccatorum. Vnde non obtulit Christus Dominus singula opera sua, quamvis infiniti valoris fuerint, tanquam adæquatum pretium & meritum salutis, sed omnia ordinauit vt consummanda per Passionem; Vnde & in morte dixit, *Consummatum est*, Ioan. 19. 30. & ita specialiter à Passione vt à cõsummatiua omnium meritorum, & peculiariter exemplari remissionis peccatorum; A tota ergo vita, & actionibus Christi meritoriis virtus Sacramentorum pendet, specialiter tamen à Passione, ob rationes dictas, & quia peculiares actiones suas voluit Christus Dominus esse peculiariter exemplatiuas particularium bonorum nostrorum. Licèt ergo omnia opera fuerint infiniti valoris ex parte suppositi elicientis, ex objecto tamen non omnes fuerunt æqualis dignitatis, sed quædam aliis excellentiora; & ideo abundantius deriuatur virtus Sacramentorum, & specialius ex vno opere, quàm ex alio; quia sic Christus ordinauit, quod non solùm ratione suppositi, sed ratione dignitatis objecti, actiones specialiùs & digniùs influerent.

Passio, consummatio meritorum Christi.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Sacramenta Veteris Legis Gratiam causauerint?

Ex articulo elici possunt quatuor conclusiones.

Prima est, Sacramenta Veteris Legis ex propria virtute, si sumatur propria vt non deriuatur à Christo & per Christum, non poterant iustificare.

Secunda conclusio, ex duplici modo, quo virtus Christi nobis communicatur, scilicet mediante fide tanquam per actum animæ interiorem, disponentem nos, & mediante vsu exteriorum rerum, sicut per Sacramenta; hic secundus modus non potuit competere Sacramentis Antiquæ Legis.

Tertia conclusio, Antiqui Patres iustificabantur per fidem Passionis Christi, & non per efficientiam Sacramentorum; & ideo sacramenta, quæ in illis erant, solum deseruiebant vt signa protestatiua fidei, in qua iustificabantur.

Quarta conclusio solut. ad 3. Etiam Circumci-

sio, & remedium paruulorum in Lege Naturæ, causabat gratiam mediante fide Passionis Christi, & tanquam signum protestatiuum eius.

Vt ostendat sanctus Thomas, has conclusiones, distinguit triplicem modum, quo gratiam seu iustificationem possunt Sacramenta causare. Primò quidem mediante virtute effectiua; Secundò mediante dispositione & actu suscipientis; Mediante effectiua virtute adhuc dupliciter, vel taliter quod habeant virtutem effectiuam propriam, id est, non deriuatam à Christo, nec per Christum. Secundò quod haberent virtutem effectiuam gratiæ ex virtute Christi, & per Christum; sed non propriam, vt distinguitur contra eam quæ habetur ex dispositione recipientis. Virtus enim Passionis Christi copulatur & applicatur nobis, vel mediante fide & actu interiori, quo disponimur ad gratiam, vel mediante vsu exteriorum rerum, seu applicatione sacramentali, qua efficacia eius virtutis datur, vt distinguitur contra dispositionem ex parte nostra. Igitur Sacramenta Antiqua non potuerunt causare mediante virtute propria, vt distinguitur contra virtutem deriuatam à Christo. Si enim haberent hoc Sacramenta Antiqua, necessaria non esset Passio Christi, iuxta illud Gal. 2. 21. *Si ex Lege iustitia, gratis Christus mortuus est.* Frustra etiam dicerentur Gal. 4. 9. *Egena & vacua elementa*: Et *quod nihil ad perfectum adduxit lex*, Hebr. 7. 19. si ex se, sine ordine ad Christum, haberent vim iustificandi; Excederent enim in hoc Sacramenta Nouæ Legis, quæ ex propriis id non habent, sed per Christum.

Simiter non potuerunt causare gratiam virtute propria deriuata quidem à Christo, sed tamen propria, vt distinguitur contra eam quæ habetur mediante actu Animæ, & dispositione interiori, Quia virtus quæ deriuatur à Christo & Passione eius, antequam Passio eius esset exhibita in re, non poterat communicari nec mouere nisi mediante actu Animæ: Nam quod non est, licèt possit mouere secundum quod præcedit in actu Animæ, sicut finis in apprehensione mouet antequam sit, non tamen potest mouere secundum vsum exteriorum rerum, & communicationem realem virtutis, quæ moueat efficacia illa, quæ non habetur ex actu, & per actum interiorem animæ; Igitur Christus Dominus & Passio eius, ante exhibitionem realem non poterat dare virtutem reali communicatione, sed solùm per actum Animæ, seu per fidem Christi.

Quare respectu Sacramentorum, quæ antecesserunt Christum, virtus Passionis eius non potuit deriuari efficienter (cùm causa efficiens duratione præcedat effectum) sed solùm potuit deriuari mediante fide, & ad modum causæ finalis; quod est per actum Animæ communicare virtutem ad iustificandum; Ad Sacramenta autem quæ sunt post Christum, potest deriuari virtus eius, non solùm ratione fidei, & mediante actu Animæ, sed etiam per realem efficientiam & deriuationem; quia respectu illorum realiter præcedit exhibita Passio Christi, & eius Humanitas.

Ex hac doctrina probatur prima & secunda conclusio sancti Thomæ; Nam quod non habeant Sacramenta Vetera ex propria virtute, secundum quod ly *propria* distinguitur ab ea, quæ per Christum deriuatur, causare gratiam, manifestum est ex dictis, & est de fide. Secunda etiam conclusio patet ex dictis, Quia impossibile est, quod virtus causatiua gratiæ per Christum & à Christo deriuetur ad Sacramenta, quæ ipsum præcesserunt, ergo non potuit virtus Christi causatiua gratiæ copulari per sacramenta antiqua, mediante efficientia & vsu exteriorum rerum; ergo solùm mediante virtute, quæ copulatur & applicatur per actum interiorem Animæ, scilicet per fidem.

Tertia conclusio ostenditur à D.Th. Quoniã certum est Patres antiquos habuisse iustitiã per fidem Mediatoris; cùm *non sit aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri*, Act. 4. 12. Et *ipse est Saluator omnium hominum*, 1. Timoth. 4. 10. Et *Agnus occisus ab origine mundi*, Apoc. 5. 12. *Et gratia & veritas per Iesum Christum facta est, de cuius plenitudine omnes accipiunt*, Ioan. 1. 17. Est ergo certum quod per fidem Mediatoris iustificati sunt Patres, & ex Christo & per Christum habuerunt gratiam; non autem applicabatur eis gratia Christi per efficientiam virtutis eius, sed per actum Animæ, qui est fides (& loquimur de fide viua) ergo Sacramenta quibus vtebantur Patres, non erant applicatiua efficienter virtutis Christi, sed protestatiua fidei, seu actus interioris, quo apprehendebatur & applicabatur virtus Passionis Christi; & ideo dicitur Rom. 4. 11. Quod *signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei.* (Sacramenta vetera, virtute fidei Passionis Christi iustificabant, non ipsa à se.)

Quarta conclusio probatur, Quia Circumcisio operabatur vt Sacramentum Veteris Legis, & ante exhibitam Passionem Christi; ergo non poterat causare gratiam ex communicatione virtutis eius, sed mediante actu Animæ, quo fides passionis Christi habebatur; & ipsa Circumcisio, inquantum signum protestatiuum huius fidei, applicabat paruulo, vel adulto gratiam iustificantem; Et ideo dicitur Circumcisio *signaculum iustitiæ fidei* citato loco ad Rom. quia videlicet tanquam signum fidei Passionis Christi iustificabat, quoscumque iustificabat.

DVBIVM VNICVM.

Circa 2 Conclusionem.

An Sacramenta Antiquæ Legis (præsertim Circumcisio) darent aliquando gratiam ex opere operato?

CONCLVSIO EST NEGATIVA.

IN qua difficultate tria inuoluuntur; Primum de ipso effectu Sacramentorum Antiquorum, An videlicet causarent gratiam? Secundum de modo conferendi illam extra meritum operantis, vt quando dabatur paruulis; An scilicet absolutè dicendum sit illam causasse ex opere operato? Tertium de dispositione quam ad id requirebant, quando dabantur cum opere operantis.

Antequam verò hæc tria explicemus, duo tanquam certa supponenda sunt. Primum est, Quod illa Sacramenta Antiqua, saltem ex opere operantis, valebant ad gratiam, sicut quælibet alia actio religiosa. Secundum est, Quod etiam extra opus operantis valebant ex se illa sacramenta ad munditiam, seu sanctitatem legalem, quæ vocabatur Munditia carnis, vt dicitur ad Hebr. 9. 9. *Solummodò in cibis & in potibus, & in variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis.* Dicuntur autem iustitiæ carnis, non quia solum carnis sordes tergerent, sicut qui modò lauat corpus suum, sed etiam quia per illas cæremonias tollebantur aliqua impedimenta, & quasi irregularitates, quibus homines minus apti & idonei erant ad diuinum cultum, & ad ingres- (Iustitiæ carnis.)

sum templi; Ideoque talibus sacrificiis & ritibus purgabantur, quibus totus Leuiticus plenus est.

Quod verò susceptio talium Sacramentorum, saltem ex opere operantis, ad gratiam obtinendam vel augendam deseruiret, communiter sentiunt Theologi cum sancto Thoma in 4. dist. 1. quæst. 1. art. contra Magistrum Sententiarum in eadem dist. Et ratio est manifesta, Quia susceptio illorum Sacramentorum vt erat opus procedens ab operante, erat actio religiosa, & protestatiua fidei & cultus diuini; ergo si fieret ab existente in charitate, erat meritoria, sicut quælibet alia actio virtutis; igitur tales actiones ex objecto bonæ erant, sicut quilibet alius actus religionis & obedientiæ, & protestationis fidei.

Sacramenta Vetera, ipsa ad iustitiam vtilia.

Nec obstat quod dicat Apostolus, *Iustificari hominem ex fide sine operibus Legis*, Rom. 3. 23. Et quod *Abraham iustificatus est, non ex operibus, sed ex fide*, Rom. 4. 2. Hoc (inquam) non obstat; Aliud enim est, quod opera illa ex vi Legis non iustificent, aliud quod non iustificent ex fide; Ex se enim opera illa, & quatenus à Lege purè manifestante præceptum, & prohibente peccatum, fiunt, non habent vim, *Lex enim iram operatur*, Rom. 4. 15. *& imputari facit peccatum*, Rom. 5. 13. Cæterum ea opera si procedant à fide & charitate operantis, id est, à fide viua, sic non est dubium iustificare, seu conferre ad meritum ratione operis operantis, seu principij a quo procedunt per fidem viuam. Vnde & Apostolus Rom. 3. 28. postquam dixerat, *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus Legis*, subdit postea, *Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem: Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed Legem statuimus.* In quibus verbis manifestè declarat Apostolus, quod Circumcisio & Lex, seu opera Legis, si ex fide fiant, per fidem iustificant; & in ea statuitur Lex, non destruitur.

Opera Legis ex fide, ipsa sancta.

His ergo suppositis, circa illud primum punctum licèt variè senserint Antiqui, quorum Alij existimabant per Circumcisionem, quando non interueniebat opus operantis, vt in paruulo, remitti originale peccatum, sed non dari gratiam; Alij dari gratiam quoad effectus priuatiuos, sed non positiuos; Alij verò dari gratiam, quæ remitteret culpam, non tamen, quæ haberet efficaciam reprimendi concupiscentiam.

Veterum opiniones de Circumcisionis effectu.

Licèt, inquam, varietas hæc fuerit apud Antiquos, tamen post D. Thomam, qui omnes istos modos impugnauit 3. p. quæst. 70. art 4. constat clarè, quod in Circumcisis gratia dabatur quoad omnes effectus suos, tam priuatiuos quàm positiuos. Remissio enim peccati sine infusione gratiæ fieri non potest, juxta illud Rom. 3. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et iterum Rom. 7. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei, &c.* ergo & ius ad vitam æternam, iuxta illud Rom. 6. 23. *Gratia Dei, vita æterna.* Et, *Quorum est adoptio filiorum*, Rom. 9. 4. Et, *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, Rom. 8. 14. Ac denique gratia quæcumque, cùm per charitatem sibi conjunctam diligat Deum super omnia, habet vim ad resistendum peccato, & superandam concupiscentiam, *Quia plenitudo Legis est dilectio*, Rom. 13. 10. Et ita dilectio vera & supernaturalis Dei super omnia, implet legem & mandata omnia, & consequenter vincit concupiscentiam, quæ resistit Legi, cuius adimpletio est charitas.

S. Thomæ vera Sententia & vna recepta.

Igitur pro certo habendum est, Quod in Circumcisione, etiam extra meritum & opus operantis, dabatur justificatio & gratia, & quoad effectus priuatiuos, vt remittere culpam; & quoad priuatiuos formales, vt facere hominem gratum, & dignum vitæ æternæ; & quoad effectiuos, vt superare concupiscentiam, & implere mandata.

Circumcisio causabat Gratiam paruulis, ex opere operato, non actiuè, sed passiuè.

Quoad secundum punctum, scilicet de modo quo gratia illa collata est extra meritum & opus operantis, vt quando dabatur paruulis, An dicendum sit quod daretur ex opere operato? Et supponendum est tanquam certum, quod ad remittendum peccatum originale non erat necessarius actus fidei, siue ipsius personæ, cui fiebat remissio, siue alterius à quo offerebatur, quasi per actum istum internum fieret iustificatio; Si enim requireretur actus internus ipsiusmet hominis, qui iustificabatur, paruuli essent relicti sine remedio, quia non poterant habere actum interiorem. Si autem requireretur actus internus saltem alterius hominis, qui offerebat paruulum, vt per actum offerentis justificaretur, jam Circumcisionis mysterium non remitteret originalem culpam, quod negat Innocentius III. in cap. *Maiores, de Baptismo*; & contra Aug. & communem sententiam Patrum, qui dicunt *hoc fecisse Circumcisionem in Lege Veteri, quod Baptismus in Noua.* Est ergo certum, quod exterius illud signum, & non actus internus erat; ratione cuius conferebatur gratia.

Et inquirimus quomodo illam conferebat; quando dabatur extra meritum operantis, vt quando paruulus iustificabatur? Relictis autem pluribus modis dicendi, qui ad quatuor reduci possunt; Aliqui enim distingunt inter Circumcisionem & remedium Legis Naturæ; & Circumcisionem dicunt conferre gratiam, sicut nostra Sacramenta, remedium autem legis naturæ non; Durandus quidem, quia censet nostra Sacramenta conferre gratiam tanquam conditionem requisitam, solùm autem Deum efficienter; & ideo æquiparat illis circumcisionem; remedium verò legis naturæ non censet fuisse sacramentum externum. At verò Paludad. censens nostra Sacramenta physicè operari gratiam, idem concedit Circumcisioni, negat verò remedio legis naturæ. Alij autem vt Scotus, tam de Circumcisione, quàm de remedio legis naturæ, dicunt contulisse gratiam ex opere operato.

Variæ opiniones de Circumcisione & remedio Legis Naturæ.

Alij, vt sanctus Thomas, negant vtrique Sacramento, tam Legis Naturæ quàm Circumcisioni operationem gratiæ ex opere operato, sed solùm fuisse signum fidei passionis Christi, ad cuius præsentiam Deus causabat gratiam. Inter eos autem qui sanctum Thomam sequuntur, Quidam censent ita dedisse Circumcisionem gratiam sine opere operantis, vt etiam adultis vltra propriam dispositionem dederit aliquam gratiam, præter opus operantis; si verò essent solùm attriti, dabat primam gratiam, & faciebat eos contritos. Alij verò dicunt, Circumcisionem & remedium Legis Naturæ, solùm dedisse gratiam sine opere operantis paruulis, adultis verò iuxta modum suæ dispositionis; & si cum contritione non accedebant, non iustificabantur.

Pro explicatione ergo horum, & vt sciamus quomodo loquendum sit, Aduertendum est, quod

Opus operatum actiuè & paſſiuè.

dare gratiam ex opere operato poteſt intelligi dupliciter; ſcilicet *actiuè*, & *paſſiuè*. *Actiuè* datur gratia ex opere operato, quando id quod præter meritum operantis dat gratiam, habet *actiuè* illam influere & conferre, ſicut modo Baptiſmus. Diſtinguitur enim opus operantis & opus operatum ſecundum ordinem ad duo, quæ ad noſtram iuſtificationem concurrunt. Concurrit enim diſpoſitio noſtra, qua à peccato conuertimur ad Deum; & hæc eſt opus operantis; concurrit etiam ſatistisfactio Chriſti, qui eſt fons gratiæ, *de cuius plenitudine omnes accipimus*, Ioan. 1. 16. Hæc autem actiuitas, & valor Chriſti ad dandam gratiam, & eſt moralis in ratione ſatisfactionis, & phyſicus vt inſtrumentum Dei; & licèt non communicaretur inſtrumentis actiuitas phyſica, ſi tamen communicaretur moralis, eſſet opus operatum actiuum; quia *actiuè*, & ſecundùm valorem proprium habet communicare gratiam: *paſſiuè* autem datur gratia ex opere operato, quando datur quidem gratia præter meritum operantis, non tamen quia ipſum ſacramentum *actiuè* influat gratiam, ſed ſolus Deus *actiuè* influat, ſacramentum verò nullam actiuitatem habeat, ſed ſolùm ad paſſiuam eius ſuſceptionem Deus gratiam producat.

Vetera Sacramenta non cauſabant gratiam ex opere operato actiuè.

Igitur cauſare gratiam ex opere operato *actiuè*, nullo modo poteſt communicare Sacramentis Antiquis, ſed ſolùm Nouæ Legis Sacramentis: Cuius ratio eſt, tum ex definitione Concilij Florentini in Decreto Eugenij, vbi definitur differentiam eſſe inter noſtra Sacramenta & Sacramenta Legis Veteris, quod *illa neque gratiam continebant, neque conferebant, ſed per Chriſtum dandam figurabant; Noſtra verò, & continent, & conferunt gratiam*: ergo ſacramenta antiqua nullo modo conferebant gratiam ex opere operato *actiuè*: Tum etiam quia non poſſunt ſacramenta aliqua magis *actiuè* concurrere ad noſtram iuſtificationem, quàm Paſſio Chriſti, cùm non poſſint ſacramenta vllam habere virtutem ad gratiam, niſi deriuatam ex Paſſione Chriſti, ſed reſpectu ſacramentorum veteris legis Paſſio Chriſti non habebat actiuitatem, & influxum actiuum; ergo neque ſacramenta illa antiqua; ſiquidem impoſſibile eſt quod participarent actiuitatem influendi niſi deriuatam à Paſſione Chriſti. Vnde & vocantur à Paulo *infirma & egena elementa*, Galat. 4. 9. quod tamen dici non poſſet, ſi virtutem haberent dandi gratiam *actiuè*, ſicut habent noſtra ſacramenta.

Nec reſponderi poteſt, In definitione illa Pontificis non includi niſi ſacramenta veteris legis, ſecundum quod veteris legis erant; Circunciſio autem, licèt ſeruierit in lege veteri, non tamen ex Moyſe fuit, ſed ex Patribus, vt dicitur Ioan. 7. 22. & ideo non fuit propriè ſacramentum veteris legis, ſed ante legem inſtituta; Et præſertim quia poſſumus in Circunciſione duo conſiderare; vnum eſt quatenùs deſeruiebat legi, & erat ſacramentum veteris legis, & ſic non habuit virtutem iuſtificandi, proceditque de ea Pontificis definitio; alio modo vt cauſabat cum remedio legis naturæ, tanquam determinatio quædam eius, & ſic de ea Pontifex non loquitur, cùm in ea definitione non loquatur de ſacramentis legis naturæ, ſed legis veteris; & conſequenter neque de Circunciſione loquitur vt pertinet ad legem naturæ.

Sed hæc reſponſio non euacuat vim decreti Pontificis; Primò quidem, quia Scriptura loquens de ineſficacia legis veteris, inter ineſficaciam eius & ſacramentorum eius numerat Circunciſionem, vt patet in Epiſt. ad Galat. præſertim cap. 5. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, Quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtificor autem omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis. Euacuati eſtis à Chriſto qui in lege iuſtificamini: à gratia excidiſtis.* Ecce pro eodem computat Apoſtolus iuſtificari in Lege, & in Circunciſione; & quod circunciſus debitor eſt legis; ergo eodem modo reprobat ab efficacia iuſtificandi Circunciſionem, ſicut Legem.

Secundò, Quia ſacramenta veteris legis perfectiora erant ſacramentis legis naturæ, cùm cognitio Dei pro tempore creuerit; & quantò magis appropinquabant ad Chriſtum, tantò perfectius illum exprimebant & ſignificabant; ſi ergo Circunciſio vt communicabat cum ſacramento legis naturæ conferebat gratiam *actiuè* ex opere operato, non debebat hanc excellentiam amittere ex eo quod pertinebat etiam ad legem veterem, cùm hæc non haberet ſpecialem repugnantiam ad dandam iſtam gratiam, quam non haberet ſacramentum legis naturæ.

Omitto reſponſionem Aliorum, qui dicunt Circunciſionem non dediſſe gratiam quatenùs non aperiebat ianuam regni cœlorum, quam tamen Baptiſmus aperit; Non enim Pontifex differentiam inter noſtra ſacramenta & vetera, ponit ex parte huius effectus, qui eſt aperire ianuam cœli, ſed ex parte gratiæ dandæ, quam dicit nec dediſſe, nec continuiſſe; ergo non bene explicatur decretum Pontificis, per hoc quod non aperuerit ianuam regni cœleſtis. Effectus enim hic dependebat ab extrinſeca cauſa, ſcilicet à reali exhibitione ſatisfactionis pro peccato; ſi autem in proprio & per ſe effectu ſacramentorum, qui eſt collatio gratiæ, communicabant ſacramenta antiqua & noſtra, quia vtraque actiuè illam dabant, ceſſat differentia aſſignata à Pontifice, qui in proprio ſacramentorum effectu illam aſſignauit. Vnde non poſuit differentiam in peculiari effectu huius aut illius ſacramenti, ſed in effectu communi omnium; ſcilicet gratia; malè ergo reſtringitur ad effectus particulares huius aut illius ſacramenti, de quibus Pontifex non eſt loquutus; ſed in effectu communi omnium (ſcilicet gratia) differentia aſſignanda eſt. Vide ſanctum Thomam in 4. diſt. 1. quæſt. 2. art. 6. ad 2.

Circunciſio ex opere operato paſſiuè conferebat paruulis.

Secundò autem dicendum eſt, Circunciſionem dediſſe paruulis gratiam ex opere operato *paſſiuè*. Ratio eſt, Quia Deus cauſabat in illis gratiam ad ſuſceptionem Circunciſionis præter omnem actum & meritum operantis; ergo dabatur gratia ex opere operato *paſſiuè*. Patet conſequentia, Quia conferri gratiã ex opere operato *paſſiuè*, eſt ſolum Deum *actiuè*, dare talem gratiam, mediante aliquo opere, quod non ſit meritum operãtis. Antecedens autem probatur, Nam certum eſt paruulos per Circunciſionem, & remedium legis naturæ fuiſſe iuſtificatos, & quod illis remitteretur originale peccatum, vt determinat Innocentius Papa *in cap. Maiores, de Baptiſmo*: Circunciſio autem non conferebat eam iuſtificationem mediante merito ipſius ſuſcipientis, quando ſuſcipiens erat paruulus, vt patet. Nec mediante merito offerentis, aut merito Eccleſiæ, tum quia eſſet valde incerta iuſtificatio paruuli, ſicut eſſet incertum, An offerens vel miniſter tunc haberet meritum; tum quia

meritum Ecclesiæ non potest mereri de condigno alteri primam gratiam, cùm hoc sit proprium Capitis; solùm autem potest impetrare, aut de congruo gratiam mereri, quod non fit nisi mediante motu illius, cui conferenda est talis gratia, quod in paruulis locum non habet. Alias autem si sine tali motu possent ipsi mereri primam gratiam, posset & modò Ecclesia mereri paruulo aut dormiēti primamgratiam, cùm non sit minoris merni Ecclesia modò quàm tunc; posset etiā Ecclesia iustificare paruulos suos sine externa cœremonia per solum actum internum, sicque non indiguisset sacramentis pro paruulis suis.

Denique impossibile est, quod gratia quæ confertur paruulis, innitatur meritis Ecclesiæ, sed Christi; ergo non dependet à meritis Ecclesiæ collatio talis gratiæ, sed ex fide Christi dabatur, protestando illam signo externo; & ita talis externa protestatio, seruiebat ad hoc vt ea *passiuè* suscepta, Deus solus gratiam infunderet, non tamen ipsi signo actiuitatem producendæ gratiæ conferret.

Circuncisio non dabat gratiam adultis ex opere operato.

Adultis Sacramenta, nec passiuè ex opere operato gratiā conferebant

Quoad tertium punctum Dicendum est primò. Quod adulto, quando conferebatur Circuncisio, aut remedium legis naturæ, non dabatur amplior gratia, quam eius exigeret dispositio, & ex opere operato *passiuè*; vnde si nullam dispositionem afferebat, sed tantùm attritionem (vbi gratia) non faciebat ex attrito contritum. Et in summa, tantum conferebat adulto susceptio Circuncisionis, quantum aliud opus bonum, si fieret ab eo. Hæc est contra Cabrera hic dub. 1. §. 6. Est tamen Magistri Nuño infr. quæst. 70. art. 2. dub. 2. conclusione 4. Et Suarez hic dispur. 10. sect. 1.

Et fundamentum eius est, Quia sacramentum ipsum non erat principium *actiuè* influens gratiam, nec habens adiunctam actiuitatem ad dandam gratiam, sicut habent nostra sacramenta, sed solus Deus ad præsentiam & susceptionem illius gratiam causabat, ergo vt adultus ad susceptionem & præsentiam illius sacramenti iustificaretur, debebat habere dispositionem, perinde ac si non iuuaretur aliquo modo ab illo sacramento, sed eo modo, quo respectu solius Dei infundentis gratiam requiritur dispositio; respectu autem solius Dei infundentis gratiam requiritur, quod subiectum disponatur dispositione proportionata ad formam, quæ infunditur; Ergo nisi hac dispositione dispositum esset tunc subiectum, non haberet gratiam à Deo; Nec enim erat alia causa præter Deum influens tunc gratiam, ratione cuius ea adhibita in subiecto non habente repugnantem dispositionem, deberet gratia infundi. Licèt autem Deus se solo extra sacramentum possit gratiam dare vltra propriam dispositionem, vel etiam sine proportionata dispositione, tamen non est aliquod fundamentum, vt id asseramus fecisse in lege veteri, in qua gratia non ita largè dabatur sicut in ista; ergo neque Deus se solo dabat gratiam adulto, & iustificabat iustificatione adulti nisi mediante dispositione eius.

Et quidem si Deus se solo dabat gratiam vltra propriam dispositionem, & faciebat ex attrito contritum, quid minus habebant homines in illa lege quàm modò, quantum attinet ad iustificationem adultorum? Quod enim id non faceret tunc mediante instrumento, sicut modò, nihil refert; dummodo sine instrumento habeant homines à Deo eandem gratiam, quam modo. Non enim legis suauitas, & gratiæ effusio in eo est, quod per instrumenta detur, vel non detur; sed in eo quod detur, siue mediante instrumento, siue non; ergo æqualis gratia dabatur ad iustificandum adultum tunc, sicut modò, licèt differentia esset in instrumento, per quod dabatur. Et quidem si in lege gratiæ Deus sine instrumento non facit ex attrito contritum, neque vltra propriam dispositionem dat gratiam, quomodo putandum est sine instrumento aliquo id fecisse in lege veteri, solùm ad præsentiam alicuius, quod se habebat merè passiuè in ordine ad gratiam.

Itaque ex imperfectione illius legis, & deficientia gratiæ, & infirmitate sacramentorum, quæ erant vacua, accipiendum est, quod in iustificatione adulti non nisi conformiter ad dispositionem subiecti gratia dabatur. In paruulis autem ob necessitatem, quia illi se disponere non poterant, nec peccatum propria voluntate contraxerant, dicendum est quod gratia dabatur præter meritum operantis, & ex opere operato *passiuè*. Ad iustificationem verò adultorum id extendere non est fundamentum, cùm illa sacramenta non essent actiua gratiæ, & Deus se solo nunquam gratiam det de lege ordinaria, nisi conformiter ad suscipientis dispositionem.

Et si quæras, Quomodo fides Christi in Circuncisione concurrebat ad remittendum peccatum? Respondetur, Quod per quandam continuationem, & relationem ad Christum Mediatorem, de quo vide sanctum Thomam in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 6. vbi dicit, Quod fides non iuuabat paruulum, vt erat actus personæ, sed ex parte obiecti, quod respiciebat; in quo communicabat cum nostris sacramentis, inquantum iustificabat ex obiecto quasi ex opere operato; Et in hoc fundatur illa distinctio, *de opere operato actiuè*, vel *passiuè*.

Secundo dicendum est, Quod respectu paruulorum non erat necessaria actualis dispositio ex parte Ministri, aut parentis, vel offerentis paruulum; sed si cum debita intentione facerent, quod per illud signum externum Deus instituerat, aut Ecclesia determinauerat, iustificabatur paruulus, etiamsi Minister fidem non haberet, aut alium actum interiorem. Ratio est, Quia sicut Baptismus modò cum debita intentione datus, non pendet à bonitate Ministri, quod habeat effectum suum, ita Circuncisionis effectus, non fundabatur in bonitate Ministri, sed in misericordia Dei, qui per fidem Christi eo signo protestatam, iustificabat paruulum; ergo quantumcumque careret Minister bonitate, si faciebat cum debita intentione quod fideles communiter faciebant, paruulum iustificaret.

Nec fides nec meritū Ministri necessaria paruulis, sed debita solùm intentio.

Et præterea, Quia aliàs remedium paruulorum esset valde incertum, si remissio originalis dependeret à bonitate Ministri; sicut modò esset valde incertum remedium Baptismi, si dependeret à bonitate conferentis; ergo sicut modò non requiritur bonitas Ministri, sed intentio cum debita forma & materia, ita tunc in Circuncisione non operabatur bonitas Ministri, aut offerentis, vel etiam Ecclesiæ (cùm in his non fundaretur effectus Circuncisionis, sed in promissione Dei facta susceptioni sacramenti) sed solùm susceptio illa cum debita intentione Ministri.

Vnde constat, Quod si aliquis se circunciderer,

non intentione faciendi quod faciebant fideles, sed A alio ritu aut intentione, sicut plerique Gentiles circuncidebantur, tales non iustificabantur, quia sacramentum non conficiebant. Si ergo contingeret in populo Iudaico circuncidi infantem sine debita intentione, tunc vel aliquid amplius circuncidendum esset de pellicula, si commodè fieri posset, vt aliqui dicunt, vel applicandum esset infanti remedium legis naturæ, sicut applicabatur fœminis, aut etiam masculis ante octauum diem, si periculum vitæ immineret; Nam quoad externam designationem, quæ fiebat in carne, sufficienter manebat designatus, etiamsi sine intentione esset facta circuncisio, & moraliter iam ille B non poterat amplius circuncidi; sicque aliud externum signum fidei protestatiuum adhibendum erat, quale vt dixi fœminis in eodem populo adhibebatur.

Soluuntur Argumenta.

Sed objicies primò, Circuncisio causabat gratiam in paruulo sine media aliqua dispositione eius; ergo ex opere operato. Consequentia patet, Quia nullus requirebatur actus operantis ad habendam talem gratiam, ergo dabatur præcisè ratione operis operati.

Confirmatur, Quia vt sacramenta dicantur conferre gratiam ex opere operato, non est necesse C quod ipsa habeant influxum actiuum ad dandam talem gratiam, sed sufficit quod ita infallibiliter habeant illam annexam, quod ad præsentiam illorum Deus gratiam conferat, & non medio opere ipsius operantis; sed hoc modo se habebat Circuncisio, ergo ex opere operato conferebat gratiam; Minor constat, Quia Circuncisio ita habebat infallibilem promissionem iustificandi paruulum, sine aliquo ipsius actu, sicut nunc Baptismus, ergo. Major ostenditur, Quia etiamsi nostra sacramenta physicè non influant gratiam, sed solùm moraliter, vt quidam tenent, adhuc debet saluari quod ex opere operato dent gratiam; & tamen tunc solùm Deus ad præsentiam illorum D causaret gratiam, ipsa verò non causarent illam; ergo eodem modo, si Circuncisio habebat adjunctam infallibilem promissionem gratiæ, licèt solus Deus ad præsentiam illius eam causaret, diceretur ex opere operato conferre; siquidem independenter ab opere operantis dabatur per Circuncisionem gratia.

Confirmatur secundò, Quia conferre gratiam ex opere operato, est conferre gratiam vi sua, & secundum causalitatem sui generis sine dependentia à suscipientis dispositione; sed Circuncisio erat causa moralis gratiæ independens à dispositione suscipientis, ergo dabat illam ex vi sua, in eo genere in quo est causa, scilicet vt causa moralis; ergo absolutè illam dabat ex opere E operato; Ad hoc enim non requiritur quod vt causa physica gratiam præbeat, nec vt causa principalis, sed quod in eo genere, in quo est causa, ex vi sua, & non mediante dispositione suscipientis ea conferatur à Sacramento.

Respondetur ad principale Argumentum, distinguendo consequens; Ex opere operato passiuè, concedo; actiuè, nego. Et similiter ad probationem dicitur, Quod licèt non requirebatur aliquis actus ex parte operantis, & solùm dabatur ratione susceptionis sacramenti, non tamen actiuè præbente gratiam tali operi operato, idest, sacramento suscepto; sed ipsa susceptione passiuè se habente, Deus solus causabat gratiam in anima.

Ad primam confirmationem respondetur, Quòd vt conferatur gratia ex opere operato actiuè, non sufficit quod ad præsentiam aliquorum Deus causet gratiam, sed requiritur quod actiuè etiam ipsa se habeant ad gratiam dandam in suo genere, id est, eo modo quo sunt causæ: Vt autem ex opere operato passiuè gratia conferatur, sufficit quod ad positionem eorum Deus gratiam conferat. Ad probationem majoris dicitur, Quod etiamsi nostra Sacramenta solùm essent causæ morales gratiæ, longè tamen à Circuncisione & antiquis sacramentis differrent, quia sacramenta antiqua non continebant valorem pretij redemptionis nostræ, & gratiæ per Christum dandæ; nostra autem sacramenta valorem illum continent; Sicut nummus continet valorem, quem Respub. aut Princeps illi confert; quæ continentia moralis reducitur ad actiuitatem, seu efficientiam moralem; sacramenta autem antiqua non se habent vt causæ morales actiuè, sed vt conditiones moraliter requisitæ, ad quarum positionem Deus gratiam conferebat. *Nouorum Veterumq; Sacramentorum discrimen, in opere operato.*

Vnde valorem non habebant, cui corresponderet particularis & specialis gradus gratiæ, præter opus ipsius operantis; & sic erant vacua elementa, ad quorum positionem licèt Deus daret gratiam, non tamen ipsa habebant valorem, vt ratione illius peculiariter eis corresponderet gratia; sed id totum mediante opere operantis mensurabatur; At verò nostra Sacramenta, etiamsi physicè non causent gratiam (quod impertinens est ad rationem operis operati) tamen continent valorem ad gratiam, nec illum solùm expectant à dispositione nostra; & ideo vltra propriam dispositionem, correspondet eis gradus gratiæ peculiaris. Et sicut actus contritionis & pœnitentiæ, licèt physicè non concurrat ad productionem gratiæ, tamen ratione illius datur gratia, & secundum valorem eius mensuratur gratia, quæ datur; sic licèt nostra Sacramenta physica instrumenta non essent, si tamen valorem habent, cui gratia commensuretur vltra propriam dispositionem, dicuntur ex opere operato actiuè dare gratiam; quia habent valorem, cui gratia correspondet, vltra dispositionem recipientis; qui valor actiuus est in genere causandi moraliter, licèt physica actiuitas non sit.

Ad rationem ergo operis operati, non per se pertinet actiuitas physica instrumentalis, sed sufficit actiuitas moralis, & valor, cui per se correspondeat gratia; quam tamen actiuitatem sacramenta antiqua non haberent, cùm nondum esset exhibitus valor Passionis Christi; & consequenter nec eis collatus; sed solùm in genere morali se habebant vt conditio sine qua non, & potius vt fideiussiones Passionis Christi, ad quarum positionem dabat quidem Deus gratiam, non commensuratam valori eorum, sed dispositioni suscipientis; & ideo dabatur gratia veluti *al fiado, ò al prestado*, dependenter à Passione Christi. Et ita cùm totus valor, cui commensurabatur gratia danda, corresponderet operi operantis, non dicebantur simpliciter illa sacramenta dare ex opere operato actiuè gratiam; neque actiuitate physica, neque morali; dicebatur tamen ex opere operato passiuè dare, quia ad susceptionem illorum sine actu suscipientis in paruulo, à solo Deo gratia conferebatur, ipsis tamen sacramentis nullam actiuitatem, nec physicam nec moralem, conferentibus.

Ad secundam confirmationem Respondetur,

Quod conferre vi sua actiua, est conferre gratiam ex opere operato *actiuè*; Sacramenta autem antiqua, etiam in eo genere causandi moraliter, non habebant vim actiuam, sed solùm erant conditiones quædam, & protestationes fidei, ad quarum præsentiam Deus causabat gratiam. Vnde non continebant moralem valorem, sicut nostra, vt ratione eorum corresponderet eis particularis gradus gratiæ, præter dispositionem operantis. Vnde licèt daretur gratia aliquando sine opere operantis, non tamen dabatur ab ipsis sacramentis, etiam in genere causæ moralis; sed Deus ad præsentiam passiuam eorum dabat; Non quod Deus in genere causæ moralis, & non physicæ daret, sed quod ipsa sacramenta non dabant illam, quia non importabant valorem, cui gratia corresponderet; & ideo licèt daretur ad præsentiam illorum, non tamen ipsa dabant; Nostra autem Sacramenta, etiamsi physicè non causarent gratiam, tamen in genere causæ moralis causarent illam, quia valorem habent ad illam; & ita dicuntur dare gratiam.

Secundò arguitur, Non est dare medium inter conferre gratiam ex opere operato, & ex opere operantis; ergo si verè saluatur quod Sacramenta Antiqua darent gratiam non ex opere operantis, vt in paruulis, restat quod illam dederint ex opere operato. Antecedens probatur, Nam gratia semper datur a Deo ratione alicuius operis; opus autem ratione cuius datur gratia, vel debet fieri ab ipso suscipiente gratiam, vel ab alio supponitur factum; inter hæc enim non est dare medium; Opus autem quod fit ab ipso suscipiente gratiam, dicitur opus operantis, & opus factum ab alio, ratione cuius huic datur gratia, dicitur opus operatum. Sacramenta autem Antiqua non dabant gratiam ratione operis facti ab ipso suscipiente, quando ea dabatur paruulis, ergo ratione operis operati.

Confirmatur primò, Quia signum practicum necessariò debet esse factiuum eius, quod significat; sed Circuncisio erat signum practicum gratiæ, ergo effectiuum eius. Maior manifesta est, Quia non est alia differentia inter signum practicum & speculatiuum, nisi quod hoc tantùm significat, & repræsentat suum significatum; illud autem non solùm significare & repræsentare habet, sed etiam operari. Minor autem constat ex supradictis quæst. 60. vbi ostendimus de ratione Sacramenti esse quod sit signum practicum gratiæ.

Confirmatur secundò, Fides protestata per Sacramenta causabat gratiam moraliter in illis sacramentis, ita quod non solùm se habebat vt conditio, sed vt vera causa in genere morali; sed ad id non sufficiebat fides nisi vt protestata in sacramentis externis; ergo ipsa protestatio sacramentorum non solùm vt conditio; sed vt causa moralis conferebat gratiam. Præsertim quia protestationes illorum Sacramentorum erant tanquam fideiussiones, & promissiones gratiæ. fideiussio autem causa moralis est, & non solùm conditio eius, quod datur, cùm secundum valorem fideiussionis detur id quod datur.

Confirmatur tertiò, Quia in lege veteri & naturæ plura sacramenta erant per se instituta ad remissionem peccati originalis & actualis, vt supra quæst. 61. determinatum est; ergo per se ordinabantur ad primam gratiam; siquidem remissio horum peccatorum, non fit nisi per primam gratiam; & consequenter erant sacramenta mortuorum secundum proprias rationes, & primam sui institutionem; ergo aliquando deberent dare primam gratiam; alias frustrarentur semper effectu, ad quem per se primò ordinata erant; Non poterant autem dare primam gratiam, quæ est effectus ad quem per se ordinantur, si necessariò & per se supponebant contritionem in subiecto; ergo illis sufficere debebat attritio, vt effectum per se primò institutum darent; Sacramentum autem quod facit ex attrito contritum, habet dare gratiam ex opere operato vi sua, & non vt conditio; ergo id communicabatur antiquis sacramentis.

Respondetur ad principale Argumentum, Quod conferre gratiam ex opere operantis, & ex opere operato, si sumatur ly opus operatum actiuè, & vt sumitur communiter, non sunt immediatè opposita, sed datur medium, scilicet dare gratiam ex opere operato passiuè, quod simpliciter non est dare, sed ad præsentiam illius ab alio dari. Itaque certum est, quod illud opus, ratione cuius Deus dat gratiam, vel debet esse opus operatum, vel opus operantis; Cæterum quod hoc opus operatum actiuè se habeat ad dandam illam gratiam, siue moraliter siue physicè, hoc non est necesse, & hoc solùm modò negamus, Circuncisionem non dedisse gratiam paruulis ex opere operato, quamvis dederit illam ex opere operato passiuè; idest, ad passiuam eius susceptionem Deus dederit paruulo, ipsa Circuncisione non conferente vim actiuam, nec physicè nec moraliter.

Ad primam confirmationem respondetur, Non esse de ratione signi practici quod ipsummet signũ effectiuè sit operatiuum sui significati, sed sufficit quod habeat pro fine opus; Sicut enim intellectus practicus est, qui habet pro fine opus; & ad hoc sufficit quod dirigat ad opus, licèt non efficiat illud; sic signum practicum est quod habet pro fine opus, licèt non efficiat illud; Nihil enim amplius habet signum practicum, quàm explicare & repræsentare intellectum practicum, & eo modo quo intellectus practicus se habet ad obiectum suum, eo modo in repræsentando se habet signum practicum ad suum signatum. Quandocumque ergo signum aliquod non habet solùm pro fine ipsum repræsentare, seu facere cognoscere, sed vlterius ordinatur ad aliquod opus extra præcisam cognitionem, practicum est, & non solùm speculatiuum, siue ipsum signum opus illud exequatur, siue non; hoc enim non pertinet ad rationem signi practici, licèt si illud habeat perfectius signum practicum erit. *Sacramenta Vetera verè signa practica, etsi non efficiant.*

Sufficit ergo ad signum practicum, quod ita ordinetur ad opus, vt in eius exercitio fiat tale opus; & eius significatio ordinetur, vt ratione eius aliquid præter cognitionem habeatur, aut obtineatur. Vnde promissio exterior, & fideiussio, cæteraque signa, quibus contractus perficiuntur, sunt signa practica, quamuis non efficiant id quod promittitur aut donatur. Et similiter traditio annuli, constituit & inuestit Episcopum; & traditio baculi Abbatem, & sunt signa practica, quamuis non efficiant Episcopatum, aut Abbatialem dignitatem, &c. Nec intellectus ipse practicus oportet quod efficientiam habeat in obiectum exterius, circa quod versatur; quidquid sit de efficientia quam habet in voluntatem aut alias potentias; Et similiter neque signum practicum in obiectum significatum debet habere efficientiam.

Quando ergo dicitur in Argumento, Quod signum practicum debet operari id quod significat;

distinguo ly *operari*; per seipsum id exequendo & efficiendo, nego; habendo ipsum opus pro fine suæ significationis, etiamsi alio exequente & efficiente, concedo; & sic saluatur signum practicum quando habet has duas conditiones; scilicet quod non solùm ordinetur ad repræsentandum intellectui & faciendum cognoscere, sed etiam ad opus; & deinde si in exercitio talis signi detur, seu fiat id quod significat (etiamsi ab alio procedat) Perfectius tamen practicum signum erit, si á seipso procedat & fiat ipsum opus.

Signum practicum absolutè, & perfectum.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod alia ratio erat de fide, alia de protestatione eius externa: Fides enim habebat Christum in intentione, & vt obiectum cognitum; & ideo mediante fide, Christus per modum intentionis & finis causabat sanctificationem; qui modus continendi Christum erat sufficiens, vt in genere morali diceretur causare. At verò ipsis signis externis non communicabatur virtus, seu valor Passionis Christi per modum intentionis; Rebus enim sic externis non potest per modum intentionis aliquid communicari, nec sunt capaces moralitatis illius. Et alias non poterat communicari valor ille vt exhibitus, & secundum virtutem efficientem; quia nondum Christus passus erat; vnde non operabatur actiuè, nec physicè nec moraliter, cùm tamen magis esset capax fides huius communicationis per modum intentionis factæ, quàm externa signa.

Nec obstat quod se habebant vt fideiussiones, & promissiones Christi futuri; Non enim in ipsis externis signis erat valor fideiussionis, sed in fide; ipsa vero solùm erant protestationes talis fidei. In fideiussione ergo duo possumus considerare, Vnum est ipse valor fideiussionis, aut promissionis factæ; Aliud est scriptura, seu testimonium talis fideiussionis: hoc concurrit moraliter vt conditio; illud vt causa. Sic in Sacramentis Antiquis, ipsa signa & externa elementa se habebant vt scriptura fideiussionis, & sic concurrebant vt conditio moralis; fides verò Christi venturi, erat valor in quo fusè habebatur remissio peccatorum, & pacificatio hominis ad Deum.

Ad tertiam confirmationem dicitur, Quod illa Sacramenta, quæ erant instituta ad remissionem peccati, vel originalis vel actualis, non erant instituta vt habentia vim & actiuitatem ad talem remissionem; & ideo nec correspondebat illis remissio peccatorum, vt proprius effectus per se ab eis pendens, & efficiendus; sed instituebantur vt signa, & protestationes requisitæ ad remissionem peccati. Valor tamen & vis ad remittendum, non ex ipsis sacramentis, sed ex dispositione & contritione suscipientis, si adultus erat, sumebatur. Vnde omnes illæ consequentiæ Argumenti, non valent, quia deficiunt in illo, quod remissio peccatorum esset per se proprius effectus talium sacramentorum, cùm tamen ipsa non instituerentur ad primam gratiam tanquam per se causæ, sed tanquam per se requisita signa & conditiones: Nostra autem Sacramenta instituuntur vt per se causæ, & ideo sunt propriè sacramenta mortuorum, & faciunt ex attrito contritum; illa autem non sic, sed solùm secundùm quid sunt mortuorum Sacramenta, scilicet vt conditiones & signa.

Tertiò arguitur, Si ad remissionem peccati originalis & actualis requirebatur contritio cum sacramento Circuncisionis, ergo semper supponebatur remissum peccatum ante ipsam susceptionem Circuncisionis aut Sacramenti; & consequenter ipsa sacramenta neque actiuè, neque passiuè conducebant ad remissionem peccati, & primam gratiam dandam; siquidem ante illa sacramenta iam gratia erat data per contritionem; ergo quando suscipiebatur sacramentum, vel Deus dabat nouam gratiam ad præsentiam illius susceptionis, vel non; si dabat, ergo vltra propriam dispositionem correspondebat Circuncisioni distinctus gradus gratiæ, & sic habebat per se valorem ad dandam gratiam, quod supra negatum est; si non dabat Deus distinctam gratiam, ergo neque actiuè neque passiuè conferebant illa sacramenta ad habendam gratiam in adultis; siquidem non dabat Deus ad præsentiam illorum gratiam, sed ratione solius præcedentis dispositionis.

Confirmatur, Quia aliàs Circuncisio solùm seruiret adultis vt externa cæremonia & ritus, non vt sacramentum; siquidem non magis se habebat ad gratiam acquirendam, quam vsus alterius cuiusuis cæremoniæ religiosæ. Item nullius esset vtilitatis; Quia si supponebat semper peccatum remissum per contritionem, quam vt dispositionem requirebat, & consequenter semper supponebat primam gratiam in subiecto; Circuncisio autem ad primam gratiam ordinari debebat inquantum sacramentum, ergo si nunquam illam dabat, nec ei correspondebat alius gradus gratiæ vltra primam, clarum est quod superfluè se habebat in ordine ad gratiam. Ac denique, Quia Abraham accepit Circuncisionem in signum iustitiæ, & gratiæ collatæ ex opere operato, ergo præter opus operantis gratiam dabat etiam adultis.

Respondetur, Quod contritio non remittebat peccatum originale in adultis nisi cum ordine ad sacramentum Circuncisionis, & dependenter ab eo vt à signo externo protestatiuo fidei; & ideo contritio si antecedebat susceptionem Circuncisionis remittebat quidem peccatum, cum ordine tamen ad illam; si autem non antecedebat Circuncisionem, in eius exercitio remittebatur peccatum; ita tamen, quod à Circuncisione non habebatur valor gratiæ, & iustificationis dandæ, sed à sola dispositione & fide. Sicut ergo nostra Sacramenta, licèt dispositionem requirant ex parte nostra, non tamen remittitur peccatum sine ordine ad illa; ita & sacraméta antiqua. Est tamen ad differentia, quod in nostris, efficacia & vis ad dandam gratiam prouenit ex sacramentis; & ideo si iam inuenit gratiam in subiecto, adauget illam; In illis autem antiquis non supponebatur efficacia, & gratia ex parte sacramentorum; sed solùm erant signa exterius protestatiua fidei iustificantis; continentia tamen pactum Dei ad iustificandum; & ideo non augebant gratiam in subiecto, dependebat tamen ab illis iustificatio, vt ab externis signis, non vt ab efficacibus instrumentis gratiæ.

Circuncisio ceremonia in ordine quam dabatur gratia.

Negatur ergo, Quod neque actiuè neque passiuè conferunt gratiam; quia etsi valor & efficacia conferendi reduceretur ad dispositionem & fidem viuam, conditio tamen referebatur ad sacramenta; à quibus vt à conditione, illa eadem gratia, quæ mediante dispositione dabatur, pendebat. Quare non dabant nouam gratiam vltra propriam dispositionem; & tamen quia requirebantur eadem sacramenta vt conditiones & protestationes fidei, & in paruulis ad earum positionem Deus solus dabat gratiam, in adultis verò ad ipsorum positionem, & iuxta dispositionis propriæ valorem; ideo gratia illa, quæ dabatur per

sacramenta in paruulis, dabatur ex opere operato A passiue; in adultis verò mediante opere operantis, id est, per dispositionem propriam ipsorum, cum dependentia tamen à sacramento, vt à conditione requisitâ, & protestatione fidei iustificantis; Et ita in omnibus verificatur, quod ad præsentiam illorum dabat Deus gratiam, secundum valorem tamen dispositionis, & dependenter à sacramento.

Circuncisio verū Sacramētum, non communis ritus solùm.

Ad confirmationem Respondetur, Circuncisionem non se habuisse solum vt ritum, & cæremoniam, sed vt Sacramentum, siquidem erat signum gratiæ practicum, continens promissionem & pactum Dei, & respectu gratiæ futuræ dandæ per Christum, & respectu præsentis; quæ tamen non dabatur secundùm valorem ipsius sacramenti, sed secundum valorem fidei viuæ. Et quia dispositio suscipientis ordinari debebat ad istam protestationem externam, (quia sicut dependebat à Christo, ita & pro illo statu à sacramento protestante Christum) ideo non se habebat illa protestatio, vt quæuis alia cæremonia religiosa, sed vt sacramentum.

Ad id quod dicitur, Nullius fuisse præcisè vtilitatis Circuncisionē, si dispositionem requirebat, quæ remitteret peccatum, scilicet contritionem. Respondemus verbis Apostoli ad Rom. 3. 1. *Quid ergo est amplius Iudæo? aut quæ vtilitas Circuncisionis? Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita sunt illis eloquia Dei, &c.*

Circuncisio tum vtilis; at non ipsa ex se.

Deinde verò vt dicit cap. 4. 11. *Quia signum accepit Abraham Circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei;* & protestatio illius; quæ certè cum fide coniuncta, multæ vtilitatis erat; sine fide autem, siue se sola, vacuum erat elementum; & ideo ex illis operibus non iustificabatur Abraham. Manifestum est autem, quod illud signaculum iustitiæ fidei, requirebat pro dispositione fidem viuam, seu sufficientem ad iustificandum. Componens enim Apostolus fidem illam Circuncisioni, dicit; *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus Legis*, Rom. 3. 28. Loquebatur ergo de fide sufficiente ad iustificationem, quæ est fides viua; sine illa ergo nihil operabatur Circuncisio; ad illam verò valde vtilis erat, quia in Circuncisione erant credita eloquia Dei, (id est, tradita mysteria eius) & tunc valde efficax erat; Quia Deus iustificat Circuncisionem ex fide, & Præputium per fidem; Non ergo superfluè se habebat Circuncisio, etiamsi per se non daret aliam gratiam, quàm fides viua merebatur, aut acquirebat. Ad id quod dicitur de Abraham, constat non fuisse iustificatum ex opere operato Circuncisionis, sed ex fide; *Credidit enim Abraham Deo, & reputatum est illi in iustitiam.* Gen. 15. 6. Rom. 3. 3.

Postremò obijci possunt authoritates aliquæ; primò sacræ Scripturæ: Dicitur enim Genes. 17. 14. *Masculus, cuius præputii caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* In quibus verbis eodem modo commendatur necessitas Circuncisionis, sicut & Baptismi in illis verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*, Ioan. 3. 5. Et Leuitici 17. 15. dicuntur Sacerdotes expiare sanguine præuaricationes filiorum Israël. Et Apostolus ad Hebr. 9. 7. *Semel in anno* (inquit) *intrabat solus Pontifex in Sancta, non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia:* id est pro peccato. Et Patres communiter æquiparant Circuncisionem efficaciæ Baptismi, vt August. lib. 3. in Iulian. cap. 18. dicit, *Quod non plecteretur tanta pœna, qui non circuncidebatur, nisi à peccato, tanto illo Sacramento liberaretur.* B Et in 5. Hypgnosti. circa medium dicitur, *Quod Circuncisio gratiam Baptismi gestabat.* Et lib. 4. de Baptismo cap. 24. ait August. *Ex Circuncisione posse nos conijcere quid valeat in paruulis sacramentum Baptismi.* Et Innocent. cap. *Maiores, de Baptismo*, dicit, *Quod sicut per Baptismum, ita per Circuncisionem remittebatur originalis culpa.* Cui etiam concinit Bernardus Serm. 20. de Assumptione, *In Baptismate sola gratia lauat hanc maculam, quam olim rasit petra Circuncisionis.* Et similia multa in Patribus passim inueniuntur.

Respondetur, Omnes istas Authoritates probare ad summum, quod in paruulis remittebatur peccatum originale per Circuncisionem: quod verò id præstaret Circuncisio ex opere operato actiuè, hoc non dicunt; quin potius maximè cum Apostolo in hoc euacuant Circuncisionis vim, & C excludunt efficaciam Baptismi. Et quidem August. solùm ostendit contra Pelagianos, quod in paruulis aliquod peccatum est, quod indigeat aboleri per Christum; siquidem Circuncisio dabatur paruulis in remedium peccati, aliàs non diceretur quod periret anima masculi, qui non fuisset circuncisus. Et inde ducit argumentum, quod etiam similiter Baptismus remittat peccatum originale, sicut faciebat Circuncisio. In adultis autem, expiatio quæ fiebat in sanguine, clarum est quod non fiebat virtute aliqua & efficacia, quam sanguis illorum sacrificiorum haberet; *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*, vt ait Apostolus Hebr. 9. 12. solùm ergo ratione operis operantis & fidei, adiuncto sacrificio illo exteriori, & protestatione Christi venturi, fiebat expiatio, & propitiatio peccatorum; sine contritione autem non habebant ad id vim illa sacramenta.

QVÆSTIO LXIII.

DISPVTATIO XXV.

De effectu Sacramentorum, qui est Character.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Sacramentum imprimat aliquem Characterem in Anima?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

VBi D. Thomas sumit ly *Sacramentum* indefinitè, vel vt æquiualens suppositioni determinatæ; ac si diceret, Vtrum aliquod Sacramentũ imprimat Characterem? Et affirmatiuè respondet. Intelligit autem S. Thomas per Characterem, signum illud, quo aliquid ab alio distinguitur, seu signatur vt distinguatur; Et sic Character est signum distinctiuum & configuratiuum; distinctiuum quidem, quia discernit ab aliis; configuratiuum autem, quia assimilat ei, cuius tale signum est proprium; sicut Rex configurat monetam propriis insignibus & armis. Et ex hoc deriuatur, quod quidquid ponitur in aliquo ad deputandum ipsum ad aliquid distinctum (per quod scilicet distinguatur ab aliis & configuretur alteri) dicitur Character, siue corporale sit, siue spirituale. Et quia per Christum solùm spiritualiter distinguitur ab aliis, qui eius religione initiatur, & ei spiritualiter configuratur; ideo de Charactere spirituali inquirit sanctus Thomas, An per Sacramentum imprimatur?

Characterem imprimere Sacramentum aliquod, fides est.

Conclusio autem sancti Thomæ de fide est, scilicet aliquod Sacramentum imprimere Characterem. Nam quod tria imprimant, definitum est in Trident. sess. 7. can. 9. & in Florentin. in Decreto de Sacramentis; & in cap. *Maiores, de Baptismo.* Et est frequentissima in sanctis Patribus, qui de Baptismo agentes, agnoscunt signaculum per illum imprimi, & indelebilem characterem, quo anima baptizati consignatur. Et videri potest August. in 2. contra Parmen. cap. 13. & Basil. homil. 13. quæ est Exhortatio ad Baptismum; & Cyrillus præfatione in Catechef. & Catechesi 3. & 4. & alij multi Patres. Habet autem fundamentum in sacra Scriptura, præsertim in loco allegato à sancto Thoma, in Argumento *sed contra*, vbi dicitur ex Apostolo 2. ad Corinth. 1. 21. *Qui vnxit nos Deus est, & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et Ephes. 1. 13. *In quo credentes signati estis, Spiritu promissionis sancto, &c.* In quibus locis Apostolus apertè loquitur de signatione spirituali, *& quæ fit non solùm per speciem visibilem in corpore, sed veritate in corde*, vt ait Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto. cap. 6. signatio autem proprium est characteris.

Sed quod ista signatio sit effectus aliquis distinctus à gratia, quæ per sacramenta datur, non euidenter ostendunt Apostoli verba; valde tamen probabiliter, cùm tanquam effectus distinctos numeret signationem & vnctionem & pignus, &c. Adjuncta autem sanctorum Patrum expositione, & intellectu Ecclesiæ, sic accipientis illa verba Pauli, efficacissimè conclusionem probant. Ratio verò conclusionis à priori quidem, Est institutio & ordinatio Dei, sic instituentis.

Congruentia autem, quam D. Thomas affert, optima est; Quia Sacramenta non solum ordinantur ad remedium peccati, sed etiam ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei. Quando autem aliquis deputatur ad aliquid certum, solet ad id consignari, & per aliquid sibi impressum aut additum deputari; sicut milites charactere militari deputabantur; & sicut moneta insignitur charactere Regis; igitur etiam sacramenta, quæ specialiter deputant aliquem ad cultum Dei, vel ad perficiendum aut recipiendum aliquid de diuino cultu, oportet quod aliquo ad id consignent. Ad hoc autem non sufficit gratia aut fides, vel quilibet alius habitus supernaturalis; Nam omnes isti effectus amissibiles sunt & recuperabiles, ac repeti possunt in Anima; Character autem, quo quis semel Christo deputatur, non repetitur nec amittitur, sed agnitus approbatur, vt dicit August. 2. contra Parmen. cap. 13. Vnde oportet quod consignatio ista, si fit per aliquid quod nec repeti nec amitti potest, non fiat per fidem vel gratiam. Et sicut in Veteri Lege signabantur Israëlitæ charactere corporali indelebili (scilicet Circuncisione) sic in Noua Lege (quæ est Lex Spiritus) debent signari fideles spirituali aliquo charactere indelebili. Et hæc est ratio, quare in sacramentis antiquis non dabatur character, quia non ordinabantur per spiritualem eorum vim homines ad aliquem spiritualem effectum, sicut modò in noua lege, vt dicit sanctus Thomas solut. ad 3.

In solutione ad secundum nota, Quod Character, quantum ad hoc quod est esse configuratiuum, vel distinctiuum ab aliis, hoc habet ex se, & inquantum spirituale est; & ita ratio signaculi characteristici, quantum ad hæc duo, sine aliquo sensibili saluatur in charactere; quantum verò ad rationẽ signi humano modo significatiui & perceptibilis, hoc non habet ex se, sed ex sacramento sensibili adjecto, per quod character fit sensibilis & perceptibilis. Et ita rationem signi sensibilis & humani habet per sacramentum exterius, per quod datur; Et ita Character est sacramentum & res, quia & spiritualiter signat Christum, cui configurat: & est res, quia significatur, & redditur sensibilis per exterius sacramentum, quod est sacramentum tantùm.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum Character sit spiritualis potestas?

EX articulo eliciuntur duæ conclusiones. Prima est, Character importat quandam spiritualem potentiam, ordinatã ad ea, quæ sunt diuini cultus.

Secunda conclusio. Character non est propriè in genere vel in specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

Ad intelligentiam harum conclusionum, antequam rationes D. Thomæ expendantur, Notandum est ex solut. ad 3. & 4. Quod Character est signum, & importat relationem signi; quod quidem fit sensibile per sacramentum exterius; in se autem spiritualiter & configuratiuum Christo, & distinctiuum ab aliis. Nihilominus tamen relatio hæc signi, cùm non possit fundari in ipsa Anima, aut potentiis eius, aut in habitibus supernaturalibus; quia isti amissibiles sunt, illa autem naturale quid sunt; ideo oportet pro tali fundamento assignare aliquid reale ab Anima distinctum; & de hoc reali, quod fundat relationem signi, inquit sanctus Thomas, quod non est in genere relationis, sed est potestas, & habet rationem principij respectu eorum, quæ ad cultum diuinum per ipsum characterem perficiuntur.

Primam conclusionem probat sanctus Thomas duplici ratione. Primò in Argumento *sed contra*, Quia secundum Philosophum in 2. Eth. cap. 5. tria sunt in Anima, potentia, habitus & passio. Character autem non est passio, quia passio citò transit, Character autem indelebilis est; nec etiam est habitus, quia nullus habitus potest se habere ad bene & malè; habitu enim virtutis nullus malè vtitur, habitu autem malitiæ nullus bene; Charactere autem contingit bene & malè vti, ergo non est habitus; debet ergo esse potentia.

Character, potentia; ratio sancti Thomæ.

Rationem hanc non probat Suarez, & affert contra illam duplicem instantiam in Commentario huius articuli; Prima est, Quia non videtur verum, quod nullus habitus potest se habere ad bene & malè; Non enim repugnat generari habitum indifferentem; Nam etiamsi actus in exercitio non possit esse indifferens substantialiter & accidentialiter, propter circumstantias quibus vestitur, tamen quoad substantiam indifferens est; habitus autem generatur ab actibus ratione substantiæ, & non ratione accidentium & circunstantiarum, ergo potest generari habitus indifferens.

Suaris impugnatio.

Secunda est, Quia quando dicitur. Quod habitu nullus bene & malè vtitur, vel ly bene & malè sumitur pro bonitate & malitia morali; & sic est falsum, quod aliquis non possit habitu vti bene & malè; Nam habitibus intellectus, vt scientia, opinione, arte, &c. potest quis vti bene & malè moraliter, prudenter & imprudenter. Vel sumitur ly bene & malè, non pro bonitate morali, sed pro bonitate naturæ, seu in proprio genere habitus; sicut habitu scientiæ nullus possit vti ad falsum, nec habitu erroris ad verum; & sic falsum est, quod Charactere possimus vti bene & malè; Nam qui Charactere vtitur, semper verum conficit sacramentum, licèt irreligiosè; si autem verum sacramentum non conficit, non vtitur Charactere. Cùm autem Character sit potentia spiritualis, quæ ponitur in intellectu, vt dicit sanctus

A Thomas art. 4. propria bonitas eius est verum, non autem moralis bonitas; & cùm nullus possit vti Charactere quoad falsum, nullus vtitur malè Charactere, secundum propriam bonitatem eius.

Cæterùm instantiæ istæ nihil faciunt contra rationẽ sancti Thomæ. Ad primam enim Respondet Caietanus hic, §. *Ad id verò quod primò*, &c. Negando posse dari aliquem habitum indifferentem, quia nec potest dari actus in exercitio indifferens; & consequenter neque ab huiusmodi actu, seu actibus generari potest habitus indifferens; quia actus generant habitus sibi similes, non solùm in substantia operis faciendi, seu in eo quod B habent ex parte obiecti, sed etiam in circunstantiis & accidentibus intrinsecis; vt in illa quæ ordinat actum ad finem extrinsecum.

Pro ratione S. Thomæ, habitũ non habere se ad bene & malè.

Pro quo notandum est, Quod impossibile est dari actum humanum, qui non sit bonus vel malus, eo ipso quod humanus est, licèt aliqui actus humani hanc bonitatem aut malitiam ex specie sua non habeant, & ex obiecto; ita impossibile est quod detur aliquis habitus humanus seu moralis, & modo humano inclinans ad operandum, nisi sit bonus vel malus; si autem detur habitus non humanus aut moralis, nec inclinans modo humano in actum, talis habitus non pertinet ad præsentem C instantiam, in quo agimus de habitu operatiuo actuum humanorum & moralium, & consequenter de eo, quod producitur & generatur per tales actus. Vnde constat quod si actus generant habitum humanum ac moralem, non solùm debent quoad entitatem & substantiam ipsum producere, sed etiam quoad illam circunstantiam finis, sine qua humanus non est; si autem aliter generatur habitus, potius est consuetudo quædam, quàm habitus; & talis habitus, si quis est, non se habet ad bene & malè priuatiuè, sed negatiuè, nec inclinabit ad vtrumque, sed ad neutrum; Habitus autem, qui semel sit inclinatio ad bonum, non potest esse inclinatio ad malum, aut in vtrumque simul. Et sicut D cõsuetudine aliqua naturali potest aliquis vti bene & malè, vt consuetudine fricandi barbam, aut leuandi paleas; tamen quod generet habitum inclinantem in hæc objecta bene & malè, & non determinatè bene vel malè, impossibile est; Nam habitus qui inclinat morali modo & humano ad bene faciendum, non potest iterum inclinare ad malè faciendum; & ita ex inclinatione propria habitus non potest esse indifferens; licèt si detur habitus non moralis, sed veluti consuetudo quædam naturalis, illa consuetudine bene & malè vti, sicut qualibet alia re exteriori, non repugnet.

Nec actus humanus indifferens, nec habitus.

Ad secundam autem instantiam Suarez, dicimus Quod in præsenti sumit sanctus Thomas, hoc E quod est vti bene & malè secundum quod inuenitur in habitu virtuoso, siue morali siue intellectuali, præsertim in habitu practico; & licèt habitibus speculatiuis possimus bene & malè vti moraliter, tamen habitibus practicis, quibus ordinamur ad opus & ad cultum Dei, non possumus vti bene & malè moraliter, sed vel derminatè bene, vel determinate malè, siue illi habitus sint in voluntate, siue in intellectu. Licèt enim de ratione virtutis intellectualis solùm sit quod faciat bonum in suo genere; tamen virtus intellectualis practica, quando habet pro praxi moralitatem ipsam operum, quam dirigit, oportet quod bonum eius non solùm sit verum quomodocumque, sed verum vt directiuum est boni moralis, & ita bonitatem debet habere moralem.

Habitus intellectualis practicus, ad bonum aut malum morale determinatus.

Cùm autem per Characterem ordinetur quis, A in his quæ pertinent ad cultum Dei, & ad perfectionem vitæ Christianæ, si Character est habitus, non potest se habere ad bene & male in ratione huius cultus, quod est bonum morale: deberet ergo se habere determinatè ad bene vel malè; Et è conuerso, si in his quæ sunt ad cultum Dei non se habet determinatè ad bene vel malè, sed potest quis indifferenter illo bene & malè vti, consequenter non se habebit vt habitus, sed vt potentia. Licet ergo qui Charactere vtitur semper verum sacramentum conficiat, aut recipiat, quantum est ex parte sua, tamen character non solùm respicit verum sacramentum quasi speculatiuè, B sed vt pertinet ad cultum Dei, & ad perfectionem vitæ Christianæ; ac proinde si per modum habitus illum respiceret, determinatè bene vel malè talem cultum & sacramenta respiceret, quod quia non facit, potentia est, & non habitus; quia bonum eius non est solùm veritas sacramenti, sed & cultus Dei in sacramentis, & perfectio vitæ Christianæ, secundùm quod Christo configuranda est in effectibus Sacerdotij eius.

Characteris verum Sacramentum etiam practicè.

Profundior horum ratio est, Quia licèt ex obiecto possit dari actus indifferens, non tamen ex subiecto, seu inquantum procedit a voluntate; habitus autem habet se vt principium effectiuum C actus, & ex parte subiecti se tenens, non ex parte obiecti; vnde ex illo non potest indifferenter actus procedere, sed determinate bonus aut malus, si habitus morali modo inclinet. Et præterea, Quia actus ex obiecto indifferens, quando exercetur, sumit speciem ex circunstantia transeunte in rationem obiecti, & moralizante determinatè; vnde quoad substantiam moralem manet determinatæ speciei.

Vnde habitui, vt non habeat se ad bene & malè, sed ad alterum determinatè.

Secunda ratio sancti Thomæ est, Nam ideo Sacramenta aliqua imprimunt Characterem, quia per ea deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum Christianæ religionis, dicente Dionys. in 2. cap. Ecclesiast. Hierarch. *Quod Deus accedenti ad Baptismum tradit in quodam signo sui* D *participationem, perficiens eum diuinum & communicatorem diuinorum.* Cultus autem diuinus consistit in tradendo aliquid, vel recipiendo, & ad vtrumque horum requiritur aliqua potentia; Ad tradendum quidem, actiua; Ad recipiendum verò, passiua; ergo Character importat potentiam spiritualem, vel actiuam vel passiuam.

In hac ratione non videtur tenere illa consequentia, Requiritur ad recipiendum vel tradendum diuina aliqua potentia, ergo Character est potentia. Instatur enim sic, Ad tradendum diuina, & ad diuinum cultum requiritur scientia, requiritur fides, &c. ergo Character est scientia aut fides. Ratione etiam materiæ non tenet consequentia, quia Character de se non importat nisi E signum configuratiuum & distinctiuum; quod autem sit potentia, oportet aliunde probare.

Respondetur tamen quod Argumentum Diui Thomæ non fundatur in eo, quod Character præcisè, aut quomodocumque deputat ad cultum Dei, sed quod deputat vt perfectiuũ Animæ ad cultum, seu ad actus, qui sine ipso charactere sunt nulli, quantumcũque alia adsint, & cum ipso charactere sunt validi, quantumcumque alia desint; non ergo character deputat ad actus cultus diuini vt supponens in homine potentiam ad validitatem talium actuum, seu ad simpliciter efficiendos sacramentales actus.

Cùm ergo per Characterem non deputetur homo quomodocumque ad tradendum aut recipiendum diuina, sed primo & per se, ita quod validitas traditionis aut dationis pendet primo & radicaliter a tali charactere, ideo ex tali primaria deputatione validante actus, & ante quam non supponitur potentia aliqua, aut primaria ratio validans actus, rectè infertur quod character sit potentia; quia ad tradendum aliquid aliis vel accipiendum, requiritur potentia actiua vel passiua; & ad primò & per se tradendum vel recipiendum validè, potentia & non dispositio aliqua vel habitus concurrit. Licèt enim perficiatur homo ad tradendum aut recipiendum per habitum aut dispositionem, non tamen primò & per se & radicaliter, sed quasi ad melius, aut ad circunstantiam valoris actus; quod non aduertens S..rez impugnauit hanc Caietani responsionem; quasi ipse dixerit, Quod quia perficit ad cultum diuinum character sit potentia, cùm tamen non solùm hoc dicat, sed quia perficit primò & per se.

Character potentia, quod primò & per se ordinatus ad diuina tradẽda aut recipienda.

Dicimus ergo, Plura concurrere aut requiri ad deputationem, vt signum, professio, scientia, voluntas, &c. Quod tamen requiritur primò & per se, & quasi radicaliter (seu non supponendo potentiam ad valorem actus) est potentia, siue actiua siue passiua; & hoc modo requiritur Character, quia requiritur vt primò & per se, & radicaliter validans actus sacramentales, & ante illum non est potentia aliqua ad tales actus.

Secunda conclusio sancti Thomæ ostenditur, Quia Character est potentia competens Ministris Sacramentorum, vt solùm ministerialiter concurrant ad illa, siue passiuè siue actiuè, potentia autem ministerialis, instrumentalis est; & ideo sicut virtus sacramentalis non est per se in genere, sed reductiuè, sic & character; Est enim deriuatio quædam à principali agente, seu a primo & summo Sacerdote Christiani cultus & religionis, vt per illam in recipiendo & tradendo conformentur ei Fideles.

Character, potentia ministerialis; & ita reductiuè in genere.

DVBIVM PRIMVM.

An Character sit in aliquo genere reali absoluto? an verò in aliquo rationis, vel relatiuo?

CONCLVSIO EST, poni in genere reali & absolutè.

NOn disputamus modo, quomodo Character ponatur in prædicamento, An reductiuè, vel directè; sed dicimus debere pertinere ad prædicamentum, seu genus reale & absolutum. Et quidem quod Character sit ens rationis possit in duplici sensu accipi, vno modo quod de formali importet aliquid rationis, & de materiali & pro substrato, aliquid reale, pro quo simpliciter supponat; sicut Sacramentum est simpliciter aliquid reale, pro formali tamen est aliquid rationis, quatenus est signum ex impositione: Et hoc primò Aliqui censent, Characterem secundum quod signum, non solùm habere significationem ex natura rei, sed etiam ex impositione; & ideo pro hac parte importare aliquid rationis pro formali. Sic Suarez, disput. 11. sect. 2. dicens, *Ideo non consistere totam essentiam realem Characteris in hac relatione signi.*

Character pro formali aliquid rationis, Suarez.

Secundò potest intelligi, Quod Character absolutè, & tam pro materiali quàm pro formali sit solùm ens rationis, quia videlicet non addit supra Animam aliquid reale, sed solùm deputationem

Absolutè, Durandus.

extrinsecam hominis ad aliquas sacras actiones A perágendas vel suscipiendas & hoc modo censuit Durandus in 4. dist. 4. quæst. 1. Characterem esse aliquid rationis.

Videtur dānata hæc sententia.

Est tamen hæc Durandi sententia contra definitionem Concilij Trid. sess. 7. can. 9. & contra Florent. in quibus definitur Characterem esse quoddam signum spirituale, & indelebile Animæ impressum. Et Innocent. in cap. *Maiores. de Baptismo*, dicit, Quod *tunc Characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem*: si autem Character est solùm extrinseca deputatio, nec est aliquid spirituale, nec aliquid impressum; & ita non differet deputatio sacramentalis facta per characterem, ab B ea qua fit per extrinsecam deputationem Iudicis, aut quæ fiebat in Lege per consecrationem Sacerdotis.

In primo autem sensu loquendo dicimus, Quod Character non ponitur in genere signi sicut Sacramentum, vt propterea de formali importet relationem signi. Triplicem enim relationem dicit Character, vt ait sanctus Thomas in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. videlicet, signi ad signatum, & distinctiui ad ea, à quibus distinguit, & configurativi ad ea, quibus assimilat.

Et quidem significatum Characteris est Christus, vel gratia, vt per sacramentum data; Nam Character est sacramentum & res; gratia autem C est res tantum. Vnde Character est sacramentum respectu eius quod est res tantum (scilicet gratia) est autem res respectu eius quod est sacramentum tantùm, res autem tantùm, est gratia per Christum: ergo significatum sacramenti est gratia per Christum. Terminus autem relationis Characteris, inquantum est distinctiuum, est illud à quo distinguit, tanquam dissimilem aut diuersum faciendo hominem ab alio; Terminus autem eius inquantum configuratiuum, est Christus vt supremus Sacerdos, & author Christianæ religionis, cui fideles debent configurari & assimilari.

Character signum ex sui natura, non ex aliqua impositione.

Character ergo non est signum ex impositione, vt Suarez putat, seu ex impositione Christi; quia D res spirituales non imponuntur vt sint signa hominibus, qui rebus spiritualibus vti non possunt pro signis: Immò Character non habet exercere rationem signi, nisi mediante signo externo, per quod fit hominibus sensibilis. Ratio ergo signandi in Charactere naturaliter competit, & non ex impositione; Quia hoc ipso quod est aliquid impressum à Christo in ordine ad ritum & cultum Christianæ religionis, habet significare Christum & eius gratiam, quæ in vita Christiana est principaliter intenta, cùm sanctificatio hominum sit præcipuum quod per sacramenta Christus intendit; & ideo Character vt signum sanctificationis Christianæ datur, quæ ex natura sua, & deriuatione, quam habet à Christo, talem sanctificatio- E nem significat.

Sicut enim ea, quæ in Sacramentis non imprimentibus Characterem se habent vt res & sacramentum, significant gratiam non ex impositione (vt Christus Dominus sacramentaliter positus in Eucharistia significat gratiam cibantem, vinculum in Matrimonio significat sanctitatem coniugalem, contritio in Pœnitentia significat gratiam absolutionis) & tamen hoc non habent ex impositione, sed ex eo quod sunt effectus sacramentorum ordinati ad vltimum effectum, qui est sanctificatio hominum.

Res & sacramentū, signum à natura rei, non ex impositione.

Sic Character non est signum ex impositione, sed vt deriuatur ex æterno Sacerdotio Christi habet significare id, ad quod eius Sacerdotium ordinatur, quod est sanctificatio hominum, iuxta illud Hebr. 9. 11. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, &c.* Et iterum Ibid. 26. *Semel in consummatione sæculorum ad destructionē peccati per hostiam suam apparuit.* Vnde conficitur, quod sicut Sacerdotium Christi per se habet ordinari ad sanctificationem hominum, & destructionem peccati, sic & deriuatio Sacerdotij ipsius impressa fidelibus, quod est Character, habet per se & sine impositione ordinari vt signum sanctificationis fidelium.

Non ergo est signum ex impositione, sicut ablutio exterior aut vnctio, quæ solùm ex impositione significant gratiam, & sunt sacramenta; ac proinde inquantum sacramenta, solùm in genere signi ponuntur; At verò Character, cùm sit res & sacramentum, non habet principaliter rationem signi seu sacramenti, sed rationem rei, quæ simul est sacramentum seu signum; Vnde non est in genere signi, sed in genere rei, quæ habet esse signum; sicut signa naturalia non sunt essentialiter in genere signi, sed accidentaliter; quia fundant talem relationem.

Sic Character essentialiter non est in genere signi, sed in genere rei, cui conuenit formalitas illa signi, & fundat illam. Si enim poneretur in genere signi, esset sacramentum tantum, siquidem esset in generē sacramenti, seu signi; nunc autem cùm non sit sacramentum tantùm, neque essentialiter est in genere signi, sed accidentaliter, tanquam signum naturale. Et dicimus naturale, prout distinguitur contra signum ex impositione, non autem quia sit aliquid distinctum contra supernaturale; Ex supernaturali enim deriuatione à Sacerdotio Christi habet esse signum. Igitur non potest Character pro formali importare relationem signi, sicut sacramentum importat pro formali relationem signi; quia genus Characteris non est signum, sicut sacramenti, cùm Character non sit sacramentum tantum, ac adeò non habeat pro genere essentiali relationem signi; sed est res, cui conuenit esse signum & sacramentum simul.

Supposito ergo quod Character non est ens rationis, nec pro materiali nec pro formali essentiali; restat ostendere quodnam ens reale sit, An relatiuum, vel absolutum? Et dicimus quod Character non est sola relatio realis, vt Scotus dixit, sed aliquid absolutum, fundans tamen relationem. Etenim quantumcunque ponatur relatio extrinsecus adueniens, tamen si habet naturam relationis de prædicamento *Ad aliquid*, quia videlicet totum esse eius est ad aliud se habere, oportet quod in aliquo fundamento proximo fundetur. Item oportet quod ad illam immediatè non sit motus, seu actio, nec ipsa sit principium alicuius actionis, quæ omnia Characteri repugnant.

Character res absoluta, fundans relationem.

Quod ergo hæc omnia inueniri debeant in Relatione, siue extrinsecus, siue intrinsecus adueniente, probatur, Quia relatio illa, vel habet essentiam relationis, seu est relatio secundum esse pertinens ad quartum prædicamentum; vel non habet essentiam relationis, nec pertinet ad quartum prædicamentum; si non habet essentiam relationis; ergo est aliquid absolutum, & non relatiuum; & sic Character erit in genere absolutorum, etiamsi transcendentalem relationem dicat; si autem habet essentiam relationis, & est relatiuum

uum secundum esse, ergo debet sequi naturam A relationis secundum esse, & ita debet habere aliquod fundamentum, sicut habet omnis relatio prædicamentalis, quæ secundùm Philosophum fundatur, vel in actione & passione, vel in vnitate, vel in mensura.

Et sic oportet assignare in quo fundetur Character, si tantùm est in genere relationis. Cùm autem fundari non possit immediatè in Anima, aut potentiis eius (tum quia aliàs conueniret omni Animæ; tum quia Character non est ordinis naturalis, sed ex supernaturali Christi Sacerdotio prouenit, ergo non potest fundari in aliquo naturali) necessariò fit, quod oportet aliquid supernaturale poni in Anima, in quo fundetur, & B hoc erit aliquid absolutum; non sufficit autem gratia, aut fides, vel quilibet alius habitus aut actus supernaturalis, quia isti delebiles sunt & amissibiles, non autem Character.

Rursus, Non potest relatio terminare motum seu actionem, nisi ratione sui fundamenti; cùm enim non nascatur relatio nisi vt fundata, impossibile est quod ad ipsam sit motus, nisi tangendo fundamentum, à quo resultat; & ita relatio non potest actione physica immediatè produci: Vt enim Philosophus dicit in 5. Physic. *Ad relationem non est per se motus*: vbi totum prædicamentum relationis excludit à motu, cùm possit resultare quælibet relatio per mutationem alte- C rius extremi tantum; Character autem immediatè imprimitur à Deo per veram actionem.

Dicere autem quod posito fundamento & termino, aliquando non aduenit relatio, nisi per nouam actionem, falsum est; Nam si ponitur fundamentum proximum & terminus, statim sine noua actione relatio resultat. Exempla autem quæ affert Scotus de vnione & loco, &c. tantùm procedunt positis fundamento remoto & termino, non autem posito fundamento proximo; fundamentum enim proximum, non est extrema ipsa vnibilia, sed conuenientia, seu vnitas talium extremorum; qua posita, sine noua actione resultat relatio vnionis; Non ergo dantur tales rela- D tiones extrinsecus aduenientes, præter fundamentum proximum & terminum.

Denique, Relatio secundum esse, & quæ est de natura quarti prædicamenti, non potest esse principium alicuius actionis; Relatio enim cùm sit purus respectus ad terminum, non potest esse actiua; alioquin relatio posset esse causa, & habere effectum; & consequenter non se haberet vt purus respectus ad terminum, sed vt causa ad effectum, fundaretque relationem causæ, sicque supra relationem fundaretur relatio; Character autem principium est aliquarum actionum, vt patet in Charactere Ordinis, per quem potest E aliquis agere sacramentalem effectum, quem antè non poterat; Sacramentalis autem effectus realis effectus est; ergo ad illum non sufficit relatio tanquam causa; & sic Character non est relatio.

Oportet ergo quod genus eius sit aliquid absolutum; & cùm sit quid accidentale spirituale, non tanquam actio aut passio, sed vt principium operandi aut patiendi; ideo neque est substantia, neque quantitas, aut aliquid quod quantitatem concernit; vt situs, habitus, vbi, &c. neque actio & passio; fit consequens quod debeat habere pro genere qualitatem: In qua autem specie qualitatis, sequenti controuersia disputabitur.

Ex his autem inferimus, Characterem non se habere vt modum, & sola formali distinctione differre ab Anima, sed realiter tanquam res à re; Nam Character ponitur in genere qualitatis, tanquam principium actiuum vel passiuum alicuius actionis; & quod sit reductiuè in genere potentiæ, non est quia non sit vera qualitas, sed quia non est principalis potentia & principium agendi, sed ministerialis; & propterea non principaliter & per se est potentia, sed reductiuè; est tamen vera, & per se qualitas. Sicut embrio, licèt in genere animalis sit reductiuè solùm, est tamen vera substantia, & verum corpus. Qualitas autem, præsertim quæ se habet vt principium agendi, & datur permanenter, non est modus, sed realiter tanquam res à re distincta. (Character, qualitas, & res distincta ab Anima.)

Probabilius ergo apparet, quod Character sit realitas distincta à subiecto, cui inest, & in hoc differt à motione sacramentali, quia illa non datur vt principium, sed vt actualis concursus; nec permanenter, sed transeunter; & ideo non debet distingui tanquam res à re; Character autem, & vt principium datur, & permanenter; Et ideo non multiplicamus entitates sine causa, siquidem vt ponatur nouum principium, & potentia agendi vel patiendi, causa sufficiens est vt ponatur noua entitas. Melius hoc probatur, Quia modus identificatur cum realitate, cuius est modus; Character autem, cùm sit quid supernaturale, non potest identificari cum Anima, nec cum aliqua realitate naturali; cum supernaturali etiam non, quia sine aliqua alia entitate supernaturali potest remanere Character, vt patet in dānatis; ergo non est modus.

Soluuntur Argumenta.

Sed contra hæc obiicitur primò, Nam Character definitur esse Signum distinctiuum, &c. ergo habet pro genere signum; ergo & relationem; & consequenter ipse etiam Character erit in specie relationis; quia non potest habere pro genere aliquid relatiuum, & pro differentia absolutum.

Confirmatur, Quia omnia quæ de Charactere dicuntur, rectè explicantur per relationem, & ad illa omnia sufficit relatio; Nam esse distinctiuum & configuratiuum & significatiuum, habet per ordinem ad alterum; ergo consistit in relatione, & per relationem constitui debet quoad omnia ista tria.

Nec sufficit dicere, Quod istis relationibus debet subesse aliquod fundamentum, & in eo consistet Character, tanquam in aliquo absoluto. Hoc (inquam) non sufficit; Nam quælibet relatio hoc habet, quod fundari debet in aliquo absoluto, & tamen non propterea dicitur quod formaliter consistit in illo; sicut similitudo aut paternitas fundamentum habent in aliquo absoluto, & tamen in illo non consistunt formaliter loquendo, sed fundamentaliter solùm; ergo similiter Character, licèt fundamentaliter habeat aliquid absolutum, tamen formaliter & essentialiter consistet in relatione, secundum quod est configuratiuus & distinctiuus & significatiuus.

Respondetur, Quod definitio illa, qua Character definitur esse signum, non est quidditatiua & essentialis; quia Character non est purè signum; aliàs esset sacramentum tantùm, si purè esset signum rei sacræ; sed est res & sacramentum; & consequenter non est purè signum, nec ponitur in genere signi, sed in genere rei, vt distinguitur contra signum. Est autem signum secundùm quod coniungitur exteriori sacramento, per quod (Character secundariò signum, & ex adiuncto Sacramento, non per se.)

fit visibilis ac sensibilis; in se autem habet significare gratiam & Christum, non quia eius essentia sit ipsa significatio, sed quia est res fundans illam significationem. Ex se quidem habet ratione principij, significatio verò est illi accidètalis & superueniens, sicque significatio, non est forma essentialiter constitutiua Characteris, sed id in quo fundatur talis significatio; sicut ordo scientiæ ad scibile non est forma essentialis constitutiua scientiæ, sed id in quo fundatur talis ordo.

Et ita habet Character esse sacramentum tanquam res, quia est res & sacramentum simul; non tanquam purè signum, & purè sacramentum; Et ideo licèt transcendentaliter & fundamentaliter sit ei essentialis ratio signi & sacramenti, formaliter tamen & prædicamentaliter accidentalis est. Sic ergo non habet Character primò & per se rationem signi, sed rationem principij fundantis significationem, & hæc est doctrina sancti Thomæ solut. ad 4. in hoc art.

Ad confirmationem Respondetur, negando antecedens, Nam esse distinctiuum & configuratiuum, &c. licèt explicentur per relationem, non tamen sunt ipsa relatio formaliter, sicut etiam per rationale distinguitur homo a bruto, & rationale est distinctiuum hominis; non tamen consistit rationale in relatione, sed fundat relationem distinctionis; & similiter exemplatum configuratur exemplari, & imago seu pictura facit configurari alteri, nec tamen exemplatum & pictura sunt relationes. Itaque aliud est distinctio & configuratio, seu assimilatio, aliud configuratiuum aut distinctiuum; illud primum dicit relationem, hoc secundum fundamentum relationis. Forma enim, quæ facit aliquid assimilari alteri, non debet esse relatio ipsa similitudinis, sed id in quo fundatur talis relatio; similitudo enim attenditur secundum conuenientiam & communicationem in forma, vt dicit S. Thomas 1. p. qu. 4. art 3. Et ideo forma per quam aliquis assimilatur & configuratur alteri, est aliquid absolutum; Character autem est forma ipsa in qua aliquis assimilatur & configuratur Christo, non verò est ipsa relatio configurationis.

Character distinctiuus, non ipsa distinctio; illud absolutum, hoc relatio

Et ideo rectè sanctus Thomas probat, Quod relatio huius signi, quod est Character, debet fundari super aliquid præter essentiam Animæ; & hoc erit essentia Characteris. Etenim Character non significatur vt id, cuius totum esse est ad aliud, sed vt forma, in qua configuratur & distinguitur quis ab alio. Et ideo sicut scientia non consistit in relatione, quia non significat aliquid cuius totum esse est ad aliud, sed quod est perfectio subiecti; sic nec character significatur, vt id cuius totum esse est ad aliud, sed vt forma subiecti, quæ sit principium ad aliquid agendum vel recipiendum, & in eo cònfiguretur quis alteri, & distinguatur ab alio.

Secundò arguitur Argumentis Durandi, Nam Character datur Ministro, aut fideli, vt deputet eum, aut consecret ad aliquid agendum, vel recipiendum, sed ad hoc non requiritur aliquid reale impressum homini, sed sufficit deputatio extrinseca; ergo. Maior certa est, Quia Character solùm constituit aliquem operantem, vel recipientem ministerialiter; ergo tantùm habet deputare eum ad illud ministerium. Minor ostenditur, Nam in humanis Prætor, aut Minister qui designatur à Rege ad aliquid faciendum, non recipit aliquid impressum intrinsecè, sed solam deputationem extrinsecam. Item arca vel linteum, quod consecratur ad recipiendum Corpus Christi, non recipit aliquid per talem consecrationem, ergo ad agendum vel recipiendum ministerialiter sufficit extrinseca deputatio

Confirmatur primò, Nam in Christo non ponitur Character, qui sit aliquid reale; ergo neque in fidelibus oportet ponere Characterem, qui sit aliquid reale. Consequentia patet, Quia Character noster configurat nos Characteri Christi, ergo si in illo non est aliquid reale, neque in nobis.

Confirmatur secundò, Vt aliquid sit sacramentum, non requiritur quod habeat à Christo aliquid reale, sed solam impositionem; ergo vt aliquis habeat configurationem Christi, & signum eius habeat, non requiritur aliquid reale; præsertim cùm Character sit effectus sacramenti, quod formaliter est aliquid rationis.

Quod si dicatur, Quod sicut sacramentum, vt sit instrumentum, requirit virtutem à Deo impressam, licèt non vt sit signum; sic Character inquantum constituit aliquem vt Ministrum & instrumentum, est aliquid reale, licèt non inquantum signum assimilans nos Christo. Contra, Quia virtus quæ imprimitur instrumento est aliquid per modum transeuntis; Character autem aliquid permanens, ergo non datur vt virtus instrumentalis, & vt constituat aliquem in ratione instrumenti, cùm per Characterem nec in actu primo, nec in actu secundo instrumentali fit, quia totum hoc solùm ponitur in instrumento transeunter; nec vt reddat hominem capacem ad hoc vt sit instrumentum, cùm id habeat per potentiam obedientialem, non per Characterem.

Respondetur, Deputationem, qua Deus deputat Ministros suos ad peculiares actiones, longè esse diuersam ab ea, qua Rex deputat ministrum suum. Deputatio enim Regis solùm potest esse moralis & extrinseca, non physica & interior: Deus autem, sicut amando & diligendo hominem, aliquid in illo efficit (scilicet gratiam) sic dando ei ministerium, dat illi potentiam & virtutem ad illud; & ideo homines siue in consecratione alicuius, siue in deputatione ministri nihil imprimunt, sicut Deus. Præterea dicitur, Quod deputatio moralis, licèt fiat per extrinsecam denominationem; deputatio tamen characteristica, etiam apud homines, fit per aliquid exterius impressum; sicut deputantur oues per characterem aliquem impressum vt agnoscantur, & etiam serui characterizantur per signum aliquod; Quod ergo faciunt homines exterius, & fiebat etiam per Circuncisionem in Lege, facit Deus in Anima interius per Characterem, quem imprimit.

Deputatio hominis, & Dei: hæc aliquo reali fit, non illa.

Quandoque & illa.

Ad primam confirmationem Respondetur, In Christo Domino non esse Characterem, sed aliquid Charactere excellentius, cui videlicet Character configurat nos; & hoc est potestas æterna, & Sacerdotium sempiternum & supremum, quod habet Christus Dominus, cui nos configuramur, vt sanctus Thomas ostendit art sequent; Sacerdotium autem Christi non est ens rationis, sed excellentissima eius dignitas, per quam reconciliauit nos Deo. Vnde in Christo non debet esse Character, qui est configuratiuus ipsi Christo; sed debet esse dignitas, cui nos configuramur per characterem; sicut etiam in Imperatore non debet esse character militaris, qui est in militibus; sed dignitas & potestas, cuius signa deferunt milites.

Ad secundam confirmationem negatur consequentia: Quia Character non est signum sicut

sacramentum, sicut iam dictum est, sed est res, quæ simul est sacramentum, id est, signum sacrum, vnde accidentaliter habet rationem signi, & essentialiter rationem rei, quæ est principium agendi, vel patiendi; & ideo non per solam impositionem debet constitui, sicut sacramentum, sed per impressionem alicuius realis, quod sit tale principium; vnde dicitur signum solum in lata acceptione, quatenus quod configurat alteri, dicitur signum eius, non quia in sola relatione consistat.

Nec obstat, quod sit effectus sacramenti; Nam propterea potiùs debet esse aliquid reale, quia effectus productus realiter, realis esse debet; sicut gratia est effectus sacramenti, & est aliquid reale. Nec ideo ponimus solum Characterē esse aliquid reale, quia est virtus instrumentalis; Non enim propriè dat character virtutem & actiuitatem instrumentalem, vt probat argumentum, & sequenti dubio dicemus, cùm præter characterem indigeat Minister motione eleuante instrumentaliter; sed ponitur character per modum permanentis in Anima, quia videlicet per illum habet sibi quasi connaturalem, & debitum concursum ad effectus sacramentales, qui concursus est motio instrumentalis; & ita sicut rebus naturalibus dantùr potentiæ, quibus vtantur ad actus suos, & potentiæ illi est debitus concursus ad agendum, sic ad sacramentaliter operandum aut recipiendum, homines destinantur per aliquid, quo faciunt sibi debitum concursum instrumentalem, & ita operantur, vel recipiunt sacramentales effectus cùm volunt.

Cùm enim homines constituuntur vt Ministri Christi & instrumenta Passionis eius, taliter constituuntur, vt cùm volunt operentur instrumentaliter tales effectus; & ideo vt suaui modo id fiat, & sit illis debitus concursus instrumentalis, accipiunt aliquid à Christo, quod permanenter & per modum potentiæ se habeat, quantum ad hoc, quod sicut per potentiam res naturales operantur, aut semper, aut quando volunt, quia tali potentiæ est debitus concursus vt exeat in actum, sic character constituat debitum concursum ad efficiendos, vel recipiendos sacramentales effectus; sed differentia est, quod potentia naturalis constituit debitum concursum, quasi causa principalis, character autem constituit debitum concursum instrumentalem; habet tamen illo operari homo cùm voluerit, sicut habet id per potentiam suam naturalem.

Tertiò Arguitur, Character est entitas supernaturalis, ergo non ponitur in prædicamento. Consequentia patet, Quia supernaturales entitates sunt vniuocæ, & formales participationes esse diuini; sed esse diuinum ad nullum pertinet prædicamentum; ergo neque vniuoca eius participatio.

Confirmatur, Quia enti naturali & supernaturali nihil potest dari vniuocum; ergo neque idem assignari potest prædicamentum & genus. Consequentia patet, Quia omnia quæ conueniunt prædicamento, conueniunt genere, ergo vniuocè; quia non est aliquid genus, nisi respectu eorum quæ vniuocè conueniunt. Antecedens probatur, Nam major differentia est inter naturalem & supernaturalem entitatem, quàm inter quantitatem & qualitatem, aut substantiam; siquidem quod est supernaturale, est ordinis diuini & increati, secundum quod supernaturale est; ergo magis excedit quamlibet rem ordinis creati, & non diuini, quàm duæ res eiusdem ordinis creati; quamuis sint diuersorum prædicamentorum, sicut ordo diuinus excedit ordinem creatum analogica proportione; vnde & inter species, quas Arist. numerauit in prædicamento qualitatis, non videtur habere locum gratia, & entitates supernaturales.

Respondetur tamen, negando consequentiam. Vt enim determinat sanctus Thomas, 1. 2. qu. 110. art. 2. & in 2. dist. 26. art. 2. Gratia, eo ipso quod aliquid creatum est, oportet quod sit de genere accidentium; Quia licèt sit formalis participatio Dei, non tamen est ipse Deus per essentiam; & ita non repugnat quod sit in prædicamento, in quo ponitur omne quod creatum & limitatum est. Non enim repugnat, quod aliquid in ratione entis & accidentis sit in vno prædicamento, & secundum formalem aliquam participationem ad illud non pertineat, sed ad aliud; sicut conceptus & species lapidis, formaliter & participatiuè sunt lapis, entitatiuè autem sunt accidentia; sic Gratia secundùm formalem participationem est quid diuinum, entitatiuè autem est quid creatum; Vnde oportet quod sit aliquod ex prædicamentis; Et cùm non sit substantia (quia aliàs daretur substantia supernaturalis) nec quantitas, aut quid corporeum, oportet quod sit qualitas. *Supernaturalia, ipsa de genere accidentiū, & in prædicamento.*

Nec obstat, Quod entitatiuè dicatur supernaturalis; Non enim dicitur aliquid entitatiuè supernaturale, quia non sit entitatiuè quid creatum, sed quia in se ipso, & entitatiuè est participatio Dei vniuoca & supernaturalis, & non solùm in modo, quo producitur, superat totam naturam creatam; sed etiam in eo quod est; quia in se est participatio supernaturalis Dei. Verbi gratia visus Cæco restitutus, aut ressuscitatio mortui, sunt quid supernaturale ex modo, quo producuntur, quia superat omnem vim creatam; non tamen entitatiuè, & in se aliquid supernaturale sunt.

Gratia autem aut fides aut Character, non solùm sunt quid supernaturale, quia productio eorum superat totam vim naturæ, sed quia in se ipsis entitatiuè superant omnem naturam; quia in se sunt participationes vniuocæ & supernaturales Dei. Igitur licèt in hac participatione Dei res supernaturales analogicè se habeant ad res naturales, tamen in entitate non analogantur; Sicut conceptus lapidis & albedo in participatione substantiæ analogantur, quia vna participat secundùm similitudinem expressam & intentionalem ipsum lapidem, albedo verò non; in entitate autem non analogantur, sed sunt entia eiusdem prædicamenti, scilicet qualitatis. Et sicut propriæ passiones reducuntur ad essentiam, cuius passiones sunt, secundùm quod ab illa dimanant, & tamen secundùm se in propriis generibus collocantur, distinctis ab essentia cuius sunt passiones; sic Gratia secundùm quod respicit Deum vt proprium principium, non pertinet ad aliquod prædicamentum; secundùm se autem, aliquid creatum est, & in prædicamento ponitur.

Et horum ratio est, Quia bene potest compati formalis & vniuoca Dei participatio cum entitate non vniuoca, nec formaliter cum Deo conueniente; siquidem formalis illa & vniuoca participatio, solùm est accidentalis, & ad perficiendum creaturam intrinsecè ordinata, non substantialis & in se subsistens; ideo enim repugnat dari substantiam supernaturalem creatam, non tamen accidens, quia

si esset substantia formaliter & vniuocè participans Deum, esset ipse Deus, siquidem esset substantia ordinis diuini; sicut si Imago Cæsaris esset substantia, & non sola figura, vtique esset ipse Cæsar; & ideo Verbum diuinum, quia est figura substantiæ Dei (id est, substantialis figura & imago) est consubstantialis ipsi Deo.

Manifestum est ergo, Quod sicut non repugnat dari vniuocam participationem imaginis ad prototypum, non in entitate, sed in expressione & formali participatione; sic non repugnat dari vniuocam participationem Dei, non in entitate, sed in expressione, vel participatione eius, sicut sanctus Thomas dicit 1. 2. quæst. 110. art. 2. ad 2. B *Quod Gratia est nobilior quàm essentia Animæ, non in modo essendi, sed inquantum est expressio, vel participatio diuinæ bonitatis.* Non intelligitur autem quod sit expressio per modum imaginis, vel intentionalis repræsentationis, sed per modum eleuationis ad consortium diuinæ naturæ, iuxta illud 2. Petri 1. 4. *Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*: & per modum cuiusdam seminis diuini, quo in filios Dei nos assimilat. Sic enim vocatur 1. Ioan. 3. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quia semen ipsius in eo manet.* Igitur si expressio & participatio vniuoca Dei, non entitatiuè, sed participatiuè & expressiuè non repugnat; manifestum est, quod secundùm quod C expressio & participatio reducitur ad Deum, & non respicit substantiam aut prædicamentum, sed Deum solummodò, cuius est immediata & eleuatissima participatio; in modo autem essendi, est quid limitatum & creatum, sicque est in prædicamento tanquam accidens; sicut per exemplum de imagine facilè videri potest.

Substantia supernaturalis vt impossibilis. Ex hoc tamen ipso colligitur, Gratiam non posse esse substantiam; Quia si in eo quod est gratia est supra totam naturam, quia est immediata participatio Dei, in eo in quo Deus excedit totam naturam creatam & creabilem; manifestum est quod si in hac ratione esset substantia, gratia esset substantia excedens omnem naturam creatam & D creabilem, in eo in quo Deus excedit, & sic esset substantia diuina, & ipse Deus; quæ est ratio sancti Thomæ in proximè citato loco. Nunc autem solùm participatiuè, & in expressione habet rationem ordinis diuini, non in entitate.

Ex quo patet ad probationem antecedentis argumenti, Nam supernaturale & naturale maiorem differentiam dicunt, quàm duo prædicamenta; & ita probat argumentum, quod quantum ad supernaturalem participationem & expressionem, quam gratia importat, excedit omnia prædicamenta; entitatiuè autem & materialiter accepta, ens creatum est, & ad prædicamentum spectat; Et vt verbis D. Thomæ citato loco dicamus, *Gratia* E *in modo essendi non est nobilior Anima, sed inferior:* & consequenter potest vniuocè cum prædicamento accidentali conuenire; in expressione tamen aut participatione diuinæ bonitatis, est longè superior, & excedit omne prædicamentum; sicut in exemplo de imagine ostendi potest. Arist. autem licèt non agnouerit determinatè hæc entia supernaturalia, agnouit tamen modum essendi qualitatis, in quo ipsa entitatiuè & materialiter conueniunt. Vnumquodque autem ad prædicamentum pertinet secundum modum essendi, & secundum entitatem, quam habet; non secundum expressionem, vel participationem, quam importat, cùm prædicamenta sint determinata entia A quantum ad modum entis.

Quartò arguitur, Quia totum esse Characteris est ad aliud, ergo est relatio. Consequentia patet, Quia esse relationis est esse ad aliud. Antecedens probatur, Nam totum esse Characteris ordinatur ad tradendum, vel recipiendum ab alio. Item totum esse Characteris est esse signum configuratiuum & distinctiuum; ratio autem signi, & ratio configuratiui & distinctiui, est esse ad aliud, ergo.

Confirmatur, Nam saltem inter Characterem & Animam non debet poni distinctio, tanquam rei à re, cùm non sint multiplicandæ entitates sine graui fundamento. Et præterea, Quia motio & virtus sacramentalis non distinguitur tanquam res à re à sacramento, sicut nec motus à mobili; ergo nec virtus Characteris, cùm sit etiam instrumentalis, distinguetur ab Anima tanquam res à re; præsertim cùm anima sit entitas spiritualis, cui facilius est quod identificetur Character, quàm quod motio sacramentalis sacramento corporeo.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, Quod Character non habet totum suum esse ad aliud, vt ad purum terminum relationis, sed tanquam ad causam, vel effectum; quod est non habere totum suum esse ad aliud, sed solùm transcendentaliter illud respicere. Nam quod non respicit alterum vt purum terminum, non est purus respectus; & sic includit esse absolutum, quod tamen explicatur per ordinem ad aliud; & dependet ab alio, non vt à termino; sicut scientia & potentia explicantur per ordinem ad obiecta, non tamen sunt puræ relationes, sed aliquid absolutum, quod in ordine ad aliud explicatur.

Ad id quod dicitur, Characterem esse signum configuratiuum, &c. iam supra diximus, Quod Character est signum quasi accidentaliter, non essentialiter; Est enim essentialiter potentia, seu principium operationis, passiuum aut actiuum; hoc tamen principio designatur aliquis in membrum Christi, aut ad speciales functiones religionis Christianæ; sicut fumus est signum ignis, non tamen substantialiter est signum, sed accidentaliter. Vnde fumus non est sola relatio; & similiter est in imagine. Et sicut etiam, id quo aliqua domus, aut lapis aut pecus insignitur & characterizatur, non est relatio, sed aliquid absolutum, ex quo tamen originatur relatio signi; ita & Character Animæ est aliquid absolutum, fundans tamen relationem signi & configuratiui, &c.

Ad confirmationem Respondetur, Non multiplicari entitates sine causa, cùm Character se habeat vt principium operationum sacramentalium, quod oportet distingui realiter ab Anima. Ad id quod dicitur de motione & virtute sacramentali, Respondetur, Quod motio & virtus sacramentalis non datur per modum principij, vt sit permanenter in sacramentis, sed per modum concursus actualis, eleuantis sacramentum, & producentis effectum; Character autem datur per modum principij permanentis, & ita oportet quod sit res, & qualitas permanenter inhærens in Anima, vt principium operationum sacramentalium.

Quod verò subiectum Characteris sit quid spirituale, & subiectum sacramentalis motionis aliquid corporale; non obstat; Quia id quod datur per modum principij, non debet esse modus, & identificari cum subiecto, etiamsi spirituale sit, sed inhærere illi; id autem quod datur per modum

Motio in Sacramentis, in eis modus.

concursus eleuantis, & mouentis ad effectum, identificatur cum re mota & eleuata, quia non se habet vt principium operans, sed vt motus eleuans ad effectum superiorem. Non repugnat autem motionem & eleuationem spiritualem per modum concursus, identificari cum re corporea; quia licèt res corporea non possit per proprium principium, & vt causa principalis, operari spiritualem effectum, tamen ex subiectione & subordinatione ad agens spirituale, potest ipsi cooperari instrumentaliter in effectu spirituali, & suscipere motionem & eleuationem ad talem effectum; & sic per modum transeuntis, & secundùm quid identificatur talis motio cum re corporea, simpliciter autem cum effectu spirituali.

Dicimus ergo, Quòd subiectum spirituale est magis aptum, vt cum eo identificetur aliquid spirituale simpliciter, si tamen habeat se vt modus, non vt principium operationum. At verò cum re corporea potest res spiritualis secundùm quid & transeunter identificari; idque facilius, si non per modum principij, sed per modum motionis & concursus actualis detur.

Imò res, aliena opinio.

Posset secundò dici, Motionem sacramentalem esse aliquid reale, & non modum tantum, nec identificari cum sacramento, quia non est motus naturalis, de quo Arist. dicit quod identificatur cum mobili, nec se habet vt sola via & tendentia ad terminum, sed est motio supernaturalis, & veluti intentionaliter continens & participans virtutem agentis principalis: ideoque plusquam modus debet esse.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum Character sit in specie Potentiæ?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

Videlicet in secunda specie qualitatis (scilicet Potentiæ) poni & reduci Characterem.

PRo huius conclusionis intelligentia, Notandum est, quod inter eos qui ponunt Characterem esse qualitatem & formam absolutam, in primis conuenit, quod cùm sit forma spiritualis, non potest poni in specie qualitatis, quæ sequitur, aut per se pendet ab aliquo corporali; vt in quarta specie, quæ est forma aut figura consequuta ex terminatione quantitatis; nec in tertia, quæ consequitur ad actiones, quæ fiunt cum transmutatione & passione corporali.

Est autem dissensio in duobus, Primum est, An Character sit qualitas, quæ per se, & physicè & intrinsecè ordinetur ad aliquos actus? An verò solùm extrinsecè & moraliter? Secundum est, An si ad illos ordinetur, ordinetur vt dispositio, vel habitus? An verò vt potentia? Qualitates enim, quæ ad actus ordinantur, solùm his duobus modis possunt ordinari; videlicet vt potentia, aut vt habitus; Nam qualitates, quæ sunt in tertia specie, potius se habent vt effectus, & vt quid causatum ex passionibus, quàm vt causantes tales passiones; nisi quatenus ad dispositionem reducuntur, vel naturalem, vel intentionalem.

Suaris opinio, esse Characterem in prima specie Qualitatis, &c.

Igitur Suarez tenet quod Character non est qualitas ordinata per se, & intrinsecè ad aliquam operationem, sed ad consignandum & deputandum hominem ad aliquam actionem; & ita pertinere ad dispositionem, seu ad primam speciem qualitatis; non sumendo dispositionem vt distinguitur ab habitu per facilè mobile (siquidem Character est indelebilis) nec vt dicitur conueniens in ordine ad aliquam formam vel actum, ad quem disponit; sed vt dicitur forma quædam absoluta, habens esse fixum in Anima, & conuenienter se habens ad subiectum, licèt non ad vlteriorem formam, vel actum; sicut gratia conuenit subiecto, non autem ad vlteriorem formam disponit. At verò idem Suarez in Metaph. disp. 1. sect. num. tenet, Quod Character pertinet ad tertiam speciem qualitatis, & similiter gratia, quia videlicet datur solùm ad ornatum Animæ, & designationem eius in Ministram Christi.

Nihilominus sententia D. Thomæ duo dicit. Primum, Quod Character est qualitas ordinata ad aliquem actum, vel actiuè vel passiuè. Secundum, Quod ordinatur per modum potentiæ, & non per modum habitus vel dispositionis: Primum probatur, Nam actus sacramentales, & sacramentaliter facti, ad quos requiritur Character, non supponunt illum tanquam conditionem; Etenim certum est, per Characterem consignari hominem ad aliquos actus sacramentales, pertinentes ad cultum diuinum; & certum est aliquid posse hominem facere per Characterem, quod sine illo non potest; vel ergo qualitas illa, quæ à Deo imprimitur Animæ in ratione qualitatis sufficit ordinare hominem ad tales actus; vel præter physicam illam qualitatem requiritur deputatio extrinseca Dei, vt moraliter tales actus habeant valorem ab illo homine.

S. Thomæ opinio, esse in secunda.

Si qualitas illa per se sufficit ordinare hominem ad actus illos, ergo est qualitas ordinata ad actus ex natura sua, & seclusa impositione extrinseca, & deputatione morali; si autem præter qualitatem illam & physicum quod habet, est necessaria moralis deputatio; ergo talis qualitas superflua est ibi, nec est ratio cur ponatur in homine; siquidem æquè bene deputaretur homo ad tales actus posita illa qualitate, aut non posita; Nam etiamsi ponatur qualitas, nisi superueniat moralis deputatio, nihil valet, & si talis deputatio ponatur, etiam sine qualitate, sufficiet ad validitatem sacramenti, quantum est ex natura rei; Nam si homo cum illa qualitate indiget deputatione Dei extrinseca, vt ordinetur ad illos actus, certè illa qualitas nihil conducit ad tales actus, Nam eodem modo homo sine illa qualitate, si deputaretur extrinsecè à Deo ad tale ministerium, eodem modo operaretur tales actus; ergo non ponitur illa qualitas nisi superfluè; quia illa posita, ex sua natura nihil connexionis habet cum actibus sacramentalibus; & solummodò realis deputatio, & institutio ad actus facit hominem deputatum & ministrum; Vnde formaliter loquendo, non deputatur homo per qualitatem & per aliquid physicum, sed vltra qualitatem indiget extrinseca deputatione. Vnde illi Characteri ex natura sua non est connaturalis concursus & ordo ad tales actus sacramentales, sed solùm id habet ex deputatione extrinseca, quod eodem modo fieret, si hæc deputatio caderet immediatè super hominem, & non super qualitatem illam.

Igitur dicendum est, Quod deputatio ipsa Christi, designantis hominem ad aliquos actus, fit mediante qualitate; & sicut per deputationem extrinsecus & moraliter factam homo ordinatur ad actum aliquem, vt Iudex ad iudicandum, &c. ita per deputationem physicè & mediante qualitate factam, ordinatur homo ad aliquos actus; quia videlicet ipsa qualitas est ratio sic ordinandi hominem. Dicere autem quod Deus imprimit

homini qualitatem, & postea ipsum deputat moraliter ad actus sacramentales, est ponere sine fundamento talem qualitatem, cùm ex deputatione & designatione ad actus, colligamus imprimi in homine qualitatem; si autem deputatio fit moraliter supra illam qualitatem, cessat hoc fundamentum. Sicut ergo moraliter ordinantur & deputantur Ministri a Repub. ita physicè & per qualitatem deputantur Ministri à Deo; & sicut per illam deputationem moralem, moraliter homines ordinantur ad actum, ita per hanc deputationem physicam, physicè ordinantur ad actum.

Secundum verò, scilicet quod ordinatio ista Characteris ad actus sit per modum potentiæ, & non habitus seu dispositionis, ostendi debet ex rationibus sancti Thomæ. Et primò ex ratione, quam ponit in corp. art. secundò ex argumento *sed contra*. Vt autem intelligamus rationem istam ex corp. art. supponendum est ex doctrina sancti Doctoris 1 2. quæst. 49. art. 3. Quod habitus primò & per se importat ordinem ad naturam, ex consequenti autem ad operationem; Dispositio enim & habitus habent rationem conuenientis & disconuenientis; & hæc ratio importatur ab illis primò & per se.

Habitus primò conueniens aut disconueniens subjecto.

Quia autem natura & potentia sunt principium operationis & motus; natura quidem radicale & remotum principium, potentia autem proximum, ideo habitus conuenienter se habens ad naturam & potentiam, dicit consequenter ordinem ad operationem & actum; Et ideo ad videndum An aliquid sit habitus vel potentia, attendendum est, An primò & pe se dicat rationem principij operationis, an verò rationem conuenientis aut disconuenientis? & secundariò ordinem ad operationem. Et ita Caietanus in præsenti art. dixit. Quod quia proprium & per se primò perfectiuum ad recipere seu dare, est posse recipere aut dare, ideo Character est spiritualis potentia, &c. Et in hoc fundatur ratio sancti Thomæ.

Facit ergo sanctus Thomas hoc Argumentum, Per Characterem deputatur homo tanquam perfectiuum diuini cultus iuxta authoritatem Dionys. in 2. cap. Ecclesiast. Hierarch. *Perficiens eum diuinum, & communicatorem diuinorum*; diuinus autem cultus consistit in recipiendo aliqua diuina, aut tradendo aliis; & ad vtrumque (scilicet ad tradendum & recipiendum) requiritur aliquod principium talium operationum, seu actuum, quod est potentia, ergo cùm Character detur tanquam principium istorum actuum (scilicet accipiendi & tradendi) oportet quod sit potentia quædam spiritualis, ordinata ad ea quæ sunt cultus diuini.

Quod autem Character detur tanquam principium horum actuum, probatur, Quia non datur Character, nec tanquam habens rationem conuenientis ad naturam secundum se, nec tanquam habens rationem conuenientis ad aliud, seu ad operationem; ergo nullo modo se habet vt dispositio, sed vt principium talium actuum. Consequentia patet, Quia vt dicit Philos. in 5. Metha. tex. 25. lect. 20. apud sanctum Thomam, *Habitus dicitur dispositio, secundum quam bene vel male disponitur dispositum, aut secundum se, aut ad aliud*; ergo quod non disponit dispositum secundum conuenienriam in ordine ad se, vel in ordine ad aliud, non habet rationem dispositionis aut habitus; quia nec conuenientis aut disconuenientis, siquidem nec habet conuenientiam ad ipsam naturam, aut ad ipsam operationem.

A Antecedens autem probatur, Nam Character est qualitas, designans & constituens aliquem Ministrum, vt sacramentales actiones ex officio agat, aut validè recipiat; Ad ministerialiter autem operandum sacramentalem effectum, nullum est principium in Anima operatiuum, aut validè susceptiuum; non ergo potest dicere conuenientiam naturæ ad operationem, sed principium; Nec enim Character in ipsa natura ponit aliquid boni aut mali, per quod videlicet natura ipsa in ratione naturæ conuenienter aut disconuenienter se habeat, sicut sanitas aut pulchritudo, vel gratia in

B Anima. Licèt enim magna perfectio sit habere Characterem Christi, tamen non est perfectio, quæ datur naturæ vt faciat ipsam conuenienter aut disconuenienter se habere in se ipsa, sed vt faciat ministerialiter se habere in ordine ad aliquos actus.

Quod autem natura perficiatur ad aliquos actus, vel principaliter vel ministerialirer, non dicit dispositionem secundum conuenientiam ipsius naturæ, sed secundum ordinem ad actus: Igitur Character, cùm perficiat in ordine ad aliquos actus, non est dispositio secundum conuenientiam ad naturam in se, sicut sanitas, aut pulchritudo.

C Quod verò non sit dispositio secundum conuenientiam ad actus, probatur, Quia Character non perficit potentias Animæ, eo modo quo ipsæ natæ sunt producere actus suos, sed longè diuerso; Nam potentiæ sunt principia actuum suorum vt causæ principales, Character autem non perficit potentiam Animæ in modo & ratione causæ principalis, sed ministerialis, quæ à superiori principio principali debet moueri; ergo non se habet vt dispositio, & habitus potentiarum in ordine ad actus suos.

Et confirmatur, Quia potentiæ Animæ non vtuntur Charactere vt virtute seu forma, qua determinatum aliquem actum eliciant. ergo non

D disponuntur Charactere tanquam dispositione vel habitu ad aliquem actum. Antecedens probatur; Nam Character non est forma, quæ per modum permanentis importet actiuitatem, vt potentia illa actuata agat; sic enim potentia cum Charactere tanquam causa principalis ageret, & non ministerialiter; hoc autem est impossibile, ergo Character non se habet vt habitus, aut dispositio potentiæ in ordine ad actus; ordinatur ergo ad illos tanquam principium illorum modo ministeriali, & consequenter per modum potentiæ.

Pro maiori huius intelligentia, est considerandum, Quod vt dicit sanctus Thomas 3. p. qu. 62. art. 5. & quæst. 63. art. 6. Sacramentalis gratia ad

E duo ordinatur, scilicet ad tollendum peccatum & eius effectus, quod fit per grariam, & ad initiandam religionem Christianam; siquidem ad vtrumque Passio Christi est ordinata; Nam de primò dicit Apost. ad Hebr. 9 26. *Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit*. Et iterum, *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, ibid. 28. De secundo autem, citat D. Thomas illud ad Ephes. 5. 2. *Tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis*.

Igitur, Licèt per omnia Sacramenta participet homo aliquem effectum Sacerdotij Christi, non tamen per omnia aliquis deputatur ad agendum, vel recipiendum id, quod pertinet ad cultum Sacerdotij Christi; & ita vt ad hoc deputetur, nec

esse est vt in se configuretur Sacerdotio Christi, non in his quæ pertinent ad habitualem rationem gratiæ aut virtutum, sed in his quæ pertinent ad ea, quibus cultus Christianæ religionis constituitur. Religio autem consideratur & in genere moris, & in genere cæremoniarum, quibus perficitur; & primo modo pertinet ad virtutem moralem, qua bene disponitur subiectum ad colendum Deum; secundo modo non pertinet ad virtutem, sed ad ministeriale principium, quo fiunt protestationes exteriores religionis Christianæ, per configurationem ad Sacerdotium Christi; & hoc vocatur Character vt effectus sacramenti.

Secunda ratio sancti Thomæ est inductiua, discurrendo per omnes species qualitatis. Character enim non est figura propriè loquendo de figura, sed solùm metaphoricè; Nam figura propria est quid resultans ex terminatione quantitatis, & sic non est quid spirituale. Similiter tertia species, si est passio, cito transit; Character autem est indelebiliter; si verò sit passibilis qualitas, licèt non citò transeat, tamen producitur cum aliqua transmutatione corporali, & per alterationem; vnde in tertia specie non ponuntur nisi qualitates sensibiles, & passionem seu transmutationem sensibilem facientes, vt sanctus Thomas dicit in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. & in isto art. ad 2.

Inductio S. Thomæ, vnam 2. speciem qualitatis Characteri vindicans.

Et dato quod non solæ qualitates sensibiles ponantur in hac specie, tamen passibiles qualitates per se primò non dicunt ordinem ad operationem & actus, per modum principij, sed vel solùm habent esse termini actionis, vel solùm dantur ad ornandum subiectum sine ordine ad actus; Character autem primò & per se ordinatur ad aliquas operationes, seu actus ministerialiter exercendos; Nec enim solùm datur vt signum moraliter deputans ad actiones aliquas, sed physicè; vnde per modum principij debet se habere ad illas actiones, & non per modum termini.

Qualitas autem tertiæ speciei, per se primò non habet rationem principij ad actiones vel operationes. In prima autem specie poni non potest, Quia omne quod ponitur in prima specie, debet habere rationem conuenientis vel disconuenientis vel ipsi naturæ, vel in ordine ad operationem naturæ. Quod verò indifferenter se habet ad rationem conuenientis vel disconuenientis, non potest rationem dispositionis aut habitus habere; Character autem non datur vt ornatus aut dispositio conueniens ipsi naturæ; Quod enim datur per modum ornatus, non versatur circa aliquam materiam, sed ab omni extrinseco abstrahendo, vel ad debitam proportionem reducit ea ex quibus subiectum ornatur, si sit ornatus compositus; vel si sit simplex qualitas, efficit & illustrat subiectum sine ordine ad aliquam materiam, circa quam versetur.

At verò Character imprimitur à Deo, vt homo exequatur aliqua pertinentia ad cultum Dei, & protestationem fidei eius. Non ornatur etiam Anima in essentia sua, sed in actionibus; nec enim est sicut corpus, cuius pulchritudo, & ornatus resultat ex dispositione partium; in substantia autem spirituali non est aliquis talis ornatus. Gratia autem ponitur in essentia Animæ, vt radix virtutum & operationum, dans omnibus radicalem efficaciam, non pro ornatu præcisè: Ornatus etiam qui non est aliquid actiuum, debet esse terminus alicuius actionis, & vltimum intentum, non principium agendi; Character autem, cùm detur ad ministrandum in cultu diuino, non datur vt terminus, sed vt principium; non ergo ad ornandam Animam præcisè datur, sed vt aliquid extra Animam, vel in ordine ad ea, quæ sunt extra Animam, exequendum respiciat.

Et ita dicit sanctus Thomas art. sequenti, Quod Character est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur vt ordinatum in aliquem finem; Non ergo vt tantum ornans ipsum subiectum. Similiter non datur per modum conuenientis aut disconuenientis in ordine ad operationem, quia in ea materia in qua versatur Character (scilicet in cultu Dei) abstrahit à conuenienti & disconuenienti, à bono & malo, debito aut indebito, siue ex parte intellectus, siue ex parte voluntatis; siue enim fiat ignoranter, siue scienter, siue religiosè, siue irreligiosè, si homo cum debita intentione applicatur ad vtendum Charactere, validè facit actus illos, & ex Charactere operatur. Igitur Character non inclinat ad debitam operationem & bonam, circa materiam quam respicit (scilicet cultum Dei & religionis materiam) sed solùm respicit validam operationem sacramentalem.

Et confirmatur, Quia per Characterem homo ordinatur vt ministerialiter & instrumentaliter deseruiat in his, quæ pertinent ad cultum Dei; ergo non respicit materiam cultus Dei sub ratione conuenientis aut disconuenientis, sed sub ratione faciendi, aut non faciendi simpliciter. Nam instrumentum solùm respicit productionem effectus, ea ratione qua mouetur à principali agente, non verò secundum conuenientiam aut disconuenientiam, quam subiectum debet habere; ergo non debet dari per modum habitus aut dispositionis, id quod datur vt instrumentaria qualitas, sed per modum potentiæ; Nam quod habitus faciat dignè vel indignè, non ministerialiter & instrumentaliter, sed principaliter efficit. Vnde & hac ratione impulsus, qui proiectis imprimitur, reducitur ad rationem potentiæ; quia imprimitur vt instrumentaria virtus impellentis; instrumentaria autem virtus ad potentiam reducitur.

Denique vt intelligamus quomodo Character ponitur in specie potentiæ, Notandum est, Quod Character non propriè, sed reductiuè ponitur in specie potentiæ, cùm solùm detur ad ministerialiter & instrumentaliter se habendum; Quod autem reductiuè ponitur in aliqua specie, non perfectè habet rationem talis speciei, sed imperfectè, & quasi imitando perfectam rationem speciei. In potentia autem duo sunt; Vnum est, Quod sit principium actionis seu operationis, actiuitatem importans ad illam, si sit potentia actiua; vel sustentationem, si sit passiua. Aliud est, Quod sit principium non actiuitatem importans, sed capacitatem & aptitudinem; differenter tamen ab habitu, scilicet vt non importet determinatam rationem conuenienter aut disconuenienter operandi circa obiectum, circa quod versatur, sed solùm importet rationem operandi indifferenter ad conuenienter, aut disconuenienter.

Character ergo non ratione primi pertinet ad potentiam, cùm non habeat actiuitatem ex se, sed ex eleuatione illi superueniente; Cùm enim solùm instrumentaliter possit concurrere ad effectum, & instrumentum agat ex motione, & non per formam sibi impressam per modum permanentis, ideo non habet Character actiuitatem ad effectum; neque similiter sustentationem formæ alicuius, Nam gratia sustentatur ab essentia Animæ, virtu-

tes immediatè à potentiis; alij autem Characteres, licèt sustentari possint in Baptismali, & in illo recipi; tamen neque hoc est certum, neque propter hoc solùm datur, vt potentia passiua, sed vt totus homo sacramentali modo suscipiat actiones sacramentales; quæ si conferantur subiecto non habente Characterem baptismalem, nullæ erunt ex defectu subiecti; sicut si aliquod agens intenderet producere calorem in cœlo, nihil produceret.

Redditur ergo per Characterem baptismalem homo aptum subiectum ad sacramentaliter suscipiendum Sacramenta, quia suscipere sacramenta, non est solùm corpoream & sensibilem actionem B extrinsecus applicatam suscipere quasi materialiter, sed sub ratione sacramenti formaliter; id est, non solùm quatenus actio corporea est, sed quatenus sacramentum religiosum est; Et sicut ad religiosè agendum influit spiritualis virtus religionis in exteriores actus (verbi gratia adorationis, sacrificij, &c.) sic ad religiosè suscipiendum influit spiritualis potentia in exteriores actus suscipiendos sacramentorum.

Soluuntur Argumenta.

Sed obijcitur primò, Character nullo modo potest esse potentia physica, siue actiua siue pas- C siua, ergo non est ponendus in specie potentiæ physicæ, sed solùm moralis. Antecedens probatur, Nam idem omnino Character baptismalis, in viris est potentia susceptiua Ordinis, in fœminis non; similiter idem Character Ordinis in simplici Sacerdote non potest validè conferre Sacramentum Confirmationis, & tamen adiuncta dispensatione Pontificis, potest; ergo non est potentia physica ad efficiendos effectus sacramentales; quia dispensatio Pontificis non confert physicam potentiam. Et simile est in collatione Ordinum Minorum, quæ potest à Pontifice committi simplici Sacerdoti, qui tamen ex se non poterat validè illos conferre.

Confirmatur, Nam vt aliquis sit Minister ali- D quorum Sacramentorum, non requiritur potestas physica, sed moralis; ergo ratio constitutiua Ministri Sacramenti non est sufficiens vt Character sit in genere potentiæ physicæ. Antecedens probatur in Ministro Baptismi, & Matrimonij, Nam bene potest etiam is, qui nullum habet Characterem, validè conferre Baptismum; & ad ministrandum etiam Sacramentum Matrimonij non datur specialis aliqua potentia physica coniugibus, sed eo ipso quo sunt baptizati sunt capaces ministrandi Sacramentum Matrimonij, cùm tamen Character baptismalis non det potentiam actiuam ad ministrandum sacramenta, sed solùm passiuam ad suscipiendum.

Respondetur, Non esse inconueniens quod E Sacramenta, & sacramentales effectus dependeant vt à conditione extrinseca ab aliquo morali, sine qua validè non fiant; quia sic instituit Christus Dominus, à cuius institutione sacramenta omnino pendent; & ideo etiam id quod physicè in sacramentis, aut effectibus sacramentorum exercetur, ab aliquo morali pendet; sicut nisi oleum sit benedictum ab Episcopo, non potest confici Sacramentum Extremæ Vnctionis, nec Confirmationis; & tamen benedictio illa nihil ponit in oleo: & similiter Sacramentum Extremæ Vnctionis, licèt sit quid physicum, non tamen conferri A potest nisi homini extremè ægrotanti, quia conditio illa extremæ ægrotationis ex Authoris sacramentorum institutione necessaria est. Et multæ etiam conditiones requiruntur inter contrahentes Matrimonium, sine quibus inhabiles sunt ad recipiendum sacramentum.

Conditio moralis necessaria vt actus sacramentales validè fiant.

Sic ergo, licèt idem sit Character baptismalis in viris & in fœminis, tamen vt validè recipiatur sacramentum Ordinis, requirit quod sit vir, quia hæc conditio addita est ex institutione Christi: inde tamen non conficitur quod baptismalis Character non sit potentia passiua ad suscipiendos Ordines, cum dependentia tamen à conditionibus, quas Christus Dominus instituit: Sic etiam in traductione peccati originalis, infectio virium inferiorum physicè vtitur semine, vt caro libidinosè seminata corruptionem contrahat; & tamen ista physica infectio pendet ex moralitate capitis Adam, à quo vt capite morali omnes mouentur in sui productione; & ita non est inconueniens quod physica traductio peccati pendeat ex morali conditione.

Ad id quod dicitur de Confirmatione collata à simplici Sacerdote, Respondetur, Dispensationem seu commissionem Pontificis vt simplex Sacerdos confirmet, vel conferat Minores Ordines, non date potentiam physicam vt talia sacramenta fiant, sed apponere conditionem necessariam, sine qua à tali Charactere non fiant. De iure enim diuino Episcopus per Characterem Episcopalem, potest Confirmationis sacramentum conferre; Sacerdos autem ex sacerdotali Charactere habet potentiam, vt ex commissione supremi Capitis possit illud conferre; vnde talis potentia non est moralis tantum, sed physicam potentiam supponit, dependentem tamen à morali conditione, quæ dependentia non est in Charactere Episcopali. Non repugnat autem physicam potentiam sacramentalem, pendere quoad validitatem actus à conditione morali, siue commissione, siue collatione iurisdictionis, &c. sicut Sacerdos per Characterem sacerdotalem habet potentiam physicam administrandum sacramentum Pœnitentiæ; quæ tamen vt physicè illud efficiat, dependet à conditione quadam morali, videlicet à collatione iurisdictionis; Si ergo hoc inuenitur in Ministro ordinario Pœnitentiæ, quid mirum quod inueniatur in Ministro extraordinario Confirmationis.

Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis, & ex commissione.

Itaque Character sacerdotalis, habet constituere Ministrum Eucharistiæ & Pœnitentiæ ordinarium; extraordinarium autem Confirmationis, aut Minorum Ordinum, scilicet ex dependentia à commissione summi Pontificis.

Ad confirmationem Respondetur, Sacramenta illa non requirere ad sui ministrationem specialem consecrationem; Baptismum quidem ob summam eius necessitatem, qui tamen vt ex officio conferatur, requirit Characterem Ordinis. Matrimonium autem, quia non fit per aliquam sacram actionem, sed per contractum naturalem; & ideo specialem deputationem non requirit ad ministrationem eius; ad susceptionem autem requirit quod contrahentes sint baptizati; Hinc tamen non fit, quod ad alia Sacramenta, quæ per sacras actiones fiunt, & non sunt tantæ necessitatis, potentia physica necessaria non sit, siquidem physicè Christus Dominus ad id suos designauit Ministros.

Secundò arguitur, Character est qualitas determinata ad bonum, non autem indifferens ad bonum & malum, ergo non est cur rejiciatur à

prima

prima specie qualitatis. Consequentia patet, Quia ratio D. Thomæ rejicientis Characterem à prima specie, est; quia est indifferens ad bonum & ad malum. Antecedens probatur primò, Quia Character est determinatus ad verum cultum Dei, secundum vera sacramenta ministrandum; ergo est determinatus ad bonum aliquod particulare; Nam qualitates quæ determinant ad verum, habitus sunt, licèt secundùm rationem boni moralis indifferenter illis vti possimus; sicut scientia est habitus, quo tamen bene & malè quis vti potest in genere morali.

Secundò probatur idem antecedens, Quia Character est qualitas supernaturalis participata à Deo Authore gratiæ, ergo nullo modo potest inclinare ad malum; siquidem supernaturalis qualitas, ad quam Deus speciali auxilio concurrit, non potest malum operari: Si ergo non est inclinata ad malum, semper inclinat ad bonum, & sic non est indifferens ad bonum & malum. Tertiò probatur, Quia Character est participatio Sacerdotij Christi, & potestatis eius, vt sequent. art. docet sanctus Thomas; ergo sicut sacerdotium & potestas Christi Domini non est determinata nisi ad bonum, sic neque Character ab ipso deriuatus.

Confirmatur primò, Nam Character est potestas instrumentalis, quæ agit vt mota à Christo; ergo si indifferenter se habet ad bonum & malum, reducenda est ista indifferentia in motionem Christi, per quam agit; & si malum operatur, id reducitur ad Christum vt principaliter mouentem, quod est absurdum.

Confirmatur secundò, Vt aliqua qualitas sit determinata ad bonum, sufficit quod in propria materia bonum operetur, licèt in alio genere (videlicet, in genere morali) non sit determinata ad bonũ; sicut patet in habitibus intellectualibus, qui sunt determinati ad bonum in propria materia (vt ars & scientia) licèt in genere moris bene & malè possint se habere; Character autem in propria materia (scilicet in cultu vero Dei per sacramenta tradendo aut recipiendo) determinatus est; ergo quod fiat debitè vel indebitè moraliter, non tollit quin sit habitus, nec facit ipsum indifferentem in materia sua.

Ad principale Argumentum Respondetur, negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, Quod Character est determinatus ad verum cultum Dei per modum principij ministerialis, non verò per modum habitus & qualitatis determinantis. Certum enim est, quod omnis potentia & causa operationum, ad aliquod bonum determinatum est; quia debet habere pro objecto aliquod ens, & consequenter aliquod bonum; sicut visus est determinatus ad aliquod bonum, scilicet ad coloratum, quod est bonum quoddam; tamen quia determinatur ad hoc bonum per modum principij, est potentia, & non habitus.

Determinatio ad bonum habitus propria, & potentiæ.

Itaque esse determinatum ad bonum quasi obiectiuè, seu ex parte obiecti, non constituit rationem habitus, quod etiam conuenit potentiis; esse autem determinatum ad bonum quasi subiectiuè, quia videlicet bonum facit habentem, & disponit subiectum conuenienter aut disconuenienter, hoc constituit habitum; Character autem est qualitas determinata ad bonum obiectum (scilicet verum Dei cultum) non tamen secundùm bonitatem & conuenientiam subiecti, sed secundùm rationem principij ministerialis & instrumentalis. Vtitur autem Character indifferenter, non solùm in differentia morali, vt tenet se ex parte voluntatis, sed vt tenet se ex parte intellectus. Potest enim quis vti charactere, etiam hæreticus existens, & malo intellectu affectus circa sacramenta; & ideo neque ex parte intellectus vtitur bene vel malè ratione subiecti.

Ad secundam probationem Respondetur, Quod Character neque inclinat ad malum, neque ad bonum ex parte subiecti, sed se habet ad id indifferenter, sicut potentia, sed inclinat ad bonum obiectum, & ad bonam operationem per modum principij. Non enim est differentia inter habitum & potentiam, quod habitus inclinet ad bonum, potentia verò indifferenter ad bonum & malum, cùm omnis potentia respiciat obiectum positiuum, quod debet esse bonum sicut & ens; sed differunt, quia habitus respicit bonum aut malum determinatè, etiam ex parte subiecti; quia bonum facit habentem, & importat rationem conuenientis aut disconuenientis ad ipsum subiectum; & in hoc quod tenet se ex parte subiecti, potentia dicit indifferentiam, quæ solùm importat ordinem ad operationem, & ad obiectum tanquam principium, & non tanquam determinans subiectum secundum bonum & malum.

Vnde, vt supra dicebamus ex D. Thoma, habitus non importat per se primò ordinem ad operationem, sed conuenientiam ad subiectum; quod quia est principium operandi, debet consequenter dicere etiam ordinem ad operationem; Character ergo est qualitas supernaturalis à Deo impressa, inclinans ad bonum obiectum, sed non ad faciendum bonum subiectum nec in genere morali, nec in genere cognitionis; & ideo non datur per modum habitus, sed per modum potentiæ, inclinatque ad bonum per modum potentiæ, non habitus. Addo etiam quod Character est imperfecta participatio Dei Authoris supernaturalis, ideoque licèt quantum est ex se inclinet ad bonum, ex parte tamen subiecti imperfectè participantis potest indifferenter haberi ad bonum & ad malum.

Ad tertiam probationem similiter dicitur, Quod Character est participatio Sacerdotij Christi, imperfecta tamen, & non eodem modo afficiens subiectum sicut Sacerdotium Christi. Item est participatio per modum potentiæ, & non per modum habitus; vnde non datur ad hoc vt subiectum faciat bonum, sed vt verum Dei cultum, & opus faciat ministerialiter.

Ad primam confirmationem Respondetur, Characterem esse potestatem instrumentalem, quæ agit vt mota à Christo; non quidem mota ad bonum & malum ex parte subiecti (hoc enim non instrumentaliter habet subiectum, sed tanquam causa principalis; cùm voluntariè debeat ad tale bonum & malum operari) sed est mota illa potestas à Christo ad faciendum bonum opus, & bonum cultum Dei quoad substantiam & validitatem; ideoque si malè & indignè fiat à Ministro, non refunditur id in Christum, sed in malitiam ministrantis: siquidem per motionem Characteris non mouet Christus ad hoc vt Minister dignè & bene ministret, sed vt bonum ministret, quod ipse facit etiam si indignè faciat. Christi motio in Charactere, vt bonum fiat ex parte obiecti, & verus Dei cultus.

Ad secundam confirmationem Respondetur primò, Quod vt aliqua qualitas sit determinata ad bnoum per modum habitus, non sufficit quod in propria materia faciat bonum, quasi ex parte obiecti & operantis solùm, sed quasi ex parte

subiecti, reddens ipsum subiectum bonum, & conuenienter aut disconuenienter ipsum disponens; aliàs enim potentia visiua, aut intellectiua essent habitus; quia in propria materia ad bonum quoddam sunt determinatæ; at Character non ordinatur ad bonum per modum habitus, quasi ex parte subiecti reddat ipsum conuenienter aut disconuenienter dispositum, sed per modum potentiæ; quia vt ministerialiter tantùm se habeat circa illud opus datur; vt autem bonum faciat subiectum non debet tantum ministerialiter se habere, sed per modum virtutis principalis.

Secundò Respondetur, Quod Character in propria materia adhuc retinet indifferentiam, quia cùm pertineat ad intellectum practicum, non solùm deberet perficere intellectum in ordine ad verum, sed in ordine ad bonum; vnde cùm practicè respiciat cultum Dei, oportet quod pro materia habeat cultum religiosum; ac adeò, si in materia ista religionis indifferenter se habeat, vtique in propria materia indifferenter se habet; Si ergo Character indifferens est ad religiose vel irreligiosè ministrandum, cùm materia eius propria sit practicè se habere ad cultum religiosum, inde est, quod per modum potentiæ, & non habitus se habeat circa propriam materiam.

Tertiò arguitur, Stat bene quod aliqua qualitas detur ad simpliciter operandum, tam quoad modum quam quoad substantiam, vt patet in qualitatibus supernaturalibus, & tamen illi sunt habitus, & non potentiæ, licèt habeant modum potentiæ; ergo similiter Character, licèt detur ad simpliciter operandum effectum supernaturalem, tamen ponetur in prima specie qualitatis, licèt habeat modum potentiæ.

Confirmatur primò, Nam si Character habet rationem potentiæ, ergo consequitur aliquam essentiam, quia omnis potentia est principium proximum operationis, quæ sequitur ad principium aliquod radicale, quod est natura & essentia; sed Character non consequitur aliquam essentiam; ergo non se habet vt principium proximum, & consequenter neque vt potentia. Minor patet, Nam Character non consequitur aliquam essentiam naturalem, cùm sit qualitas supernaturalis, aliàs omni Animæ conueniret; nec consequitur naturam supernaturalem, vt gratiam, cùm sit tantum instrumentalis potestas.

Confirmatur secundò, Nam si Character est potentia per se ordinata ad operationem & actum; ergo qui agit per illum, agit per formam & qualitatem permanentem, ergo vt causa principalis; In hoc enim distinguit sanctus Thomas causam principalem ab instrumentali, quod illa agit per propriam formam, hæc per motum. Quod si Character est qualitas, quæ per eleuationem debet instrumentaliter agere; ergo sufficit quod sit habitus, & non requiritur quod sit potentia; Nam æquè bene eleuabilis est habitus ad instrumentaliter efficiendum, sicut alia quælibet qualitas, non ergo est ratio cur Character dicatur potentia, si instrumentaliter solùm concurrit.

Confirmatur tertiò, Nam Character est qualitas permanens, & non sicut virtus fluens in sacramentis, ergo directè debet pertinere ad aliquam speciem qualitatis; Non pertinet autem directè ad speciem potentiæ, vt sanctus Thomas dicit, & ostendemus sequenti dubio; ergo debet directè poni in prima vel tertia. Nec refert dicere, Quod est potentia instrumentalis, non principalis; & A ideo constitui debet solùm reductiuè in secunda specie; Nam omnes potentiæ naturales sunt facultates instrumentales naturæ, vt oculus, auditus, intellectus, &c. quibus quasi instrumentis & organis Anima operatur; dependent enim ab ea vt à principali agente, & tamen non propterea reductiuè pertinent ad rationem potentiæ; ergo similiter Character.

Respondetur ad principale Argumentum, primo, Quod habitus per se infusi substantialiter sunt habitus, & habent modum potentiæ; Quia vt dicit sanctus Thomas 1. 2. quæst. 51. art. 4. Aliqui habitus sunt, quibus homo bene disponitur ad finem excedentem facultatem humanæ naturæ; B & tales habitus solùm possunt homini inesse ex infusione diuina. Vide de hoc etiam sanctum Thomam in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 5. ad 1. — *Habitus supernaturales, vt habeant modũ potentiæ.*

Ex quo colligitur, Quod tales virtutes duo habent, & disponere hominem bene, & ordinare ad finem excedentem naturam; & pro ea parte qua excedunt naturam, habent modum potentiæ, quantum ad hoc quod non supponunt in potentia actiuitatem proportionatam ad talem finem etiam imperfectè, sed totam ipsi conferunt, potentiæ. At verò pro ea parte qua bene disponunt hominem ad talem finem, habent rationem habitus, quia videlicet non solùm ordinant ad bonum, sed etiam ordinant bene subiectum ad finem superna- C turalem, vnde & dantur homini vt illis tanquam formis operetur ad modum causæ principalis actus supernaturales. At verò Character non habet disponere bene subiectum in ordine ad aliquem finem, siue in ratione veri, siue in ratione boni; sed solùm constituere illum Ministrum, & instrumentaliter operatiuum sacramentorum, aut principium passiuum eorum, & ideo non debet solùm habere modum potentiæ, sicut habitus infusi, sed etiam ad aliud pertinere non potest nisi ad potentiam.

Secundò Respondetur, Quod habitus supernaturales, licèt præbeant totam actiuitatem proximam & proportionatam subiecto in ordine ad D actus supernaturales, præsupponunt tamen analogicam actiuitatem, & quod potentia (saltem analogicè & materialiter) possit in illos actus; sicut charitas supponit potentiam, quæ potest diligere Deum, sed non quæ potest diligere supernaturaliter, etiam inchoatè; & ideo non possunt isti habitus infusi actuare nisi potentias, quæ aliquo modo possunt in Deum; Character autem non supponit potentiam, quæ etiam analogicè possit in actus supernaturales, sed ipse datur vt instrumentaliter possit in illos actus, quantum ad omne quod in eis est analogicè & vniuocè, vnde non debet dari vt habitus; Datur verò Character vt principium primò & per se validatiuum actus E in genere sacramentali, non præbendo actiuitatem, sed valorem, & tollendo nullitatem ministerialiter, quod non faciunt habitus infusi.

Denique sanctus Thomas non probauit quod Character esset potentia; quia dabatur ad simpliciter operandum; sed quia dabatur ad simpliciter per modum principij, & abstrahendo ab hoc quod est bene vel malè, ex parte subiecti; quia indifferenter se habet ad subjectum, cùm tamen habitus supernaturales rectè disponunt subjectum ad finem superiorem; & ideo non per modum principij, sed habitus dantur.

Ad primam confirmationem Respondetur, Quod potentiæ naturales, & quæ sunt simpliciter po-

tentiæ, consequuntur aliquam naturam, vt sint A illi principium operandi, potentiæ autem instrumentales, & quæ solum reductiuè sunt potentiæ, non oportet quod consequantur naturam subjecti, in quo sunt, sed deriuantur à potentia principalis agentis, in quo inuenitur principaliter talis potestas; & sic Character non est potentia, quæ in nobis debet consequi ex aliqua essentia, sed quæ debet in nobis ab extrinseco communicari, cùm sit potestas instrumentalis, & sic deriuatur à Sacerdotio Christi, & potestate excellentiæ, quam ex vi gratiæ Capitis habet supra totam Ecclesiam, quæ aliquid physicum est.

Ad secundam confirmationem Respondetur, B Characterem esse qualitatem & formam permanentem, non quæ det actiuitatem permanentem in ordine ad effectus supernaturales; Sic enim constitueret causam principalem; sed est qualitas permanens, vt instrumentum constituat hominem debito modo, id est, vt homo ita sit ordinatus, vt habeat sibi connaturalem & debitum concursum instrumentalem ad exercendum sacramentales effectus, sicut si haberet potentiam naturalem; & hoc ideo, Quia homo est instrumentum animatum & voluntarium, vt sic agat & exerceat quando voluerit actus sacramentales, sicut exercet actus naturales; hoc tamen non ponit in ipso actiuitatem per modum permanentis, sed tota actiuitas C datur, quando datur ei eleuatiuus concursus ad instrumentaliter operandum, & ideo per qualitatem illam permanentem, qua ordinatur homo ad hoc vt sibi connaturalem & debitam faciat talem motionem, & concursum eleuatiuum, dicitur habere potentiam instrumentalem ad actus supernaturales, quæ reductiuè est potentia, non tamen habet actiuitatem permanenter.

In Charactere autem, qui solùm est potentia passiua, non currit hæc difficultas. Et hæc doctrina est conformis sancto Thomæ, qui in 3. dist. 13. quæst. 1. art. 1. distinguit ex Philos. 8. Eth. cap. 8. duplex instrumentum, alterum animatum, alterum inanimatum; Et quidem inanimatum ita agi- D tur quod non agit, vt securis; animatum autem & agitur & agit, vnde indiget habitu regente operationes, quo non indiget inanimatum; Ad hunc ergo modum homo indiget qualitate permanente, qua instrumentaliter agat quando voluerit, quæ quia solum ordinatur vt instrumentaliter agat, induit rationem potentiæ, & non habitus, quia non disponit subiectum, sed ordinat ad operationem, non præbendo actiuitatem permanentem, sed ordinando vt eam connaturaliter habeat eleuantem, & quando voluerit. Et sicut in Humanitate Christi, aliud est esse coniunctam diuinitati, aliud actiuè se habere ad effectum per motionem instrumentalem; sic in Ministris Chhristi aliud est esse E ei coniunctos & configuratos, quod permanenter habent per characterem; aliud actiuitatem habere instrumentalem, quod fit per motionem: Per Characterem ergo non datur actiuitas ad effectum sacramentorum, qui producitur instrumentaliter, sed validitas ad actus, vt non sint nulli, sed validi in genere sacramentali.

Instrumentum animatum, & inanimatum; vtriusque motio.

Si dicas; Ergo omnis Character est potentia passiua, quia non habet actiuitatem respectu instrumentalis concursus & motionis. Respondetur quod Character non datur in ordine ad instrumentalem motionem, vt ad proprium actum (quia etiamsi non daretur physica motio instrumentalis, adhuc daretur Character) sed in ordine ad ea, quæ sunt protestationes diuini cultus, & actiones sacras exercendas; & in his, vel passiuè se habent, vel actiuè; ad operandum autem instrumentaliter, semper passiuè se habent, sed non ad operandum ministerialiter & sacramentaliter, quia in aliquibus configurantur Christo agendo, in aliis recipiendo.

Character vt potentia actiua, & vt passiua.

Ad tertiam confirmationem dicetur dub. sequenti. Interim Respondetur, Quod Character licèt sit qualitas permanens, in suo tamen genere est imperfecta & inchoata, nec importans vim actiuam in se, sicut potentiæ naturales; sed purè instrumentalis est, & ideo reductiuè pertinet ad speciem potentiæ. Ad replicam Respondetur, Potentias naturales dici instrumentales facultates naturæ, vel essentiæ; aliter tamen quàm Character; Nam esse instrumentum dupliciter dicitur. Vno modo sicut virtus causæ, respectu ipsius causæ; alio modo sicut aliquid deseruiens & ministrans ipsi virtuti causæ, & ab ea deriuatum; Aut (quod redit in idem) esse virtus instrumentalis, aut est quia subiecto est ratio & virtus operandi, vt causa principalis; dicitur tamen instrumentum, seu facultas subiecti, quia vt eius forma, & dependenter ab ipso agit. Primo modo potentiæ dicuntur instrumenta naturæ vel substantiæ; sunt tamen virtus ipsa substantiæ, seu naturæ operantis; & ideo non dicitur purè instrumentalis virtus, sed virtus causæ principalis; quæ tamen quia agit in virtute substantiæ, instrumentum eius dicitur; ipsa tamen natura, cum illa virtute, dicit integram rationem causæ principalis. Secundo verò modo est propriè virtus instrumentalis, & sic se habet Character; quia non est virtus ipsius principalis agentis, sed est virtus ministerialis ipsius ministrantis; & ideo hæc reductiuè est potentia, non illa.

Potentia instrumentum naturæ, non vt Character.

Quartò arguitur, Character baptismalis non habet propriè rationem potentiæ, ergo ille non potest poni in specie potentiæ. Antecedens probatur, Nam Character baptismalis neque est potentia actiua (vt omnes concedunt) neque passiua; Nam omnis potentia passiua physica, oportet quod physicè aliquem actum in se recipiat, & ab eo actuetur; Character autem baptismalis non recipit in se aliquem actum physicè, ergo non est physica potentia passiua. Minor probatur, Nam Character baptismalis neque est potentia passiua ad suscipiendum physicè Sacramenta alia, neque effectus sacramentorum (videlicet gratiam, aut alios characteres) ergo non est dabilis aliquis actus cuius sit receptiuus physicè. Antecedens probatur, Nam sacramenta physicè recipiuntur in corpore, cùm sint quid sensibile, & sensibili actione perficiantur; character autem spirituale quid est, & Matrimonium contractum eisdem signis inter baptizatos & non baptizatos, in illis est sacramentum, non in istis; cùm tamen in vtrisque idem omnino physicum habeat; ergo Character non apponit aliquid physicum in vno vt sit sacramentum, quod non in alio. Similiter effectus sacramenti (scilicet gratia & virtutes & modus gratiæ sacramentalis) non recipitur in charactere, sed in essentia, & potentiis animæ immediatè.

Denique, Nec est potentia passiua ad recipiendum alios Characteres, tum quia Anima de se æqualiter est susceptiua omnium characterum, ergo non est ratio cur suscipiat vnum mediante altero; tum quia nulla qualitas est potentia passiua nisi ad suscipiendum in se actum primum, aut

secundum, vt in potentiis animæ & habitibus videmus; character autem non ita se habet respectu aliorum characterum; tum denique, quia quod alij characteres supponant characterem baptismalem, solùm est ex ordinatione diuina, sic instituentis, non ex natura rei; ergo non est cur ponatur Character Baptismi esse physica potentia ad suscipiendos alios Characteres.

Confirmatur, Nam implicat esse potentiam purè passiuam, & esse instrumentalem; Nam instrumentalis virtus ordinatur ad agendum effectum principalis agentis, cui subordinatur; si ergo Character Baptismalis est potentia instrumentalis tantùm, non est passiua; vel si est passiua, non potest se habere vt potentia instrumentalis; & consequenter non reductiuè, sed directè pertinebit ad speciem potentiæ.

Ad argumentum principale Respondetur, Aduertendo prius quod Character non est potentia passiua purè, vt aduertit Caiet.3.p.q.72. art.5 sed sicut Minister est instrumentum animatum, quod non purè passiuè agitur, sed agitur sicut viuens, sic Character baptismalis datur ad recipiendum sicut Minister, qui est animatum instrumentum; scilicet vt viuens vita Christiana recipit augmentum, & ea quæ sunt cultus Christiani, per conformationem ad Christum; & hoc est validè sacramentaliter.

Character Baptismi potentia passiua sacramentaliter.

Vnde Respondetur, Characterem baptismalem esse potentiam passiuam, non ad suscipiendum naturaliter, sed sacramentaliter omnia alia sacramenta, & effectus eorum. Vnde non est potentia passiua, sicut naturalis potentia, quæ respicit actus naturali modo sibi viniendos; Sacramenta ergo recipiuntur in corpore quasi naturaliter, seu vt entitates quædam corporeæ, medio autem Charactere sacramentaliter, & vt validæ actiones sacramentales. Itaque Character præbet subjecto quod non solùm naturaliter recipiat illam actionem sacramentalem, & in genere entis, sed etiam in genere sacramentali; dependerque intrinsecè actio illa vt sacramentalis sit à subiecto habente Characterem, in genere causæ materialis; Constat enim quod si detur Confirmatio, aut Pœnitentia homini non baptizato, non fit sacramentum, nec sacramentaliter recipitur; sed idem est, ac si lapidi vel bruto conferatur. Ad hoc ergo non requiritur quod Character realitatem actionis sacramentalis suscipiat in se, quia non datur ad naturaliter, & in genere entis suscipiendum Characterem, sed vt tale sacramentum suscipiatur validè sacramentaliter, & in ratione sacramenti. Et licèt Character sit in Anima, tamen facit quod totus homo sacramentaliter suscipiat hanc actionem, & non solum naturaliter.

Et si quæras, Quid sit sacramentaliter suscipere, vt ad hoc requiratur potentia physica passiua? Respondetur, Quod sacramentaliter suscipere Sacramenta, seu validè suscipere ex vi Characteris, est dependere sacramenta in ratione sacramenti à subiecto suscipiente in genere causæ materialis: Et sicut ad operandum sacramenta, non solùm inquantum actiones naturales sunt, verbi gratia, Absolutionem, Vnctionem, Ablutionem, &c. sed inquantum sacramentales sunt, indiget homo potentia quadam actiua physica, quæ est Character; ita ad suscipiendum easdem actiones inquantum sacramentales sunt, indiget homo physica potentia passiua, à qua in genere causæ materialis dependet sacramentum, vt sacramen-

Potentia Sacramenti suscipiendi sacramentaliter.

A tum est; id est, non vt purum elementum, aut elementalis actio, sed vt habet excellentias, quas à Christi virtute participat sacramentum.

Secundò Respondetur, Quod potentia passiua physica debet esse susceptiua actus in se, quando est in principali agente; quando verò est in Ministro, sufficit quod reddat illum aptum ad hoc sacramentum, & collatum validum sit & validè susceptum, licèt non conferat vt dignè & debitè sit susceptum.

Tertiò Respondetur, Quod vt sit potentia susceptiua, non requiritur quod Sacramentum in eo suscipiatur, sed ratione illius in toto homine suscipiatur; sicut accidentia recipiuntur media quan-

B titate in toto subiecto. Sicut autem Vnctio (verbi gratia) suscipitur in toto homine ratione quantitatis corporaliter & materialiter, sic & in toto homine recipitur sacramentaliter ratione Characteris.

Ac denique dici potest, Quod alij Characteres, etiam physicè & entitatiuè recipiuntur medio Charactere Baptismi; Quia licèt anima sit capax absolutè omnium Characterum; secundum ordinariam tamen, & suauem Dei ordinationem, recipiuntur medio baptismali, cui ex natura sua proportionantur; sicut licèt de potentia absoluta possit albedo suscipi immediatè in substantia, hoc tamen non tollit quin quantitas sit immediatum eius susceptiuum. Quod verò qualitates solùm suscipiant actum primum vel secundum, hoc est

C verum de qualitatibus naturalibus & principalibus, non instrumentalibus. Similiter Gratia secundùm quod sacramentalis, & perficit intellectum, potest dici quod subiectatur medio Charactere in intellectu, quia perficit ipsum vt dignè exequatur operationes Characteris, & dignè suscipiat ea, ad quæ ordinatur Character, & dignè fiat protestatio fidei in sacramentis.

Ad confirmationem Respondetur, Quod potentia passiua non dicitur instrumentalis quasi motio, & virtus deriuata à principali agente; sic enim (vt probat argumentum) solùm reducitur ad actiuam rationem potentiæ; sed dicitur instrumentalis, quasi ministerialis, & deseruiens ministerialiter vt effectus suscipiantur in subiecto; non en-

D titatiuè & materialiter, sed sacramentaliter. Sacramentalis enim receptio, quasi ministerialis est; & ideo potentia ad suscipiendum sic effectus, non est aliquid perfectum in genere potentiæ, cùm non detur ad perfectè suscipiendum illos, sed ad suscipiendum sacramentaliter & ministerialiter. Si enim esset non solùm reductiuè, sed etiam perfectè potentia passiua entitatiuè & materialiter, tales actus deberet suscipere. Cùm autem solùm detur ad sacramentaliter suscipiendum, imperfectè & reductiuè est potentia, & solùm ministerialiter; quatenus mouet se aliquis ad recipiendum ea, quæ sunt diuini cultus, tanquam Minister & instrumentum animatum.

E Quintò arguitur de Charactere Sacramenti Ordinis; Ille enim nec est potentia actiua, neque passiua, ergo. Quod non sit potentia passiua, omnes concedunt, cùm non detur ad recipiendum, sed ad agendum. Quod verò non sit potentia actiua, Probatur, Quia nec est actiua respectu aliorum sacramentorum, neque respectu effectus sacramentorum, neque respectu Transsubstantiationis in Eucharistia, ergo respectu nullius effectus est actiua potentia. Antecedens probatur, Nam in primis Character Ordinis in sex inferioribus Ordinibus vsque ad Diaconatum, non est

potentia actiua circa aliquod sacramentum, cùm nullum possit ministrare efficiendo ipsum; Character autem Sacerdotalis non est potentia actiua sacramentorum, quia in sacramentis solùm est inuenire actionem sensibilem, & rationem sacramentalem; sensibilis autem actio sufficienter fit per organa corporis, & non debet fieri per Characterem. Quoad rationem vero sacramentalem, non oportet ponere potentiam physicam actiuam, quia sacramentalis ratio solùm addit super actionem sensibilem significationem, seu rationem signi, quæ est relatio rationis, cùm sit signum ad placitum; ergo propter hoc non debemus ponere physicam potentiam.

Et præterea, Quia aliqua Sacramenta (vt Baptismi & Matrimonij) possunt fieri à non habente Characterem; ergo ad efficiendum sacramenta sacramentaliter non oportet ponere Characterem. Similiter non est potentia actiua respectu effectus sacramentorum (scilicet Gratiæ) Nam Character non potest esse qualitas ex natura sua effectiua gratiæ per actionem transeuntem in aliud subiectum; Nam impossibile est quod ex natura sua per propriam actionem efficiat gratiam, aliàs daretur causa principalis creata effectiua gratiæ, essetque talis qualitas ponenda in Christo Domino, cùm sit excellentissima, & supra ipsam gratiam; si autem instrumentaliter tantùm produceret gratiam, non posset dari per modum permanentis, cùm instrumentum non constituatur in ratione instrumenti ad causandam gratiam per aliquam virtutem permanentem.

Si verò dicatur Characterem esse potentiam actiuam ad producendum gratiam solùm obedientialiter, quia scilicet eleuari potest à Deo vt instrumentum ad producendum gratiam; hoc quidem verum est, sed hæc ratio non est specialis in Charactere, sed transcendens in omni creatura; quælibet enim eleuari potest vt producat gratiam, non tamen propterea omnis creatura est in genere potentiæ actiuæ.

Et præterea, Quia Character Sacerdotis non influit in gratiam, sed sacramentum, quod conficitur per Characterem, hoc influit instrumentaliter in gratiam. Vnde si aliquis non habens Characterem Ordinis ministret Baptismum aut Matrimonium, causat gratiam mediante Sacramento, & non mediante Charactere, & tamen eodem modo causatur gratia in illo sicut si conferretur à Sacerdote.

Denique Character Ordinis non est potestas actiua respectu Transubstantiationis, tum quia virtus transubstantiandi est solùm in ipsis verbis, & Minister non habet aliam actionem nisi prolationem verborum, vt dicit sanctus Thomas infra, quæst. 78. art. 1. tum quia eodem modo se habet Sacerdos ad Transubstantiationem, sicut ad dandam gratiam per absolutionem; in absolutione autem non ipse Sacerdos, sed verba prolata sacramentaliter operantur gratiam; tum denique, quia non datur qualitas ex natura sua operatiua transubstantiationis, sicut nec datur potestas actiua miraculorum permanenter; respectu autem effectus Eucharistiæ, qui est gratia, Sacerdos solùm se habet vt applicans sacramentum jam factum, non verò ipsam gratiam efficit, sed sacramentum quod applicat.

Character Ordinis, potentia actiua.

Ad principale Argumentum Respondetur, Characterem Ordinis ad omnia illa tria esse potentiam actiuam. Et ad primam improbationẽ, quoad

A id quod dicit de Charactere sex inferiorum Ordinum vsque ad Diaconatum, dicimus quod Characteres illi sunt imperfecti in ratione Characteris, & non habent statum potentiæ actiuæ, sed solùm dant potestatem ad ministrandum ex officio Sacerdoti; & ita sunt quasi in via ad habendum Characterem Sacerdotalem, qui propriè est potentia actiua respectu Sacramentorum. Quoad id verò quod dicit de Charactere sacerdotali, dicimus quod est potentia actiua sacramentorum, non secundum id quod materiale est in sacramentis, sed secundum id quod sacramentale & formale; ita quod habens Characterem illum facit illam actio-

Actiua, inchoatiuè in Minoribus sub Sacerdote, in illa perfectè.

B nem, non solùm materialiter & entitatiuè, sed etiam sacramentaliter: Et quia totum hoc (scilicet actio sacramentalis) est aliquid reale, ideo ad totum illud datur potentia physica actiua sub modo sacramentali.

Et quando dicitur, Quod præter actionem sensibilem non est in sacramento nisi significatio ad placitum. Dico esse ibi significationem ad placitum, & simul virtutem diuinam, quæ sacramento inest ad causandam gratiam; & simul compositio artificialis sacramenti, quæ est vnum signum sacramentale: & denique est actio illa sacra, & specialiter potestatiua fidei, & specialiter participans virtutem Passionis Christi; & totum hoc (quod est

Characteris effectio in Sacerdote.

C aliquid reale & excellentissimum in illatione) communicatur à Deo ipsi sacramento media actione Ministri, vt à Charactere procedit. Ipse enim motus & actio, qua mouetur à Ministro materia sensibilis, non solùm habet procedere à virtute eius motiua, sed etiam à Charactere; vt actio illa non solùm sit materialis, sed etiam sacramentalis, & habens omnes illas excellentias dictas.

Ministri necessitas & non Sacerdos in Baptismo & Matrimonio.

Ad id verò quod dicitur de ministrante Sacramenta Baptismi & Matrimonij, dicimus, Quod sicut media actione talis Ministri confert Deus illi actioni sacramentali rationem sacramenti & virtutem, sic eam communicat medio Charactere Ministri ad id ex officio deputati; & licèt possit

D etiam conficere sacramentum non habens Characterem, tamen quia Character datur vt ex officio sacramentum conficiat, ideo concurrere debet actiuè talis Character ad conficienda illa sacramenta in eo, qui facit illa ex officio, mediante Charactere. Vnde quia sine Charactere aliqua sacramenta fiunt, non sequitur quod ad alia non concurrat Character, vel ad illa quando fiunt ex officio. Melius dicitur, Quod Character non est potestas instrumentalis primò & per se ad gratiam producendam, sed ad conficienda sacramenta validè, & per se primò in genere sacramentali, ita quod sine illo sunt nulla; hæc autem sacramenta conficiunt vt Ministri Christi, & dispensatores mysteriorum; & hæc mysteria sunt objectum

E primò & per se huius potestatis dispensatiuæ.

Ad secundam probationem Respondetur, Characterem habere se vt potentiam actiuam respectu gratiæ, seu effectus sacramentorum, non quia ad id habeat actiuitatem permanentem, sed debita est illi eleuatio instrumentalis ad talem effectum faciendum, in quo differt à reliquis rebus, quæ obedientialiter eleuari possunt; quia nulla creatura facit sibi debitam talem eleuationem, ita vt quis possit ad voluntatem habere illam; per Characterem autem ita facit quis sibi debitam eleuationem, & concursum ad sacramenta & eorum effectum, vt quando voluerit possit illa vti. Non ergo se habet vt qualitas productiua gratiæ, quasi

Characteris potestas, alia ac solùm obedientialis, est instrumentalis.

forma & causa principalis, sed vt instrumentalis potentia; non quia solùm obedientialiter eleuari possit, sicut res alia quæcumque, sed quia debitam facit sibi, & quasi connaturalem talem eleuationem, vt quando voluerit, possit quis vti illa. Non tamen ponenda est in Christo talis qualitas, quia illa solùm constituit potentiam ministerialem respectu Christi; & ideo ipsa non debet esse in Christo, sed aliquid illa altius & excellentius. Igitur habens Characterem ad producendam gratiam, habet se sicut calamus præparatus, qui est instrumentum proportionatum & connaturale scribendi. aliæ autem res, quæ eleuari possunt à Deo ad causandam gratiam, habent se sicut calamus non præparatus ad scribendum, vel sicut aliquid aliud ad id non proportionatum.

Christi Humanitas instrumentum altiori modo; sub illa, Christi Charactere insignitus.

Et huius ratio est, Quia Christus est fons gratiæ, & principium sanctificatiuum omnium Vnde illi qui habent Characterem Christi, id est, specialiter ab ipso præparati sunt vt Ministri distribuendæ gratiæ, habent etiam quasi connaturaliter & proportionatè dare gratiam, sicut Ministri Christi, qui est fons gratiæ; ac adeò sicut non conuenit aliis rebus dare gratiam sicut Humanitati Christi, sic nec conuenit aliis sicut habentibus Characterem Christi. Licèt enim Christi Humanitas solùm obedientialiter concurrat ad productionem gratiæ, non tamen eo modo solùm quo lapis, vel alia res ad id eleuabilis, sed quasi connaturaliter habet hoc ex vnione ad Verbum, *Vt de plenitudine eius omnes accipiamus*. Hoc ergo quod ipse habet in plenitudine, habet Sacedos in ministerio per Characterem.

Sacerdos instrumentum liberũ diuini cultus; in hoc deputatus per Characterem.

Vnde Sacerdos habet se sicut Minister, seu instrumentum animatum, quod confert gratiam non solùm tanquam instrumentum purè efficiens ex motione, sed efficiens colendo, seu faciendo ea quæ sunt cultus diuini; & ideo requirit potestatem, qua possit facere signa protestatiua cultus huiusmodi; facit autem ea quæ sunt cultus non sub ratione morali, & moralis virtutis, sed sub ratione cooperatoris & Ministri Christi, 1. ad Corinth. 4. 1 *Sic nos existimet homo vt Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*. Habet ergo pro objecto ista potestas rationem Mysterij seu Sacramenti Dei; Moralitas autem huius cultus pertinet ad virtutem Religionis. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur*, ibid.

Ad vltimam probationem Respondetur, Quod virtus in verbis Transubstantiationis, deriuatur à Christo mediante Charactere Ministri. Vnde & Minister nihil aliud facit in hoc Sacramento, quàm proferre verba in persona Christi, vt dicit sanctus Thomas citatus; Sed quod in persona Christi practicè & efficaciter ea proferat, habet ex Charactere, quod non potest facere qui Characterem non habet. Et ita sanctus Thomas non negat, quod Minister medio Charactere in persona Christi proferat efficaciter ea verba, sed solùm ponit differentiam inter Ministerium huius sacramenti & aliorum, quod in hoc loquitur Minister in persona Christi, & efficaciter habet solùm prolationem verborum; in aliis autem sacramentis habet proferre etiam in propria persona, vt cùm dicit, *Ego te absoluo, &c.* aut, *Consigno te signo Crucis*; vel deprecatiuè. *Per istam sanctam Vnctionem &c.*

Prolatio verborum in Eucharistia in persona Christi efficiens, à Charactere, in aliis, ex persona ipsius Sacerdotis.

Similiter in Absolutione danda, non solum verba à Sacerdote prolata, sed ipse etiam Sacerdos per Characterem verba proferens, causat gratiam; sicut in Eucharistia Sacerdos per Characterem proferens verba Transubstantiationis. Nec propter hoc dicimus, quod detur qualitas ex natura sua efficiens Transubstantiationem, sed solùm ministerialiter, sicut & alia sacramenta, & eorum effectus ministerialiter Character operatur, quatenus est qualitas faciens debitam, & quasi connaturalem eleuationem. Et ita quando sanctus Thomas in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 3. ad 9. dicit, Quod *virtus instrumentalis Sacerdotis est maior & dignior & permanet; virtus autem verbi transit*, non loquitur de virtute Sacerdotis, quæ sit actualis eleuatio, sed de virtute eleuabili. Respectu verò gratiæ, quæ datur per Sacramentum Eucharistiæ, ipse Sacerdos non se habet vt actiuè conferens, sed vt applicans Sacramentum iam factum. Vnde & Sanguinis dispensatio olim Diaconis committebatur, & modò potest Sacerdos hostiam ab alio consecratam porrigere, qui tamen tunc non operatur actiuè gratiam illam.

Porrigens; Eucharistiam, solùm applicat causam effectiuam gratiæ; non ipse eam causat.

Quod si quæras, Quæ actio est illa, quam Character habet in producendo effectum sacramentorum, vel ipsa sacramenta; siquidem exterior actio non potest prouenire ab interiori qualitate nisi mediante actu interiori; Character autem non producit interiorem actum, sed ille solùm producitur à voluntate, aut intellectu mediantibus suis habitibus. Respondetur, Quod Character non habet actum sibi præcisè & formaliter correspondentem, sed habet tribuere vim intellectui, vt actus sacramentales practicè producat cum efficacia quadam, & vi sacramentali, quam non habent ab intellectu non habente Characterem. Facit ergo Character vt actus illi non solùm habeant formalem rationem intellectiui & cognoscitiui, sed etiam sacramentatales sint; id est, vim & efficaciam sacramentalem habeant, quod quidem aliquid reale est saltem vt modus.

Characteris effectus in intellectu.

Sextò arguitur de Charactere Confirmationis, nam ille nec est potentia actiua, nec passiua; ergo. Quod non sit passiua probatur, Quia minus requiritur ad suscipienda alia sacramenta, vel effectus sacramentorum, quàm Character Baptismalis; ergo eisdem argumentis, quibus probatum est non esse Characterem Baptismalem potentiam passiuam, etiam probatur de Charactere Confirmationis. Quod verò non sit potentia actiua, patet, Quia si esset potentia physica actiua, maximè ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei; istæ autem actiones non sunt physicè à Charactere, sed ab habitu Fidei vel Charitatis, vel Fortitudinis, &c. cum auxilio gratiæ ad peculiariter efficiendum hos actus, ergo, non apparet quomodo ad id physicè concurrat Character vt potentia.

Confirmatur primò, Quia Character Confirmationis non potest comparari ad has actiones vt potentia, sed vt habitus infusus; siquidem non datur ad simpliciter profitendum fidem, sed ad melius profitendum; id est, sine formidine & rubore; nec simpliciter requiritur ad validè suscipiendum Sacramentum Ordinis, vel Matrimonij, sed ad melius recipiendum; Vt autem quis firmiùs profiteatur fidem, & melius suscipiat sacramenta, non requiritur potentia, sed habitus.

Confirmatur secundò, Quia sicut habitus fidei est determinatus ad bonum, quia datur ad credendum supernaturaliter, ita ad firmiùs credendum & profitendum fidem supernaturaliter dabi-

tur habitus, determinatè inclinans ad bonum, & A non indifferenter.

Respondetur ad principale Argumentum, Characterem Confirmationis dari vt potentiam passiuam respectu sacramentorum, quæ præsupponunt talem Characterem, vt recipiantur aptè & congruenter, cùm ad patiendum non ponatur habitus; & etiam respectu Gratiæ sacramentalis Confirmationis, & specialis illius Auxilij, quod correspondet confirmato, & non nisi medio Charactere subiectatur in confirmato, absolutè loquendo; Est autem potentia actiua ad profitendum firmius fidem, non firmitate proueniente ex virtute fidei, & eius intensione ac perfectione, sed proueniente ex eo quod est Minister Christi in professione sui nominis, & in pugnando contra hostes fidei. Quod enim faciat hoc ex officio, dicit firmitatem peculiarem, quæ non elicitur à virtute fidei, sed elicitur ab isto vt Ministro ad id peculiariter deputato; & ideo sacramentaliter & ministerialiter habet ad id vim, quæ non habetur ex vi fidei.

Character Confirmationis passiuus & actiuus.

Firmitas ex officio, est firmitas ex potestate colendi Deum cultu Christianitatis, seu configuratiuo Christi, quod incipit in Baptismo, quo regeneratur homo & configuratur morti Christi, vt dicitur Rom. 6. perficitur autem & roboratur in Confirmatione, qua quasi adolescit in vita Chr- C stiana, non quantum ad gratiam tantùm, sed etiam quantum ad rationem cultus diuini. Ordinantur enim sacramenta, & ad remedium peccati per Gratiam, & ad cultum Dei per Characterem, vt ait sanctus Thomas in ista quæst. art. 6. Vnde vita Christiana, quæ per sacramentum datur, assimilari debet vitæ naturali, non solùm in effectu gratiæ, sed in effectu cultus. Etenim quod elicitur à fide, elicitur vt à forma causante ad modum causæ principalis, dignum modum habendi se erga res diuinas credendas, & professionem earum; & quod hoc facit quis firmius & intensius, tanquam causa principalis, hoc ab habitu prouenit physicè; quod verò aliquis profiteatur fidem fir- D mius firmitate sacramentali, id est, tanquam Minister ad id deputatus, & solùm ministerialiter ad hoc deseruiens, hoc non prouenit ab habitu, sed physicè prouenit à potentia sacramentali, quæ est Character.

Characteris effectus, non ipse virtutum effectus formaliter.

Et bene stat, quod idem materiale quod attingitur ab vno principio, possit sub alio modo attingi, pertinente ad altius & distinctum principium; & tunc exiget diuersam potentiam; Sicut coloratum vt attingitur à visu, vel vt à sensu communi; sic ergo professio fidei vt attingitur à formali ratione habitus fidei, fit ab homine vt à causa principali; vt autem attingitur à Ministro ex officio ad id deputato, attingitur ministerialiter, & E secundum aliam rationem principij; quia non vt causa principalis, sed instrumentalis & ministerialis id facit.

Ad primam confirmationem Respondetur, Quod Character Confirmationis datur ad firmius confitendum sacramentaliter, non autem ad firmius habitualiter, seu quasi ex intensione; firmitas autem sacramentalis & ministerialis non debet ab habitu prouenire, sed ab officio, quo peculiariter designatur à Christo Confirmatus per Characterem; Vnde potest Confirmatus ex vi talis officij adhuc exercere illud, & profiteri fidem indignè, vt putà ex motiuo vanæ gloriæ, vel in peccato existens, & in ipso actu peccando propter prauum motiuum, qui tamen actus ab habitu supernaturali fidei elici non potest, iuxta probabiliorem opinionem, quæ tenet quod habitus supernaturalis non potest concurrere ad opus peccaminosum; & tamen ad substantiam illius professionis concurrit Character; indifferenter ergo se habet, & ad modum potentiæ, in professione hac quæ fit ex officio, & non sicut habitus fidei; Vnde Character in tali professione habebit se respectu habitus fidei, sicut manus errans in scribendo respectu habitus artis; habitus enim artis non influit in talem formationem literæ, influit tamen manus & calamus.

Professio fidei indigna ex Charactere, non ex virtute fidei.

B Et prætereà dicimus, Quod habitus fidei, etiamsi concurreret ad professionem, quæ fit ex vana gloria, tamen ipsa non respicit verum practicum, cui omnino extrinsecum est fieri propter vanam gloriam; At verò Character per se practicè respicit professionem hanc, vt cultum Dei sacramentalem, cui per se debebatur quod religiosè fieret & ideo si non inclinat vt religiosè fiat, sed indifferenter se habet in propria materia, non est determinatus ad bonum, & sic habet se vt potentia, & non vt habitus.

Fides habitus, non Character.

[Fides ha- bitus, ...ctiâ inclinet ad actum moraliter malum, non Character.]

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod ad firmiùs credendum, & profitendum habitualiter, & vt causa principalis, datur habitus; ad firmiùs autem profitendum sacramentaliter & ministerialiter, seu ratione officij, non habitus datur, sed potentia. Vide sanctum Thomam infr. quæst. 72. art. 5. Et in 4. dist. 7. quæst. 2. art. 1. vbi ait, Quod ad confitendam fidem in ordine ad se, & ad propriam salutem non requiritur Character, secus ad confitendum fidem ministrando aliis eius notitiam sine erubescentia, & in ordine ad bonum publicum, non priuatum, per rationem Ministri.

DVBIVM VLTIMVM.

Vtrum Character ponatur in specie Potentiæ directè, vel reductiuè?

CONCLVSIO EST,

Solùm reductiuè pertinet ad speciem Potentiæ.

HÆc est S. Thomæ, in præsent. art. vbi concludit dicens, *Et ideo Character non est propriè in specie aut genere, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.* Ratio autem sumitur ex imperfectione huius potentiæ, quæ solùm datur ad ministrandum, & non vt principium operationum primò & per se, sed secundariò; ac adeo non per se primò pertinet ad speciem potentiæ (quæ est principium agendi) sed secundariò, & reductiuè. In tantum enim dicitur potentia, inquantum importat principium operationis, vel passiuum, vel actiuum; In hoc enim consistit ratio potentiæ, quod per modum principij simpliciter respiciat operationem; & non per modum conuenientis aut disconuenientis, seu determinatæ rationis, aut habitus.

Character reductiuè in specie potentiæ.

Illud ergo per se & directè pertinet ad rationem & speciem potentiæ, quod directè & per se est principium operationum, & sic se habent potentiæ, quæ constituunt aliquod subiectum vt causam principalem; tales enim primò & directè habent respicere operationem; Quæ autem non habent rationem principij directè & per se, sed ministerialiter & instrumentaliter, & dependenter à causa & principio principali, non habent

rationem potentiæ nisi reductiuè, & secundariò, & secundum quid; Character ergo cùm detur tantum vt potentia ministerialis & instrumentalis, non directè, sed reductiuè & secundariò pertinebit ad speciem potentiæ; Non enim deseruit causæ principali, vt per eam tanquam per formam agat sibi simile, sed solùm deseruit causæ instrumentali, vt ministret in effectibus sacramentalibus causæ principali; ergo de se solùm habet esse reductiuè potentia, tanquam ministerialis & non principalis ratio agendi.

In quo distinguitur à potentiis quæ deseruiunt causæ principali, seu substantiæ. Licèt enim dicantur instrumenta substantiæ, tamen non sunt instrumentalis ratio agendi, sed dantur vt formæ, quibus substantia ipsa constituatur in ratione causæ principalis; Character autem non datur vt forma, & ratio agendi alicui causæ principali, sed vt ratio agendi instrumentalis, & ideo non est directè & primò potentia, sed reductiuè.

Potentiæ, forma constituens agens principale.

Soluuntur Argumenta.

Sed obijcitur primò, Nam Character est directè, & non reductiuè Qualitas, & in prædicamento qualitatis, siquidem est quoddam ens permanens, & habens firmum esse, quod proinde in aliquo prædicamento esse debet; sed impossibile est quod aliquid pertineat directè ad aliquod prædicamentum nisi mediante aliquo genere & specie; ergo debet directè pertinere ad aliquod genus & speciem talis prædicamenti; Sicut ergo Character non est qualitas reductiuè, sed directè, ita & est species qualitatis (scilicet potentia) non reductiuè, sed directè.

Et confirmatur primò, Quia Character non est reductiuè in prædicamento, sed directè, aliàs non differret à motione instrumentali sacramentorum, quæ etiam reductiuè pertinet ad prædicamentum sui termini; ergo etiam directè debet pertinere ad aliquod genus & speciem; siquidem non potest intrare prædicamentum nisi mediante aliquo genere & specie.

Confirmatur secundò, Quia sanctus Thomas dicit in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. Quod *Character pertinet ad qualitatem & speciem potentiæ, sicut alij habitus infusi ad primam speciem qualitatis:* sed habitus infusi directè, & non reductiuè ponuntur; ergo & Character.

Ad principale Argumentum Respondetur, Non repugnare quod aliquid directè, & per se pertineat ad aliquod prædicamentum, & tamen solùm reductiuè pertineat ad genus vel speciem talis prædicamenti. Cùm enim perfecta & tota ratio superior non dependeat, sed abstrahat à differentiis contrahentibus, & constituentibus species, bene potest contingere quod aliquid habeat id quod pertinet ad rationem superiorem perfectè & vniuocè, non tamen perfectè attingat differentiam aliquam, quia in illo genere est quid imperfectum; Sicut embrio (verbi gratia) est directè & per se substantia, quia conuenit in illa ratione vniuoca constitutiua substantiæ vt sic; quia tamen imperfectè attingit rationem differentialem animalis, ideo reductiuè tantum est in genere animalis; per se autem in prædicamento & genere substantiæ. Si enim ratio superior & communis abstrahit à differentiis, & habet perfectionem suam seclusis differentiis (siquidem differentiæ sunt extra genus) non repugnat quod aliquid participet totam

Character, absolutè Qualitas & vniuocè, reductiuè potentia.

A illam rationem communem, & tamen non perueniat ad hoc, vt participet totam rationem differentialem perfectè & adæquatè; & tunc erit reductiuè in tali genere, per se autem in prædicamento.

Itaque in illo gradu seu ratione quam perfectè participat, non est reductiuè, sed per se; quoad illā autem rationem quam imperfectè participat, solùm reductiuè pertinebit. Et hoc modo se habet Character, quod rationem & gradum qualitatis perfectè participat; differentialem autem rationem potentiæ, imperfectè; & quia potentia non est species atoma, sed subalterna, quæ simul est B genus, ideo sanctus Thomas dicit, Quod in genere & specie ponitur reductiuè, id est, in genere subalterno, licèt in genere supremo conueniat directè; nec est necesse quod aliquid pertineat directè ad prædicamentum nisi mediante aliquo genere & specie, ad quam etiā directè pertineat, sed sufficit quod reducatur ad aliquam speciem, perfectè tamen ipsam rationem & gradum communem participet, licèt non perfectè attingat differentialem rationem aliquam; & sic ad nullum genus & speciem determinatam directè pertineat, sed reductiuè.

Ex quo patet ad primam confirmationem; Stat enim quod aliquid per se intret prædicamen- C tum aliquod, quia per se conuenit in integra & perfecta ratione communi, reductiuè autem pertineat ad speciem & genus, quia imperfectè attingit talem gradum ob sui imperfectionem. Ad secundam confirmationem dicitur, Quod quando sanctus Thomas dicit, Characterem esse qualitatem, & pertinere ad potentiam sicut habitus infusi pertinent ad habitum, ly sicut non parificare in omnibus, sed in ratione communi; videlicet, quod nec Habitus infusi, nec Character à prædicamento qualitatis excludendi sunt. Expressè enim ibi dicit sanctus Thomas, Quod *ad secundam speciem qualitatis reducitur Character: & quod potentiæ absoluendi, conficiendi, &c. ad* D *secundam speciem qualitatis reducuntur: sicut habitus infusi* (inquit) *in eadem specie sunt cum habitibus naturalibus:* Vbi patet non æquiparari Habitus & Characterem quantum ad modum intrandi speciem qualitatis, sed quantum ad hoc quod non debent ad aliud prædicamentum pertinere, quàm ad qualitatem, ad quam pertinent aliæ qualitates naturales. Hoc enim ibi intendebat Argumentum; vel saltem vult, quod vtrumque per se pertinet ad prædicamentum qualitatis, licèt non eodem modo ad speciem; & ita de Habitibus infusis dicit, Quod *sunt in eadem specie;* de Charactere autem, *Quod reducitur.*

Secundò Arguitur, Character est qualitas quædam permanens, in Anima inhærens, ergo debet ad aliquam speciem, non solùm reductiuè, sed per se directè pertinere. Patet consequentia, Nam Character non se habet vt via, & tendentia ad aliud perfectius, ad quod reducatur, sed est quid permanens, & terminus directus actionis imprimentis illum, ergo oportet quod in se habeat rationem alicuius speciei, & non ad aliquam vlteriorem reducatur, siquidem non est via ad vlteriorem; aliàs eodem modo se haberet sicut virtus sacramentalis, quæ est motio.

Confirmatur primò, Nam bene stat quod aliquid sit directè in vna specie, & reductiuè in alia, quia habet modum illius; sicut patet de habitibus infusis, qui sunt per se habitus, & habent modum

potentiæ,

potentiæ, ergo similiter Character erit directè aliqua dispositio ornans Animam, & reductiuè erit potentia; quod autem per se nullam speciem habeat, videtur impossibile, cùm sit entitas quædam permanens, & actionem aliquam determinatam terminans, ita quod vlteriorem perfectionem non respicit nec expectat; ergo debet ad aliquam speciem per se pertinere.

Confirmatur secundò, Quia genus non potest esse sine specie, nec indiuiduum sine specie; sed Character est per se genus qualitatis; & per se indiuiduum, cùm sit hæc numero entitas hac determinata actione impressa, ergo etiam debet per se habere aliquam speciem, quæ sit sub tali genere, & contrahatur ad tale indiuiduum; vel si reductiuè solùm pertineat ad aliquam speciem, oportet quod signetur species infima ad quam reductiuè pertineat.

Character reductiuè in specie, non vt quid viale, sed vt instrumentale.

Ad principale Argumentum Respondetur, negando consequentiam. Ad probationem dicitur, Quod Character non ponitur reductiuè in specie potentiæ, quia sit via & tendentia ad vlteriorem terminum, sed quia sit imperfectum in genere principij; quia scilicet est potentia & principium tantùm instrumentaliter & ministerialiter deseruiens, nec perfectam habens rationem principij; siquidem non potest operari vt assimilans sibi effectum.

Quare non omne quod reducitur ad qualitatem, ideo reducitur quia sit adhuc in via & tendentia ad perfectam rationem & speciem qualitatis, sed sufficit quod imperfectè participet rationem speciei, ad quam debet pertinere; & quia Character imperfectè participat rationem principij operatiui vel passiui, ideo reductiuè pertinet ad speciem potentiæ, licèt per determinatam actionem imprimatur. Actio enim determinata non solùm perfectam, sed etiam imperfectam speciem qualitatis potest producere; quia illa qualitas non plus exigit ad sui rationem, quàm esse instrumentalem & ministerialem potentiam; quod est esse imperfectum quid in genere potentiæ; oportet tamen quod per aliquam actionem deriuetur & producatur; Sicut videmus quod impulsus per aliquam actionem imprimitur, qui tamen est solùm imperfectè & reductiuè potentia.

Habitus infusi, directè in specie: horũ discrimen à Charactere.

Ad primam confirmationem Respondetur, Esse disparem actionem de habitibus infusis & de Charactere; Nam habitus infusi habent per se esse principia determinata actuum supernaturalium, per modum disponentis subiectum ad finem excedentem naturam; vnde licèt habeant modum potentiæ, quantum ad hoc quod totam actiuitatem proportionatam respectu suorum actuum præbeant potentiæ, & non præsupponant illam in potentia, sed solùm analogicam; tamen quia actiuitatem hanc præbent quasi determinando potentiam, & peculiarem rationem agendi ei præbendo intra latitudinem suæ rationis formalis, eo afficiendo subiectum conuenienter vt dirigatur ad talem finem, ideo habent rationem habitus; quia non solùm respiciunt ipsum operari, sed etiam conuenientiam ad subiectum, & quod subiectum bene disponatur, & sic non tribuunt indifferentiam in hac parte; Vnde & constituunt agens in ratione causæ principalis, proindeque directè pertinent ad speciem aliquam qualitatis.

At verò Character, solùm habet tribuere ministeriale principium operationum sacramentalium, nec respicit quod fiant conuenienter vel A disconuenienter ad subiectum, sed quod simpliciter fiant; nec constituit principalem rationem agendi, nec in principali agente ponitur, vnde solùm reductiuè, & non directè habere debet rationem principij seu potentiæ. Quia ergo ex vna parte non habet disponere vllo modo subiectum conuenienter aut disconuenienter, & ex alia habet rationem principij imperfectè & reductiuè, ideo non se habet sicut habitus infusi, sed solùm reductiuè pertinet ad potentiam.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod Character, & instrumentalia principia, nec sunt directè in genere subalterno, nec in specie B atoma; & consequenter, neque sunt indiuidua directa talium specierum, seu directè participantia rationem potentiæ. Et licèt vniuocè & æqualiter participent supremam rationem qualitatis, tamen non pertingunt ad hoc vt perfectè differentialem, & inferiorem gradum participent; & ideo per se habent esse qualitates, non tamen per se habent esse potentiæ: sicut embrio est per se corpus, non tamen per se est animal. Et similiter potest dici quod embrio est indiuiduum per se corporis, non tamen est indiuiduum per se animalis: & sic non est simpliciter indiuiduum in genere substantiæ, quia non directè participat speciem infimam substantiæ. Similiter Character C est per se indiuiduum qualitatis, & est entitas indiuiduata ex subiecto; quia tamen non habet perfectè, sed solùm reductiuè speciem qualitatis, ideo non est indiuiduum potentiæ simpliciter, nec per se in prædicamento & serie qualitatis, licèt sit per se indiuiduum genericum qualitatis, non tamen indiuiduum potentiæ, & indiuiduum absolutè.

Aduertendum est autem, Quod cùm Character reductiuè pertineat ad speciem, seu genus potẽtiæ, ipsi Characteres specie distinguntur inter se tanquam species quædam imperfectæ, & reductiuè intra tale genus; distinguntur autem per ordinem ad diuersos effectus, quia potentiæ seu principia D operationum, per ordinem ad diuersas operationes & effectus distinguntur. Et ita quod sit principium passiuum Character Baptismalis, & sit principium actiuum Character Ordinis, differentiam specificam dicit. Et similiter quod Character Ordinis sit potentia actiua in ordine ad actiones Hierarchicas & sacras, & Character Confirmationis in ordine ad profitendam fidem, differentiam specificam importat; Sic etiam videmus plures potentias instrumentales distingui specie intra latitudinem imperfectæ potentiæ, & quæ tantùm reductiuè est potentia, vt calamus, penicillus, acus, &c. secundum quod instrumentalia principia sunt.

E Tertiò arguitur, Potentia passiua in Charactere Baptismali non est reductiuè solùm potentia passiua, sed directè, ergo illa per se erit potentia, & non reductiuè tantùm. Antecedens patet, Nam potentia passiua non potest esse instrumentalis; Causa enim instrumentalis reducitur ad efficientem; efficiens autem non potest esse potentia passiua, sed actiua. Et deinde, Quia passiua potentia solùm ordinatur ad recipiendum, in recipiendo autem non interuenit operatio instrumentalis, ergo potentia passiua non est potentia instrumentalis.

Confirmatur, Nam rationes S. Thomæ, quibus ostendit esse reductiuè in genere potentiæ, sunt nullæ: Quod enim dicit, Characterem esse potentiam instrumentalem, non valet; Nam etiam ac-

cidentia sunt instrumenta substantiæ, vt patet in potentiis animæ, & in calore respectu ignis, & tamen non reductiuè, sed per se sunt in specie potentiæ, ergo ex eo quod Character sit virtus & potentia instrumentalis, non tollitur quin per se sit species potentiæ.

Deinde quod dicit, Habere se sicut motionem sacramentalem, quæ est virtus Sacramenti, reductiuè tantum pertinens ad potentiam, etiam non tenet; Quia virtus sacramenti non est qualitas permanens, & ideo solùm reductiuè pertinet ad speciem potentiæ; at verò Character est qualitas permanens, & virtus habens esse permanenter, quæ non reductiuè, sed essentialiter debet pertinere ad speciem potentiæ; ergo illud exemplum non valet.

Denique dicere quod Character sit imperfecta qualitas, etiam non valet. Nam calor est quid multò imperfectius quàm Character, & tamen calor per se ponitur in specie potentiæ respectu ignis; ergo etiam Character cùm sit qualitas perfectior, & potentia perfectior, per se & non reductiuè ponetur in specie potentiæ.

Ad Argumentum principale Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dicitur, Quod potentia passiua non est instrumentalis, efficienter concedo; sacramentaliter seu ministerialiter, nego. Datur enim potentia passiua, non vt aliquid entitatiuè, seu in genere accidentis vel formæ recipiatur materialiter, sed vt sacramentaliter recipiatur. Est autem sacramentaliter recipere, cum debita intentione habituali vel virtuali, vel actuali recipere. Vnde non est purè principaliter recipere. Et fortè etiam Character Baptismalis suscipit etiam entitatiuè & physicè alios Characteres, & gratias sacramentales; & tunc dicitur potentia passiua instrumentalis, & reductiuè potentia; quia non constituit hominem vt connaturaliter suscipiat, & tanquam propriam formam, sed vt ministerialiter suscipiat, seu in ordine ad exercendum opus ministerialiter; vnde solùm datur illa potentia passiua, vt tanquam minister se habeat in actibus, seu formis suscipiendis; seu in recipiendis his, quæ ad ministerialiter se habendum pertinent; non autem vt tanquam principale susceptiuum se habeat, seu in ordine ad formas, quas principaliter & tanquam connaturales sibi suscipiat.

Potentia instrumentalis passiua.

Et licèt ad recipiendum tales formas in genere entis seu accidentis, sola natura Animæ, aut potentiæ sufficerent, sicut & ipsæ suscipiunt Characterem; tamen ad recipiendum illas ex officio & sacramentaliter (etsi physicè suscipiantur) requiritur Character, mediante quo validè suscipitur sacramentum, & gratia sacramentalis; aliique Characteres recipiuntur vt in subiecto postulante illa, non ex connaturalitate causæ principalis, sed ex connaturalitate officij & ministerij; ideoque etiam in suscipiendo ministerialis causa est, licèt in recipiendis illis in ratione entis nulla ratio ministerij attendatur.

Ad confirmationem negatur antecedens; Et ad improbationem primæ rationis dico, Aliud esse quod aliqua potentia sit virtus instrumentalis, aliud quod sit instrumentum naturæ & substantiæ. Calor enim in igne, aut potentiæ in anima, licèt sint instrumenta & facultates agendi, tamen sunt virtus causæ principalis, & per illas constituitur subiectum in ratione causæ principalis, & ad modum causæ principalis operatur; illa autem potentia quæ sic datur subiecto, vt illud non in ratione causæ principalis, sed instrumentalis constituat, quia virtus illa non est virtus agendi simpliciter, sed agendi ministerialiter & instrumentaliter, talis potentia non solùm est instrumentum ad operandum ipsi subiecto, sed virtus instrumentalis; non ab ipso subiecto, sed à causa principali deriuata & pendens: Illa autem virtus quæ est instrumentum sui subiecti, supponit quod ipsum subiectum est causa principalis, & ita est virtus causæ principalis, non autem virtus quæ subiectum constituat instrumentum alterius causæ principalis.

Potentiæ naturales instrumenta substantiæ, non potentiæ instrumentales.

Ad secundam improbationem Respondetur. Exemplum illud sancti Thomæ non tenere in omnibus, sed in hoc, Quod sicut motio sacramentalis est virtus instrumentaria, efficaciter per modum motionis actuans instrumentum, sic etiam Character est potentia instrumentalis & ministerialis, per modum principij afficiens subiectum, vt reddatur sibi debitum & quasi connaturale habere eleuationem & motionem instrumentalem; & sicut vna, pro ea parte qua est instrumentalis virtus, reductiuè & non directè est in genere, sic quia Character est instrumentaria potentia, reductiuè & non per se est potentia.

Motio & Character vt instrumentaria.

Ad tertiam improbationem Respondetur, Quod licèt Character sit perfectior qualitas quàm calor, non tamen perfectior potentia, quia licèt sit qualitas spiritualis, non tamen attingit modum illum potentiæ proprium, quo non instrumentaliter, sed propriè agat. Et bene stat, quod aliquid sit perfectius altero, & tamen non per se, sed reductiuè solum sit in genere vel specie, alterum verò imperfectius sit directè; Sicut lapis est quid imperfectius embrione, & tamen embrio reductiuè est in suo genere & specie, lapis verò directè. Et ita cùm in suo proprio genere (scilicet potentiæ supernaturalis) Character sit quid imperfectum, calor verò in genere potentiæ naturalis sit perfectus, ideo Character reductiuè, calor verò per se pertinet ad potentiam, quæ est secunda species.

Quartò arguitur, Character non analogatur cum aliis qualitatibus, nec cum aliis potentiis, sed vniuocè est qualitas & potentia, alias non pertineret ad prædicamentum qualitatis, ergo non est reductiuè qualitas aut potentia, sed simpliciter. Consequentia patet, Nam quod reductiuè est in aliquo genere aut specie, secundum quid pertinet ad tale genus aut speciem; ergo analogicè conuenit cum aliis, quæ directè & simpliciter pertinent ad talem speciem aut genus.

Respondetur, Characterem non esse analogicè qualitatem, quia perfectè & æqualiter illam rationem supremam qualitatis participat, & ita absolutè & vniuocè pertinet ad prædicamentum qualitatis; Nec enim Character ad aliud pertinet prædicamentum, aut ad nullum, aliàs esset sicut motio sacramentalis. Quia tamen reductiuè solum & imperfectè est potentia, ita quod non attingit essentialem rationem potentiæ, ideo non est inconueniens quod analogicè sit potentia, & solùm secundum quid; sicut embrio hominis vniuocè est corpus & substantia, analogicè autem est homo, quia nondum habet Animam rationalem, & tamen reducitur ad speciem hominis; sic in præsenti, Character est vniuocè qualitas, analogicè autem potentia, quia solùm secundum quid est potentia, & imperfectè & reductiuè, tanquam ministerialis & instrumentalis, non per se simpliciter operatiua.

Character vniuocè qualitas, analogicè potentia.

Articvlvs Tertivs.

Vtrum Character Sacramentalis sit Character Christi?

Conclvsio est affirmativa.

Qvam in copore art. sic ostendit sanctus Thomas. Supponit enim ex dictis in his duobus articulis, quod Character est quoddam signaculum, quo homines ad aliquid deputantur, sicut pecunia ad vsum commutationum, & milites ad pugnæ exercitium; Character ergo cùm ordinetur ad deputandum homines ad aliquid spirituale, oportet videre quomodo illos deputet; Homines autem spiritualiter deputantur dupliciter; vno modo ad fruendum Deo in æterna beatitudine, & sic signantur per gratiam, vt patet Ezechiel. 9. 4. *Signa thau super frontes dolentium*, &c. Et Ephes. 4. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis*. Alio modo deputantur & designantur homines ad ministrandum ea, quæ pertinent ad cultum Dei in Religione Christiana, quæ sola est vera & sanctificatiua hominum; Et ad hanc designationem deseruit Character: ita quod, sicut designantur & secernuntur Electi & Iusti à reprobis & iniustis per gratiam, sic secernuntur Ministri veræ Religionis & cultus Dei, à ministris diaboli, per Characterem. Cùm autem cultus Dei, & Christiana Religio tota deriuetur à Sacerdotio Christi, *qui est Pontifex assistens futurorum bonorum*, Hebr. 9. 1. ergo oportet quod Character deputatiuus ad cultum Dei, sit Character spiritualiter deriuatus à Sacerdotio Christi, & ei spiritualiter configurans; & ideo dicitur Character Christi.

Character sacramentalis, Christi Character.

Notandum est pro huius intelligentia, Quod Christo Domino conuenit Sacerdotium secundum quod homo: Diuinitas enim capax sacerdotij non est; Quia vt notauit sanctus Thomas 3. part. quæst. 22. art. 1. Officium Sacerdotis propriè est esse mediatorem inter Deum & populum, inquantum populo tradit diuina, & Deo offert preces populi; Christus autem non secundùm quod Deus, sed secundùm quod homo Mediator noster est, vt ex August. lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 15. determinat sanctus Thomas 3. p. quæst. 26. art. 2. Conuenit autem Christo esse Mediatorem & Sacerdotem, secundùm quod nobis tradit diuina, & dona supernaturalia largitur, secundùm illud, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, Ephes. 4. 8. & secundùm quod nos reconciliat Deo Patri: Et vtrumque habet ex eo quod habet Gratiam Capitis, vnitus in persona Filio Dei.

Christus Sacerdos vt homo: eius Character propriè; Trinitatis solùm effectiuè.

Character ergo, & est qualitas deriuata in nos effectiuè à tota Trinitate, & specialiter participatiuè & exemplariter à Christo, secundùm quod Sacerdos; & ideo magis appropriatur Character Christo, quàm Patri aut Spiritui sancto; quia licèt à tota Trinitate sit productio eius, id tamen quod producitur est participatio quædam, & ministerialis potentia Sacerdotij Christi; & ideo secundum hanc specialitatem habet esse Character Christi, & deriuari à Christo. Et quia hoc habet Christus vt hypostaticè vnitus Verbo, sub hac ratione habet specialiùs esse Character configuratiuus Verbi & Christi, quam Patris aut Spiritus A sancti, licèt ab omnibus producatur.

Itaque in exemplaritate & participatione Character respicit Sacerdotium Christi; & consequenter Christum secundùm quod homo; in quo differt à Gratia, quæ est immediata participatio naturæ diuinæ; & ideo non respicit Gratiam Christi, aut Christum secundùm quod homo in participatione & exemplaritate. At verò in efficientia, Character est effectiuè à tota Trinitate, & ab Humanitate Christi solùm instrumentaliter, sicut alia supernaturalia dona; & sic dici potest Character Trinitatis effectiuè; Christi autem participatiuè & exemplariter. B

Articvlvs Qvartvs.

Vtrum Character sit in potentiis Animæ sicut in subiecto?

Dvæ conclusiones ex artic. eliciuntur. Prima ex corpore art. Character non est sicut in subiecto in essentia Animæ, sed in aliqua eius potentia.

Secunda conclusio solut. ad 3. Character est sicut in subiecto in potentia cognosciriua, scilicet intellectu.

C Primam conclusionem præter Argumentum *sed contra*, probat sanctus Thomas in corpore art. hoc modo. Character est signaculum, quo quis ordinatur ad tradendum vel recipiendum ea, quæ sunt cultus Dei; cultus autem Dei in actibus consistit, ergo signaculum illud ordinatur ad actus, in quibus consistit & exercetur cultus Dei; Ad actus autem non ordinatur immediatè essentia, sed potentia: Essentia enim solùm ordinatur immediatè ad esse, non ad agere, in essentiis limitatis; ergo Character non habet pro immediato subiecto essentiam, sed potentiam Animæ.

Character in potentiis Animæ.

Sed huic rationi obiicit Suarez. disput. 11. sect. 4. dicens, Quod non omne quod ordinatur ad aliquos actus, oportet quod sit in potentiis, nisi ordinetur ad illos secundùm rationem principij efficientis, aut coëfficientis; quod autem ordinatur ad actus sicut signum, non oportet esse in potentia, sed sufficit quod sit in quacumque parte subiecti commodiori ad significandum; Character autem ordinatur ad actus sicut signum, non sicut principium, & sic non concluditur quod sit in potentia. D

Sed in hac impugnatione supponit Suarez, quod Character sit solùm potentia moralis; Nam signum vt signum solùm ordinatur ad rem significatam, non autem ad actus aliquos exercendos; Character autem licèt sit signum, & relationem habeat ad rem signatam, tamen eius essentia non consistit in ratione signi, aliàs eius essentia esset relatio, sicut essentia signi relatio & ordo est ad rem signatam. Cùm autem essentia eius sit qualitas, & ratione huius essentiæ ordinetur ad actus, in ordine ad quos qualitas illa deputatiua & characteristica imprimitur, inde est quod non in ratione signi, sed in ratione qualitatis impressæ, & deriuatæ à Christo, ordinatur ad actus; Vnde licèt ratio signi moraliter ad actus ordinari possit, tamen quod physicè & ex ratione qualitatis ordinatur, oportet quod sit in illo subiecto immediatè, quod immediatè ex se respicit actus; & tale subiectum potentia est. E

Vindicata ratio sancti Thomæ.

Vis ergo argumenti sancti Thomæ est, Qua-

litas, quæ ex ratione qualitatis ordinatur ad actus, non debet immediatè esse in essentia animæ, sed in eius potentia, ratione cuius ordinatur anima ad agendum, & non ad esse; Character autem non ordinatur ad actus secundùm rationem signi seu relationis, sed secundùm rationem qualitatis, & essentiæ absolutæ; ergo oportet quod sit in potentia, & non in essentia animæ.

Character in intellectu.

Secunda conclusio ostenditur à sancto Thoma, Quia Character ordinatur ad cultum Dei secundùm quod consistit in protestatione fidei sensibiliter facienda, in tradendis vel recipiendis Sacramentis, ergo oportet quod Character sit in potentia, in qua est fides, ad cuius exteriorem protestationem ordinatur, ergo debet esse in intellectu.

Et hanc etiam rationem non admittit Suarez; Tum quia non oportet signum esse in eodem subiecto, in quo est res significata; tum quia si ratio hæc aliquid probat, magis probaret esse in voluntate; quia Religio, quæ in voluntate est, elicit ea quæ pertinent ad cultum Dei, licèt à fide dirigi possit; ergo magis in voluntate, quàm in intellectu ponendus est Character, si ad cultum Dei spectemus.

Vindicata ratio sancti Thomæ.

Nihilominus non rectè penetrauit Suarez rationem sancti Thomæ; Nam cultus Dei vt respicitur à Religione, respicitur vt dignè & bene fiat & religiosè; Character autem non ordinatur ad cultum Dei religiosè fiendum, sed sacramentaliter validè; vnde non debet pertinere ad potentiam in qua est religio, sed ad illam vnde oritur ipsa sacramentalis fidei protestatio, validè & sacramentaliter facienda; & ita Character ordinatur ad aliquid religiosum ex parte obiecti, non ex parte subiecti; id est, vt aliquod opus religiosum fiat, non verò vt religiosè fiat; & ita non debet esse in voluntate, quæ subiectum bene ordinat, sed in intellectu, qui opus ordinat religiosum. Et licèt signũ non debeat esse vbi est res significata, tamen Character non est signum tantùm, sed principium sacramentaliter operandi; & ideo non vbi res significata, sed vbi est principium operationum & effectuum suorum, qui pertinent ad protestationem fidei, collocari oportet; quos respicit, non secundùm quod bene, sed secundùm quod verè fiunt; & ita potius ordinatur ad actus sub ratione veri, quàm sub ratione boni.

DVBIVM VNICVM.

Vtrum omnis Character sit tanquam in subiecto in intellectu?

CONCLVSIO EST AFFIRMATIVA.

PRo cuius intelligentia, & rationis sancti Thomæ, Considerandum est quomodo Character ordinet ad cultum sacramentalem Dei secundùm rationem veri, & non secundùm rationem boni. Est autem Aduertendum, Quod Character est participatio quædam, & deriuatio à Sacerdotio Christi, vt dicit sanctus Thomas art. 3. secundùm quod ipse per Sacerdotium suum instituit Religionem Christianam, & eos, qui huic Religioni ministrare deberent, quadam Sacerdotij huius participatione insigniuit. Sacerdotium autem in Christo Domino ad duo ordinatur, scilicet ad communicandum diuina Fidelibus. Dicitur enim Sacerdos, quasi *dans sacra*, secundùm illud Malach. 2. 7. *Legem requirent ex ore eius*, id est, Sacerdotis. Et deinde ordinatur ad offerendum preces populi & fidelium ad Deum, & vt pro eorum defectibus mediet & placet Deum, secundùm illud Hebr. 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his, quæ sunt ad Deum: vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*: quod explicat latè sanctus Thomas tertia parte quæst. 22. art. 1. Ad exercenda autem ista duo, quæ Sacerdotium expostulat, oportet Sacerdotium esse in intellectu, & non in essentia animæ, vel in voluntate; præsertim adiungendo quod per tale Sacerdotium institui debebat Religio & cultus Christianus.

Sacerdotium Christi, & nostrum.

Etenim communicare hominibus diuina debet fieri per actum intellectus; similiter & offerre nos Deo, ipsumque pro nobis placare, actu intellectus fit. Institutio etiam Christianæ Religionis, per intellectum instituentem & dirigentem debet fieri; in qua institutione primò & per se attenditur, quod tales aut tales cæremoniæ instituantur, quibus homines in vnum nomen Religionis coadunentur, & sanctificari possint. Hæc autem omnia peragere, nec ad essentiam Animæ pertinet, nec ad voluntatem, sed ad intellectus directionem. Etenim offerre, & interpellare ad Deum, actus intellectus sunt. Offerre enim est exhibere aliquid alteri, dirigendo illud in ipsum. Exhibitio autem seu manifestatio per intellectum fit: interpellatio etiam cõstat quod fiat per intellectum. Dare autem seu tradere sacra aliis, per intellectum fieri debet, dirigentem id quod tradit ad alterum.

Sacerdotium eiusq; actus in intellectu.

Igitur oportet quod Sacerdotium sit in intellectu, non in voluntate aut essentia Animæ, quatenùs ea quæ exequitur, siue offerendo, siue interpellando, siue dando sacra, ex intellectu pendent; vnde & dicitur, Quod *legem requirent de ore eius*, Malach. 2. 7. quod prorsus ad intellectum pertinet hæc sacra dare. Quod si etiam instituat cultum & religionem ac cæremonias, manifestè id debet facere intellectus, sic instituens aut dirigens. Si ergo Sacerdotium Christi debet esse aliquid ad intellectum pertinens, Character qui est participatio talis Sacerdotij, exequens ministerialiter id, quod Sacerdotium Christi principaliter, debet etiam ad intellectum pertinere; siquidem participatio quasi diminuta Sacerdotij Christi, ad idem debet pertinere & ordinari, ad quod ipsum Sacerdotium Christi, & secundùm eandem potentiam operari.

Et pro ampliori huius explicatione, Notandum, Quod sicut dicit sanctus Thomas 3. part. quæst. 22. art. 1. ad 2. & 3. *Sacerdotium Christi est potestas hierarchica suprema, quæ fundatur in plenitudine & eminentia gratiæ, per quam est simul Rex & Sacerdos*, &c. Eminentia autem gratiæ Christi, constituit ipsum Caput Ecclesiæ, vt dicitur quæst. 6. art. 5. & 6. Et idem est esse Caput & Pontificem æternum. Caput autem est, & quoad interiorem influxum virtutis, quæ fit per gratiam, & quoad exteriorem gubernationem, qua totum Ecclesiæ corpus gubernat, vt ibi art. 6. dicit sanctus Thomas, ex Paulo ad Col. 2. 19. *Caput est, ex quo corpus per nexus & coniunctiones subministratum crescit in augmentum Dei*. Sicut ergo homines per gratiam configurantur Christo in ordine ad gloriam, & virtutem Capitis, quam ministrat; sic per Characterem configurantur gratiæ Christi seu capiti, vt gubernanti Ecclesiam, in his, quæ

sunt cultus Christiani. In his autem in quibus A Christus se habet vt gubernator supremus, ij qui configurantur ei, se habent vt Ministri 1. ad Cor. 4. 1. *Sic nos existimet homo*, &c. Et 2. ad Cor. 5. 20. *Pro Christo legatione fungimur.*

Vt autem aliquis sit Minister, requiritur primò & per se vt ea, in quibus ministrat, validè faciat, & non vanè; id autem quod deputat aliquem ad faciendum aliquid primò & per se, & quantum ad validitatem actus, vt potentia se habet, quia habitus non primò & per se facit actum validum, sed conuenientem aut disconuenientem. Et quia est deriuatio potestatis Christi gubernatiuæ & directiuæ, quæ fit per actus intellectus, in ordine ad ea quæ sunt protestatiua cultus Christiani, ideo B potestas eius ministerialis etiam ad intellectum pertinet, in quo est fides. Et licèt perdatur fides, manet id quo ministratur protestatio fidei. Nec Christus concurrit ibi ad bene vel malè ex parte subiecti, sed ad valorem sacramenti; sicut Rex designat homines qui validam monetam faciant; & si qui aliter faciunt, non valet; Et licèt Christus in his, quæ influit per interiorem & occultam virtem Capitis, permittat mutationem, & non permanentiam in gratia; cæterum in his quæ ad gubernationem pertinent, non admittit mutationem, quomodocumque fiant. Et ideo dicitur Psal. 2. 9. *regere in virga ferrea*, id est, inflexibili. Et iterum Psal. 109. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimico-* C *rum, &c.* dominatio ergo ista, etiam in medio malè agentium relucet.

Explicatur autem hoc amplius ex ratione sancti Thomæ, posita in secunda conclusione articuli. Quia scilicet Character ordinatur ad ea quæ sunt cultus Dei, qui consistit in quadam protestatione fidei. Cultus enim Dei vel potest accipi ex parte nostra, vel ex parte rerum quibus exercemus hujusmodi cultum. Ex parte quidem nostra cultus Dei est reuerentia, quam Deo exhibemus. Hoc enim generaliter respicit Religio, vt latè sanctus Thomas ostendit 2. 2. quæst. 81. & sequentibus. Vnde & talem reuerentiam Deo exhibere, subiiciendo se illi, pertinet ad voluntatem, in qua residet virtus Religionis. Res autem quibus exer- D cemus huiusmodi cultum, sunt ritus aliqui, aut cæremoniæ, aut sacra, quibus protestando excellentiam diuinam, secundùm fidem quam de ipso habemus, eum colimus. Character ergo non ordinatur ad ipsum cultum Dei in se, & secundùm quod ex parte nostra se tenet; per Characterem enim operando, etiam irreuerenter & irreligiosè, potest homo tractare diuina; sed ordinatur, inquit sanctus Thomas, *ad ea quæ sunt diuini cultus*; id est, ad res illas, quibus exercemus diuinum cultum. Res autem istæ, licèt secundùm voluntatem religiosam religiosè tractentur, & non solùm tanquam bonum ex parte obiecti, sed etiam bene ex parte subiecti ordinentur in reuerentiam E diuinæ Majestatis, tamen secundum quod a Charactere respiciuntur, non attenditur quod bene vel malè ex parte subiecti fiant; sed quod ex parte obiecti fiat quoddam bonum, seu bonus ritus & sacrum, in quo reluceat protestatio fidei diuinæ secundùm symbola exteriora.

Vt ergo ministerialiter fiant & exerceantur ea, quæ ad cultum istum diuinum secundùm protestationem fidei pertinent, necessarium videtur & congruum, vt principium ministrandi illa in eodem subiecto sit, in quo est fides; quia videlicet non datur tantùm vt signum, sed vt ministrandi potentia. Et quia ministrat ea, quæ ad fidei protestationem pertinent, & non secundùm quod cultus diuinus bene fit ex parte subiecti, sed secundùm quod verus & bonus est ex parte obiecti, ideo non ad voluntatem pertinere debet principium hoc, sed ad intellectum; nec ad essentiam Animæ, quia non datur à Deo in ordine ad esse, vel ad ornatum ipsius esse, sed in ordine ad exequendum ea, quæ sunt cultus diuini; sicut Sacerdotium Christi non est in essentia Animæ, nec datur in ordine ad essentiam & ad esse, sed in ordine ad actus aliquos secundùm intellectum ministrandos.

Est enim Character quasi potestas ordinatiua, non affectiua; nec datur vt moueat, sed vt ministret quasi mota. Ordinare autem pertinet ad intellectum, & ita Character ordinat quid sit agendum; quia respicit quod validè fiat, non quod bene fiat. Vnde dicit Apost. 1. Cor. 4. 1. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Dispensatio autem potestatem dicit ministerialem, sed ordinatiuam; quatenùs ordinat & determinat. Dispensatio ergo & distributio mysteriorum, non secundùm moralitatem dignè & fideliter dispensandi, nec secundùm rationem assentiendi & credendi, sed secundùm rationem validè conficiendi ea, quæ pertinent ad sacramentalem rationem, & mysterium cultus diuini, & Christianæ Religionis, est actus Characteris; non producendo actus intellectus, sed eis vtendo in ratione ministrandi.

Soluuntur Argumenta.

Sed contra objicitur primò. Vt Character sit in potentiis Animæ, vel magis in vna potentia quàm in alia, oportet quod magis conferat ad actus, seu rationem formalem vnius potentiæ, quàm alterius; sed Character non confert ad potentiam cognoscitiuam magis quàm ad volitiuam; ergo non est ponendus in illa vt in subiecto, sed in essentia Animæ. Maior certa est, Quia subiectum & actus debent proportionari, ergo vt constituamus intellectum subiectum Characteris, oportet quod magis proportionetur, & conferat eius actibus & rationi formali, quàm alterius potentiæ. Minor patet, Quia ad Characterem non pertinet perficere rationem veri, aut rationem boni in cognoscendo aut volendo, sed solùm instrumentaliter exequi actus sacramentales; ergo non conducit ad rationem formalem cognoscitiui, quæ non instrumentaliter, sed vitaliter habet tendere in verum.

Confirmatur primò, Potentia Animæ non est capax alicuius actus, qui nec est actus primus nec secundus talis potentiæ; Character autem neque est actus primus neque secundus potentiæ, cùm nec sit habitus eius, neque actio, ergo potentia Animæ non est capax eius. Minor constat, & maior probatur, Nam potentia Animæ tota est ordinata ad suos actus, & inclinatio quædam ad agendum; ergo solùm perfici potest per qualitatem, quæ pertineat ad actiuitatem & rationem agendi; ad actiuitatem autem solùm pertinet actus primus aut secundus, ergo solùm est capax alicuius actus, qui sit actus primus vel secundus.

Confirmatur secundò, Nam quando aliquid imprimitur alicui rei vt sit signum, debet imprimi in illa parte & subiecto, quod est notius cæteris;

substantia autem spiritualis secundùm se notior est A potentiis, cùm sit prior illis, & spiritualiter cognoscenti etiam est prior; ergo cùm proportionari ei debet signum spirituale, qualis est Character, oportet vt sit in ipsa substantia Animæ, tanquam in notiori.

Ad principale Argumentum Respondetur, Quod Character debet conferre magis ad actus, secundùm rationem formalem vnius potentiæ; non quidem adiuuando, aut perficiendo potentiam secundùm modum ipsius potentiæ, sed quia ordinat hominem ad actus, proportionem & connexionem habentes cum tali potentia, & ratione formali eius. Character enim non datur vt B habitus, qui præsupponat in Anima potentiam tanquam principium actuum, ad quos ordinetur; sed potius vt potentia ab extrinseco adueniens, imperfecta tamen & ministerialis in ratione potentiæ. Vnde cùm sit potentia ministerialis & extrinseca, non debet radicari in ipsa Anima (sic enim esset ei connaturalis) vnde nec in essentia Animæ debet inhærere immediatè; sed cùm sit potentia secundùm quid & reductiuè, oportet quod reducatur ad illam, ad cuius actus & rationem formalem magis proportionatur & assimilatur.

Ad Characterem autem, licèt non pertineat perficere rationem veri aut boni, secundùm rationem cognoscitiui aut volitiui, quia non se habet vt principium elicitiuum actuum vitalium; pertinet tamen ministerialiter & sacramentaliter validè exercere signa sensibilia, habentia virtutem spiritualem, & protestatiua fidei Christi, & descendentia à Sacerdotio Christi, in quo ei, Character ministrat; & quia Sacerdotium Christi ad intellectum pertinet, ideo ratio ministratiua eius Sacerdotij in signis istis sensibilibus, ad intellectum Ministri pertinere debet, vt agat tanquam minister, seu instrumentum animatum. Datur autem Character vt perficiat practicè, non speculatiuè actus cognoscendi, quantum est ex parte effectuum, dando vim actibus vt validè illos exerceant.

Itaque non vt actus intellectus eliciatur, quantum ad formalem rationem aut vitalitatem, vel modum principalis causæ datur character, sed vt ministerialiter vim, & efficaciam tribuat actibus, quibus ministratur Sacerdotio Christi; non ministratur autem nisi actibus intellectus, & vt isti actus vim habeant sacramentalem, ad hoc deseruit Character; Nec enim efficacia ista solum moralis est, sed etiam physica, vt procedit à Ministro ad hoc vt validitatem physicam tribuat ipsis sacramentis in genere sacramentali. Quia ergo Character datur ad ministrandum verum sacramentum, non attendendo ad modum quo debet fieri ex parte subiecti, sed ad hoc vt fiat iuxta participationem sacerdotij Christi, & protestatiua signa fidei eius, ideo ad formalem rationem intellectus spectat, non adiuuando illam in eliciendis actibus suis, sed proportionem habendo cum illa, & magis ordinata ad verum conficiendum, & bonum sacramentum, quàm ad bene vel malè.

Ad primam confirmationem Respondetur, quod potentia non est capax alicuius actus sibi connaturalis, aut ad modum sibi connaturalem dati, qui non sit actus primus, aut secundus; Character est actus primus ministerialis, & ideo per modum potentiæ se habet, quia non dat actum primum per modum conuenientiæ bene vel malè, sed per modum principij, non simpliciter, sed ministerialiter, vt validè fiant actus, non vt conuenienter. Est tamen capax actus ab extrinseco aduenientis, per modum potentiæ ministerialis, & illa qualitas non erit actus primus, aut secundus, quia non datur ipsi vt per illam tanquam per naturam agat ad modum causæ principalis, sed vt ministerialiter & instrumentaliter se habeat.

Ad probationem majoris Respondetur, Quod potentia est tota inclinata ad actus, & inclinatio ad agendum, & ideo connaturaliter & iuxta modum proprium solum est capax actiuitatis, quæ sit actus primus, aut secundus; ministerialiter autem est capax non solùm actiuitatis, quæ sit actus primus, sed etiam potentiæ, siuè actiuæ, siue passiuæ in ordine ad actus, quos ministerialiter debet exercere, si ministeriale illud exercitium habeat proportionem & conuenientiam cum actibus illius potentiæ in qua subiectatur; sic enim character cùm sit potentia ad protestandam exterius fidem per signa sensibilia, conuenienter in ipso subiecto fidei ponitur.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Characterem non esse signum quasi primariò & essentialiter, sed esse potestatem spiritualem fundantem rationem signi; & ideo non oportet quod sit in substantia Animæ immediatè, sed in ea parte, quæ talem potestatem conuenienter exercere potest.

C Secundò dicitur, Quod potentia Animæ, præsertim intellectiua, notior est quam substātia Animæ, sicut effectus & passio notior est sua causa, & suo subiecto, & sic in illo tanquam in notiori ponetur characteris signum.

Tertiò Respond. Quod etiamsi substantia sit notior secundum se, tamen Character non ordinatur ad notificandam substantiam, sed potius actus sacramentales, & protestandam exterius fidem, sicque non datur vt purum signum, sed vt potestas ad actus speciales diuini cultus, vnde & significare debet ipsos actus, cuius est potestas; ac proinde potius debet poni in potentia, quæ dicit ordinem ad actus quàm in Anima, quæ dicit ordi- D nem ad esse, & non immediatè ad actus.

Secundò arguitur, Character non est principium alicuius actus pertinentis ad cultum Dei, siue intellectus siue voluntatis; ergo non est ponendus in intellectu, aut voluntate. Consequentia patet, Quia tota ratio ponendi Characterem in intellectu vt in subiecto, est quia ordinatur ad protestandam fidem exterius, & ad actus qui propriè pertinent ad intellectum. Antecedens probatur inductione, discurrente per omnes tres Characteres; Nam Character Baptismi datur ad recipiendum validè alia Sacramenta; ad hoc autem ex parte intellectus solùm requiritur aliqua co- E gnitio fidei, aut prudentiæ; ex parte voluntatis, intentio recipiendi sacramenta; Ad hos autem actus non concurrit Character, ergo non est assignare actum, qui Characteri correspondeat.

Similiter in Confirmatione, actus ad quem ordinatur Character est constans professio fidei, & hunc actum fides elicit, non autem Character, ergo non datur ad aliquem actum; quia omnes actus quos imaginari possumus in Charactere, eliciuntur à fortitudine aut à fide, &c.

Denique in Charactere Ordinis solùm requiritur aliqua intentio, aut actus fidei, vt exequatur quis sacramentales actus; ad intentionem autem, vel actum fidei eliciendum non concurrit Character, sed voluntas aut fides, ergo.

Nec dici potest, Quod concurrat Character ad modum, seu virtutem imprimendam illi intentioni, & illis actibus, non autem ad ipsam substantiam eliciendam; contra hoc est primò, Quia in Charactere Confirmationis non potest assignari quæ sit illa virtus physica, aut modus impressus. Secundo, Quia licèt requiratur Character Baptismi vt intentio recipiendi sacramenta sit valida, tamen hoc non requirit aliquid physicum à Charactere deriuatum; quia non alio modo, nec cum alia virtute requiritur intentio ad suscipienda alia sacramenta, quàm ad recipiendum ipsum Baptismum; ad recipiendum autem Baptismum sacramentaliter non requiritur aliquid physicum in intentione, deriuatum à Charactere, quia qui suscipit Baptismum, non habet Characterem, ergo.

Et simile Argumentum potest fieri in Charactere Ordinis; Sicut enim intentio valida ministrandi Baptismum non requirit in ipsa intentione aliquid physicum prouenieus à Charactere, sic neque intentio valida ministrandi alia Sacramenta requirit aliquid physicum à Charactere Ordinis proueniens. Nec potest explicari quæ qualitas sit illa aut modus, qui imprimitur intentioni Ministri; siquidem illa intentio physicè non est efficacior quàm in non habente Characterem, cùm versetur immediatè circa ipsum Sacramentum, ad quod physicè efficiendum, quantum ad id quod sensibile & physicum est in Sacramento, non requiritur specialis illa qualitas in intentione.

Denique si dicatur, Quod Character non ordinatur ad cognoscendum vel appetendum, sed ad operandum practicè protestationem fidei sensibilibus signis; contra hoc est. Quia iam non est fundamentum vt ponatur in intellectu Character, siquidem non ordinatur ad actus cognitionis; Nam si Character est operatiuus, vel actionis vitalis interioris; & ad hanc non requiritur potentia noua, sed sufficit intellectus aut voluntas cum habitu; vel est operatiuus actionis exterioris & transeuntis, & ad hanc non requiritur quod Character sit in intellectu; præterquam quod explicari non potest in quo consistat actio transiens & exterior.

Character principium actus ministerialiter. Ad principale Argumentum Respondetur, distinguendo antecedens; Non est principium alicuius actus, ministerialiter ad cultum Dei ordinati, nego; non est principium alicuius actus principaliter eliciendi in cultum Dei, & tanquam à causa principali, concedo. Quid autem sit ministerialiter concurrere & habere actus? Dicimus quod non est producere aliquem actum cognitionis aut volitionis; quia totum quod est in volitione aut cognitione, procedere debet à causa vitali, & ad modum principalis se habente; sed producere hos actus, & dirigere actiones exteriores sacramentaliter, & secundùm subordinationem ad Sacerdotium Christi.

Itaque sicut actiones Christi Domini, siue interiores siue exteriores, physicè ab eius Sacerdotio pendent, vt iustificationem nostram operentur; sic cooperatores Christi & Ministri, habent medio Charactere exequi validè actiones istas, quibus iustificatio nostra impletur, vt descendit à Christo. Non ergo Character habet aliquem actum proprium, cuius substantiam elicere pertineat ad ipsum Characterem; quia omnis actus cognitionis aut volitionis, secundùm elicientiam & substantiam suam debet procedere à forma, vt a causa principali; Character autem non est forma productiua principaliter, & per modum formæ, sed solùm homo mediante Charactere debet subordinare, & conformare actus suos Sacerdotio Christi; & secundùm hanc subordinationem validè exercere sacramentales actus, siue passiuè siue actiuè se habendo erga illos.

Actus ergo intellectus, & actus exteriores, secundùm se & substantiam suam non pendent à Charactere; secundùm autem quod configurantur & subordinantur Sacerdotio Christi, vt ministerialiter ei deseruiant, & ab eo efficaciam participant, sic pendent à Charactere. Cùm enim actus nostri ex natura sua non habeant subordinari specialiter Sacerdotio Christi, in his quæ pertinent ad Religionem Christianam, neque ad id sufficiat moralis & extrinseca deputatio, quia aliàs non esset necessarium ad id imprimere qualitatem in Anima; inde fit, quod Character habeat hanc subordinationem actibus imprimere, & secundùm eleuationem instrumentalem validè actus sacramentales perficere, aut passiuè, aut actiuè. Dicimus ergo, quod quantum ad istum modum specialis subordinationis & configurationis, actus nostri pendent à Charactere, non autem secundum substantiam suam. Et licèt intentio sit actus voluntatis, quia tamen procedit ab intellectu, necesse est quod in intellectu subordinationem hanc recipiat a Charactere, potius quàm in voluntate, vt mox dicetur.

Ad improbationem, & replicam huius, Respond. Ad primam, Quod in Charactere Confirmationis etiam datur subordinatio hæc ad Sacerdotium Christi, quatenùs ille actus professionis publicæ, fit ministerialiter ab isto & sacramentaliter, vt à roborato in vita Christiana; & non solùm vt ab habente habitualiter fidem: in illo enim se habet vt Minister, non in hoc: Vnde ex alio auxilio procedit, quod iste ratione habitus profiteatur fidem, vel quod ratione ministerij, & vt specialiter Christo deseruiens in hac parte in ordine ad cultum sacramentalem eius. Nec enim ad hoc facit intensio habitus fidei, secundùm quem etiam non Confirmatus potest confiteri fidem; sed facit roboratio sacramentalis, qua in vita Christiana vt Ministro Christi, sacramentaliter ei consignato, debetur firmitas, qualis non debetur baptizato ex vi sacramenti; esto per accidens ex intensione fidei possit non confirmatus etiam firmiter profiteri fidem; non tamen secundùm eandem rationem & motiuum agendi.

Sed quid in paruulo, qui iam baptizatus, si ei detur Confirmatio vel Eucharistia, validè suscipit Sacramenta ista, & tamen nullum habet actum Character? Respondetur, Quod ad suscipiendum validè vt adultus, requiritur actus à Charactere formatus; ad recipiendum vt paruulus, sufficit habitus gratiæ cum Charactere, & habitus virtutum.

Ad secundam improbationem dicitur, Quod Character Baptismi requiritur vt valida intentio recipiendi sacramenta, quæ præsupponunt hominem Christianum, non faciunt. Vnde ad Baptismum non validatur intentio ex vi alicuius Characteris, quia non pendet valor intentionis ex eo quod sit regeneratus, & intra Ecclesiam positus, sicut pendet in susceptione aliorum Sacramentorum. Vnde cùm susceptio aliorum à pluribus pendeat, non mirum quod alio modo, & cum alia vir-

tute & validitate requiratur intentio ad suscipienda alia Sacramenta, quam ad suscipiendum Baptisma.

Ad tertiam probationem de Charactere Ordinis, Dico quod actus quibus Sacerdos ministrat, siue sit intentio, siue quiuis alius, quo applicatur ad conficienda Sacramenta, habent efficaciam ad validè conficiendum ex vi Characteris, quam non habent actus procedentes ab eo, qui Characterem non habet. Vnde non Sacerdos baptizans, habet quidem validam intentionem ad sacramentum conficiendum, in cuius validitatem Character non influit; quia ob summam eius necessitatem sic instituit Christus Dominus: non tamen hinc sequitur, quod respectu aliorum Sacramentorum, quibus Characterem destinauit, aut quando mediante Charactere voluit ea fieri, Character non influat in illa; id enim quod sine Charactere validum & efficax esse voluit, ob summam necessitatem, mediante Charactere voluit validare, quando ex officio fit; Sicut licèt sine habitu possit fieri demonstratio, aut quilibet alius actus ad quem habitus inclinat; hinc tamen non fit, quando mediante habitu scientiæ demonstramus, non influere habitum scientiæ in talem actum.

Ad id quod dicitur, Quæ qualitas aut modus sit iste, qui intentioni aut aliis actibus Ministri imprimitur? Respondeo, Esse modum sacramentaliter operandi & efficiendi illos actus, conformes & subordinatos Sacerdotio Christi: nec solùm in genere entis, sed etiam in genere sacramentali, & specialiter ad cultum Dei pertinentis in Christiana Religione, eos elicere.

Ad id denique quod dicitur, Non esse fundamentum vt ponatur in intellectu Character, si non ordinatur ad appetendum aut cognoscendum: Respondetur poni in intellectu potius quàm in voluntate, quia subordinatio ad Sacerdotium Christi, in his quæ sunt specialiter Religionis eius, pertinet ad intellectum, ad quem pertinet Sacerdotium Christi. Item, Quia esse specialiter protestatiua fidei sensibiliter secundum ritum Christianum, oportet quod descendat à potentia illa, quæ tractat & ordinat ea quæ fidei sunt, potius quàm ad voluntatem, quæ tractat bonum modum se habendi erga ea, quæ fidei sunt. Et ideo simpliciter esse protestatiua fidei in ritu Christiano, & secundùm configurationem ad Sacerdotium Christi, magis est opus ministeriale intellectus, quàm voluntatis.

Ad id quod dicitur, An sit operatiuus actus vitalis interioris, an exterioris? dico, Quod neque exterioris neque interioris, quantum ad substantiam & elicientiam; cùm isti eliciantur à subjecto vt à causa principali; sed tam interioris quàm exterioris, quoad modum, seu ministerialem rationem, qua seruitur Sacerdotio Christi; & quo in validitate sacramentali & religiosi cultus Christo configurantur, & protestatiui fiunt fidei eius in ritu Christiano.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Character insit Animæ indelebiliter?

DVæ conclusiones possunt elici ex Articulo. Prima, Character indelebiliter manet in Anima; in fine corporis.

A Secunda, Post hanc vitam manet Character; in solut. ad 3.

Circa primam conclusionem duo termini notandi sunt, scilicet *in Anima*, & *indelebiliter*. De primo termino nihil in præsenti Articulo, quia est materia præcedentis Articuli, vbi determinatum est in qua parte Animæ maneat, scilicet in parte intellectiua, quod in præsenti etiam repetit sanctus Thomas, in corpore.

De secundo termino est totus hic Articulus; scilicet indelebiliter; Circa quem statim se offert Aduertendum, quod notauit Caietanus hîc §. 1. & post illum Commentatores alij, Quod potest dupliciter sumi; vel respectu omnipotentiæ B Dei, & iste non est sensus literæ; quia certum est, quod sicut ipsa Anima potest destrui, saltem per suspensionem conseruationis, sic & Character potest destrui, suspendendo conseruationem eius; Vel secundùm legem communem, seu attenta natura ipsius Characteris, & in hoc sensu intelligenda est conclusio vtraque.

Prima ergo conclusio est de fide, definita in Concil. Florent. in Decreto Eugenij, & in Trident. sessione 7. canone 9. vbi Character dicitur *signum indelebile*.

Ratione autem probat hanc conclusionem sanctus Thomas, præter Argumentum *sed contra*, C in corp. hoc modo, Sacerdotium Christi est æternum; sed Character sacramentalis est quædam participatio Sacerdotij Christi in Fidelibus eius, ergo Character indelebiliter manet in Anima. Majorem non aliter probat D. Thomas, quàm ex sacris Script. ex illo Psal. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum.* Et posset adduci etiam illud Pauli ad Hebræos 7. 24. qui postquam de Christo intellexit testimonium Psal. præcedens, addit, *Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Minorem probat D. Thomas ex art. 3. præcedenti; vbi probatum reliquerat, *Quod Character sacramentalis est Character Christi, cuius Sacerdotio configurantur fide-* D *les secundum sacramentales Characteres, qui nihil aliud sunt quàm quædam participationes Sacerdotij Christi, ab ipso Christo deriuatæ.* Consequentiam verò probat; Quia omnis sanctificatio, quæ fit per Sacerdotium Christi, est perpetua, re consecratâ manente. Adducit exempla de Ecclesia, & Altari consecrato, cuius consecratio semper manet, nisi destruatur vel Ecclesia, vel Altare; Et cùm Anima, in qua recipitur Character, sit perpetua & incorruptibilis, sequitur bene quod consecratio eius, quæ fit per Characterem, etiam sit perpetua; ac per consequens Character.

Contra conclusionem arguit Scotus, in 4. dist. 6. E q. 9. ab inconuenienti, scilicet quod virtus sacramentalis, seu supernaturalis in Sacramentis nunquam posset corrumpi, sicut Character ponitur indelebilis à D. Thoma, quod tamen apparet falsum, cùm plura Sacramenta (immò & omnia præter Eucharistiam) in fieri actionis consistant, & sint successiua, & nullam permanentiam habeant; & per consequens, nec virtus sacramentalis supernaturalis, si in illis daretur: Hoc inconueniens elicit Scotus ex hac concl. ad probandum intentum suum, Quod scilicet non detur talis virtus in Sacramentis, de quo supra q. 62 art. 1. & 4.

Contra rationem etiam potest objici; tum quia minor assumpta non est vniuersaliter vera; Quia non omnis Character est participatio Sacerdotij Christi;

Christi; quod probatur, Quia vt habet D. Thomas art. 3. per Characteres Fideles figurantur Christo; sed licèt per Characterem Sacerdotalem, Fideles, qui instituuntur Sacerdotes, figurentur Christo summo Sacerdoti, & ideo Character Ordinis sit participatio Sacerdotij Christi; tamen per Characterem Baptismi, & Confirmationis Fideles non fiunt Sacerdotes, vt est notum; & sic per tales Characteres non assimilantur Christo Sacerdoti; & consequenter nec Characteres possunt dici participationes Sacerdotij Christi.

Tum quia consequentia non est formalis; Quia vis rationis consistit in illo principio, Quod Sacerdotium Christi est æternum, & ideo participatio talis Sacerdotij est æterna, quia est participatio alicuius æterni. Instatur enim in Gratia, quæ est participatio naturæ diuinæ, quæ non est minus æterna quàm Sacerdotium Christi, & tamen non est perpetua nec indelebilis, quamuis recipiatur in Anima, in qua recipitur Character; & idem est de aliis habitibus supernaturalibus.

Nec satisfacit solutio D. Thomæ hîc ad 1. & 2. scilicet quod gratia est forma completa, & datur vt Anima media illa operetur vt causa principalis iuxta suum liberum arbitrium; & ideo datur iuxta conditionem Animæ, liberè & mutabiliter operantis; Character verò est virtus instrumentalis, & ideo sequitur conditiones agentis principalis, à quo natus est moueri; vnde sequitur immobilitatem principalis agentis.

Non, inquam, satisfacit hoc, Quia ex hoc ipso sequitur inuentum, quod consequentia non sit formalis; siquidem vltra hoc quod est esse participationem alicuius æterni (in quo conuenit Character cum Gratia) requiritur aliud principium, in quo Character differt à Gratia. Ex quo probatur indelebilitas in charactere, & non in gratia; & hoc principium deficit rationi, propter quod deficit consequentiæ formalitas.

Præterea, Quia sicut gratia datur, vt ea homo vtatur quomodo, & quando vult, ita Character taliter est virtus instrumentalis, vt eo vtatur homo quomodo, & quando vult; quia Sacerdos liberè potest quomodo, & quando voluerit vti Charactere ad consecrandum, ergo si gratia propter hoc est delebilis, quamuis sit participatio alicuius æterni, ita in Charactere non probatur immutabilitas, propter hoc quod est participatio Sacerdotii æterni, sed poterit esse delebilis sicut gratia.

Respondetur ad Scotum, omissis quæ iam diximus supra locis citatis, cum Caiet. hîc. §. *Aduerte secundò.* Quod ex indelebilitate Characteris in Anima, quandiu anima manet, posset etiam probari virtus supernaturalis in Sacramentis, quandiu manent Sacramenta; vt in Eucharistia quandiu manent species consecratæ incorruptæ, quia ibi manet Corpus Christi, in quo est talis virtus; & in aliis Sacramentis quandiu durat fieri ipsorum, quod non est inconueniens, sed necessarium.

Vel etiam potest dici, Quod virtus instrumentalis in Sacramentis est per modum motionis transeuntis, vt sæpius dictum est; Character autem est instrumentum permanens, & ideo nulla est instantia Scoti, Quod quia permanens durat, motus seu motio debeat pariter permanere. Præter Characterem enim, illa motio supernaturalis instrumentalis ponitur in actuali vsu eius.

Ad impugnationes contra rationem D. Thomæ Respondetur. Ad primam dicimus, Quod non solùm Character Sacerdotalis est participatio Sacerdotij Christi, sed etiam Character Baptismi & Confirmationis. Et ratio est, Quia vt habet D. Thomas art. 3. ibi citato, *Totus ritus Christianæ religionis deriuatur à Sacerdotio Christi; cùm autem per Sacramenta deputentur homines ad aliquod spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali Charactere designentur*, vt habet D. Thomas art. 1. in hac. q. Ex quo patet clarè solutio; Quod quia Baptismus & Confirmatio pertinēt ad cultum Dei secundum ritum Christianæ Religionis, Characteres, qui ab his Sacramentis causantur, deriuantur à Sacerdotio Christi, & consequenter sunt participationes talis Sacerdotij, & assimilant fideles Christo, licèt non sicut Character Sacerdotalis; quia iste, agendo; alij verò recipiendo, assimilantur; quod satis clarè docuit D. Thomas art. 2. dicens, *Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad Baptismum; perficiens eum diuinum, & communicatorem diuinorum;* afferens hoc ex Dionysio, & subiungit S. Thomas. *Diuinus autem cultus consistit in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo alijs;* ita ibi.

Ad secundam Respond. per solutionem ibidem allatam ex D. Thoma, quæ optima est. Et ad eius impugnationem Resp. quod consequentia rationis D. Thomæ est formalis, desumpta ex principio adæquato indelebilitatis Characteris, supposita eius natura, quod sit qualitas instrumentalis. Et hoc principium licèt sic congruum, & optimum ad soluendam obiectionem, quæ fit de Gratia; propter quod vtitur D. Thomas illo in solut. ad 1. & 2. quia in hoc consistit differentia Characteris à Gratia, quare illa sequatur mobilitatem subiecti, iste verò non, sed agentis principalis immobilitatem; quia illa datur per modum causæ principalis, iste verò per modum causæ instrumentalis; tamen non erat sufficiens principium ad probandam indelebilitatem Characteris; Quia ex hoc quod esset qualitas instrumentalis, non poterat inferre quod esset indelebilis; quia hoc non est proprium instrumentalis virtutis, immò oppositum regulariter contingit; & ideo recurrendum erat ad aliquod aliud, vnde indelebilitas probaretur; & non est aliud nisi principium à quo causatur exemplariter, & cuius participatio est; scilicet Sacerdotium Christi, qui est agens principale.

Ad aliud quod obijcitur, Quod Character datur dependenter à libero arbitrio, sicut Gratia; dicimus quod licèt in aliquo conueniant (scilicet in hoc quod Charactere vtitur homo quando vult, sicut & Gratia) differunt tamen valde, quia Charactere vtitur homo bene vel malè, Gratia verò, non ita; quia licèt posset homo vti gratia quando voluerit bene operari, non tamen quando voluerit malè; quia quando vult peccare destruitur gratia: Hoc tamen non habet Character, quia datur vt validè fiat, non vt bene fiat, vt diximus art. præc. Et ideo non est eadem ratio: Bene enim stat, Quod Gratia & Charactere vtatur homo quando vult, & non eodem modo. Gratia enim vtitur tanquam causa principali; Charactere verò tanquam causa instrumentali; & ideo illa dependet à mobilitate voluntatis, iste verò non.

Character indelebilis quod caret contrario

Ex qua differentia oritur alia ratio pro conclusione, scilicet quod Character in Anima receptus non habet contrarium, à quo destruatur; quia peccatum non contrariatur illi; Potest enim homo cum peccato consecrari & baptizari, sine eo quod

perdatur Character, vnde homo non potest Characterem semel receptum à se expellere. A

Sed concl. potest probari eadem ratione D. Thomæ, sic, Omnis sanctificatio deriuata à Sacerdotio Christi est perpetua, re consecrata manente; sed Anima, quæ in hac vita per Characterem consecratur, remanet in alia vita, ergo etiam Character.

In solutione ad 3. etiam probat D. Thomas hac ratione, Quamuis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, manet tamen finis illius cultus; ergo post hanc vitam manet Character; Conseq. patet exemplo, Quia Militaris Character remanet in militibus post adeptam victoriam; & per B Characterem sacramentalem designantur homines in hac vita, quæ militia est super terram, vt milites Christi, ergo in alia vita, adepta iam victoria, remanet.

Ad quid deseruiat, explicat D. Thomas; in bonis, ad eorum gloriam; & in malis, ad eorum ignominiam; Sicut in militibus post victoriam, remanet Character Militaris in victoribus ad gloriam, & in victis ad pœnam: Sicut enim in Sanctis remanent virtutes, etiam morales, per quas vicerunt concupiscentiam carnis, & in Christo cicatrices corporis in passione susceptas (& hoc ad magnum decorem gloriæ) sic & Character sacramentalis, per quem distinguentur baptizati à non C baptizatis. Et Sacerdotes per Characterem Sacerdotalem designabuntur, & eorum merita, quæ per debitam dispensationem Sacramentorum operati sunt ad tantam gloriam consequendam. Et Martyres, qui Charactere Confirmationis roborati fortiter coram Tyrannis fidem professi sunt, & ideo tali Laureola insigniti. Totum hoc è contrario continget in damnatis, qui speciales pœnas habebunt Baptizati, Sacerdotes, &c.

Suarez friuola quæstio, An Character qualitas intensibilis.

In fine commentarij huius art. disputat Suarez An Character sit qualitas, quæ intendi & remitti possit? Et Vasquez cap. 5. in fine, inquit, Quod hæc quæstio est friuola. Et certè nullius momenti est, quia Character est qualitas causata D à Deo per Sacramentum; & cùm Sacramenta, quæ Characterem causant, non sint iterabilia, constat quod Character non est qualitas intensibilis; quia intensio qualitatum fit per actionem causatiuam repetitam. Nec est ratio quare magis vel magis intensa detur hæc qualitas in vno, quàm in alio; siquidem non datur ad mensuram dispositionis recipientis, vt supra dictum est. Et non loquimur de Charactere Ordinis, si est idem per omnes gradus, & receptus in primo gradu intendatur per subsequentes; quia ista disputatio non est huius loci, sed habet sedem in propria materia, vt ipse Suarez fatetur. Nec per multiplicationem actuum potest excogitari talis intensio, cùm tanquam à causa instrumentali à Charactere E oriantur. Immò in habitibus supernaturalibus augmentum non causatur ex actibus, nisi solùm dispositiuè; effectiuè autem à Deo infundente illos; quod non potest contingere in Charactere, quia deberet esse illud augmentum à Deo per Sacramenta iterata, per quæ illum primò causauit.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm per omnia Sacramenta Nouæ Legis imprimatur Character?

Vnica Conc. Respondet D. Thomas in corp. Per tria tantum Sacramenta Character imprimitur, scilicet per Baptismum, Confirmationem & Ordinem.

Quia plura de materia huius art. dicta sunt supra in hac qu. in expositione art. 1. & art. 2. dub. 2 breuiter literam huius articuli explicabimus.

Conclusio vt ponitur à D. Thoma, est de fide, definita locis citatis in art. 1. ex Concil. Florent. & Trid. &c. Et probatur à D. Thoma duplici ratione; Prima in Arg. *sed contra*, sic, Sacramenta in quibus imprimitur Character non iterantur, sed quædam Sacramenta iterantur, vt patet de Pœnitentia & Matrimonio, ergo non omnia Sacramenta imprimunt Charactarem. Maior est definita in Conciliis citatis. Minor est per se nota, ex vsu Ecclesiæ; & consequentia patet ex maiori. Hæc ratio probat solùm ex parte conclusionem, scilicet quod non omnia Sacramenta imprimunt Characterem.

Secunda ratio est in corp. Pro cuius explicatione, Aduertendum est, Quod quia conclusio est exponibilis propter ly *tantum*, debet exponi per affirmatiuam & negatiuam. Affirmatiua est, Per tria Sacramenta Character imprimitur; Negatiua est, Per nullum aliud Sacramentum imprimitur Character. Vtraque propositio probatur ex eodem principio, hac ratione in corpore, Character est potentia per quam fideles deputantur ad diuinum cultum, ergo ad agendum, vel patiendum. Antecedens ex supra dictis patet in tota hac quæst. Conseq. probatur, Quia nulla potentia est, quæ non sit actiua vel passiua. Vlterius, Sed hæc tria sacramenta in conclusione, ordinant hominem ad agendum vel recipiendum, ergo imprimunt characterem. Consequentia patet ex antecedenti: Minor verò probatur, Ad agentes pertinet Sacramentum Ordinis, quia per hoc Sacramentum deputantur homines ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum per consecrationem, & tradendum illud, & alia Sacramenta aliis; quod totum pertinet ad genus agentis.

Per modum verò recipientis ordinantur ad diuinum cultum Baptismus & Confirmatio; Baptismus quidem, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Sacramenta Ecclesiæ, quod est satis notum; quia in non baptizato alia Sacramenta nec validè, nec licitè suscipiuntur; Vnde dicitur Ianua omnium Sacramentorum. Similiter Confirmationis Sacramentum ordinatur ad recipienda alia Sacramenta, & etiam instituit fidelem habitualiter vt ministrum ad profitendam fidem coram Tyrannis, & sic petebat imprimere Characterem, qui ex natura sua constituit subiectum capax aliorum sacramentorum, & potens fortiter confiteri fidem: vtrumque enim habere, supra explicatum est in hac quæst. art. 2. dub. 2.

Negatiua verò propositio probatur sic, Alia quatuor Sacramenta non ordinant hominem ad diuinum cultum per modum agentis vel patientis, ergo nullum illorum imprimit Characterem. Conseq. patet ex illo principio, Quod Character est potentia, & solùm potest esse actiua vel passiua;

& sicut de tribus Sacramentis probatur bene quod A imprimant Characterem, quia ordinant per modum agentis vel patientis; ita à contrario sensu bene probatur de aliis quatuor quod non imprimant Characterem, si non habent ordinare per modum agentis vel patientis; quia vbi affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis.

Antecedens verò probat D. Thomas de Eucharistia; Quia tripliciter pertinet aliquod Sacramentum ad diuinum cultum, vno modo per modum ipsius actionis; & hoc modo pertinet Eucharistia, in qua principaliter diuinus cultus consistit, in quantum est Ecclesiæ sacrificium; ergo B per hoc Sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud vlterius agendum vel recipiendum in Sacramentis; Antecedens est certum; Conseq. probatur, Quia potius est finis & consummatio omnium Sacramentorum. Et propterea, Quia in se ipso continet Christum, in quo non erat Character, sed tota Sacerdotij plenitudo.

Potest aliter probari (quod forsan solum est explicatio) Quia actio est media inter agentem & recipientem illam, vnde supponit constitutam potentiam agentis, & etiam supponit potentiam passiuam in recipiente; & sic hoc Sacramentum supponit quidem Characterem Sacerdotis tanquam agentis, & baptizati tanquam recipientis; C in se autem non habet vbi possit causare Characterem; quia in se solùm habet Christum, qui non potest illum habere. Et cum de nouo non ordinet Sacerdotem conficientem ipsum, ad agendum aliud, quia ministratio est actio consequuta ad consecrationem, & illi annexa ex vi eiusdem potestatis, in Sacerdote non potest alium Characterem causare; nec etiam in recipiente, quia non ordinat recipientem ipsum ad recipiendum aliud, & sic non causat distinctum Characterem in eo, præter illum quem supponit.

Nec contra hoc est, Quod Eucharistia, vt Viaticum, præcedit Vnctionem per se, & sic ordinat ad recipiendam illam; quia hæc non est per- D seitas essentialis, de qua loquimur: Potest enim sine Eucharistia recipi Vnctio licitè & validè, vt sæpius in moribundo; & etiam post Vnctionem potest recipi Eucharistia aliquando, quod tamen non contingit respectu Baptismi.

De Pœnitentia probat D. Thomas, Quia per Pœnitentiam homo liberatur à peccato, & nihil aliud de nouo confertur, quod pertineat ad cultum diuinum. De aliis duobus Sacramentis non probat D. Thomas, nec mentionem facit (scilicet de Matrimonio & Vnctione) forsan quia de illis non erat ratio dubitandi. Quia manifestum est quod Matrimonium non dat potestatem ad aliquid spirituale, cùm solum det potestatem conjugi super corpus alterius conjugis. Et de Vn- E ctione etiam constat, quod per illam homo non ordinatur ad aliquid vlterius agendum, vel recipiendum in Ecclesia militante, cùm potius sit ianua egrediendi ex illa, sicut Baptismus est ianua ingrediendi.

Contra rationem istam possunt fieri aliquæ objectiones. Prima contra discursum & probationem propositionis affirmatiuæ; Falsum enim videtur illud principium, Quod sufficit disponere hominem per modum agentis vel recipientis vt imprimatur Character; habet enim duas instantias. Prima est de Circuncisione, quæ erat ianua Sacramentorum Veteris Legis, sicut modò Baptismus, (& idem est de Sacramento, quod loco Circuncisionis dabatur fœminis) vnde sicut modò per Baptismum homo ordinatur ad recipienda alia Sacramenta Nouæ Legis, ita tunc per Circuncisionem, per quam etiam fidelis ab infideli distinguebatur; & tamen per Circuncisionem non imprimebatur Character, ergo hæc ratio non probat de Baptismo.

Secunda instantia est de Ecclesia, Patena & Calice consecrato, cuius consecratio est participatio Sacerdotij Christi, & perpetua, sicut Character, vt habet D. Thomas art. præcedenti; & tamen talis consecratio fit sine aliquo Charactere impresso illis; ergo etiam consecratio Sacerdotis & baptizati, per quam homines deputantur ad consecrandum vel recipiendum Sacramentum, potest fieri sine Charactere; quia etiam Corpus Christi, & Sanguis recipitur in Calice, & etiam talis consecratio initerabilis est sine Charactere, ergo etiam possent hæc Sacramenta esse non iterabilia sine impressione Characteris, per quod impugnatur simul 1. ratio D. Thomæ in arg. *sed contra*.

Secunda obiectio est quantum ad propositionem negatiuam, & est petita ex D. Thoma in 1. argu. Quia per omnia Sacramenta homo ordinatur ad cultum Dei, & totus cultus Dei est participatio Sacerdotij Christi, ergo quodlibet Sacramentum disponit homines ad aliquid agendum vel recipiendum in ordine ad cultum Dei: Per Pœnitentiam enim recipit homo absolutionem à Sacerdote per claues Ecclesiæ, quibus per confessionem peccatorum homo se subiicit; Idem est de Vnctione; Et Matrimonium spiritualiter coniungit fideles, non solùm corporaliter, sed etiam spiritualiter, & secundùm hoc est repræsentatiuum & figuratiuum coniunctionis Christi cum Ecclesia, & in Matrimonio Deus colitur. Et denique in Eucharistia est maximus cultus Dei, & præcipuus; falsò ergo dicitur, quod hæc quatuor Sacramenta non pertinent ad cultum Dei, vt excludantur ab impressione Characteris.

Respondeo ad primam obiectionem, quantum ad primam instantiam, de Circuncisione; Scotum in 4. dist. 6. quæst. 9. tenuisse per Circuncisionem imprimi Characterem in Lege Antiqua; in quo singulariter sentit, & ab vniuersa Schola Theologorum dissentit. Et D. Thomas in hac quæst. supra, art. 1. ad 3. reddit rationem, quare Circuncisio non causabat Characterem, scilicet, *quia Sacramenta Veteris Legis non habebant in se spiritualem virtutem ad aliquem spiritualem effectum operantem*. Quam rationem amplectuntur generaliter Scholastici. Ex quo patet ad obiectionem, Circuncisionem non parificari in omnibus cum Baptismo; Differt enim, quia non continebat virtutem intrinsecam ad causandum, nec erat instrumentum nisi purè morale, & sic non poterat causare Characterem spiritualem in Anima.

Opinio singularis Scoti, quod Circuncisio imprimeret Characterem.

Et ad illud quod dicitur, Quod erat ianua Sacramentorum Veteris Legis. Respond. quod imprimebat Circuncisio carnale *signaculum*, iuxta naturam illius carnalis populi, vt loquitur Apostolus Rom. 4. 11. Et ad Hebr. 9. 10. Vetera Sacramenta vocat *Iustitias carnis*. Et ideo Chrysostomus hom. 2. in Epist. ad Ephes. dicit, quod *Israelitæ obsignati sunt Circuncisione, quemadmodum pecudes*. Nec aliquid conuincit, Quod disponerentur ad alia Sacramenta recipienda: quia cùm recipienda essent purè extrinseca, sufficiebat solùm signo exteriori deputari ad illa recipienda,

sicut etiam in fœminis fiebat deputatio per suum sacramentum exterius.

Ad secundam instantiam Respond. Quod aliter recipitur Sanguis in Calice, & in Patena Corpus, & in Ecclesia totum Sacrificium, quàm in homine fideli recipitur totũ hoc. Illa enim inanimata sunt, & vt instrumenta inanimata operantur; homo verò est instrumentum animatum; & non solùm corpore, sed Anima operatur in Sacramentis, & in illa debet recipere effectum illorum; & sic in Anima ponitur intrinsecè consecratio, per quam deputetur ad talia Sacramenta, & hoc fit per spiritualem Characterem: quamuis de potentia absoluta posset fieri oppositum, & quod manerent non iterabilia hæc Sacramenta; sicut etiam in Calice & Ecclesia manet consecratio non iterabilis sine Charactere per solam deputationem extrinsecam, adiuncta voluntate Dei, quæ est ratio à priori in his rebus; tamen tunc non esset tam perfecto modo & decenti, ac conuenienti naturis rerum sicut nunc.

Ad tertiam obiectionem abundanter satisfacit D. Thomas hîc ad 1. concedendo *quod per omnia Sacramenta fit homo particeps Sacerdotij Christi, vtpote recipiens aliquem effectum eius*; quia omnia Sacramenta sunt effectus Sacerdotij Christi, & omnia Sacramenta recipiuntur in illo, & etiam effectus communis omnibus, qui est gratia, per quam homines constituuntur ad cultum diuinum dignè exercendum; *non tamen per omnia Sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid vel recipiendum, quod quidem exigitur ad hoc vt Sacramentum Characterem imprimat.*

Et Pœnitentia non ordinat ad agendum vel re- A cipiendum aliud sacramentum, præter ipsam, sed solùm ad ponendum hominem in gratia; licèt ex hoc sequatur quod dignè recipiat Eucharistiam, & dignè & meritoriè colat Deum per actus omnium virtutum, quarum tamen operatio non est sacramentalis. De Vnctione clarius constat nihil sacramentaliter operari infirmum post illam. Et Matrimonium etiam non ordinat ad aliquid sacramentaliter operandum, & ideo solùm secundariò & consequenter ordinat ad cultum Dei, quod est generale omnibus Sacramentis non imprimentibus Characterem. De Eucharistia iam dixit Diu. Thomas, & explicatum est in ratione, quod pertinet ad cultum Dei per modum actionis, quæ in se ipsa continet Christum, in quo non est B Character, & solum petit in agente Characterem Sacerdotij, & in patiente Characterem Baptismi. Et hæc de hac Quæstione & Materia.

Duæ Quæstiones sequentes, quæ requirebantur ad complementum huius Materiæ, fuerunt missæ; Quod tamen in sequenti principalius disputatur, iam præbabetur: Quia duplex est punctum principalius. Primum de modo causandi gratiam in Christo & in Ministris, & de hoc disputatum est in hac quæst. 63. art. 2. dub. 2. & 3. Et quæst. 62. præcedenti art. 1. dub. 7. & deinceps. Et 61. art. 3. Aliud punctum est de dispositione ad recipiendum Sacramenta vt recipiatur gratia, & secundùm quam mensuratur gratia recipienda. De quo expressè disputatum est supra quæst. 62. art. 1. dub. 3. & 4. Altera verò quæstio, quæ est 65. & agit de Numero Sacramentorum: parum habet de disputatione Scholastica.

DE EVCHARISTIA,

ORDO DOCTRINÆ,

ET TEXTVS S. THOMÆ.

AGGREDITVR S. THOMAS ab ista quæst. 73. vſque ad 83. Tractatum de Sacramento Euchariſtiæ; de qua materia latè agunt Doctores in 4. diſt. 8. Patres variis Tractatibus, Dionyſius cap. 3. de Eccleſiaſt. Hierar. Ambroſ. lib. 3. de Sacramentis, Auguſt. Tract. 26. in Ioan. Damaſc. lib 4. Fidei cap. 14. Agunt etiam Concilia, vt Florentinum in inſtructione Armenorum, Trident. ſeſſ. 13. Senonenſe in Decreto 10. & alia Prouincialia Concilia. Agunt etiam contra Hæreticos tam antiquos quàm recentiores, Paſchaſ. Lanfrancius, Algerus in Tom. 4. Bibliothecæ Patrum; & ex Recentioribus, Lindanus, Oſſius, Driedo, Bellarminus, & alij.

Sanctus Thomas totam Materiam abſoluit vndecim Quæſtionibus, in quibus ordine maximè ſcientifico totam conſiderationem Euchariſtiæ in ſeptem partes diuidit. In prima agit de ipſa Euchariſtia in communi; de eius Neceſſitate & Inſtitutione, quantum ad quæſtionem An eſt, & quid eſt, in hac quæſt. 73. In ſecunda parte agit de eius Materia, tam remota, quæ eſt panis & vinum, quàm proxima, quæ ſunt ſpecies conſecratæ, per quatuor quæſtiones ſequentes. In tertia parte agit de Forma huius Sacramenti quæſt. 78. In quarta de eius Effectibus, quæſt. 79. In quinta de Suſcipientibus hoc Sacramentum, & eius vſu, per duas quæſtiones ſequentes. In ſexta de Miniſtro huius Sacramenti, quæſt. 82. In ſeptima & vltima, de Ritu & celebratione huius Sacramenti, quod pertinet ad rationem Sacrificij. Nos ſimiliter totam Materiam ſeptem diſputationibus abſoluemus; Prima, de Quidditate, neceſſitate & inſtitutione huius Sacramenti. Secunda de Materia remota, ex qua hoc Sacramentum conficitur. Tertia de Materia proxima, ſcilicet de ſpeciebus conſecratis, & Tranſubſtantiatione. Quarta de his quæ conſequuntur conuerſionem, & exiſtentiam Chriſti in Sacramento. Quinta de effectu huius ſacramenti. Sexta de Suſcipientibus & Miniſtro. Septima de Sacrificio & celebratione Miſſæ.

QVÆSTIO LXXIII.

De Sacramento Euchariſtiæ ſecundum ſe.

SEx articulis Quæſtionem hanc abſoluit ſanctus Thomas. In primo reſoluit Euchariſtiam eſſe Sacramentum, quia eſt ſignum ſacrum ordinatum ad dandam gratiam per modum alimenti, ſicut Baptiſmus per modum regenerationis, & Confirmatio per modum augmentationis. In ſecundo oſtendit Sacramentum hoc eſſe vnum, non vnitate phyſica per modum continuitatis vel indiuiſibilitatis, ſed vnitate ſacramentali, quæ eſt vnitas per modum reſpectus & ordinis ad vnum finem & perfectionem; & ſic in iſto Sacramento concurrunt plura ordinata ad vnam refectionem ſpiritualem per modum conuiuij. In tertio oſtendit hoc Sacramentum non eſſe de neceſſitate ſalutis quantum ad realem ſuſceptionem illius, vt patet in Infantibus, bene tamen quantum ad votum; prout ſcilicet Euchariſtia eſt finis omnium Sacramentorum, & ſuſceptio illorum (etiam Baptiſmi) eſt virtualis ſuſceptio Euchariſtiæ, quia ordinatur ad illam. In quarto oſtendit rectè hoc Sacrificium pluribus nominibus appellari; dicitur enim Communio, Euchariſtia, Sacrificium, Viaticum, &c. In quinto oſtendit conuenienter fuiſſe inſtitutum inſtante paſſione & morte Chriſti, & non poſt, quia inſtituebatur vt Teſtamentum, & vltimum mandatum,

quod arctius deberet infigi in cordibus fidelium. A In sexto ostendit conuenienter fuisse figuratum in pluribus figuris antiquæ Legis, præcipuè in Agno Paschali.

DISPVTATIO XXVI.

De quidditate, Necessitate & Institutione Eucharistiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Eucharistia sit verum Sacramentum à reliquis distinctum?

QVoniam cujuscumque rei quidditas per suum genus & differentiam cognoscitur & definitur, breuiter in præsenti ostendendum est, Eucharistiam quantum ad suum genus esse verum Sacramentum, & quantum ad suam differentiam, esse Sacramentum per modum refectionis & cibi, continens Corpus Christi.

Dico primò, De fide est Eucharistiam esse verum & proprium Sacramentum Nouæ Legis. Constat ista conclusio ex Scriptura, ex definitionibus Conciliorum, ex traditione Ecclesiæ, & ex congruentia adducta à sancto Thoma. Ex Scriptura hoc manifestum est, Quia licèt Eucharistia non appelletur hoc nomine *Sacramentum*, significatur tamen in ipsa Scriptura conuenire Eucharistiæ, C quidquid ad rationem Sacramenti pertinet; scilicet quod per illud signum sensibile panis & vini, detur gratia, & aliquid sanctum, seu sacrum contineatur in eo; sicut dicitur Ioan. 6. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et 59. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum:* Vbi nomine panis aliquid sensibile designatur; & per vitam æternam, quam dat nobis, & per carnem & sanguinem Christi, quæ continet, designatur aliquid sanctum, quod continetur, significatur & datur per Eucharistiam; quod totum est ipsa essentia & quidditas Sacramenti. Idemque sumitur ex institutione huius Sacramenti, quando accepto pane & calice dixit Christus, illud esse Corpus & Sanguinem suum, Math. 26. 26. Marc. 14. 22. Lucæ 22. 19. & 1. ad Corinth. 11. 24. Ex Conciliis etiam constat hæc veritas, quia definita est in Concil. Lateranens. in cap. *Firmiter, de summa Trinitate;* in Concil. Florent. in Instructione Armenorum, in Trident. sess. 7. cap. 5. & sess. 13. cap. 1. & 2. Ex traditione etiam Ecclesiæ, quia ab initio celebrat hoc Sacrificium, & conficit tanquam Sacramentum, & hoc nomine ipsum appellat in pluribus Collectis, sicut quando dicit, *Præsta vt hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.* Et videri possunt etiam multa capitula in titulo de Consecratione dist. 2.

Eucharistia verum Sacramentum.

Ratio denique & congruentia sancti Thomæ id optimè persuadet; Nititur enim illi suppositioni, quam supra quæst. 65. art. 1. explicauit; scilicet quod in Lege Euangelica Christus instituit Sacramenta sensibilia causatiua gratiæ, quæ est vita spiritualis, secundum quandam proportionem & similitudinem ad vitam corporalem, vt ea quæ spiritualia sunt facilius à nobis cognoscantur, & nobis coniungantur. In vita autem corporali quædam pertinent ad generationem & productionem rei in suo esse, quædam ad augmentationem & nutritionem, quædam ad reparationem, quædam ad directionem & gubernationem, quædam ad multiplicationem: Ita in vita spirituali Christus Dominus instituit vnum Sacramentum ad regenerandum nos (scilicet Baptismum) aliud ad crescendum & roborandum nos in vita fidei (scilicet Confirmationem) aliud ad nutriendum in gratia & charitate (scilicet Eucharistiam) ergo conuenienter datur aliquod sacramentum (Eucharistia scilicet) per modum cibi & nutrimenti.

Dico secundò, Eucharistia est sacramentum distinctum à reliquis, & conuenienter eius differentia ponitur in hoc, quod sit Sacramentum dans gratiam per modum cibationis, & contínen- B do ipsum Christum: Sumitur ex sancto Thoma in hac quæst. art. 1. ad 3. & constat ex ejusdem locis, & Conciliis adductis pro prima conclusione; Quia est de fide dari septem Sacramenta, quorum vnum est Eucharistia; si ergo non esset distinctum Sacramentum à reliquis, non essent verè & realiter septem Sacramenta, quod tamen definit Trident. sess. 7. cit. Quomodo autem probet istam conclusionem conuenientia adducta à sancto Thoma, difficile est; Tum quia ex ipsius ratione potius oppositum infertur; Videmus enim quod in vita corporali, augmentatiuum & nutritiuum non sunt duæ potentiæ, sed vna sufficit ad vtrumque munus; ergo etiam sufficit vnum Sacramentum ad nutriendum nos per Eucharistiam, & roborandum nos per Confirmationem; Tum quia dato quod sit nobis necessaria gratia cibatiua, sicut & regenerans & confirmans, vnde probat sanctus Thomas, Quod tale alimentum & cibus debet esse Corpus Christi; siquidem Anima nutritur ipsamet gratia, sicut & confirmatur & regeneratur, & sanatur; non ergo affert rationem cur hoc Sacramentum debeat esse contentiuum Corporis Christi, quæ est præcipua differentia illius. Tum denique, Quia falsò assumit sanctus Thomas, Quod Sacramentum debet ordinari ad aliquid sacrum, vel absolutè in se, vel in ordine ad alios, scilicet ad sanctificandum nos, vt inde inferat, quod Eucharistia ordinatur ad aliquid sacrum absolutè, scilicet ad continendum in se Corpus D Christi.

Vexata ratio S. Thomæ, cur Eucharistia distinctum Sacramentum.

Contra est enim, Quia Sacramenta ex suo genere solùm ordinantur ad aliquid sacrum erga nos, & sanctificatiuum nostri, vt docet sanctus Thomas supra quæst. 60. art. 2. Siquidem sunt signa practica, quæ operantur illud sacrum quod significant, scilicet sanctitatem in nobis; ergo non potest hoc Sacramentum ex sua differentia ordinari ad aliquod sacrum absolutè, & continendùm in se, quod est Corpus Christi. Consequentia patet, Quia non potest differentia contractiua alicuius generis, contrariari & opponi ipsi rationi genericæ, sed illam debet perficere, eique superaddere; si ergo ratio generica, ex ipsa ratione E communi, dicit esse signum rei sacræ, non absolutè, sed prout sanctificantis nos, non potest differentialis ratio contrahere illam rationem communem per hoc, quod sit signum rei sacræ in se absolutè, non prout sanctificantis nos.

Dicendum nihilominus est, Rationem sancti Thomæ efficaciter probare distinctionem huius Sacramenti à reliquis, ex illa analogia & proportione ad vitam corporalem. Et licèt Aliqui teneant, quod in vita corporali facultas nutritiua & augmentatiua non distinguantur; tamen oppositum est probabilius, & hoc sufficiebat ad inten-

Vindicata ratio sancti Thomæ.

Distingui nutritiuum & augmentatiuum, probabilius.

tum sancti Thomæ; Quia non debuit istam proportionem & similitudinem sumere secundùm omnem opinionem, sed secundùm veriorem & probabiliorem. Veritas tamen est, quod sanctus Thomas non distinxit ista Sacramenta per ordinem ad facultatem nutritiuam & augmentatiuam, sed per ordinem & similitudinem ad ipsum alimentum & augmentum, & generationem. Constat autem quod alimentum & augmentum distinguuntur, quidquid sit, An ipsæ facultates (Nutritiua & Augmentatiua) non distinguantur. Alimentum enim non est ipsa facultas nutriendi, sed materia quæ sumitur ad nutriendum; & hæc manifestè distinguitur à facultate nutritiua & augmentatiua; Eucharistia autem habet se vt alimentum & cibus spiritualis, non vt facultas nutriendi, quæ est in nobis; & sic patet ad primam instantiam.

Eucharistia, ipsi Animæ cibus.

Vrgebis; Nam Confirmatio ordinatur ad dandum nobis augmentum gratiæ, & Eucharistia similiter; Neque enim dat primam gratiam, sed augmentum illius, ergo desumuntur ista Sacramenta in ordine ad idem, non in ordine ad diuersa. Quod verò respondet sanctus Thomas art. 1. ad 1. Quod Confirmatio ordinatur ad augmentum quod est in homine, nutrimentum verò ad perfectionem quæ est ab extrinseco, non sufficienter soluit; Tum quia etiam augmentum hominis prouenit ab extrinseco, scilicet ex materia quam conuertit & superaddit ad se; Tum quia gratia data per Confirmationem non est minus inhærens & intrinseca in nobis, quàm gratia data per Eucharistiam, ergo nulla est differentia.

Augmentum à Confirmatione & Eucharistia: harum distinctio.

Respondetur, Confirmationem ordinari ad augmentum quasi maioris quantitatis & roboris; sicut viuens per augmentum perducitur ad debitam quantitatem & robur; Eucharistia verò ordinatur ad augmentum quasi nutrimentale, quod formaliter loquendo non auget animal in quantitate maiori, sed continuat & conseruat in esse per appositionem alicuius extrinseci, scilicet alimenti; Vnde videmus quod animal semper nutritur, non tamen semper crescit. Et sic augmentatiua habet pro termino per se loquendo, partes integrales superaddere quasi extrinsecè ipsi viuenti, hoc est, ipsum componentes & integrantes; virtus autem nutritiua, solùm respicit substantiam ipsam, prout ex aliquo alimento extrinseco continuatur & reparatur, ne absumatur à calore; Sic in istis duobus Sacramentis, vtrumque quidem auget gratiam, sed Confirmatio reddendo hominem robustum ad protestationem fidei, vt crescat in virum perfectum; Eucharistia autem nutriendo ipsam gratiam, ne continuo calore absumatur. Et cùm instatur, Quod etiam augmentum hominis venit ab extrinseco, sicut & nutrimentum; Respondetur, Quod augmentum habet hoc præsuppositiuè & materialiter, quia non potest nouas partes acquirere nisi præsupponendo nutritionem, ex qua fiat illud augmentum; per se autem solum respicit illas partes integrantes superaddere; nutritio verò per se & directè habet conseruare & fomentum præbere substantiæ; hoc autem necessariò venit ab extrinseco. Ad id verò quod dicitur, Vtramque gratiam esse extrinsecam, tam in Confirmatione quàm in Eucharistia; Respond. Quantum ad inhærentiam in Anima, vtramque esse intrinsecam, sed non quantum ad dependentiam ab aliquo extrinseco, vt ab alimento; hoc enim habet in Eucharistia, non in Confirmatione.

A Ad secundum Respondetur, Quod licèt Gratia quæ per hoc Sacramentum confertur sit gratia cibans, tamen ex hoc ipso infertur quod debeat continere ipsum Christum, quia solus est cibus Animæ & alimentum. Gratia enim non est ipsum alimentum, sed est ipsa vita Animæ, quæ ex Christo tanquam ex alimento conseruatur & perficitur, per vnionem & transmutationem in ipsum. Et sic probando quod hoc Sacramentum est institutum à Christo tanquam alimentum, in quod conuertitur Anima per vnionem ad ipsum, probatum reliquit sanctus Thomas, debere continere Christum; aliàs non esset alimentum Animæ, quia alimentum eius est Christus, cui vnitur.

Eucharistia, alimentum Animæ.

Ad vltimum Respondetur, Quod de ratione Sacramenti est quod significet aliquid sacrum vt
B sanctificans nos; Eucharistia autem cõtinet aliquid sacrum, quod in se sanctum est (scilicet Christum) hoc tamen etiam ordinatur ad sanctificandum nos; atque ita per hoc quod continet aliquid sacrum in se, non contrariatur rationi genericæ sacramenti, quia totum hoc sacrum continet per modum alimenti sanctificantis nos. Nec obstat, quod Christus Dominus, cùm sit aliquid perfectius gratia, non videtur posse esse signum illius, quia signum semper est inferius signato. Dicimus enim quod Christus non est purè signum, quia non est sacramentum tantùm, sed est res & sacramentum simul, & causa ipsius gratiæ; Immò
C non est per se signum, sed ex speciebus sacramentalibus adiunctis, quibus mediantibus significat; id autem quod est signum, & simul causa alicuius rei, non repugnat quod sit absolutè perfectius quàm res significata, licèt secundùm quid (in munere scilicet & officio significandi) dicatur inferius, inquantum vices gerit rei significatæ.

Eucharistiæ ratio generica & differentialis non cõtrariæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Sacramentum Eucharistiæ supponat pro solis speciebus, an etiam pro Corpore Christi?

D QVatuor occurrunt in Sacramento Eucharistiæ, quæ ad ipsum pertinere possunt, scilicet Species consecratæ tanquam materia; Verba consecrationis tanquam forma; Corpus Christi vt contentum & significatum sub speciebus; sumptio tanquam vsus & applicatio huius Sacramenti; De quibus potest esse difficultas in duobus; Primò An omnia ista concurrant, & pertineant intrinsecè ad componendum Sacramentum Eucharistiæ. Secundò, Quodnam ex illis sit pro quo directè supponat hoc Sacramentum; Nam quod non supponat directè pro verbis consecrationis,
E quæ sunt forma, nec pro sumptione; ex se videtur manifestum, cùm hoc Sacramentum non se habeat per modum transeuntis, sed permanentis; & sic dicimur sumere Sacramentum quando communicamus, & adorare illud; nec tamen sumimus vel adoramus verba consecrationis, aut ipsammet sumptionem, sed aliquid ante sumptionem existens. Quare sumptio supponit Sacramentum tanquam applicatio illius, & verba non sunt Sacramentum sed forma Sacramenti; sicut neque in aliis rebus, seu sacramentis forma est ipsa res formata, sed pars illius.

Circa primum punctum difficultatis, variæ fuerunt Theologorum sententiæ; Nam prima docet

solùm Corpus Christi esse hoc Sacramentum, non ipsas species consecratas, quod attribuitur Vualdensi Tom. 2. de Sacrament. cap. 21. licèt illum ab hac sententia excuset Vasquez hîc disput. 167. c. 2. Secunda sententia docet sola verba consecratiua esse Sacramentum Eucharistiæ. Ita attribuitur Marsilio in 4. quæst. 1. art. 1. & quæst. 6. art. 2. Tertia sententia docet, etiam sumptionem esse partem Sacramenti; ita quod Eucharistia ante sumptionem, vel non denominetur Sacramentum, vel non sit integrum & completum; quam sententiam Aureolo tribuit Capreolus in 4. dist. 8. art. 2. in Argumentis contra primam conclusionem. Addit autem Gabriel in 4. dist. 8. quæst. 1. Quod sumptio est Sacramentum quoddam distinctum à Sacramento Eucharistiæ, quia est aliquid sensibile dans gratiam, ergo est Sacramentum; sed quia sumptio dat gratiam per modum applicationis sacramenti, & signi, non ponit Gabriel octo Sacramenta, quia sumptio reducitur ad Sacramentum Eucharistiæ, tanquam aliquid illius ordinatum ad eundem finem, scilicet ad refectionem spiritualem.

Gabrielis opinio singularis.

Quarta sententia docet Sacramentum Eucharistiæ esse quoddam compositum, resultans ex speciebus consecratis & Corpore Christi in eis contento; ita quod Christus, etiam in recto, pertinet ad hoc Sacramentum constituendum. Ita attribui solet Capreolo dist. 8. cit. art. 3. ad 1. & sancto Bonauenturæ in eadem dist. 8. in expositione Literæ. Eam sequitur P. Suarez. 3. Tom. 3. part. disp. 42. sect. 3. & Vasquez cit. cap. 5. qui affirmat Corpus Christi cum speciebus consecratis ita componere hoc Sacramentum, sicut Contritio cum Confessione componit Sacramentum Pœnitentiæ; addit tamen cap. 3. ita constitui hoc Sacramentum per species consecratas continentes Christum, quod verba non sint forma huius Sacramenti per modum informantis in genere causæ formalis, sed solùm efficientis. Vltima sententia docet, Sacramentum Eucharistiæ in recto solùm supponere pro speciebus consecratis, includere autem Corpus Christi vt contentum, & ipsam sumptionem tanquam aliquid ad quod ordinatur; ita quod ordo ad ista sit essentialis ipsi sacramento, non tamen componatur ex illis tanquam ex partibus, aut ingredientibus in compositionem Sacramenti; quæ sententia est communior inter Thomistas.

Dico primò, Ad constituendum hoc Sacramentum solùm concurrunt tanquam partes essentiales, & in recto ingredientes, materia & forma, quæ faciunt sensibile signum, & vnico verbo dicitur species consecratæ; reliqua concurrunt & requiruntur essentialiter extrinsecè, non intrinsecè, vt terminus, vel connotatum. Sicut Corpus Christi, quod se habet vt contentum & significatum inuisibile, non vt signum & sacramentum sensibile; similiter etiam sumptio se habet vt applicatio huius Sacramenti ad suum effectum dandum, non ad constituendum ipsum Sacramentum. Hæc conclusio quoad primam partem desumitur ex illa generali doctrina Theologorum, quod omnia Sacramenta constant ex materia & forma, tanquam componentibus sensibile signum, quod vocatur Sacramentum; eo quod Sacramentum essentialiter ponitur in genere signi sensibilis, vt docet sanctus Thomas supra, quæst. 60. art. 1. Quod axioma, seu doctrina Theologorum sumitur [illegible] dicto August. Tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.*

Eucharistiæ Sacramentum in recto & essentialiter, species consecratæ.

A Et in Decreto Eugenij pro Armenis in Concil. Florent. dicitur Sacramentum perfici verbis, vt forma, & rebus vt materia; ergo id concurret in recto ad constitutionem Sacramenti, quod se habet vt materia & forma ad hoc sacramentale signum constituendum. Neque enim aliquid aliud datur, quod possit ingredi in eius constitutionem, quia nihil aliud est sensibile in istis Sacramentis, quam materia & forma; ergo ex solis illis componitur directè hoc Sacramentum, quod constituitur in genere signi sensibilis.

Ex quo manent exclusæ illæ sententiæ, quæ B constituunt hoc Sacramentum in solo Corpore Christi, vel in solis verbis consecrationis, vel in sola sumptione; Nam Corpus Christi non potest per se solum constituere Sacramentum, quia per se solum non est aliquid visibile; sed inuisibili modo id ponitur; similiter non est signum, sed significatum, & contentum in hoc Sacramento; ergo non potest ipsum Sacramentum directè constituere, quia Sacramentum solùm est in genere signi sensibilis; significatum autem non constituit signum, sed terminat extrinsecè, sicut relatio respicit terminum, & potentia obiectum; non autem terminus, vel obiectum directè & intrinsecè constituunt relationem vel potentiam; ergo ne- C que signatum constituit ipsum signum, seu sacramentum, sed solùm est terminus extrinsecus illius. De verbis autem consecrationis, & de ipsa sumptione, iam diximus, per se sola non est sacramentum, quia verba per se sola sunt forma sacramenti, non ipsum sacramentum, quod componitur ex materia & forma; sumptio autem est applicatio & receptio sacramenti, ergo supponit ipsum, non constituit; Vnde ante sumptionem adoratur Sacramentum, & continetur in altari tanquam quid integrum & perfectum in ratione sacramenti, quia est perfectum in genere signi rei sacræ; ergo sumptio neque est sacramentum nec pars sacramenti; quia si esset pars, ante ipsam D non daretur sacramentum constitutum; Valde autem temerarium esset dicere, quod ante sumptionem non datur Sacramentum Eucharistiæ in altari.

Nec obstat, quod etiam Corpus Christi in hoc Sacramento est signum, quia est res & sacramentum simul. Dicitur enim quod non est signum sensibile, de quo solùm loquimur in præsenti; quia Sacramentum ponitur in genere signi sensibilis; signum ergo inuisibile non potest directè constituere sacramentum; Immò hinc confirmatur nostra ratio, Quia id quod est res & sacramentum simul, aut virtus sacramenti, non constituit directè ipsam rationem sacramenti in aliis Sacramentis, ergo neque in isto. Antecedens patet, E Nam Character (in Baptismo verbi gratia aut Confirmatione, aut Ordine) non constituit sacramentum, & tamen in istis sacramentis Character se habet vt res & sacramentum simul, & idem est in Matrimonio, de vinculo, quod est res & sacramentum. Et in Extrema Vnctione, alleuiatio interior, seu lætitia, aut fiducia, quam causat sacramentum, non est constitutiuum ipsius, ergo neque in Eucharistia Corpus Christi, quod est res & sacramentum, ipsam constituet. Et ratio istorum manifesta est, quia res & sacramentum est effectus ipsius sacramenti; ideo enim dicitur res, quia est quid effectum à sacramento, ergo non constituit ipsum, sed supponit; Et ita tradit sanctus Thomas,

Thomas, qui in ista quæst. art. 1. ad 5. dicit. Quod Corpus Christi est res & sacramentum in Eucharistia. Et idem docet art. 6. & tradit in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. ergo hoc ipso negat constitui hoc sacramentum directè per ipsum Corpus Christi.

Ex quo relinquitur probata secunda pars conclusionis; Nam licèt Corpus Christi non constituat directè ipsum sacramentum, est tamen res significata, & contenta in ipso; Sacramentum autem Eucharistiæ est signum contentiuum Corporis Christi; ergo essentialiter respicit ipsum vt signatum & contentum (terminus enim essentialiter respicitur a relatione) ergo à relatione signi & continentis essentialiter respicitur id quod est signatum & contentum: Similiter sumptio per se requiritur ad cibum, vt habeat effectum suum, licèt non constituat ipsum; ergo hoc Sacramentum, cùm sit institutum per modum cibi, essentialiter respicit sumptionem in connotato, & in obliquo.

Eucharistiæ Sacramentum supponit pro solis speciebus consecratis.

Dico secundò, Hoc sacramentum supponit in recto pro speciebus consecratis tantum, non pro Corpore Christi, vel sumptione. Per species autem consecratas intelligitur compositum ex materia & forma, ita quod forma consecrationis ita directè pertinet ad constitutionem sacramenti, tanquam forma informans sacramentaliter, non vt purè efficiens. Ratio primæ partis constat ex dictis, Quia pro illo supponit directè Sacramentum, in quo genere constituitur (sicut homo supponit pro substantia & albedo pro qualitate) sed hoc Sacramentum ponitur in genere signi sacramentalis (hoc enim est genus sacramenti) ergo supponit in recto pro signo contentiuo Corporis Christi; hæc enim est eius definitio; Et constat manifestè, quod definitum potest supponere pro sua definitione in recto, quia in recto prædicatur de illo. Rursus solæ species consecratæ sunt signum contentiuum Corporis Christi, non ipsum Corpus Christi, neque sumptio, ergo pro solis speciebus consecratis supponit hoc Sacramentum in recto. Antecedens constat ex præcedenti conclusione, Quia Corpus Christi in hoc Sacramento est res contenta & signum, & modo inuisibili existens; solæ verò species sunt signum sensibile continens, & significans Christum, ergo solæ species consecratæ (idest, continentes Christum) sunt hoc Sacramentum; ita tamen quod Christus solùm se habeat vt contentus & significatus, non vt continens & significans sensibiliter. Et ita solùm pertinet ad hoc Sacramentum, quod est in genere signi, terminatiuè & in obliquo, sicut signatum potest pertinere ad signum. De sumptione autem iam dictum est, quod supponit Sacramentum Eucharistiæ integrè constitutum, quia per illam integrè & totaliter sumitur; ergo non supponit pro illo, neque tanquam genus, neque tanquam differentia aut definitio illius; quia sumptio non est ipse cibus, sed acceptio alimenti; hoc autem Sacramentum est cibus Animæ.

Verba consecrationis, non esse formaliter partē, multorum opinio.

Quoad secundam partem conclusionis, Multi negant verba consecrationis esse formam Sacramenti in genere causæ formalis, sed solùm efficientis; quatenus partem consecrant effectiuè, & sub eius speciebus ponunt Corpus Christi. Ita Vasquez vbi supra, qui in hoc sequitur Scotum in 4. dist. 8. quæst. 1. ad 3. Gabriel. ibi quæst. vnica. & lect. 38. in Canonem. Eadem sententia tribuitur Catharino, Alano, Claudio, Ledesmæ & Aliis. Et habet hæc sententia fundamentum in ipsa natura huius Sacramenti, quod differt ab aliis in hoc, A quod habet esse permanens, & non successiuum; perficiturque ipsa consecratione materiæ, non autem ipso vsu & sumptione; ergo forma consecrationis, quæ solùm deseruit ad consecrandum panem, & conuertendum in Corpus Christi, & se habet per modum transeuntis & successiuè, non potest in genere causæ formalis informare & constituere hoc Sacramentum, quod permanet post prolata verba, ita quod verba desinunt esse, & Sacramentum incipit esse; ergo non informat illud, sed efficit. Vnde in aliis Sacramentis forma non efficit sacramentum, sed effectum illius, nempe Gratiam; ipsum autem Sacramentum non efficit, sed constituit. At verò in Eucharistia, B verba consecrationis efficiunt ipsum Sacramentum, quia efficiunt species consecratas, quas diximus esse Sacramentum; ergo non sunt forma informans, sed efficiens; nec amplius Concilia requirunt, nisi quod Sacramentum perficiatur materia & forma; intelligitur autem perfici, si solùm effectiuè fit à forma, etiamsi non informetur ab illa.

Dicendum nihilominus est, Formam huius Sacramenti, quæ sunt verba consecrationis, non solùm esse formam effectiuam, sed etiam informatiuam huius Sacramenti; non entitatiuè & physicè, sed sacramentaliter; quatenus significatio verborum, cùm sit expressior, determinat & constituit C species in ratione signi, vt determinatè significent hîc Corpus Christi, quod non significarent ita determinatè & expressè, si Deus sine verbis poneret Corpus Christi sub speciebus. Itaque species illæ naturaliter significatiuæ sunt panis & vini; ex impositione autem diuina, quam per verba illis contulit, significant Corpus Christi. Deducitur hoc primo ex Concil. Florent. vbi supra, docente Sacramenta perfici rebus vt materia, & verbis vt forma; & persona Ministri vt conferente Sacramentum; Vbi Concilium non potest intelligi de sola forma efficiente, sed non informante; Tum quia virtus efficiens est forma existens in ipsamet causa efficiente, verba autem non D sunt forma existens in ipso efficiente, neque in Christo, neque in Ministro, sed ab ipso procedunt, & attingunt materiam quam determinant & afficiunt; Tum quia eodem modo assignat Concilium in Sacramento Eucharistiæ verba pro forma, sicut in aliis Sacramentis, in quibus constat verba non solùm efficere Sacramentum, sed informare materiam.

Verba ipsa componentia intrinsecè & formaliter.

Et Ratio huius est, Quia vt verba sint forma, non debent physicè informare materiam, sed sacramentaliter; id est, modo significatiuo, scilicet determinando ipsam materiam vt simul cum verbis distinctè & determinatè significent rem sacram, vt docet sanctus Thomas quæst. 60. art. 6. E præsertim ad 2. Vbi inquit, Quod ideo ex rebus & verbis fit quodammodo vnum in Sacramentis, sicut ex forma & materia, inquantum scilicet per verba perficitur significatio rerum, vt dictum est; sed in speciebus consecratis significatio Christi ibi contenti perficitur per verba, ergo ex verbis & rebus perficitur vnum Sacramentum, seu signum, sicut ex materia & forma. Minor patet, Quia species illæ, licèt physicè contineant Christum, tamen non significant illum sacramentaliter, neque gratiam, nisi ratione verborum; siquidem ex se, & naturaliter potius significant substantiam panis & vini, cùm sint eius accidentia; Ex impositione autem sacramentali significant ad placitum

Informatio existentiaque sacramentalis & in genere signi.

Corpus Christi; hæc autem significatio ad placitum conuenit speciebus, & determinatur in illis per verba; Si enim Deus sine verbis consecrationis per suam potentiam conuerteret panem in Corpus Christi, accidentia quæ remanerent, non significarent ad placitum determinatè ipsum Corpus Christi, licèt continerent illud; neque enim constaret nobis ibi contineri Christum nisi per aliqua verba exprimeretur; ipsa ergo verba determinant, & componunt species illas ad significandum Corpus Christi per modum signi sacramentalis, & ad placitum; impositio autem in signis ad placitum, non solùm se habet vt efficiens, sed vt informans moraliter ipsum signum, reddens illud formaliter impositum, & significatiuum ad placitum; ergo etiam verba determinantia hanc materiam ad significandum Corpus Christi sacramentaliter, illam informant, & non solùm efficiunt.

Quomodo autem verba informent rem permanentem (scilicet species consecratas) cùm ipsa sint successiua, & non existant quando existit Sacramentum? Respondetur informare illa verba; & existere sacramentaliter seu significatiuè; sicut impositio verborum ad significandum non existit physicè in verbis, quæ modò loquimur, & tamen informat illa, & reddit imposita formaliter moraliter: In his enim informationibus moralibus & sacramentalibus, quæ dependent ex impositione, non est quærenda eadem informatio quæ in rebus physicis, sed moralis & sacramentalis; & hæc potest dici quodammodo physica in illo genere (scilicet in genere Sacramenti) quia est informatio iuxta naturam Sacramenti. Nec sanctus Thomas citato loco aliter explicauit hanc compositionem ex materia & forma in Sacramentis, nisi inquantum per verba perficitur significatio rerum. Quare licèt verba iam non existant physicè, quia transierunt, existunt tamen sacramentaliter, id est, significatiuè; quæ existentia non est aliud, quã illa habitudo rationis, quæ remanet in speciebus consecratis ad verba præterita, ratione cuius in vi verborum existit in speciebus determinata significatio sacramentalis Corporis Christi, ea existentia qua existunt & denominant habitudines rationis, etiam quando actu non cognoscuntur (scilicet existentia virtuali & fundamentali) sicut elementa componunt mixtum, non quia formaliter sint in mixto, sed virtualiter, mediantibus accidentibus relictis & deriuatis ex elementis; Nec ampliorem compositionem aut informationem res ista exigit, quia cùm sit compositio ad placitum & secundùm habitudinem rationis, ista habitudo æquè saluatur, & ponitur existentibus verbis, & transactis; neque enim verba informant ratione eius quod in se physicum & successiuum est, sed ratione significationis, quæ semper perseuerat postquam semel determinauit species, & fecit illas taliter esse significatiuas; sicut permanet impositio semel facta in omnibus vocibus impositis, permanentia morali seu rationis, non reali; neque enim alia est horum signorum essentia pro formali, nisi aliquid rationis in genere signi ad placitum, seu sacramentalis.

Causa efficiens, eadem & formalis seu componẽs.

Nec obstat, Quod verba efficienter concurrunt ad hoc sacramentum perficiendum; Dicitur enim non esse incõueniens, quod sub diuersis considerationibus vtrumque munus exerceant, causæ efficientis & formalis, præsertim in rebus moralibus, & in informatione rationis, quæ extrinseca est; & potest idem, quod est efficiens, moraliter informare. Inquantum enim verba procedunt à Ministro, tanquam instrumentum illius, vel operatio, efficienter perficiunt Sacramentum; quia sunt medium, quò Minister operatur; & Minister concurrit efficienter; Inquantum verò significatio verborum determinat significationem materiæ, & reddit illam impositam ad significandum sacramentaliter rem sacram, dicuntur informare per modum formæ moralis, seu sacramentalis; id est, significatiuè. Ex dictis deducitur, quid in hoc Sacramento sit sacramentum tantùm, res & sacramentum, & res tantùm. Sacramentum tantùm sunt ipsæ species consecratæ, provt significant ad placitum ex habitudine ad verba consecrationis ipsum Corpus Christi & gratiam; res & sacramentum est Christus provt ibi contentus; sic enim est effectus consecrationis, & pro hac parte dicitur res illius; & est signum inuisibile gratiæ dandæ per ipsum, quia alimentum Animæ est; & hac parte dicitur sacramentum: res tantùm est gratia cibans Animam, & dans vitam æternam.

In Eucharistia res & sacramentum, & alterum tantùm.

Quod si dicas, Nam id quod est res & sacramentum est effectus ipsius Sacramenti (id est, materiæ & formæ, ex quibus resultat sacramentum) sed Corpus Christi non est effectus specierum, quia solùm continetur ab ipsis, non efficitur; aliàs species causarent suam continentiam Corporis Christi, quod esset causare aliquid pertinens ad essentiam sacramenti. Respondetur, Non esse necesse quod Sacramentum causet illũm effectum, tam pro materia, quàm pro forma: sed sufficit quod pro forma: sicut in agentibus physicis, forma est principium operandi, non materia; & homo dicitur videre, licèt solùm vna pars illius, quæ est oculus, videat; Neque est inconueniens, quod ipsa forma verborum causet Corpus Christi, & continentiam qua species continent illud, & tamen verba sint forma constitutiua sacramenti; quia vt dictum est, hoc fit secundum diuersas considerationes & formalitates; Quia inquantum instrumentum diuinæ operationis, effectiuè se habent; inquantum verò imponunt & determinant istas species ad significandum sacramentaliter Corpus Christi, se habent vt forma. Sicut etiam Anima Christi, inquantum instrumentum diuinitatis effectiuè dedit vitam corpori in resurrectione; inquantum autem forma physica corporis, dedit vitam formaliter.

Christi Corpus Sacramenti effectus, nõ ipsum Sacramẽtum.

Soluuntur Argumenta.

Primò arguitur ad probandum quod Sacramentum Eucharistiæ in recto & intrinsecè includit & componitur ex Corpore Christi; quia Patres communiter significant hoc Sacramentum esse ipsum Corpus Christi; componi seu constare ex Corpore Christi; absolutè adorari adoratione latriæ, quod non conuenit speciebus, sed ipsi Corpori Christi. Neque est opus referri ad longum omnes istas authoritates, quæ videri possunt apud Suarez & Vasquez locis citatis. Sufficit dicere vsitatum esse apud fideles hoc Sacramentum appellari Corpus Christi. Et Paulus, dicit 1. ad Corinth. 11. 29. *Iudicium sibi manducat & bibit: non diiudicans Corpus Domini.* Et hoc Sacramentum absolutè adorari adoratione latriæ vsus vniuersalis Ecclesiæ habet, & diffinit Concil. Trident. sess. 13. can. 5. Constare autem hoc sacramentum ex speciebus & Corpore Christi (quod videtur magis ad quæstionis punctum attingere) expressè dicitur in cap. *Hoc est*, de consecratione dist. 2.

vbi dicitur, *Sacrificium Ecclesiæ duobus constare, scilicet visibili elementorum specie, & inuisibili Domini Iesu Carne.* Irenæus lib. 4. cap. 34. inquit, *Eucharistiam duabus rebus constare: terrena & cælesti.* Et sanctus Thomas in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. quæstione 1. ad 2. ait. *Ex speciebus & Corpore Domini fieri vnum Sacramentum.* Quæ autem alij plures dicunt, nullam aliam maiorem difficultatem habent, quàm istæ authoritates iam relatæ.

Respondetur has omnes locutiones à nobis admitti; sed non deduci ex illis, quod Sacramentum hoc in recto, & prout in genere signi, componatur ex Christo tanquam ex parte, aut tanquam ex constituente hoc Sacramentum intrinsecè; sed tanquã ex intrinseco contento, & significato: Sicque accipitur contentum pro continente, signatum pro signo, quando hoc sacramentum nominatur ipsum Corpus Christi; sicut si ostensa arca dicamus, Hoc est triticum, significando ipsum contentum in arca. Similiter adoratur hoc Sacramentum adoratione latriæ, ratione rei contentæ, & quia coniuncta est speciebus quasi velaminibus per modum vnius, sicut Rex vestitus cum veste adoratur, nec fit ibi separatio vestis à Rege, sed tamen ratio adorandi tota est in Rege; sic totum hoc Sacramentum adoratur per modum vnius, tota tamen adorationis ratio, est res contenta (scilicet Christus) non ipsum Sacramentum continens, scilicet species consecratæ. Quod verò dicunt aliqui Patres, & sanctus Thomas, Hoc Sacramentum constare ex Speciebus visibilibus, & re inuisibili, seu Corpore Domini; Respondetur sensum esse, quod constat vtroque, sed non eodem modo. Pertinet enim ad hoc Sacramentum Christus, non vt constituens directè sacramentum, sed terminatiuè, scilicet vt res contenta & significata; & sic in obliquo etiam pertinet ad essentialia constitutiua, & quasi extrinsecè; sicut obiectum pertinet ad specificationem actus & potentiæ, & signatum ad speciem signi: & sicut contentum est terminus, quem essentialiter respicit ipsa res continens; & sic ex illo vt contento, & ex speciebus vt continentibus, Sacramentum hoc perficitur; ita tamen quod res contenta non constituat directè ipsum continens, & ipsum signum quod est sacramentum.

Christi Corpus cõtentum & adoratum.

Secundò arguitur ratione, Ex speciebus & Corpore Christi fit aliquid vnum, sed non nisi vnum Sacramentum, ergo etiam Corpus Christi pertinet ad directum constitutiuum huius Sacramenti. Maior probatur, Quia inter species & Corpus Christi datur aliqua vnio, siquidem Corpus Christi subrogatur loco substantiæ panis; inter subiectum autem & species, seu accidentia illa, erat aliqua vnio; ergo etiam inter species illas & Corpus Christi substantiæ subrogatum: Si autem datur vnio, ergo resultat aliquid vnum; quia vnio ad vnitatem ordinatur. Minor verò probatur, Quia illud vnum quod resultat, non est aliud quàm ipsa Eucharistia; neque enim est aliquid vnum entitatiuè naturale, seu physicum; ergo vnum sacramentaliter. Quod etiam patet, Quia totum illud inde resultans constituit vnum cibum, efficienter causantem & significantem refectionem spiritualem gratiæ; ergo resultat vnum Sacramentum, quia sacramentum est signum efficiens gratiam.

Confirmatur primò, Quia si aliquid obstaret quominus Christus ibi contentus non componeret hoc Sacramentum directè, maximè quia est res ibi contenta, & se habet vt res & sacramentum simul; sacramentum autem est signum sensibile, & non componitur ex illo quod est res & sacramentum, quia hoc est effectus ipsius sacramenti, & sic supponit ipsum; sed hæc ratio est nulla. Minor probatur, Nam in Sacramento Pœnitentiæ contritio est aliquid internum, & non sensibile, & se habet vt res & sacramentum simul, & tamen directè componit Sacramentum Pœnitentiæ vt pars integrans illius; Sacramentum enim Pœnitentiæ constat Confessione & Contritione vt partibus; ergo eodem modo poterit Eucharistia constare ex speciebus & Corpore Christi, non obstante quod Corpus Christi sit res & sacramentum simul.

Confirmatur secundò, Quia illud directè pertinet ad Sacramentum, & constituit illud, quod directè habet efficientiam in effectum principalem sacramenti, qui est gratia; sed Corpus Christi est quod directè habet efficientiam in effectum principalem sacramenti, qui est gratia; Nam Corpus Christi est quod præcipuè causat gratiam in hoc sacramento, iuxta illud Ioan. 6. 58. *Qui manducat me, viuet propter me.* Et, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ibid. 59. Vnde sanctus Thomas in ista quæst. art. 1. comparat Corpus Christi quantum ad efficientiam gratiæ, virtuti Spiritus sancti assistenti in Baptismo; ergo principalis efficientia competit ipsi Corpori Christi; ergo etiam principalis constitutio sacramenti; quia sacramentum est effectiuum gratiæ.

Respondetur concedendo, quod inter species & Corpus Christi est aliqua vnio, & resultat aliquod vnum. Et ad minorem cùm dicitur, Quod non resultat nisi vnum Sacramentum, distinguo; Vnum Sacramentum quoad rationem sacramenti directè & intrinsecè tantùm, nego; quod sit vnum in ratione sacramenti quoad intrinsecum & extrinsecum, quoad continens & contentum, transeat. Ad probationem, Illud quod resultat non est aliud quam ipsa Eucharistia, seu aliquid in genere sacramenti: Respondetur eadem distinctione; Non est aliud quàm Eucharistia quantum ad id quod pertinet in recto & intrinsecè ad rationem Eucharistiæ, nego; quantum ad id quod pertinet intrinsecè & extrinsecè, in recto & in obliquo, concedo; & hoc totum quod constat ex recto & obliquo, ex continenti & contento, pertinet ad refectionem & cibum sacramentalem, sed non eodem modo; quia Corpus Christi pertinet vt res contenta & significata; species verò consecratæ, vt signum continens; & ideo species in recto & intrinsecè sunt in genere sacramenti, quod est genus signi; Christus autem vt terminus totius significationis, quia est res signata; & ideo dicitur pertinere terminatiuè, & in obliquo ad hoc Sacramentum.

Christi Corpus vt vnum cum Sacramento, & vnum Sacramentum.

Instabis, Substantia cibi in recto & formaliter pertinet ad ipsum alimentum, non solùm de connotato & in obliquo; sed tota substantia huius cibi est Corpus Christi, ergo non potest pertinere ad constitutionem huius cibi in obliquo & de connotato, sed directè & formaliter. Similiter in ratione Sacrificij, Corpus Christi pertinet directè ad constitutionem Sacrificij, quia est ipsa res oblata; Est enim eadem res oblata in hoc Sacrificio & in Cruce; ibi autem solùm Corpus Christi oblatum est, species autem consecratæ non sunt ipsa res oblata; ergo si in ratione Sacrificij & cibi

Corpus Christi intrat in recto, etiam in ratione Sacramenti; quia cibus & Sacrificium nihil aliud sunt, quàm ipsum Sacramentum, & ipsa Eucharistia.

Respondetur concedendo quod in cibo materiali substantia; pertinet directè ad constitutionem cibi, quia pertinet directè ad materiam conuertendam in substantiam aliti, & in hoc consistit cibus materialis; in cibo autem sacramentali, non sic; quia substantia eius non conuertitur in nos, sed nos conuertimur in ipsum; & ideo oportet quod iste cibus, inquantum cibus sacramentalis, constituatur in recto & intrinsecè per id quod significatiuum est; quia ly sacramentalis est idem, quod significatiuus; & ideo substantia huius sacramenti debet solùm terminatiuè & in obliquo pertinere ad hoc sacramentum, id est, tanquam res contenta & signata, & tanquam substantia, in quam conuertimur; non tanquam substantia quæ conuertitur in nos; quia non consistit in recto iste cibus in aliqua materia, seu substantia conuertibili in comedentem. Ad id verò quod dicitur de Sacrificio, Respondetur, Quod Sacrificium non consistit in ipsis speciebus consecratis permanenter continentibus & significantibus Christum, sed in actione qua defertur cultus Deo, immutando aliquam materiam in honorem Dei, vt quando mactabatur animal, vel consumebatur in sacrificio; In præsenti autem consistit sacrificium in ipsa mactatione mystica, qua Christus vel consecratur, vel sumitur in duplici specie; seorsum Corpus, & seorsum Sanguis, ex vi verborum; qui enim communicat in vna specie tantùm, non sacrificat; Vnde Christus sub speciebus istis pertinet ad sacrificium tanquam materia oblata & sacrificata, quæ directè pertinet ad sacrificium ex parte eius quod offertur; At verò ratio & formalitas sacramenti, non est ipsa res oblata & significata, sed signum illius; & ideo species consecratæ, quæ sunt signum, pertinent directè ad sacramentum, Christus autem terminatiuè, & vt res contenta.

Christi Corpus in Eucharistia, cibus in quem conuertamur, non ipsum Sacramentum.

Ad primam confirmationem, Respondetur, Quod contritio, seu dolor in Sacramento Pœnitentiæ, dupliciter consideratur; Vno modo vt est actus seu effectus virtutis Pœnitentiæ, & causa confessionis dolorosæ, quia imperat illam, & est quasi forma illius; Alio modo consideratur dolor & contritio vt subsequitur ad Sacramentum, & est effectus illius, & accipit ab ipso vim sacramentalem ad causandos effectus huius sacramenti; scilicet gratiam sanatiuam, securitatem conscientiæ, & alios similes effectus, qui dantur in Sacramento Pœnitentiæ; cuius signum manifestum est, quia quando aliquis accedit cum sola attritione, quæ de se non est sufficiens dispositio ad gratiam, virtute sacramenti illa attritio sufficit ad gratiam, & causat illam. Primo modo Contritio vel Attritio non est res & sacramentum, sed tantùm dispositio orta ex virtute Pœnitentiæ ad iustificationem; & sic est pars sacramenti mediante confessione sensibili, quatenus informat illam, & reddit dolorosam; Sic enim non est inconueniens, quod aliquid inuisibile concurrat ad compositionem sacramenti, quatenus est ratio vt ipsa materia sensibilis sit actus humanus, & proportionatus tali sacramento; sicut in Matrimonio, contractus exterior nisi procedat à voluntate interiori, non est debita materia sacramenti; & similiter in Pœnitentia, Confessio exterior nisi procedat à dolore

Contritio pars Sacramenti Pœnitentiæ, & non pars, sed effectus, resque Sacramenti.

A interiori, non est debita materia sacramenti; At verò secundo modo, dolor interior prout redditur sacramentalis, id est, quatenus ex sacramento accipit vim ad causandos effectus sacramentales in Anima, sic est res & sacramentum simul; sed hoc modo non componit sacramentum Pœnitentiæ, neque est pars illius, sed effectus; & ideo Sacramentum ipsum supponit.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod habere efficientiam in gratiam sacramentalem stat dupliciter; primò tanquam signum sensibile; secundò tanquam virtus inuisibilis, vel etiam vt res significata; sicut etiam Character impressus in Baptismo potest habere inuisibilem virtutem ad gratiam, vel ad effectus sacramentales. Quod habet efficientiam tanquam signum practicum, pertinet principaliter & in recto ad constitutionem sacramenti; quod verò habet efficientiam solùm secundo modo, non constituit sacramentum intrinsecè & in recto, sed tanquam res contenta & significata. Et hoc modo Caro Christi habet efficientiam gratiæ, non tanquam signum visibile, sed tanquam res significata, & virtus inuisibilis.

Carnis Christi efficientia, non vt signi sensibilis, sed vt rei significatæ & virtutis inuisibilis.

Ex quibus manent solutæ rationes, quas Vasquez supra disp. 165. cap. 5. affert, & dicit esse euidentes. Altera est; Eucharistia est Corpus Christi, seu constat Corpore Christi, vt dicunt Patres citati. Hoc Sacramentum est Eucharistia; ergo hoc Sacramentum est Corpus Christi, aut constat Corpore Christi, solutum est ex dictis; dictum est enim, Quod Eucharistia est Corpus Christi, sumendo continens pro contento, qui est frequentissimus modus loquendi; non autem quod est Corpus Christi in recto, & intrinsecè. Constat enim, Quod etiam Patres & Ecclesia, secundùm communem loquendi modum dicunt, quod Eucharistia continet Corpus Christi; & in hoc Sacramento continetur Corpus Christi, quæ locutiones sunt verissimæ; Non possent autem verificari, nisi Corpus Christi esset res contenta; ergo quando Patres dicunt, Quod Eucharistia est Corpus Christi, sumunt continens pro contento. Altera ratio est, Spiritualis cibus Animæ, aut est Corpus Christi, aut constat Corpore Christi; hoc Sacramentum est spiritualis cibus Animæ, ergo hoc Sacramentum est Corpus Christi, aut constat Corpore Christi. Responsum est supra, Quod spiritualis cibus constat Corpore Christi, vt contento & significato, non vt significante & continente; & ideo pertinet ad hoc Sacramentum tanquam terminus significationis connotatus ab ipsa, non tanquam ratio significans, vel constitutiuum ipsius signi; hoc autem Sacramentum est spiritualis cibus per modum cibi sacramentalis & significatiui, non rei significatæ.

Vltimò arguitur, ad probandum verba non constituere formaliter hoc Sacramentum, sed tantùm effectiuè; & præter argumenta allata & soluta, quomodo possint verba successiua informare species consecratas permanentes, & non solùm consecrationem ipsam, quod iam explicatum est: Præter hoc, inquam, est Argumentum ex Vasquez vbi supra, cap. 3. Quia in Concilio Florentino, in instructione Armenorum docuit Pontifex, Formam huius Sacramenti esse verba Saluatoris. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum, si conficit; ergo est causa efficiens sacramenti; ergo non formalis; non enim idem potest esse forma & efficiens res-

pectu ejusdem. Confirmatur, Quia materia quæ subjicitur verbis tanquam formæ, est panis & vinum, vt ibidem Pontifex dicit; sed panis & vinum est materia destruenda per verba, ergo non informatur verbis, quia forma informans non corrumpit id quod informat; materia autem proxima quæ manet (scilicet species consecratæ) non assignatur à Pontifice pro materia verborum, sed solùm panis & vinum: ergo signum est verba ista non habere materiam quam informent, sed circa quam operentur, sicut lignum dicitur materia combustionis; & sic non assignat Concilium formam informantem huius Sacramenti, sed efficientem; sic enim assignat formam sicut materiam; sed non assignat materiam quæ componat sacramentum, sed quæ destruatur, scilicet panis & vinum; ergo neque formam informantem, sed efficientem sacramenti, & destruentem substantiam panis. Denique verba non significant ipsam gratiam sanctificantem nos, sed solùm conuersionem panis in Corpus Christi; ergo verba non sunt pars essentialis, & forma informatiua sacramenti, quia hæc debet significare gratiam.

Sacerdos efficiens in Euchari-stia, verba, sacramenti forma, & etiam efficientia.

Respondetur, Quod hoc ipso quod Pontifex assignat formam huius sacramenti, debet assignare formam informantem sacramentaliter, & non solùm efficienter; quia non potest dari efficiens, quod præcisè corrumpat & destruat, non autem aliquid efficiat; id autem quod efficit, est Sacramentum, quod est aliquid artificiale, constans ex aliqua forma significatiua; ergo talis forma debet poni, & illa est forma effecta, & consequenter informans, & non solùm purè efficiens. Cùm ergo Pontifex dicit, Quod Sacerdos in persona Christi loquens perficit hoc Sacramentum, respectu Sacerdotis causam efficientem designat; respectu autem verborum, causam formalem; quatenus determinant & imponunt species illas ad significandum determinatè Corpus Christi; Vnde non est idem forma & causa efficiens, sed efficiens est Sacerdos, & verba sunt forma; quamvis etiam non repugnet (vt supra diximus) quod forma sit informans, & simul efficiens instrumentale respectu sui compositi secundum diuersas considerationes; sicut Anima Christi fuit forma informans corpus in resurrectione, & instrumentum Verbi ad eandem resurrectionem efficiendam.

Eucharistiæ materia remota & proxima; altera remouenda, ponenda altera.

Ad confirmationem Respondetur, Assignari à Pontifice materiam remotam huius Sacramenti, scilicet panem & vinum; non tamen negari proximam, quæ sunt species consecratæ; Verba autem expellunt substantiam panis & vini, conuertendo illam in Corpus Christi; & hoc faciunt efficienter, formaliter autem dant illis speciebus significationem ad placitum, & sacramentalem Corporis Christi, vt non amplius significent substantiam panis; accidentia enim naturaliter & ex se significabant substantiam panis, sacramentaliter autem & ad placitum ex institutione diuina significant Corpus Christi; vnde indigent verbis tanquam dantibus hanc impositionem, & significationem sacramentalem; quæ vtique non est forma efficiens, sed informans ipsum Sacramentum, quia formaliter constituitur in genere signi sacramentalis. Quare Pontifex assignauit formam sicut & materiam; sed respectu materiæ remotæ, quam ibi expressit, forma illa se habet effectiuè, respiciendo illam tanquam materiam circa quam operetur; respectu autem materiæ proximæ, se habet forma vt informans, inquantum tribuit illi

A significationem sacramentalem, vt dictum est.

Ad vltimum Respondetur, Quod verba significant gratiam, hoc ipso quod significant Corpus & Sanguinem Christi, quia significant Corpus per modum cibantis animam, & Sanguinem tanquam fusum in remissionem peccatorum; si ergo significant remissionem peccatorum, & cibationem Animæ, vtique ipsam gratiam significant, quæ istos effectus ponit in Anima.

ARTICVLVS TERTIUS.

B *Quæ sit vnitas specifica & numerica in hoc Sacramento, & vnde sumatur?*

Non dubitandum est, quin quælibet species, siue panis, siue vini, sit integrum & totale Sacramentum independenter ab alia; Qui enim sumit speciem panis, non sumit partem Sacramenti, sed Sacramentum integrum, quia dat integrum effectum; ergo habet integram essentiam & speciem Sacramenti, quælibet species secundum se; ergo differt specificè vna species ab alia in ratione sacramenti. Nec dici potest, quod quælibet species est integrum sacramentum indiuidualiter distinctum ab alio, non specificè; Nam contra C est, Quia plus distinguuntur in ratione significationis species panis ab specie vini, quàm duo calices, vel duæ particulæ panis; quia vnum significat Corpus, & aliud Sanguinem, sed duæ hostiæ sumptæ à diuersis hominibus, vel duo calices, sunt duo Sacramenta numero; ergo si species panis per se sola seorsim à calice est integrum sacramentum, plus differt à specie vini, quàm ab alia specie panis; ergo differt specificè in ratione significationis sacramentalis.

Confirmatur, Quia non est eadem relatio signi in pane & vino, neque eadem specificatio; ergo neque idem specificè Sacramentum. Consequen- D tia patet, Quia Sacramentum est in genere signi; ergo si variatur specifica ratio significationis, variatur vnitas specifica sacramenti. Antecedens verò probatur; Nam in istis duabus speciebus concurrunt diuersæ materiæ, diuersæ formæ, diuersa significata, scilicet Corpus in vno, Sanguis in altero; ergo concurrunt diuersa fundamenta & termini ad distinguendum specificè relationem signi; nec possunt dici illæ relationes partiales & inadæquatæ, quia non potest intelligi quomodo ex duabus relationibus, quarum vna est in specie panis, altera in specie vini, fiat vna integra relatio specifica vna.

Si dicatur, Ordinari omnia ista ad vnum finem, E à quo habent speciem; scilicet ad vnam refectionem spiritualem. Contra est, Nam etiam in Sacramento Ordinis omnes Ordines se habent ad vnum finem (scilicèt ad constituendam Hierarchiam Ecclesiasticam) & tamen sunt plures Ordines specie distincti, vt Sacerdotium, Diaconanatus, &c. ergo similiter poterunt esse diuersa conuiuia sacramentalia, licèt ordinata ad vnum finem genericum (scilicet ad refectionem spiritualem) vt genericè distinguitur à refectione corporali; in hoc enim est difficultas, An ista refectio sit solùm vna specificè; vel genericè; & sic non euacuat difficultatem, dicere, Quod est vnitas specifica Sacramenti propter vnitatem refectionis; quia de ista vnitate est eadem difficultas, An sit vna specificè, vel genericè, & sint plura

conuiuia specie distincta.

Dicendum nihilominus est, Eucharistiam esse vnum Sacramentum vnitate specifica & atoma. Hæc conclusio est communis inter Theologos, licèt oppositum tribuatur Aureolo apud Capreolum in 4. dist. 8. quæst. 1. in Argumentis contra secundam conclusionem; Et idem attribuit Majori & Gabrieli P. Vasquez hîc disput. 39. sect. 3. Sunt tamen Theologi qui hanc sententiam vt temerariam censurant, vel errori proximam; Nos a censura abstinentes, dicimus nostram sententiam esse communem Theologorum, & conformiorem Scripturæ & Conciliis, & traditioni Ecclesiæ. Ex Scriptura id deducitur, quia in ea hoc Sacramentum specialiter dicitur vnum 1. ad Cor. 10. 17. *Vnus panis, vnum corpus multi sumus: omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Et August. tract. 26. in Ioan. exclamauit, Hoc Sacramentum esse signum vnitatis; sed ex eo quod Scriptura dicit Vnum Baptisma, & vnam fidem; rectè colligimus Baptismum esse vnum Sacramentum specificè, non genericè; quia vnitas simpliciter dicta debet accipi pro vnitate quæ simpliciter talis est (scilicet pro vnitate specifica) Nam generica, non est simpliciter talis; quia genus est vnum in potentia, non in actu completo, sicut species; ergo eadem ratione Sacramentum Eucharistiæ erit vnum specificè, quia simpliciter dicitur vnum in Scriptura. Ex Conciliis & traditione Ecclesiæ idem deducitur, quia Ecclesia simpliciter fatetur esse septem Sacramenta, & non amplius, vt patet in Concil. Trident. sess. 7. & in Florentino in Instructione Armenorum; & in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate; si autem Eucharistia esset duplex Sacramentum in specie, essent simpliciter octo Sacramenta.

Eucharistia vnum Sacramentum specie.

Nec sufficit dicere, Quod sunt septem Sacramenta siue genericè siue specificè, ita quod quædam sunt specificè vnum, sicut Baptismus & Confirmatio, alia genericè vnum, vt Sacramentum Ordinis, vel etiam Eucharistia. Nam contra est; Quia Sacramentum Ordinis etiam specificè est vnum, quia tota species & essentia Sacramenti Ordinis, desumitur ad vnum specificè, scilicet ex ordine ad sacrificium; quia sacerdotium & sacrificium correlatiuè se habent, vt constat ex Concil. Trident. sess. 23 cap. 1. licèt ista species Ordinis plures gradus habeat, vnum perfectum (scilicet Sacerdotium) alios deseruientes & ministrantes illi, vt Diaconatus, Sub-Diaconatus, &c. sicut in eadem specie hominis dantur plures gradus; rationale qui est summus, vegetatiuum & sensitiuum, quæ ministrant rationali. Quare diuersi Ordines, solùm sunt species quædam incompletæ & inadæquatæ, quæ materialiter se habent ad constituendam speciem adæquatam & totalem Sacramenti Ordinis. Et hoc modo etiam in Eucharistia sunt duæ species incompletæ, panis & vinum, componentes adæquatam speciem conuiuij spiritualis; sicut oculus & auris distinguuntur specie incompleta & partiali in homine, constituunt tamen vnam speciem completam humanam; & solùm est differentia, quod in homine; cùm sit vnum totum physicum, non possunt partes existere seorsum à toto, quia est vnum continuum; in Sacramento verò, quia est vnum artificiale, & non continuatione vnum, sed respectiuè, possunt istæ partes existere seorsum; sicut etiam Ordines diuersis temporibus suscipi.

Denique in Catechismo Pij quinti, loquendo de Sacramento Eucharistiæ dicitur, *Non plura, sed vnum tantùm Sacramentum Ecclesiæ authoritate docti confitemur.* Si autem Sacramentum Eucharistiæ, etiam in genere sacramenti, non esset vnum specificè, sed solùm genericè, possemus simpliciter dicere quod non sit vnum Sacramentum tantum, sed plura; sicut simpliciter dicimus quod sunt plura animalia, & non vnum, licèt sint vnum genericè.

Ratio autem huius vnitatis specificæ in hoc Sacramento, desumitur ex vnitate specifica finis proximi, ad quem institutum est hoc Sacramentum. Eo quod vnitas eius, vt notat sanctus Thomas in hoc art. 2. non est vnitas absoluta & physica, sed respectiua & sacramentalis, sicut in aliis artefactis; & sic debet vnitas illius sumi secundum habitudinem ad aliquem finem; Constat autem Sacramentum Eucharistiæ institutum esse à Christo ex pluribus speciebus, ad vnum finem, scilicet ad vnam refectionem integram spiritualem; sicut in Extrema-Vnctione sunt plures Vnctiones partiales, & plures formæ partiales, & tamen est vnum Sacramentum; quia omnia illa ordinantur ad vnum finem & ad vnum effectum; scilicet ad tollendum omnes reliquias peccatorum, quæ ex sensibus oriuntur, & Animam deprimunt; Non autem reperiuntur hîc plura conuiuia integra & adæquata, & consequenter neque plures species integræ & adæquatæ in isto genere sacramenti, & spiritualis conuiuij. Constat hoc, Quia vt essent plures species completæ & adæquatæ (de his enim solum loquimur) deberent esse plura conuiuia integra & adæquata, hoc autem est impossibile, ergo. Minor probatur, Quia conuiuium integrum & adæquatum componitur ex cibo & potu. (Vtrumque enim requiritur ad integrum & adæquatum conuiuium) ergo vtrumque componit vnicam speciem sacramentalem adæquatam; & sic vt essent plures species adæquatæ in genere conuiuij, oporteret esse plures refectiones constantes ex diuerso cibo & potu: Seorsum autem species cibi & seorsum species potus, non possunt facere plures species adæquatas in genere conuiuij sacramentalis; sicut solus cibus, aut solus potus non est integrum & adæquatum conuiuium; licèt verum sit, quod ex parte rei contentæ, quidquid continet vna species, contineat alia; Nos autem loquimur de conuiuio vt sacramentali, id est, vt significatiuo & vt constituit adæquatum signum in genere significandi refectionem integram & adæquatam.

Eucharistia vnum artificiale ex vno fine.

Aliqui tamen sumunt vnitatem huius Sacramenti ex vnitate rei contentæ, scilicet Corporis Christi; Alij ex vnitate institutionis, quia vnica institutione factum est; neutri sufficienter; Nam vnitas rei contentæ, si aliquid probaret, non solùm vnitatem specificam, sed etiam indiuidualem probaret in omnibus Sacramentis, quæ sunt in toto mundo, quia omnia idem numero Corpus continent; & veritas est, quod licèt Christus sit res significata & contenta in hoc Sacramento, tamen diuerso modo continetur & significatur per speciem panis, & per speciem vini, & per diuersas formas consecratur; ergo restat semper difficultas, Quare iste diuersus modus significandi & continendi non sufficiat ad distinguendum specie ista Sacramenta, licèt res significata materialiter & entitatiuè sit eadem; ergo recurrendum est ad aliud principium, vnde formaliter sumatur ista specifica vnitas; nec restat aliud nisi vnica ista habitudo vnius perfecti & adæquati conuiuij sacra-

Eucharistia vnũ Sacramentum, quod in eo vna res aut institutio, malè probatur.

mentalis; Vnitas autem institutionis non sufficit, quia institutio Christi solùm se habet in genere causæ efficientis, quæ non specificat, sed solùm principium formale; neque enim est repugnantia, quod Christus Dominus vnica institutione designaret duo Sacramenta specie distincta sub vnico genere; ergo ex sola institutione non potest deduci quod sit vnum Sacramentum in specie atoma.

Soluuntur Argumenta.

Ad rationes dubitandi Respondetur; Ad primam dicimus, Quamlibet speciem esse integrum & totale Sacramentum essentialiter, & quantum ad specificam rationem, non integraliter & perfectiuè; Neque enim repugnat saluari essentiam totam rei in vna parte, & tamen integraliter perfici per alias partes, quæ eandem essentiam participant: Sicut in rebus homogeneis, quælibet pars aquæ vel ignis continet totam essentiam aquæ vel ignis, & tamen componitur ex pluribus partibus ejusdem speciei & essentiæ; & in artificialibus, vna domus componitur ex pluribus habitaculis, & vna propositio ex pluribus propositionibus, quarum quælibet essentiam retinet illius artefacti; & in vno conuiuio plura fercula constituunt vnum integrum conuiuium, & tamen vnum eorum vel duo eandem retinent essentiam conuiuij.

Quælibet species vnũ Sacramentum essentialiter, non completiuè.

Sed dices, Si in vno conuiuio solùm esset cibus, & non potus, vel è conuerso, non esset verum conuiuium quoad essentiam, sed tantùm pars conuiuij, ergo neque in præsenti erit vna Eucharistia quoad essentiam in sola specie panis, sed in vtraque. Et vrgetur amplius, Quia vna sola species (verbi gratia panis) vel significat non solùm essentialiter, sed etiam adæquatè & integraliter totam gratiam cibantem, vel non; si non significat integram & adæquatam gratiam, ergo neque confert illam (id enim confert Sacramentum, quod significat) & sic quando Fideles communicant speciem panis, & non calicem, non sumunt integrè gratiam sacramentalem; ergo injustè facit Ecclesia priuans illos integritate gratiæ, & cùm gratia non sit diuisibilis, si non accipiunt integram gratiam sacramentalem, nullam recipiunt; si verò quælibet species non solùm essentialiter, sed etiam integraliter & adæquatè significat gratiam cibantem; ergo quælibet species non solùm essentialiter, sed etiam integraliter & adæquatè est totum Sacramentum; & sic altera species adueniens non constituit vnum Sacramentum per se, sed aliam speciem adæquatam distinctam; quia ex pluribus entibus in actu adæquato & perfecto, non fit vnum per se in illo genere; tunc autem essent plura in actu integro & totali, etiam in genere Sacramenti, quia quælibet species seorsum integram & totalem significationem gratiæ haberet, sicut & collationem.

Respondetur, In conuiuiis corporalibus ita esse, quod solus cibus, aut solus potus non sufficiunt habere essentiam conuiuij, seu refectionis, sed solùm sunt partes illius; in hoc autem Conuiuio spirituali, non solùm saluatur pars conuiuij quoad essentiam, sed tota substantia in qualibet specie, quia ex parte rei contentæ idem continet cibus quod potus, & è contra; loquendo autem in genere signi & sacramentalis conuiuij, non significat integraliter & perfectè quælibet species totam significationem conuiuij, & ideo requiritur vtraque ad significationem sacramentalem adæquatè

Integra cibatio, & gratia in vna specie.

A & integrè in genere significationis, seu modi significandi, licèt ex parte rei significatæ & contentæ, totum quod essentialiter significat vna, significet altera.

Ad instantiam Respondetur, Quod quælibet species significat & efficit integrum effectum, qui est gratia, ratione rei contentæ (scilicet Christi) qui totam gratiam dat per vnam speciem, sicuti per aliam; Gratia enim datur ratione rei contentæ, & quia quidquid continetur in vna specie, per concomitantiam est in alia, & è contra; ideo quælibet species in re & concomitanter dat totam gratiam integraliter, quam dat alia; quia cùm B ista gratia sit per vnionem ad Christum, sicut quælibet species integrè vnit Christo, ita & integram gratiam dat; Cæterum ex parte modi significandi, quantum ad signum sensibile non significatur integrè & perfectè per vnam speciem tota gratia, quæ per aliam; quia effectus sacramentales gratiæ non integrè significantur in solo cibo, aut in solo potu, siquidem vtrumque effectum & satietatem Animæ præbet ista gratia; integritas autem Sacramenti, cùm sit integritas in significando, non solùm attenditur ratione rei contentæ, aut eius quod concomitanter se habet in hoc Sacramento, sed ratione eius quod pertinet ad formalem & expressam significationem, & ad modum significandi, vt dica- C tur esse perfectum signum, & perfectè significare.

Vel secundò potest dici, Quod non datur minor gratia per vnam speciem quàm per duas, & consequenter neque significatur; Nec tamen iniustè facit Ecclesia, priuans Fideles specie Calicis; sicut neque facit iniuriam quod non bis communicent in eadem specie; quod tamen si possent, maior illis daretur gratia. Quare non priuat illos aliqua gratia & fructu sibi debito, sed recipiunt id quod iuxta institutionem Christi Domini illis assignatur; & aliàs id quod sibi deest de gratia sacramentali in sumptione alterius speciei, possunt resarcire per ampliorem dispositionem sumendo vnam tantùm. Quare nunquam inueniuntur hîc plura entia in actu perfecto sacramentaliter; sed solùm dantur D significationes inadæquatæ, constituentes vnam completam & adæquatam.

Immò, maior noua que gratia in vtraque.

Ad confirmationem positam in ratione dubitandi Respondetur, quod in illis pluribus speciebus dantur diuersæ relationes inadæquatæ, est tamen vna adæquata in genere sacramentali, licèt sint plures entitatiuè; & dantur plures materiæ, & plures formæ inadæquatæ, sicut in Extrema Vnctione dantur, & tamen est vnum sacramentum: Hæc enim vnitas artificialium non est regulanda penes plures entitates in eis subiectas physicè (hæc enim plurificantur materialiter) neque etiam existimandum est, quod ex pluribus illis relationibus consurgit vna relatio entitatiuè composita, neque enim in accidentibus talis datur E compositio, quasi vnum sit forma, & aliud materia, quia omnia accidentia formæ sunt; sed intelligitur compositio artificialis per subordinationem & dependentiam ad vnum, quia in nullo subiecto ex illis datur relatio aut significatio, quæ non coordinetur, aut subordinetur alteri; sicut dicitur vnus exercitus, & vnus populus, & vna domus, & vnum conuiuium, & tamen in qualibet parte, aut entitate componente illud vnum datur sua relatio, & ordinatio distincta; sed quia datur cum dependentia & subordinatione ad alteram, vel ad vnum tertium, dicitur vnum ratione vnius subordinationis, licèt sint plura entitatiuè: & ita quando

aduenit vltima relatio, cùm aduenìat non absolutè, sed subordinando sibi alias, & supponendo illas, talis relatio dicitur forma totalis, quia sub ipsa comprehenduntur aliæ; siquidem intantum est vltima, inquantum supponit alias; sicut de vnitate vltima numeri diximus in Logica cap. de Quantitate.

Cùm ergo plures relationes concurrunt in aliquo artefacto & composito, dicuntur partiales & inadæquatæ, non physicè & entitatiuè, sed artificialiter & sacramentaliter, inquantum omnes illæ subordinantur vni fini, & coördinantur inter se in respiciendo illum; Exercetur autem perfectio & consumatio illius vnitatis in vltima relatione illarum partium, inquantum supponit alias, & in illa vltima completur adæquatè habitudo & commensuratio ad talem finem, à quo specifica vnitas sumitur; sicut plures superficies & relationes in illis subiectatæ habent vnitatem loci ex vnitate termini qui respicitur, scilicet distantiæ fixæ in vniuerso. Cùm autem dicitur, Quod non constat hanc refectionem esse vnam specificè, sed sufficit quod sit vna genericè, Respondetur constare quod sit vna specificè, quia præbet eandem gratiam cibatiuam, & eosdem effectus facit in Anima tam vna species, quàm altera, quia eadem est in vtraque specie, & eadem vnio fit ad Christum vt contentum in vna specie, & in altera; quod verò affertur de sacramento Ordinis iam responsum est, quomodo sit vnum in specie atoma.

De Vnitate Numerica Eucharistiæ.

Circa Vnitatem Numericam Eucharistiæ, nihil sanctus Thomas in hoc art. 2. expressit; fortassis, quia cognita vnitate specifica, facilè videbatur vnitatem numericam explicare; quia cùm talis vnitas sit materialis, & ex parte subiecti desumatur, hoc ipso quod explicatur vnitas specifica in aliquo subiecto, manet explicata vnitas numerica; quia tamen hoc Sacramentum institutum est per modum conuiuij, & in conuiuio possumus considerare duplex subiectum, scilicet quando permanenter est in mensa, vbi fercula præparantur: alio modo successiuè, provt est in ipso vsu, & sumptione comedentium; adhuc redditur dubium, Ex quo subiecto sumatur ista vnitas? An ex ipso continente Eucharistiam, an ex sumente?

Qui ergo existimant Corpus Christi pertinere in recto & intrinsecè ad constitutionem huius Sacramenti, ex illius vnitate desumunt vnitatem numericam huius Sacramenti; Quia ratione illius hoc Sacramentum est Panis vitæ, qui vnus est. Et sicut si Verbum diuinum assumeret plures humanitates, diceretur vnus homo. ita Corpus Christi coniungens sibi plures species sacramentales, est vnum Sacramentum formaliter & per se, licèt materialiter & secundùm quid sint plura Sacramenta; quantum ad visibile signum; & sic omnia Sacramenta Eucharistiæ in toto mundo sunt vnum Sacramentum substantialiter & formaliter, plura accidentaliter, & materialiter. Et sic dicuntur plures hostiæ, & plures species. Ita P. Suarez hîc disput. 40. sect. 4. Qui verò existimant Sacramentum hoc in recto & intrinsecè solùm importare species consecratas; Corpus autem Christi terminatiuè & in obliquo, diuiduntur; Quidam sumunt multiplicationem numericam ex multiplicatione physica, ita quod plures hostiæ seu formulæ, sunt plura numero Sacramenta; Alij ex multiplicatione morali seu artificiosa, quia quando aliquis sumit plures hostias, non dicitur sumere plura sacramenta, nec datur sibi multiplicatio gratiæ, aliàs consulendum esset plures formas vel maiores dari in Communione.

Vnitas numerica Eucharistiæ; diuersæ sententiæ.

Omnes isti modi dicendi suas habent difficultates & inconuenientia; Prima sententia deuorat illud inconueniens, quod omnes Fideles sumunt idem numero Sacramentum, & sumpserunt ab initio Ecclesiæ, quia sumunt idem Corpus Christi; hoc autem neque habet vsus Ecclesiæ & Fidelium, neque congruit naturæ huius Sacramenti. Non habet hoc vsus Ecclesiæ, quia manifestè nominat plura Sacrificia, & plures Missas, & plura Sacramenta; vt quando diuersi Sacerdotes celebrant diuersas Missas, non celebrant idem Sacrificium numero; nec dicitur eandem Missam audire, qui plures audit, neque idem Sacramentum sumere hodie, quod heri; quia nec datur idem effectus sacramentalis, sed diuersus per diuersam Communionem: Natura etiam Sacramenti hoc exigit, quia est signum; vnde vnitas eius in ratione signi debet sumi, & similiter multiplicatio. Esse autem plura signa visibilia in hoc Sacramento, neque ipse Suarez negat, neque experientia id permittit. Secunda verò sententia non videtur fixum principium ponere pro vnitate vel pluralitate nnmerica huius Sacramenti, quia ante sumptionem datur vnitas, vel pluralitas Sacramenti in altari, & ibi solùm vnitas, vel pluralitas, quia est vna vel plures hostiæ physicè; quando autem sumitur vnica communione, etiamsi duæ vel tres hostiæ sumantur, non sumitur nisi vnum Sacramentum numero, quia nec dat nisi vnam gratiam numero; Inconueniens autem est, quod non assignetur fixum principium indiuiduationis, vel multiplicationis numericæ in aliqua re, in eodem genere & linea, in qua constituitur, scilicet in genere physico, vel morali, vel sacramentali.

Absurdum; quod ex re contenta, Eucharistia vnum numero Sacramentum.

Quod ex sumptione.

Quod ex speciebus materialiter.

Respondetur ergo, Vnitatem numericam huius Sacramenti, non sumi neque ex sola vnitate rei contentæ, quæ est Corpus Christi; neque ex sola vnitate, vel pluralitate physica (quia scilicet est vna vel plures hostiæ) sed ex vnitate vel pluralitate materiali sacramentalis conuiuij, quatenus in aliqua materia seu subiecto indiuiduatur ipsum conuiuium, quodcumque illud subiectum sit; & ex multiplicatione materiali talis subiecti, Sacramentum numericè multiplicatur. Ratio est, Quia ex eisdem principiis debet sumi vnitas, vel multiplicatio indiuidualis in hoc Sacramento, ex quibus sumitur in aliis formis, & concretis accidentalibus; siue naturalibus siue artificialibus, cùm forma sacramentalis sit significatio ad placitum, quæ aliquid accidentale, & quasi artificiale est; Constat autem, quod in doctrina Peripatetica Aristot. & sancti Thomæ, quam latè explicauimus in libris de Generatione quæst. 9. Vnitas vel multiplicatio numerica accidentium sumitur per ordinem ad subiectum, vel materiam; ergo similiter vnitas numerica Eucharistiæ, vel multiplicatio, debet sumi per ordinem ad subjectum, seu causam materialem huius conuiuij, inquantum subiectum illius est, non ex sola vnitate Corporis Christi, quia est res significata, non signum ipsum, vel subiectum signi; constat autem quod eadem res numero potest significari multis & diuersis signis vel imaginibus; ergo & Corpus Christi multis numero Sacramentis significari

Ex vnitate materiali conuiuij Sacramentalis, Eucharistia vnum numero Sacramentum.

ficari potest & contineri, quia Sacramentum signum est; nec sola multiplicatio physica specierum aut formularum sufficit ad istam multiplicationem, quia contingit quod ea quæ sunt plura in genere physico, sint vnum in ordine artificiali & sacramentali; sicut est vnus exercitus ex pluribus hominibus, vnum conuiuium ex multis ferculis, vnus Baptismus ex multis immersionibus, vna Extrema Vnctio ex multis vnctionibus; ergo similiter potest esse vnum Sacramentum Eucharistiæ ex multis formulis quæ ponuntur in altari, vel sumuntur.

Vnum subjectū indiuiduationis sacramentaliter, & ex sumente, & ex Sacramento parato.

Solùm restat explicare, Quodnam sit hoc subjectum materiale indiuiduans hoc Sacramentum, propter rationem dubitandi positam; Quia vel sunt ipsi suscipientes, quando sumitur Sacramentum, vel locus ipse, aut res vbi ponitur, quando consecratur; Et dicimus quod ex vtroque potest sumi ista vnitas vel multiplicatio Sacramenti, secundùm diuersos status vel considerationes: Ideoque diximus, quod indiuiduatur ex quocumque subiecto conuiuij; semper tamen debet attendi, quod non purè sumatur ista vnitas vel pluralitas, ex sola vnitate vel pluralitate in genere physico & entitatiuo, sed in genere artificiali & sacramentali, provt scilicet vna, vel plures hostiæ subjiciuntur vni rationi conuiuij, id est, respectui ad vnam instructionem vel sumptionem conuiuij: Videmus enim quod conuiuium in duplici statu habet vnitatem vel pluralitatem; primò quando instruitur vel præparatur, & ponitur in vna mensa vel loco, potestque deinde diuidi in plura; secundò quando actu sumitur à comedentibus, & tunc etiam potest ex pluribus cibis fieri vna numero refectio; vel è contra, ex vnico cibo plures refectiones.

Neque est mirum, quod in istis rebus, quæ habent suam vnitatem non in continuatione vel indiuisibilitate physica, sed in respectu & ordine, possit tam facile ex pluribus fieri vnum, vel ex vno plura; sicut in domo, & in exercitu; immò & in ipsis rebus naturalibus, ex vna aqua possunt fieri plures numero, & ex pluribus vna, solùm continuando, vel discontinuando illam. Sic ergo Sacramentum Eucharistiæ, cùm sit institutum per modum conuiuij & refectionis, eius vnitas numerica, vel multiplicatio formaliter & per se loquendo sumitur ex vnico principio, scilicet ex subiecto conuiuij; materialiter autem & determinatè sumitur ex vnitate suæ præparationis & celebrationis, aut ex vnitate loci in quo ponitur, & aliis similibus circunstantiis, quando consideratur hoc conuiuium in actu primo (nempe quando instruitur & præparatur) & sic ponitur in mensa vnum conuiuium, & in altari vnum Sacramentum, quando ordinatur in actu primo ad vnam refectionem, quæ tamen diuidi potest in plures; quando autem conuiuium consideratur in actu secundo, & provt applicatur sumentibus, sumitur vnitas eius per ordinem ad vnitatem sumptionis adæquatæ, licèt illa constet pluribus hostiis, seu speciebus, quia tunc solùm est vnum numero Sacramentum, siquidem dat vnum numero effectum; Neque hoc est ponere principium indiuiduationis incertum & non fixum, Est enim certum formaliter, scilicet in ratione subiecti conuiuij; est verò multiplex materialiter, secundum diuersos status & conditiones conuiuij; sicut etiam in aliis rebus artificialibus, & naturalibus accidit, vt diximus.

Soluuntur Argumenta.

Sed instabis, Nam si quis consecret plures hostias, & non determinet quod ex illis fiant plures, vel vna sumptio, vel quod fiant tot determinatè, Eritne tunc vnum Sacramentum numero ante sumptionem, vel tot sacramenta, quot particulæ. Item quia est inconueniens, ex sola ordinatione Sacerdotis fieri vnum, vel plura Sacramenta; Tum quia illa ordinatio solùm est aliquid rationis in Sacramento; ergo non potest dare vnitatem vel pluralitatem Sacramento, quod est aliquid reale, cùm sit signum sensibile; Tum quia Sacramentum solùm fit consecratione materiæ, ergo solùm potest multiplicari, vel fieri vnum per consecrationem, non per ordinationem extrinsecam, vel diuisionem; sicut ob eandem rationem vinum mixtum calici consecrato non redditur consecratum, quia forma consecrationis non cadit super illud.

Denique Sacrificium hoc, in ratione Sacrificij habet vnitatem numericam ex vnitate Corporis Christi, licèt pluribus celebrationibus offeratur; ergo etiam habebit in ratione Sacramenti propter eandem vnitatem Corporis Christi, licèt pluribus speciebus significetur; quod explicatur exemplo supra allato de Persona diuina assumente plures humanitates, quæ solùm diceretur vnus homo; & habens plures albedines vel qualitates, dicitur vnum album vel vnum quale; ergo etiam dicitur vnum Sacramentum, licèt habeat plures species vel significationes.

Vnitas numerica Eucharistiæ in actu primo, & in actu secundo.

Respondetur, Quod in illo casu aliqui dicunt tot esse dicenda Sacramenta numero, quot sunt hostiæ consecratæ, quia de se ordinantur ad plures refectiones, licèt postea possit ex pluribus fieri vnum Sacramentum, ordinando illas ad vnam refectionem. Sed instari potest, Quia possunt esse particulæ valdè minutæ, quarum quælibet non potest pro vna communione deseruire; tunc ergo Quot dicenda sunt Sacramenta, si Sacerdos nondum cogitauit de vna, vel pluribus sumptionibus? Dicendum est ergo, Quod hoc ipso quod Sacerdos consecrat plures hostias per modum vnius consecrationis, & ponit in eodem altari vel in eodem sacrario, cum aliis circunstantiis concurrentibus ad vnitatem numericam, illud Sacramentum est vnum in actu primo; sicut conuiuium est vnum, quando præparatur & ponitur in eadem mensa ante sumptionem; est autem virtualiter & in potentia plura sacramenta, & plura conuiuia, quatenus in actu secundo, id est, in ipsa sumptione potest multiplicari in plures sumptiones, vel refectiones: tunc enim, id quod erat vnum in genere conuiuij, diuiditur in plura, vel è conuerso; & ita Sacramentum ante sumptionem dicitur conuiuium in sui instructione, & quasi in actu primo; in ipsa verò sumptione dicitur quasi in actu secundo, quia applicatur ad sumendum; non quod ipsa sumptio pertineat intrinsecè ad Sacramentum, sed quia ordo ad illam, qui est in speciebus consecratis, facit vnum, vel multiplex conuiuium; sicut ordo ad diuisionem quantitatis multiplicat indiuidua in corporibus.

Ad secundam instantiam dicimus, Ordinationem extrinsecam Sacerdotis, si solùm sit mentalis & in intentione, nihil facere ad vnitatem vel pluralitatem Sacramenti; si autem sit ordinatio exterior consecratiua Sacramenti, quæ præparat

ipſum conuiuium, vel diſtributiua, quæ ipſas communiones diuidit vel facit, conducit talis ordinatio ad vnitatem vel pluralitatem per modum cauſæ efficientis; ſicut enim qui diuidit aquam vel lignum, conducit ad multiplicationem indiuidualem per modum cauſæ efficientis, ita qui diſtribuit conuiuium vel præparat, conducit per modum cauſæ efficientis ad illius vnitatem vel pluralitatem numericam; formaliter verò ſumitur per ordinem ad diuerſa ſubiecta talis conuiuij. Quod verò dicitur, Sacramentum ſolùm fieri conſecratione, non diuiſione vel ordinatione; dicimus, Conſecratione fieri vnum Sacramentum in actu, & plura in potentia, ſeu virtualiter; quæ poſtea per diuiſionem materiæ conſecratæ fiunt in actu plura in vi prioris conſecrationis, quæ ad totam illam materiam ſe extendit; & diuiſio ſolùm eſt conditio requiſita, vt illa Sacramenta reddantur plura in actu.

Plura numero Sacrificia & Miſſæ.

Ad vltimum Reſpondetur, Quod ſimpliciter ſunt plura Sacrificia, & plures Miſſæ, quæ diuerſis celebrationibus fiunt. Licèt enim res oblata ſit eadem numero, tamen Sacrificium non ſupponit pro ipſa materia oblata, ſed pro ipſa actione oblatiua, & immutatiua rei oblatæ in honorem Dei; & cùm iſtæ actiones ſint plures, ſunt etiam plura Sacrificia: Et eadem ratione ſunt plura Sacramenta, quia ſunt plura ſigna. Exempla verò quæ adducit Argumentum, conducerent ſi Corpus Chriſti in hoc Sacramento eſſet ſubiectum iſtarum ſpecierum, vel ſignificationis ſacramentalis, quæ conſtituit rationem Sacramenti; Cæterum ſubiectum huius ſignificationis ſunt ipſæ ſpecies conſecratæ, in quibus conſtituimus Sacramentum Euchariſtiæ; & ideo multiplicatis ſpeciebus in ratione ſigni ſacramentalis & conuiuij, multiplicantur Sacramenta.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm hoc Sacramentum in re, vel in voto ſit de neceſſitate ſalutis ad primam gratiam & perſeuerantiam?

Neceſſitas medij & præcepti.

SVpponimus vulgarem illam diſtinctionem de neceſſitate medij & præcepti. Dicitur neceſſarium neceſſitate medij vel finis, quod ex natura ſua, vel ex inſtitutione diuina requiritur ad obtinendam ſalutem; ſicut ad gloriam requiritur gratia, & in adultis merita. Et ſicut ad gratiam requiritur diſpoſitio in adultis (ſcilicet fides & pœnitentia) & pro omnibus Baptiſmus. Dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod licèt ex ſua natura, vel inſtitutione non requiratur ad ſalutem, poſito tamen præcepto requiritur, quia obſeruatio mandatorum eſt neceſſaria ad ſalutem. Vnde ea quæ ſolum ratione præcepti ſunt neceſſaria, admittunt aliquando excuſationem propter aliquas circunſtantias occurrentes; quæ verò ſunt neceſſaria neceſſitate medij, quacumque ratione aliquis careat illis, non ſaluabitur. Sicut ſi paruulus careat Baptiſmo, ex quacumque occaſione id fiat, non ſaluabitur; & adultus ſi careat fide, condemnabitur; ſi verò caret Baptiſmo in re ſuſcepto, poteſt ſaluari per actum charitatis, qui eſt Baptiſmus Flaminis; quia pro adultis non eſt neceſſarium neceſſitate medij, niſi Baptiſmus in re, vel in voto, ſi non adſit copia baptizandi.

Quid ſit certum, & quid dubium?

Realis Euchariſtiæ ſumptio nõ neceſſaria abſolutè vt medium.

Hoc ſuppoſito, Certum eſt apud omnes, ipſam realem & ſacramentalem ſumptionem Euchariſtiæ non eſſe neceſſariam neceſſitate medij, neque ad primam gratiam, neque ad adeptionem gloriæ, neque ad perſeuerantiam, licèt ſit præceptum de illa pro adultis de præcepto, vt dicitur infr. qu. 80. art. 11. Quod verò non ſit neceſſaria neceſſitate medij, conſtat ex vſu & traditione Eccleſiæ, tum in paruulis, tum in adultis. De paruulis extat definitio Concilij Trident. ſeſſ. 21. cap. 4. vbi dicit quod paruuli, & vſu rationis carentes, nulla obligantur neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem, ſiquidem per Baptiſmi lauacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam iam filiorum gratiam in illa ætate amittere non poſſunt: de adultis conſtat praxis Eccleſiæ, quod pueris iam habentibus vſum rationis non datur Communio, quouſque perfectiorem vſum rationis obtineant; ſimiliter frenetici & vomitum patientes, aut quodcumque periculum indecentiæ habentes, Euchariſtiam ſumere non poſſunt, etiam in mortis articulo; ergo ſuſceptio Euchariſtiæ ſacramentalis non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, vel gratiam obtinendam.

Eadem ratione conſtat non eſſe neceſſariam ſacramentalem ſumptionem pro obtinenda perſeuerantia; quia ſi hoc modo eſſet neceſſaria, non poſſent paruuli, neque adulti (quibus Eccleſia denegat Communionem) ſaluari ſine illa, quia qui non habet perſeuerantiam, amittit gratiam, & conſequenter ſaluari non poteſt. Et deinde quia hoc Sacramentum ex ſua propria ratione ſupponit vitam gratiæ in ſuſcipiente, quia eſt Sacramentum viuorum, & datur tanquam alimentum, cuius non eſt capax, qui non eſt viuus; ergo ante ſacramentalem ſumptionem habet homo ius ad gloriam per gratiam; ergo ſi moriatur tunc, obtinebit illam; neque ad perſeuerandum amplius requiritur, quàm non peccare mortaliter, quia ſolum per tale peccatum amittitur gratia; realis autem ſuſceptio Euchariſtiæ non eſt ſimpliciter neceſſaria ad non peccandum mortaliter, quia multi non ſumunt ipſam frequenter, & tamen non peccant mortaliter; ergo ſi in illo tempore quo non ſumunt moriantur, obtinebunt gloriam & perſeuerantiam; quia ſufficit ad non peccandum mortaliter auxilium Dei protegentis, quod etiam per alia Sacramenta & bona opera datur.

Solùm obſtare videtur illa authoritas Ioan. 6.54. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Hæc enim verba tantam neceſſitatem ſignificant, ſicut illa Ioan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei;* ſed hæc verba intelliguntur de neceſſitate medij reſpectu ſuſceptionis realis Baptiſmi, ergo etiam priora intelliguntur de eadem neceſſitate reſpectu ſumptionis realis Euchariſtiæ. Vtrobique enim eiſdem verbis, & eodem modo ſignificatur neceſſitas vtriuſque Sacramenti. Nec dici poteſt ibi eſſe ſermonem de ſumptione Euchariſtiæ in voto, non in re; Tum quia S. Thomas infrà quæſt. 80. art. 11. colligit ex illis verbis neceſſitatem præcepti de ipſa reali ſumptione Euchariſtiæ, ergo ſupponit loqui Scripturam de ſuſceptione reali; Tum quia verba quæ loquuntur de Baptiſmo, non intelliguntur de

susceptione eius in voto, sed de reali susceptione A (vt omnes fatentur) siquidem comprehendit etiam paruulos, quibus non valet Baptismus in voto; ergo similiter alia verba debent continere necessitatem Eucharistiæ in re, & non in voto; & tamen ex illis verbis colligimus necessitatem medij in susceptione reali Baptismi, ergo etiam debemus colligere necessitatem medij in reali susceptione Eucharistiæ. Nec sufficit recurrere ad authoritatem Ecclesiæ, sic interpretantis vnum & alium textum, quia Hæreticus qui Ecclesiam negat, non ex authoritate Ecclesiæ, sed ex textu conuincendus est. Ac denique si est sermo de necessitate Eucharistiæ in voto & non in re, cùm omne votum seu desiderium non sit propter se, sed propter rem B desideratam, est implicatorium dicere, Quod Eucharistia est necessaria in desiderio & voto, si ipsa res desiderata (scilicet ipsum Sacramentum) in se nunquam est necessarium.

Respondetur, Verba illa Ioan. 6. non continere necessitatem medij ad salutem, neque quantum ad primam gratiam, neque quantum ad ipsam gloriam; loquendo de reali sumptione, sed solum declarant qualitatem huius cibi spiritualis; Quia sicut vitæ corporali necessarius est cibus, ita quod nisi manducauerint & biberint non possunt habere vitam, id est, conseruare diutius, licèt breui aliquo tempore sine cibo viuere possint; ita in vita spirituali necessarius est cibus spiritualis, qui est Caro & Sanguis Christi; taliter quod nisi istum C cibum manducauerint, vitam habere non possunt, id est, diutius conseruare; quæ est expositio sancti Thomæ super 6. Ioan. lect. 7. Vnde sicut datur præceptum hominibus de comedendo cibum materialem, quia datur præceptum de conseruanda vita, non solùm pro breui tempore, sed pro diuturno; ita rectè collegit sanctus Thomas, dari præceptum in illis verbis de sumptione reali Eucharistiæ, hoc ipso quod instituitur in cibum spiritualem; quia datur præceptum de conseruanda vita spirituali, quæ est gratia, non solùm pro breui tempore, sed pro diuturno; Sicut licèt cibus corporalis frequentius debeat sumi, quia periclitatur vita si frequentius non sumatur, pro vita autem spirituali non requiritur tanta frequentia huius cibi. Quare negamus verba ista de necessitate D Eucharistiæ esse similia illis de Baptismo, quia necessitas Baptismi imponitur non habentibus vitam gratiæ, vt renascantur; necessitas verò Eucharistiæ imponitur habentibus vitam, vt conseruent illam & comedant; Comedere enim est solùm viuentium; & ita hoc Sacramentum est Sacramentum viuorum; ergo ex ipsamet institutione & natura sua non imponitur vt medium ad habendam vitam, sed vt præceptum comedendi ad conseruandam iam habitam; & sic ex ipsomet textu, ex natura horum Sacramentorum oritur diuersus modus necessitatis in vno, & in alio Sacramento: Et sic quando dicitur, *Nisi manducaueritis, non habebitis vitam*; est idem, ac dicere, non retinebitis, seu non conseruabitis diutius; sicut de corporali cibo dicimus, quod nisi quis comederit, non conseruabit vitam: Et ex authoritate Ecclesiæ sic practicantis vsum huius Sacramenti, & sic definientis in Concil. Trident. confirmantur Fideles in hac intelligentia.

Eucharistia necessaria vt cibus; Baptismus, vt quo prima vita est.

An verò significent illa verba necessitatem medij ad perseuerandum? Respondetur non significare, quia donum perseuerantiæ vltimum (de quo solùm loquimur) non datur ex opere operato per aliquod Sacramentum nec alicui medio infallibili est alligatum; aliàs qui reciperet hoc Sacramentum cum debita dispositione (id est, cum gratia) infallibiliter saluaretur, quia reciperet perseuerantiam; solùm ergo dantur media conseruatiua gratiæ, quibus disponitur homo ad perseuerandum; & in isto genere præcipuum est frequentia Eucharistiæ. Et eadem certitudine constat non requiri sumptionem sacramentalem ad perseuerantiam tanquam medium per se necessarium, vt in infantibus declarauit Trident. sess. vbi supra; & in adultis constat ex vsu Ecclesiæ, in pueris nondum habentibus perfectum vsum rationis, licèt possint mortaliter peccare, quibus tamen si esset medium necessarium ad perseuerandum, non posset illis negare hoc Sacramentum, nec infantibus. Ad id verò quod vltimò additur, quod si hæc verba continent necessitatem sumendi Eucharistiam in voto, etiam continebunt necessitatem rei desideratæ, atque adeò ipsius Eucharistiæ in se, respondebimus infra circa primum Argumentum. Supposito ergo quod realis susceptio Eucharistiæ necessaria non est necessitate medij, neque ad primam gratiam, neque ad perseuerantiam vltimam, neque ad gloriam, restat difficultas, An saltem in voto ipsa Eucharistia sit necessaria ad ista omnia.

Eucharistia medium ad impetranda media ad perseuerandum.

Et vt punctus difficultatis innotescat, Certissimum est, quod res ipsa contenta in hoc Sacramento, id est Christus, & vnio ad ipsum per desiderium & votum (scilicet per fidem viuam tanquam membra ad caput) omnino necessaria est, tam necessitate medij, quàm præcepti, ad omnem salutem; Quia *de plenitudine eius omnes accepimus*; Ioan. 1. 16. &, *Gratia per Iesum Christum facta est*, ibid. 17. *Neque est aliud nomen datum sub cælo; in quo oporteat nos saluos fieri*, vt dicitur Act. 4. 12. Vnde non debemus diuertere à Christo secundùm se. Et multæ authoritates quæ adducuntur, explicari possunt de Christo in se; Et ideo punctus difficultatis est, An sicut Christus in se consideratus est causa vniuersalis totius gratiæ, influens in omnes sicut vitis in palmites, ita vt sine ipso nihil possimus facere; ita hoc Sacramentum provt tale est, & à reliquis distinctum; & Christus non solùm secundum se, sed provt sacramentatus, habeant in genere causæ finalis influentiam in omnia Sacramenta; & consequenter in omnem gratiam, quæ per Christum datur in Sacramentis, vel in ordine ad illa. Nam in genere causæ efficientis, constat hoc Sacramentum esse Sacramentum viuorum, nec per illud dari remissionem peccati mortalis, vt determinat Con. Trident. sess. 13. cap. 5. vnde etiam iure diuino tenetur peccator præmittere confessionem sacramentalem ad recipiendum hoc Sacramentum; ergo prius debet esse in gratia, & sic non causat illam.

In hoc ergo puncto Aliqui tenent partem nega- E tiuam, scilicet Sacramentum Eucharistiæ non esse per se finem reliquorum Sacramentorum, ita vt in suis effectibus dependeant ab illa tanquam ab influentia causæ finalis; & consequenter non esse necessariam Eucharistiam in intentione & voto, sicut est necessarius finis; quam sententiam docet P. Suarez hîc disp. 40. sect. 2. & Vasquez disp. 169. c. 3. & pro se multos citant ex Antiquis, præsertim ex illis qui censent non dari præceptum diuinum de sumenda Eucharistia. Sed tamen illo præcepto admisso, adhuc tenet hæc sententia, Eucharistiã non esse necessariam necessitate medij, neque in re ne-

Eucharistia non necessaria in voto, & necessaria, diuersa sententia.

que in voto, ex speciali ratione institutionis suæ, sed solùm ea generali ratione, qua necessarium est ad salutem velle obseruare omnia præcepta, inter quæ vnum est de sumenda Eucharistia. Alij existimant esse necessarium votum Eucharistiæ etiam ad primam gratiam, & ad perseuerantiam & gloriam; immò etiam ad omnes effectus Sacramentorum; & sic magis dici Eucharistiam necessariam necessitate finis, quatenus est finis omnium sacramentorum, quàm necessitate medij; licèt comparatione ad Beatitudinem, medium sit. Diuiduntur autem Authores huius sententiæ, quia quidam (vt refert Vasquez vbi supra cap. 2.) existimant eodem modo esse philosophandum de hoc Sacramento Eucharistiæ sicut de Baptismo, & de Pœnitentia, quæ sunt necessaria necessitate medij, non absolutè; sed in re, vel in voto, disiunctiuè; sumitque hæc sententia ly *votum*, pro desiderio suscipiendi hoc Sacramentum; ita quod sumptio realis Eucharistiæ non sit determinatè necessaria ad salutem, sed casu quo eius copia non detur, debet dari votum, id est, desiderium talis sumptionis, & hoc est necessarium.

Necessitas medij & finis.

Eucharistiæ votum implicitum, virtuale & formale.

Alij sumunt ly *votum*, non pro desiderio sumendi realiter ipsam Eucharistiam, sed pro ordine, seu respectu qui inuenitur in omnibus aliis Sacramentis ad Eucharistiam, vt ad finem; & ita qui habet voluntatem recipiendi alia Sacramenta, habet implicitam & virtualem intentionem tendendi ad Eucharistiam, quatenus est finis talium Sacramentorum; & hæc intentio vocatur Votum Eucharistiæ; Et dicitur esse necessarium, quia necessitas finis, solùm provt in intentione operatur; sic enim est causa finalis; Nam provt in executione, potius est effectus, quàm causa; Quam sententiam Caiet. & Soto attribuit Vasquez cap. 2. cit. in fine, eamque postea approbat cap. 3. quantum ad principale intentum; scilicet quod votum Eucharistiæ sit necessarium, non tamen quantum ad modum, quasi hoc sit speciale in Eucharistia inquantum est finis omnium Sacramentorum, sed solùm ea generali ratione, qua est necessarium propositum seruandi omnia mandata, inter quæ vnum est de perceptione Eucharistiæ.

Dicendum nihilominus est, Non solùm obseruationem præcepti de suscipienda Eucharistia esse necessariam in voto, sicut reliqua omnia præcepta, sed etiam intentionem de ipsa Eucharistia, & de effectu illius obtinendo, qui est vnio & conuersio in Christum, ita imbibi in omnibus Sacramentis, quatenus est finis illorum Eucharistia, quod sine tali intentione & voto, nulla gratia, vel effectus Sacramentorum obtineri possit, etiam prima gratia. Hæc sententia est communis inter Thomistas, fundaturque in authoritate sancti Thomæ, & sancti Augustini, & in ipsa natura & institutione Sacramenti. De sancto Thoma constat in hac quæst. 73. art. 3. vbi inquit, *Quod potest habere homo salutem ante perceptionem huius Sacramenti, ex voto eius: sicut & ante Baptismum, ex voto Baptismi: sed differentia est, quod Baptismus requiritur per modum principij, quia regenerat nos; Eucharistia per modum consummationis, quia est finis omnium Sacramentorũ, cùm sit omnium excellentissimum, & contineat in se ipsum Authorem gratiæ: Et sic Baptismi perceptio requiritur ad incohandam vitam spiritualem, Eucharistia verò ad consummandam, non vt simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut & finis.* Ita sanctus Thomas; ergo

Eucharistia necessaria in voto, vt finis Sacramentorum, & qua peculiarius vnimur Christo.

A sentit quod votum Eucharistiæ, de quo agitur in præsenti, est intentio illius vt finis, quia dicit esse finem omnium sacramentorum; sed intentio finis, in quacumque re ordinata ad talem finem, non est minus necessaria, quàm res ipsa ordinata; ergo si Baptismus & alia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam tanquam ad finem, non est minus necessaria intentio Eucharistiæ, quàm voluntas Baptismi. Et ad hoc etiam facit, id quod docet sanctus Thomas super Ioan. cap. 6. lect. 7. *Quod quantum ad spiritualem manducationem, Eucharistia omnibus est necessaria, licèt non quantum ad realem sumptionem.*

B De sancto Augustino constat idem sentire; Tum in loco quem affert S. Thomas in hoc art. 3. ad 1. vbi inquit, *Paruulos, & vnumquemque quando in Baptismo fit membrum Christi, tunc Corporis & Sanguinis eius participem fieri, nec alienari ab ipsius Panis Calicisque consortio, etiam si antequam Panem illum comedat, & Calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate Corporis Christi constitutus abscedat:* Tum etiam in lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. vbi ponderanda sunt illa verba Augustini; *Hæc reconciliatio est in Lauacro generationis, & Christi Carne & Sanguine, sine quo neque etiam paruuli possunt habere vitam in semetipsis.* Et idem docet lib. 1. cap. 2. Sed Augustinus non loquitur de Carne & C Sanguine Christi, seu de Pane & Calice secundùm realem sumptionem, quia expresse loquitur etiam de illis qui discedunt antequam comedant illum panem, & bibant illum calicem, ergo loquitur de manducatione panis & calicis virtuali & implicita, quatenus continetur in Baptismate ordo ad Eucharistiam: Hoc autem comparat Augustinus necessitati Baptismatis, in quo ponit reconciliationem nostram æqualiter atque in ipsa Carne & Sanguine Christi, & docet esse necessarium necessitate medij, quia dicit sine ipso, (id est, Sanguine Christi in hoc Sacramento) neque paruulos habere vitam.

D Et hanc mentem Augustini sic intellexit sanctus Thomas supra quæst. 65. art. 4. ad 2. Comparans enim sanctus Thomas necessitatem Baptismi & Eucharistiæ propter Verba Domini, *Nisi quis renatus fuerit*; &, *Nisi manducaueritis, &c.* dicit illud esse intelligendum de spirituali manducatione, non de sola sacramentali, vt exponit Augustinus super Ioan. Tract. 26. & 27. ergo sentit sanctus Thomas, agnouisse Augustinum in spirituali manducatione Eucharistiæ æqualem necessitatem, atque in ipso Baptismo; sumendo spiritualem manducationem non pro desiderio speciali & expresso de sumenda Eucharistia, sed pro illo ordine & respectu qui in Baptismo implicitè in-E uoluitur ad Eucharistiam; quia dicit ipse Augustinus, Tunc participem fieri aliquem Corporis & Sanguinis Christi, quando in Baptismate fit membrum Christi.

Ratione quoque deducitur ista pars ex ipsa institutione & natura huius Sacramenti, & reducitur ad hunc syllogismum. Sacramentum Eucharistiæ est institutum tanquam finis vniuersalis omnium Sacramentorum, sed quotiescumque aliquid dependet ab altero vt à fine, si tale medium est necessarium, etiam intentio finis, seu voluntas & votum ipsius debet includi in tali medio & non minus esse necessaria, quàm ipsum medium; ergo si Baptismus est necessarius necessitate medij ad salutem, etiam intentio Eucharistiæ (quam vo-

tum ipsius appellamus) erit necessaria, tanta necessitate sicut Baptismus. Minor & consequentia sunt manifestæ, & major, in qua est difficultas, Probatur in primis ex authoritate Diui Dionysij in 3. cap. de Eccles. Hierarch. quem citat sanctus Thomas, supra quæst. 65. art. 3. vbi inquit Dionysius, *Quod non contingit aliquem perfici perfectione Hierarchica, nisi per diuinissimam Eucharistiam*. Vnde colligit sanctus Thomas, Eucharistiam esse perfectionem omnium sacramentorum seu sacramentalium effectuum, qui dicuntur perfectiones Hierarchicæ. Et idem colligit ex Dionysio sanctus Thomas super Ioan. cap. 6. lect. 7. ergo Eucharistia habet se vt finis reliquorum Sacramentorum, siquidem est consummatio eorum.

Secundò id deducitur, Quia Eucharistia tam in se, quàm in suis effectibus, dicit id quod est perfectissimum & finis cæterorum. Nam in primis eius effectus est vnire nos Christo & vitæ ipsius, dicente Domino, *Qui manducat me, viuet propter me*, Ioan. 6. 58. viuere autem per Christum est finis omnium Sacramentorum. Similiter specialis eius effectus est adeptio gloriæ & ressuscitatio corporum, iuxta verbum Christi, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: & ego ressuscitabo eum in nouissimo die*, Ioan. 6. 55. 56. ergo tam ex parte sui, quia est excellentissimum omnium Sacramentorum, quàm ex parte effectuum quos præstat, est finis omnium Sacramentorum, quia confert illos effectus qui pertinent ad finem, sicut est vnio cum Christo, vita æterna, & resuscitatio corporum; quæ maximè pertinent ad ipsum finem vltimum. Ac denique quia omnia Sacramenta instituta sunt à Christo tanquam instrumenta, quibus nobis communicatur virtus Passionis, vt illi vniamur & incorporemur tanquam membra Capiti; quando autem plura instrumenta, seu agentia ordinantur in aliquem effectum, id quod essentialiter & per se est tale, est finis aut principium eorum, quæ participatiuè sunt talia; sicut ignis est causa omnium ignitorum; & finis, quia istum effectum, qui est ignire, alia faciunt in virtute eius, & in ordine ad ipsum; iste autem effectus qui est vnire & incorporare nos Christo, essentialiter & per se pertinet ad Eucharistiam, quia realiter continet Corpus Christi, & conjungit nos illi; ergo reliqua Sacramenta non possunt habere istum effectum nisi in virtute Eucharistiæ & in ordine ad ipsam; iste autem effectus (scilicet incorporari cum Christo) est simpliciter necessarius; ergo & Eucharistia. Quod dictum est de prima gratia pari modo dicendum est de perseuerantia & gloria, & de reliquis effectibus Sacramentorum: Quia si semel habemus, quod Eucharistia est finis & causa vniuersalis influens in reliqua Sacramenta, nullus effectus eorum dari potest nisi per ordinem ad Eucharistiam; & ita si perseuerantia & gloria dependent à Sacramentis, multò magis ab Eucharistia, secundùm quod habetur in intentione & voto in ordine ad reliqua Sacramenta.

Secundum Argumentum.

Objicies primò, Nam sanctus Thomas supra quæst. 65. art. 4. docet, Ex septem Sacramentis, solùm duo esse necessaria (scilicet Baptismum & Pœnitentiam) & Sacramentum Ordinis pro gubernatione Ecclesiæ; reliqua verò solùm esse necessaria ad commodius habendum finem, non ad simpliciter; sed quando negat sanctus Thomas istam necessitatem, non negat necessitatem præcepti (quia de hac necessitate nulli est dubium Eucharistiam esse in præcepto) ergo solùm negat sanctus Thomas esse necessariam necessitate medij; aut fuit diminutus sanctus Thomas, non explicando istam necessitatem Eucharistiæ per modum finis. Hunc locum tanquam manifestum in sancto Thoma objicit nobis Vasquez disp. 169. cap. 4.

Confirmatur primò. Quia si Eucharistia solùm operatur vt finis, modo à nobis assignato (scilicet in intentione & in voto) sequitur quod solùm erit necessarium votum ipsius Sacramenti, non ipsa Eucharistia. Et confirmatur secundò, Quia quando dicitur Eucharistia necessaria in voto, vel est quia in se ipsa debet desiderari & intendi vt finis, & similiter eius assecutio, vel solùm quia virtute includitur in Baptismo ordo ad ipsam Eucharistiam, quatenus qui baptizatur redditur capax recipiendi Eucharistiam, & tenetur seruare omnia præcepta, quorum vnum est de Eucharistia; vel tandem, quia non ipsa Eucharistia, sed effectus eius, qui est vnio ad Christum per gratiam, necessaria est ad salutem. Primo modo Eucharistia non potest esse necessaria, quia non est necessarium suscipere realiter ipsam Eucharistiam, ergo neque intendere, neque desiderare, siquidem omne desiderium est propter rem desideratam; Si enim res in se necessaria non est, neque desiderium & intentio illius necessaria erit, Secundo modo Eucharistia solùm est necessaria sicut obseruatio aliorum præceptorum, & sicut est necessarium fieri capacem recipiendi hoc Sacramentum; sic autem non ipsa Eucharistia, sed Baptismus erit necessarius, quia per ipsum fit aliquis capax huius Sacramenti, sicut etiam per Baptismum fit capax Confirmationis & Extremæ Vnctionis; nec tamen ista Sacramenta dicuntur necessaria necessitate medij. Tertio modo verum est, quod vnio ad Christum per gratiam est de necessitate salutis, sed tamen ista vnio, cùm sit vnio per gratiam, potest aliis multis modis fieri, & per alia Sacramenta præstari, per quæ etiam Christo vnimur & incorporamur. Vnde non probatur efficaciter, quod hoc Sacramentum sit necessarium, quia vnio ad Christum necessaria est.

Respondetur sanctum Thomam in illo art. loqui de reali sumptione Sacramentorum; & hæc non est necessaria nisi in illis Sacramentis quæ ibi numerantur; Et hoc modo fatemur sacramentalem susceptionem Eucharistiæ non esse necessariam necessitate medij; non tamen negat sanctus Thomas spiritualem sumptionem & votum Eucharistiæ esse de necessitate salutis; quia comparans in secundo Argumento illa verba, *Nisi quis renatus fuerit*, cum illis, *Nisi manducaueritis*, &c. Quæ videntur eandem necessitatem postulare, cum Baptismo, Respondet, *Ad 2. dicendum, Quod illud verbum Domini est intelligendum de spirituali manducatione, & non de sola sacramentali: vt exponit August. super Ioan.* Ergo sentit sanctus Thomas, quod illud verbum Domini intellectum de spirituali manducatione, quæ est manducatio in voto, æquiparatur necessitati Baptismi, quæ est necessitas medii simpliciter. Idem autem dicit sanctus Thomas in hac quæst. 73. art. 3. ergo perperam Vasquez dicit illum locum ex quæst. 65 esse pro sua sententia, & manifestio-

rem quàm iste ex quæst. 73. cùm prorsus idem vtrobique doceat.

Ad primam confirmationem Respondetur, Votum Eucharistiæ non esse necessarium ratione sui, sed ratione rei desideratæ & intentæ; Nullus enim potest dicere, quod aliquod desiderium vel intentio sit necessarium, si res ipsa quæ desideratur & intenditur necessaria non est; & sic potius ipsa Eucharistia dicitur necessaria in voto, quàm quod ipsum votum necessarium sit: Quomodo autem ipsa Eucharistia in se sit necessaria, statim explicabitur.

Ad secundam confirmationem Respondetur, Quod Eucharistia dupliciter consideratur: primò B inquantum quoddam Sacramentum particulare, & sic habet influentiam per modum efficientis in suam propriam gratiam, quam confert, distinctam à cæteris; secundo modo consideratur vt causa vniuersalis aliorum Sacramentorum, & sic habet influentiam in omnem gratiam, & in omnes effectus, qui dantur per alia Sacramenta; & ista causalitas est finalis, quia omnia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam vt ad finem, quatenus in ea realiter & essentialiter continetur ipsa communicatio Passionis Christi, & perfectissima vnio ad ipsum, quæ est finis omnium Sacramentorum, & institutionis eorum. Sicut etiam in persona Regis distinguimus id quod personale C est, & id quod operatur vel largitur tanquam particularis. Persona, & id quod dignitatis & officij est, ratione cuius operatur tanquam causa vniuersalis in toto regno, & omnes potestates inferiores & ministri in virtute ipsius, & ex ordine ad ipsum operantur. Primo modo non est de necessitate salutis votum, seu desiderium Eucharistiæ, & sumptionis illius; sicut neque ipsa sumptio necessaria est, nisi necessitate præcepti; Nunquam enim desiderium est alio modo necessarium, quàm res ipsa desiderata; Et Argumenta contraria solùm faciunt vim in hoc sensu, quem nos non negamus, & ideo nihil probant.

Eucharistia Sacramentũ particulare, & causa vniuersalis ac finis reliquorum; sicque eius votum in omnibus inclusum, non primo modo.

Secundo autem modo dicitur votum Eucharistiæ necessarium, quia cùm eius influentia sit vniuersalis in omnia Sacramenta, hoc ipso quod Sacramentum Baptismi est necessarium, etiam Eucharistia, vt intenta in illo, & implicitè ac virtualiter ibi contenta, necessaria erit; Tota enim Sacramentorum collectio se habet vt media quædam à Christo instituta ad participandum fructum Passionis eius. Hoc autem inuenitur in Eucharistia per se & essentialiter, cùm contineat substantialiter ipsum Christum, & Passionem eius; in reliquis autem Sacramentis solùm inuenitur participatiuè, non substantialiter continetur Christus: Et sic qui intendit Sacramentis ipsis vti ad obtinendam sanctificationem ex Passione Christi, debet intendere per ipsa Sacramenta præparari, vel ordinari ad istam vnionem cum Passione Christi in se. Et ita sanctus Thomas in hoc art. 3. ex eo probauit quod hoc Sacramentum est finis cæterorum, quia per sanctificationes aliorum Sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam; sentit ergo Sacramentum Eucharistiæ esse finem; non quidem considerando eius sumptionem solùm vt est quidam effectus particularis eius, sed prout in omnibus est aliquis ordo ad Eucharistiam vt ad causam vniuersalem; quatenus in ipsa fit vnio ad Christum in illa contentum, quæ est principalis & per se ratio istius vnionis; in reliquis autem Sacramentis A inuenitur ista vnio & incorporatio cum Christo solùm participatiuè & ministerialiter; & ad suscipiendam Eucharistiam, non in se realiter tantùm, sed etiam quoad effectum istum vnionis ad Christum dicit sanctus Thomas ordinari reliqua Sacramenta. Cùm ergo inquiritur in Argumento, Quonam modo ex illis tribus Eucharistia sit finis vniuersalis aliorum Sacramentorum? Respondeo, quod illo tertio modo, quatenus facit vnionem cum Christo per se & realiter, reliqua verò Sacramenta participatiuè, & ex ordine ad ipsam. Et ad probationem, Quod ista vnio etiam fit per alia media & Sacramenta; distinguo, Fit per alia media participatiuè & ex ordine ad Eucharistiam, concedo; sine ordine ad illam, nego; Quia id quod est per se & essentialiter tale, semper influit in id quod est participatiuè tale, siue in causis efficientibus (sicut ex participatione ignis, ignita efficiunt ignem, licèt ipse ignis non applicetur realiter in se, sed per suam virtutem) siue in causis finalibus; sicut intentio finis operatur in mediis, licèt actu non cogitetur.

Eucharistia finis aliorũ Sacramentorum, vt facit vnionem per se cum Christo.

Secundò arguitur, Nullus finis intenditur nisi propter consecutionem eius in se (frustra enim esset intentio finis necessaria, si eius consecutio nunquam est necessaria, nec facienda) sed realis assecutio Eucharistiæ non est necessaria ad salutem, vt ostensum est, ergo neque eius intentio & votum necessarium esse potest ad salutem. Quis enim dicat intentionem, seu desiderium sanitatis esse necessarium, si ipsa assecutio sanitatis nunquam est necessaria? Confirmatur, Quia ratio qua sanctus Thomas probat Eucharistiam esse finem omnium Sacramentorum, est quia omnia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, vel disponendo ad illam, vel consecrando; sed hoc est falsum, ergo. Minor probatur, Quia aliqua sunt Sacramenta, quæ neque disponunt ad Eucharistiam, nec illam consecrant, vt Extrema Vnctio, Matrimonium & Confirmatio. Nam Extrema D Vnctio ex sua institutione datur post Viaticum, & est vltimum Sacramentum pro hac vita, ergo non disponit ad Eucharistiam. Matrimonium etiam non disponit ad Eucharistiam, quia sine ipso æquè bene, aut etiam melius suscipitur Eucharistia. Et similiter sine Confirmatione potest æquè bene suscipi Eucharistia, habendo deuotionem & desiderium illius; non ergo bene probatur quod omnia Sacramenta per se ordinantur ad Eucharistiam vt ad finem, quia per alia Sacramenta disponimur ad ipsam.

Respondetur, Realem assecutionem Eucharistiæ in se, & quoad eius sacramentalem sumptionem, non esse finem reliquorum Sacramentorum, E sed solùm ratione sui effectus, qui est vnio ad Christum, & ad eius Mortem & Passionem, quatenus continetur in hoc Sacramento principaliter & realiter, in aliis autem ex participatione, & ordine ad ipsum: Sicut omnia officia & ministeria regni sunt propter Regem, & ab ipso deriuantur; considerando ipsum vt est caput regni, & potestas vniuersalis, cui alia subordinantur tanquam membra: Et istam vnionem & conseruationem regni, qua membra vniuntur suo capiti, intendunt omnia officia & ministeria regni, tanquam necessaria ad eius conseruationem; non tamen intendunt omnes tanquam finem vnionem ad Regem secundùm particulares effectus amicitiæ, vel familiaritatis, quã habet erga suos; hic enim est effectus particularis ipsius personæ Regis in se, & non

solùm vt persona publica: Ita in hoc Sacramento, ipsa sumptio sacramentalis, est quasi familiaritas quædam & conuictus, seu assistentia personæ Regis, vt talis persona est; sicut si Rex aliquem de suo regno inuitaret ad mensam suam, iste esset particularis effectus amicitiæ Regis, non vniuersalis illa communicatio Regis ad totum Regnum, & ad ministros tanquam caput ad membra: Ita similiter est particularis effectus huius Sacramenti; ipsa verò sacramentalis incorporatio ad Christum, & ad Passionem illius, est finis vniuersalis respectu aliorum Sacramentorum, & respectu omnium Fidelium; & sic est finis assequibilis ex intentione Eucharistiæ, secundùm quod virtus Passionis Christi, quæ alligata est Sacramentis, principaliter est in Eucharistia; quatenus continet ipsum Christum, & Passionem eius mysticè in separatione Sanguinis à Corpore; participatione autem est in aliis Sacramentis; Nec tamen consequimur istam incorporationem per solam sacramentalem sumptionem Eucharistiæ, sed etiam per virtualem, quæ inuenitur in aliis Sacramentis per subordinationem & respectum ad Eucharistiam: sumptio autem sacramentalis potius se habet tanquam medium ad illum finem vniuersalem incorporationis cum Christo. Sicut enim omnia Sacramenta sunt media & instrumenta ad vniendum nos Christo, & ad percipiendum fructum Passionis eius; ita ipsamet Eucharistia, inquantum particulare Sacramentum, & secundum sumptionem sacramentalem, est medium ad seipsam vt finis vniuersalis est. Quare in omnibus Sacramentis habetur intentio consequendi Eucharistiam, non ratione sacramentalis sumptionis eius, (sic enim solùm consideratur vt particulare sacramentum) sed ratione incorporationis cum Christo, quæ principaliter datur per hoc Sacramentum, & participatiuè per alia. Et hoc modo verificatur dictum sancti Dionysij, Quod omnis perfectio Hierarchica (id est, per Ministros Ecclesiæ in sacramentis data) non contingit nisi per diuinissimam Eucharistiam, qua ad ipsam ordinantur omnia, vt inferiora agentia ad superius, vt vniantur membra ad Caput; & hic finis est intentus, & de facto illum consequimur principaliter per Eucharistiam, participatiuè autem & in virtute eius per alia Sacramenta.

Etiam Confirmatio, Matrimonium, Extrema Vnctio ordinata ad Eucharistiam.

Ad confirmationem Respondetur, Quod etiam illa tria Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam; non ratione sumptionis sacramentalis, sed ad conseruandum, vel disponendum ad eius effectum, qui est vnio ad Christum & vita æterna. Nam Confirmatio roborat nos in fide, & reddit membra Christi fortiora ad confitendum fidem eius, & consequenter ad conseruandam vnionem cum Christo, qui est effectus generalis omnium Sacramentorum; principaliter tamen appropriatus Eucharistiæ, & deriuatus ab illa vt à fine: Extrema Vnctio maximè ordinatur ad conseruandam istam vnionem cum Christo in vltimo conflictu, & vt præparet nos ad vltimam perseuerantiam, & introitum in cœlum; & sic maximè respicit vitam æternam, qui est proprius effectus Eucharistiæ: Matrimonium significat coniunctionem Ecclesiæ cum Christo, & sic suo modo disponit ad illam coniunctionem Animæ cum Christo, quæ specialiter fit in Eucharistia: & similiter seruit secundariò ad reprimendam concupiscentiam, cuius repressio est maxima dispositio ad Eucharistiam.

Dices hac ratione solùm ponimus pro fine vni-

A uersali, non ipsam Eucharistiam, & Christum vt sacramentatum, sed vnionem ad Christum absolutè, sicut fit per fidem viuam; & per gratiam cuiuscumque Sacramenti; siquidem sacramentalis sumptio, & Eucharistia in se solùm se habet vt Sacramentum particulare; ergo incidimus in illud inconueniens à principio adnotatum, & exclusum, quod solùm ponimus esse de necessitate salutis vnionem ad Christum, qualis fit per gratiam, de quo nulli potest esse dubium; & inde volumus inferre, quod vnio ad Christum vt sacramentatum, & intentio ipsius Eucharistiæ sit de necessitate salutis.

B Respondetur, Quod vnio ad Christum vt Redemptorem, & ad fructum Passionis eius, sine aliquo ordine explicito vel implicito ad Sacramenta dari non potest; quia Christus alligauit virtutem Passionis suæ Sacramentis, tanquam medijs quibus nobis communicatur fructus redemptionis eius. Et ita qualis fuerit ordo inter ipsa Sacramenta, talis erit & dependentia, atque ordo seu respectus ad hoc Sacramentum. Licèt enim vnio nostra ad Christum non fit nisi per gratiam, tamen gratia ista non datur nobis quomodocumque, sed cum ordine & vnione ad Christum vt Redemptorem, & ad Passionem eius.

Vnio ad Christum in ordine ad Sacramenta; inque illis ad Eucharistiam omnium finem.

C Cùm autem eadem Passio Christi, & idem Sacrificium quod fuit in Cruce, fit etiam in hoc Sacramento Eucharistiæ, quia solùm differunt penes modum cruenti & incruenti, non penes rem oblatam, & virtutem eius ad dandam gratiam; sequitur quod tam necessarium sit, quod gratia vniat nos Christo & Passioni eius, sicut fuit in cruce, sicut quod vniat nos ipsi Christo & Passioni eius vt sacramentatum; eo quod non applicatur nobis illa virtus, nisi mediantibus Sacramentis, inter quæ Eucharistia est principalis, & continet ipsum Christum realiter; alia verò participatiuè, & per subordinationem ad Eucharistiam, vt ad Sacramentum excellentissimum & causam cæterorum, causant istam vnionem. Illa verò gra-

D tia quam causat Eucharistia tanquam particulare Sacramentum, non est effectus necessarius ad salutem, quia solùm se habet vt augmentum gratiæ; nec vnit nos Christo quomodocumque, sed supponendo vitam, non tanquam aliquid necessarium ad ipsam vitam; quia solùm vnit per modum augmenti. Et licèt extra Sacramenta actu suscepta possit dari contritio & actus charitatis ad iustificationem, tamen quia id non facit nisi habendo Sacramentum in voto, & in quocumque Sacramento inuenitur ordo ad Eucharistiam, vt ad finem vniuersalem, ideo non fit aliqua iustificatio sine ordine ad Eucharistiam. Quod autem supra diximus, Non esse punctum difficultatis de vnione cum Christo absolutè, sed vt sa-

E cramentato, verum est; sed tamen nullum est inconueniens, quod iste punctus difficultatis resoluatur ex illo principio quod caret difficultate; scilicet, quod ex eo quod vnio ad Christum absolutè sit necessaria simpliciter, & non datur vnio ad Christum & ad eius Passionem nisi mediante ordine ad Sacramenta, & omnia Sacramenta subordinantur Eucharistiæ vt principali fini, consequitur quod si est necessaria vnio ad Christum absolutè, etiam ad Christum vt sacramentatum, saltem implicitè.

Vltimò ex dictis soluuntur omnes aliæ difficultates, quæ possunt fieri contra nostram conclusionem; Omnes enim ferè æquiuocant in illa

consideratione, de necessitate Eucharistiæ in voto A secundùm quod est particulare Sacramentum, vel secundum quod est vniuersalis finis aliorum Sacramentorum; & consequenter æquiuocatur de voto vt est desiderium sumendi Eucharistiam in se, vel inquantum est virtualis & implicitus ordo aliorum Sacramentotum ad Eucharistiam: Et ita, qui desiderat alia Sacramenta, virtualiter habet votum & desiderium Eucharistiæ vt finis vniuersalis est; ex quo discernitur, An sit concedendum, quod Eucharistia sit Sacramentum maioris necessitatis quàm Baptismus? Respondetur enim, Quod non simpliciter loquendo, sed Baptismus est maioris necessitatis; quia simpliciter loquendo per ly *Eucharistia* significatur hoc Sacramentum inquantum particulare est, & condistinctum B ab aliis; Comparatio enim inter Sacramenta fit, secundùm quod considerantur vt Sacramenta particularia, & quantum ad realem susceptionem; si autem loquamur de Eucharistia cum addito (nempe inquantum est finis aliorum Sacramentorum) sic est maioris necessitatis quàm Baptismus, quia intentio finis, quæ imbibitur in mediis, magis est necessaria quàm ipsa media; & incorporari nos cum Christo maximè necessarium est.

Baptismus maioris, necessitatis quàm Eucharistia.

Nec obstat, Quod etiam Baptismus habet pro effectu incorporare nos Christo, & facere membra eius per regenerationem, & aperire nobis januam regni cœlorum, quod vtique pertinet ad C rationem finis; ergo non minus erit Baptismus finis Sacramentorum quàm Eucharistia; Neque enim istam vnionem facit Eucharistia nisi per gratiam, & eandem facit Baptismus. Respondetur enim, Quod Baptismus facit istam incorporationem inchoatiuè, dando nobis primam gratiam per modum causæ efficientis, quia per modum regenerantis; Eucharistia autem dat istam vnionem consummatiuè & perfectè, non solùm quia dat augmentum gratiæ, inquantum particulare Sacramentum, sed quia continet ipsum Christum realiter, & vnit nos ad ipsum in sua substantia realiter, quod Baptismus solùm facit participatiuè; & ideo Eucharistia operatur principaliter, & tanquam finis intentus istam vnionem; Baptismus autem tanquam medium, per quod effectiuè incipimus viuere, & tendimus ad istam vnionem Christi in se; & ideo agit in virtute Eucharistiæ, sicut medium in virtute & intentione finis. Dicitur autem Baptismus aperire nobis cœlum, quia remittit totam culpam & pœnam, quæ impedit introitum cœli, & sic tollendo impedimenta, ad ipsum perducit, vt docet sanctus Thomas quæst. 69. art. 7. Eucharistia autem dat nobis gloriam, inquantum ipsum Christum, qui est vltimus finis, nobis conjungit; & ideo Eucharistia magis operatur per modum finis intenti; Baptismus autem per modum tollentis impedimenta. Nec eo quod in quolibet Sacramento datur suus particularis effectus, tollitur quod Eucharistia non influat in eundemmet effectum; Quia causa vniuersalis, eundemmet effectum causat, quem particularis, non diuersum nec duplicatum; nec impedit influentia illius, influentiam causæ particularis, sicut sol non impedit influentiam hominis ad generationem, neque Rex influentiam Ministri. Denique non est necesse quod qui suscipit aliquod Sacramentum, aut facit actum charitatis, habeat expressum desiderium suscipiendi realiter Eucharistiam; quia desiderium communicandi solùm est votum, & desiderium Eucharistiæ vt particulare Sacramentum est, & respectu particularis effectus eius, non respectu eius, vt est finis vniuersalis; sic enim est desiderium incorporandi nos Christo & Passioni eius vt redemptiuæ, & alligatæ Sacramentis, principaliter & realiter in Eucharistia, participatiuè in aliis; quia vbi Christus est realiter, non potest non esse finis gratiæ, & eorum quæ dicunt ordinem ad Christum; sicut vbi est Persona Regis, est dignitas & potestas regia vniuersalis.

QVÆSTIO LXXIV.

De Materia Eucharistiæ quantum ad speciem.

IN hac quæst. agit sanctus Thomas de Materia remota Eucharistiæ quæ est panis & vinum; & diuidit illam per octo articulos. In duobus primis agit de ista Materia in communi, ostendendo quod panis & vinum est materia huius Sacramenti; & secundò quod non requiritur determinata eius quantitas ad consecrationem, dummodo super illam possint proferri verba formæ. In aliis E duobus articulis (scilicet 3. & 4.) tractat specialiter de materia panis, scilicet quod sit panis triticeus in forma vsuali, & quod non refert ad validitatem Sacramenti quod sit azymus vel fermentatus. In reliquis quatuor articulis agit de materia calicis; scilicet quod sit vinum de vite, & quomodo sit illi admiscenda aqua, & quod non sit de D necessitate Sacramenti illam miscere; & denique quod in valde modica quantitate admiscenda sit.

DISPVTATIO XXVII.

De Materia remota Sacramenti Eucharistiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ad consecrationem huius Sacramenti ita sit necessaria vtraque species, quod non possit dispensari quod in altera tantum fiat?

DVo supponimus, Primum est, Quod in qualibet specie, etiamsi consecretur sine altera, manet illa materia conuersa in Corpus Christi, &

verè

verè atque essentialiter Sacramentum, licèt non integrum in ratione conuiuij sacramentalis. Constat hoc ex ipso vsu & praxi Ecclesiæ, quæ speciem panis, hoc ipso quod consecrata est, adorat, etiam antequam calix consecretur; & si contingat Sacerdotem vel impedimento, vel malitia non consecrare calicem, eodem modo maneret ibi Corpus Christi sub specie panis; quia semel consecratus panis non desinit continere Corpus Christi, nisi per corruptionem specierum; Et idem est de consecratione calicis, si fiat sine consecratione panis. Videatur de hoc sanctus Thomas infra qu. 78. art. 6.

Secundum quod supponimus est, Materiam hujus Sacramenti integram & perfectam esse panem & vinum, non aliquod aliud genus cibi vel potus. Quis autem panis, & quod vinum intelligatur, An solum panis de tritico, & vinum de vite, postea disquiretur. Modò solùm supponimus, vtrumque hoc genus alimenti & potus, esse materiam huius Sacramenti. Est certum de fide, vt constat ex definitione Concilij Florent. in Decreto Armenorum, & Concil. Lateran. vt habetur in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & in multis aliis textibus, qui habentur de Consecratione dist. 2. & in Concil. Trident. multoties supponitur sess. 13. & 21. sumiturque ex ipsa institutione Christi Domini, prout narratur Math. 26. Luc. 22. & 1. ad Corint. 11. *Quod accepit Iesus panem, & gratias agens, fregit, &c. & quod accepit calicem, postquam cœnauit, &c.* Quod verò ille calix habuerit vinum de vite, constat ex illo Mar. 14. vbi demonstrans Iesus hunc calicem inquit, *Dico vobis, quod iam non bibam de hoc genimine vitis*: vbi ly *de hoc* demonstrat id quod erat tunc in illo calice. Quæ authoritates & definitiones, ac perpetua Ecclesiæ traditio, omnes alios errores eliminant, qui ex alia materia, quàm ex pane & vino dicebant confici debere Eucharistiam; de quibus videri potest sanctus Thomas in præsent. art. 1.

His suppositis, Difficultas præcipua in hoc articulo est, Vtrum ipsa celebratio & confectio huius Sacramenti ita sit de iure diuino facienda sub vtraque specie, quod non sit in Ecclesia potestas ad dispensandum, vt possit licitè sub altera tantum fieri. Et ratio dubitandi sumitur tum ex ratione negatiua, quia non constat hoc esse de iure diuino, sed de Ecclesiastico tantum; Tum ex positiua, quia Ecclesia ex commissione Christi potest dispensare etiam in his, quæ sunt de iure diuino, & non pertinent ad substantiam sacramenti, sed ad integritatem vel vsum; Tum denique ex congruentiis, quæ ad id videntur satis efficaces.

Primum medium explicatur sic, Quia non constat vbi positum sit præceptum à Christo Domino de conficiendo hoc Sacramento sub vtraque specie simpliciter & pro omni casu; Nam si alicubi, maximè in illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem* 1. ad Corint. 11. 25. illud autem quod tunc faciebat Christus erat consecratio vtriusque speciei; sed hoc non sufficit, ergo. Minor probatur, Nam in primis etiam Christus Dominus dixit, loquens de vtraque specie, *Accipite & manducate; bibite ex eo omnes*, & tamen non continent præceptum sumendi vtramque speciem, ergo neque priora verba continent præceptum conficiendi sub vtraque specie. Deinde neque potest accipi hoc præceptum ex ipso facto Christi, quia sic consecrauit sub vtraque specie; Non enim sequitur quod consecrauit in vtraque

A specie de necessitate, sufficit quod de integritate seu perfectione vel decentia; sicut multa ibi fecit Christus, quæ non sunt de præcepto, neque in vsu; Nam tunc consecrauit in cœna, & de nocte; nunc autē manè fit consecratio: tunc dedit Corpus suum non ieiunis, modò non potest sumi nisi à ieiunis; tunc non consecrauit simul vtramque speciem, sed panem consecrauit durante Cœna, *Cœnantibus illis accepit Iesus panem, &c. calicem verò postquam cœnauit*; modò autem simul immediatè vnum post aliud consecratur; ergo ex facto Christi præcisè nullum elicitur præceptum de consecrando sub vtraque specie.

B Immò si solùm attendamus factum Christi, probabile est quod quando Christus fregit panem, & dedit duobus discipulis in Emaüs, quod consecrauit illum, & dedit illis Corpus suum, vt affirmat Theophylactus super cap. 24. Lucæ, & alij Patres; & tamen tunc non legitur consecrasse calicem, quia in fractione panis cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum; ergo non consecrauit calicem. Et sic etiam potest modò sine consecratione calicis perfici hoc Sacramentum per dispensationem Ecclesiæ. Nec denique ex ipsa natura Sacramenti petit sub vtraque specie consecrari de necessitate, quia saluatur natura

C & essentia Sacramenti in altera tantum specie, vt præcedenti disput. ostensum est; & nulla indecentia vel disconuenientia apparet, quod propter aliquem honestum finem non possit seorsim consecrari: Sicut etiam omnes Ordines instituunt vnum Sacramentum integraliter, & tamen confertur vnus Ordo seorsum ab alio; sicut Diaconatus sine Sacerdotio. Et in Sacramento Pœnitentiæ, satisfactio quæ est pars integralis, non imponitur morituro; ergo etiam potest omitti aliquando pars integralis huius Sacramenti, verbi gratia species vini. Denique quod non sit de iure diuino, sed solùm ex consuetudine Ecclesiæ docet S. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4.

D Secundum medium sic declaratur; Nam in primis Ecclesia ex commissione Christi, & virtute clauium potest dispensare in his, quæ sunt de iure diuino, siue id faciat per declarationem, siue per totalem absolutionem; Sicut votum obligat de iure diuino ad sui impletionem, & tamen potest Pontifex in illo dispensare, non solùm tollendo ipsum votum, quo sublato non currit ius diuinum, quia solùm obligat stante voto; sed etiam manente vinculo voti potest Pontifex relaxare obligationem adimplendi illud, vt patet quando dispensat: dispensatio enim non tollit vinculum voti, sicut irritatio; sed solùm exercitium; ergo dispensat

E Pontifex in iure diuino. Idem est de Matrimonio rato, non consummato, in quo Pontifex dispensat, & tamen vinculum & obligatio illius est de iure diuino, & natura contractus, qui de se est indissolubilis. Et in ipsis Sacramentis multa disponit, & immutat Ecclesia, quæ pertinent ad integritatem vel vsum, aut modum ministrandi; Sicut olim dabatur Eucharistia laïcis sub vtraque specie, & modò non datur; & de iure diuino est quod Sacerdotes celebrantes sumant vtraque speciem, & tamen quando ordinati celebrant cum Episcopo non sumunt calicem; Et Confirmatio de iure diuino datur ab Episcopis, & tamen ex dispensatione Summi Pontificis potest conferri à simplici Sacerdote. Et in Sacramento Matrimonij, illi contractus qui fiebant sine præsentia Parrochi, erant

materia Sacramenti, & tamen Ecclesia post Concil. Trident. illos annullauit, & fecit non esse materiam Sacramenti; ergo potest Ecclesia mutare ea, quæ pertinent ad vsum, vel integritatem Sacramenti, etiamsi aliàs sint de iure diuino.

Tertium medium explicatur sic, Nam in primis potest esse vrgentissima congruentia ob penuriam vini, vt sine ipso conficiatur Sacramentum; Nec valet solutio sancti Thomæ hìc art. 1. ad 2. *Quod in terris vbi non nascitur vinum, potest aliunde asportari;* non (inquam) valet; Tum quia aliquæ regiones ita sunt distantes, vt in Occidentali orbe, qui tempore sancti Thomæ detectus non erat, quod ad illas vix potest deferri; & primis illis temporibus, quibus fuerunt inuentæ, erat impossibile; Tum etiam in regionibus suppolaribus, vbi propter intensissimum frigus, licèt deferatur vinum, non potest conseruari nisi congelatum, quod ad celebrationem huius Sacramenti non deseruit; præsertim quia probabile est per talem congelationem amittere speciem. Secundò est magna congruentia, si instat mors alicuius infirmi, nec facilè reperitur vinum ad consecrandum; Videtur enim quod propter maiorem necessitatem, ne ille sine Viatico decedat, congruum erit in solo pane conficere sacramentum; & multò magis si Parrochus debeat reponere in sacrario Eucharistiam pro infirmis, & ex aliquo impedimento, vel casu non inueniatur vinum in oppido, & aliàs vrgeat necessitas infirmorum, verbi gratia tempore pestis.

Tertiò, Quia Ecclesia in die Parasceues propter repræsentationem mortis Christi iudicat sufficientem causam vt sumatur species panis sine consecratione calicis, & sic offertur Sacrificium illo die; ergo est in potestate Ecclesiæ separare sumptionem calicis à Sacrificio in aliquo casu; ergo etiam poterit celebrare consecrationem vnius sine alio; quia si potest separari sumptio in Sacrificio, etiam & celebratio; quia non minus intrinsecè pertinet ad Sacrificium sumptio vtriusque speciei, quàm consecratio.

Quartò, Quia potest contingere, quod post consecrationem panis Sacerdos aduertat in calice esse venenum, & quod non reperiatur aliud vinum; tunc non debet consecrare vinum venenosum; quia non potest consecrari nisi quod potest sumi; illud autem vinum sumi non potest; ergo in aliquo casu licitum est Sacrificium facere sine consecratione calicis. Et idem videtur si Sacerdoti aliquis minetur mortem si consecrauerit calicem; tunc enim non tenetur cum tanto periculo implere illud præceptum affirmatiuum consecrandi vtramque speciem.

Necessariò consecranda vtraque species, nec Ecclesia dispensare potest.

Dicendum nihilominus est, Non esse potestatem in Ecclesia ad talem dispensationem, sentioque oppositum practicè esse improbabile, licèt speculatiuè loquendo, & considerando præcisè in Eucharistia rationem Sacramenti, argumenta facta suam habeant probabilitatem, nec desint Authores qui sentiant ita posse fieri. Quidam qui existimant tantùm esse de iure Ecclesiastico, quod in vtraque specie conficiatur; pro qua sententia citari solent Adrianus in 4. quæst. 6. de Eucharistia, Maior ibidem dist. 9. quæst. 3. & Aliqui ex Summistis. Alij qui existimant esse quidem de iure diuino consecrare sub vtraque specie, posse tamen summum Pontificem dispensare in illo ex commissione, sicut potest relaxare votum: Ita Gabriel super Canonem lect. 53. dub. 3. & Summa Angelica verbo Eucharistia. 1.

Opiniones, posse dispensare.

Nostra tamen conclusio communior est inter Doctores, & in praxi semper consulenda. Conuincorque ad illam sequenti ratione; Ratio ergo fundamentalis hæc est. Quia non oblata vtraque specie panis & vini non manet verum Sacrificium Eucharisticum, sed Ecclesia non potest dispensare vt conficiatur Eucharistia sine ratione Sacrificij, ergo non potest dispensare vt in altera tantùm specie celebretur. Consequentia patet, Quia si vna tantùm species consecretur, Eucharistia fiet sine Sacrificio, si ad rationem sacrificij vtraque species requiritur. Maior probatur; Tum quia Sacrificium Eucharistiæ essentialiter & per se debet esse Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech, quia hoc est Sacerdotium Nouæ Legis, in qua Christus Dominus est Sacerdos secundum illum ordinem, vt probat Apost. ad Hebr. 6. & declarat Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. Christum fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech in institutione Sacramenti Eucharistiæ; Ordo autem illius Sacrificij est in oblatione panis & vini, non alterius tantum speciei, sicut legitur Genes. 14. 18. *Quod Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Tum etiam, quia Sacrificium Eucharistiæ est idem, quod Sacrificium Crucis ex parte rei oblatæ, illudque repræsentat ex parte specierum, vt constat ex Concil. Trident. citato loco cap. 2. de ratione autem & essentia Sacrificij Crucis fuit quod Sanguis realiter & cruentè separaretur à Corpore Christi, ergo de ratione & essentia Sacrificij sacramentalis est, quod Sanguis mysticè & incruentè separetur à Corpore, quod esse non potest nisi sub vtraque specie conficiatur; quia in altera tantum potius sanguis & corpus vniuntur per concomitantiam. Vt ergo detur separatio mystica, requiritur vtraque species, quatenus ex vi verborum, & ex significatione specierum, ponitur in vna Corpus & in alia Sanguis. Minor probatur, Quia de iure diuino præceptum est Sacerdotibus, vt Eucharistiam conficerent eo modo quo Christus in illis verbis instituit. *Hoc facite in meam commemorationem;* sed per illa verba præcepit Christus Dominus vt per modum Sacrificij conficerent Eucharistiam, ergo non potest iure humano confici sine ratione Sacrificij. Minor probatur, ex declaratione Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. vbi inquit, *Quod Christus Dominus Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulit Deo Patri, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, vti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit:* Et can. 2. *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, alijque Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, Anathema sit;* sed sic est, quod offerre Corpus & Sanguinem est Sacrificium, quia est oblatio facta in honorem Dei; ergo eisdem verbis quibus Christus Dominus præcepit consecrationem Eucharistiæ, ordinauit oblationem Sacerdotij; ergo non potest Ecclesia dispensare vt Eucharistia fiat sine oblatione Sacrificij, quia non potest dispensare vt aliter fiat, quàm in illis verbis continetur, *Hoc facite, &c.* Cùm illa verba per-

Essentiale Eucharistiæ & indispensabile, vt fiat in vtraque specie.

tineant ad substantiam Sacramenti & Sacrificij, in qua nihil potest Ecclesia mutare, vt infra ex Concil. Trident. dicemus.

Et vrgetur hoc amplius, Quia si posset Ecclesia dispensare in isto iure diuino, vt fieret hoc Sacramentum sine Sacrificio, conficiendo illud in vna tantùm specie, maximè propter aliquam publicam necessitatem (verbi gratia quia in toto vno regno non inuenitur vinum) Nam propter priuatam necessitatem tantùm, non videtur posse Ecclesiam dispensare, siquidem in aliis minutioribus cæremoniis non dispensat Ecclesia propter necessitates priuatas; verbi gratia vt sine vestibus sacris, aut sine vasis sacris conficiatur; at verò si dispensaret Ecclesia cum toto regno, vel prouincia vt in vna tantùm specie conficeretur, hoc ipso priuaret illud regnum & illam prouinciam seu Ecclesiam vero Sacrificio, siquidem non potest modò dari aliud Sacrificium in Ecclesia præter Eucharistiam; tunc autem non posset offerri sacrificium in ipsa Eucharistia, quia in vna tantùm specie non saluatur Sacrificium secundum ordinem Melchisedech, & hoc solùm potest esse in Ecclesia; ergo idem est dispensare quod in aliquo regno, vel Ecclesia consecretur in vna tantùm specie, ac dispensare vt illa Ecclesia maneat sine sacrificio; remoto autem sacrificio destruitur principale fundamentum Ecclesiæ, quia vbi non est sacrificium, non datur cultus diuinus secundum aliquod Sacerdotium, quia Sacerdotium & Sacrificium dicuntur correlatiuè, vt inquit Trident. sess. 23. cap. 1. Sine cultu autem externo & religioso, facto per Sacerdotium, necessariò destruitur Lex & Ecclesia; quia vt argumentatur Paulus ad Hebr. 7. 12. *Translato Sacerdotio, necesse est vt Legis translatio fiat.* Et vt inquit August. lib. 19. contra Faustum, *Nunquam homines in vnum nomen religionis conuenerunt, nisi sub aliquibus visibilibus signis.* Vnde tunc cessauit Lex antiqua, quando ablatum est Iuge Sacrificium; ergo totalis remotio sacrificij, est destructio fundamenti Ecclesiæ, quod posset ab Ecclesia tolli, si ab ipsa posset dispensari, vt Eucharistia consecraretur in vna tantùm specie. Nec verum est, quod Aliqui referunt, Innocentium VIII. dispensasse cum aliquo regno, vt in altera tantum specie consecraretur, quod omninò falsum est; siquidem constat in illo regno (scilicet in Noruegia) posse conseruari speciem vini; & ita nulla ratio talis dispensationis subsistebat, nec illius dispensationis vestigium extat apud talem nationem. Si enim multis annis ante Innocentium VIII. apud illam gentem celebrabatur in vtraque specie, nec ad id deficiebat vinum, quomodo poterat tunc dispensari, cùm à tempore Innocentij non minus possit portari ad illam regionem vinum, quam antea; & modò deportetur ad communem vsum hominum.

Dispensasse Innocent VIII. offerri Missæ sacrificium in sola specie panis, commētitium.

Soluuntur Argumenta.

Ad primam rationem dubitandi à principio Respondetur, Constare de iure diuino conficiendi sub vtraque specie in illis verbis relatis; *Hoc facite in meam commemorationem*, adiuncta declaratione Concilij, quod ibi est præceptum offerendi Sacrificium. Ad instantiam autem, Quod etiam præcepit Christus vt sumerent omnes sub vtraque specie, Respondetur, Non præcepisse omnibus absolutè, sed omnibus Sacerdotibus; quia præcepit illis qui tunc aderant ibi, & quos constituebat Sacerdotes. Et quo ad illos tantùm, & non ad omnes communicantes loqueretur Christus, constat; quia ad eosdem dixit illa verba, *Accipite & manducate; Bibite ex eo omnes;* ad quos dixit, *Hoc facite in meam commemorationem:* Testatur autem Concil. Trident. vniuersam Ecclesiam hoc semper intellexisse, quod in illis verbis, *Hoc facite*, præcepit Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent hoc Sacrificium Deo; ergo in illis verbis loquebatur ad illos vt ad Sacerdotes, ergo etiam in aliis, cùm dicebat, *Bibite ex eo omnes;* id est, omnes sacrificantes, non omnes communicantes; Et hoc Ecclesia non dispensat, vt sacrificantes non sumant sub vtraque specie.

Communio sub vtraque specie, solis sacrificantibus præcepta à Christo.

Ad ea verò quæ obiiciuntur ex facto Christi, Respondetur, Nos non deducere istam necessitatem ex simplici & nudo facto Christi, sed ex præcepto hoc, *Hoc facite, &c.* Quod præceptum non cadit super alias circumstantias, sed super substantiam illius facti, quod designatur per pronomen *hoc*; non super circunstantias & modum faciendi; Neque enim dixit Christus, hoc modo, vel istis circunstantiis facite; sed, *Hoc facite*; Ecclesia autem Catholica, vt declarauit Concil. Trident. semper intellexit in illis verbis esse præceptum offerendi Corpus & Sanguinem sub illis speciebus; de illo autem facto Christi, consecrantis panem sine calice pro duobus discipulis, res est incerta An etiam tunc consecrauerit calicem; nec oppositum constat ex Scriptura; potuit enim vtrumque consecrare, & solum præbere panem discipulis, ipse autem vtrumque sumere, & dum daret discipulis panem, euanuit ex oculis eorum. Quod si de facto Christus calicem non consecrauit, id fecit ex suprema sua potestate, etiam circa substantiam Sacramentorum & Sacrificij, quam tamen Ecclesiæ non dedit, vt postea ex Concil. Trid. dicemus.

Christum solum panem consecrasse in Resurrectione incertum; nec si fecit in exemplū nobis trahendum.

Ad id verò quod dicitur, Non exigi vtramque speciem ex natura & institutione Sacramenti, Respondetur, Verum id esse ex natura Sacramenti præcisè; Constat enim quod si de facto vna tantùm species consecretur, saluatur substantia Sacramenti. Si autem consideretur præceptum Christi adiunctum pro celebratione huius Sacramenti in ratione Sacrificij, adiuncta declaratione Ecclesiæ, sic intelligentis illud præceptum, sine dubio est de iure diuino consecratio vtriusque speciei, quod non currit in susceptione Ordinum; quia non est tale præceptum suscipiendi omnes Ordines simul; immò oppositum est de præcepto Ecclesiæ, quia oportet paulatim, & cum diuersa dispositione & approbatione ad istos Ordines ascendere. In Sacramento autem Pœnitentiæ, satisfactio prout in re executa non est de necessitate Sacramenti, sed propositum illius, potestque excusari aliquis ab illius impletione propter impossibilitatem, vt quando aliquis est morti vicinus; nec interuenit ibi particulare præceptum Christi, aut ratio propria Sacrificij requirentis vtramque speciem, sicut in celebratione huius Sacramenti. Ad locum sancti Thomæ ex dist. 11. 4. sent. Respondetur, Non dicere sanctum Thomam, Quod consecratio vtriusque speciei sit solùm ex consuetudine Ecclesiæ, & non ex iure diuino; sed solùm dicit, Quod casu quo non inueniretur vtraque materia, potius deberet desistere, quàm conficere præter morem Ecclesiæ, in vna tantùm specie; vbi *præter morem Ecclesiæ*, non excludit ius diuinum, sed supponit; quia iste mos Ecclesiæ ex præcepto diuino est; & ita est sensus, Quod præ-

Ex ratione Sacramenti Eucharistiæ adiuncto Christi præcepto est, vt celebretur in vtraque specie.

ter morem Ecclesiæ à Christo institutum non licet conficere, non autem ex sola consuetudine ab Ecclesia orta.

Dispensatio Ecclesiæ in iure diuino, salua substantia Sacramentorum.

Ad secundum medium Respondetur, In primis dato quod Ecclesia, quando dispensat in voto, dispenset in aliquo iure diuino ex commissione Christi, inclusa in illa vniuersali potestate clauium, *Quodcumque solueris erit solutum*; non tamen potest dispensare in isto iure diuino, tangente substantiam celebrationis Sacrificij; quia potestas commissa Ecclesiæ, semper intelligitur salua substantia Sacramentorum; Et idem est de substantia Sacrificij, vt constat ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. vbi inquit, *Declarat sancta Synodus, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salua eorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire iudicauerit*; Substantia autem Sacrificij etiam includitur in ista substantia Sacramentorum, quia non minus pertinet ad fundamentum Ecclesiæ substantia Sacrificij, quàm Sacramenti, cùm sine Sacrificio non detur Sacerdotium, & sine isto non consistet Ecclesia; Ostendimus autem de substantia istius Sacrificij esse, vt fiat secundum ordinem Melchisedech in pane & vino, & non in altera tantum specie.

Ius diuinum primò & directè; in eo non dispensat Ecclesia, sed in iure diuino ex humana aliqua suppositione.

Secundò dicitur, Dispensationem in voto non esse dispensationem in iure diuino, vel naturali, vt expresse determinat sanctus Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 10. ad 2. sed solùm determinat ex parte materiæ voti, quod non obliget hîc & nunc; quia si nunc voluntas attenderet, non vellet se obligare voto; & quia non potuit omnia circunspicere à principio, succurritur per potestatem Ecclesiæ, vt in ordine ad hunc casum voluntas illa vouentis perinde se habeat, ac si non vouisset. Quare considerandum est, quod dupliciter potest aliquid esse de iure diuino, primò absolutè & simpliciter, quia ipse Deus per seipsum imponit aliquod præceptum & obligationem, eiusque naturam & modum determinat: secundò ex suppositione, quia voluntas humana disponit materiam, & exhibet illam; qua supposita & manente, obligat ius diuinum & naturale ad implendum illam; sicut etiam stante lege humana positiua, naturali iure obligamur illi obedire, & tamen potestas humana dispensare potest in illa lege, sine hoc quod dispenset in iure naturali.

Votorum dispensatio.

Primo modo non est potestas in Ecclesia ad dispensandum in iure diuino, quia totaliter & ex omni parte impositum est à Deo, & non potest inferior directè & per se dispensare in præcepto superioris, nisi sibi expressè fiat commissio; & cùm non constet datam esse à Christo potestatem vt dispensetur in istis præceptis, quæ immediatè ipse posuit, præsertim circa substantiam Sacramentorum & Sacrificij, non potest Pontifex dispensare, vt in altera tantum specie conficiatur; At verò secundo modo potest dispensare Pontifex in his, quæ dependent ex facto humano, sine hoc quod in ipso iure naturali, vel diuino dispenset; quia solùm operatur potestas Ecclesiæ circa illud factum humanum, quod requiritur & præsupponitur tanquam conditio, vt ius diuinum vel naturale obliget. Verbi gratia præcepit lex humana vt ieiunetur tali die; stante ista lege, & non dispensata, dictat ius naturale, vt obseruetur, quia obediendum est superioribus; sed quia lex illa

A humana processit à potestate & voluntate creata, quæ non potuit omnes casus præuidere, in quibus conueniret propter aliquem finem obligationem illius legis suspendere, manet potestas humana ad dispensandum illam; qua dispensatione facta, non dictat ius naturale vt obediatur illi. Eodem modo, Votum est quædam lex particularis, quam promittens sibi imponit, & per promissionem se obligat ipsi Deo; & stante ista promissione, nec dispensata, ius diuinum & naturale obligat, vt impleatur; sed tamen sicut superior potest in lege à se sancita dispensare, eo quod non potuit præuidere omnes casus, in quibus conuenit non vti tali lege, ita similiter potest in voto, quod est

B quædam lex particularis, & promissio facta à voluntate sui inferioris, qui etiam non potuit omnia præuidere. Nec dicimus nos, Ecclesiam quando dispensat, tollere ipsum votum, & obligationem eius radicalem; sicut quando tollitur per irritationem, quæ annullat ipsum votum; sed manet vinculum & radicalis obligatio voti, suspensa tamen & impedita eius obligatione per potestatem superiorem, quæ habet ius super voluntatem suam, & voluntatem sui inferioris, in lege vel promissione quam fecit, vt tollatur, vel suspendatur. Et quando suspenditur (quod fit per dispensationem) manet lex vel votum quoad obligationem radicalem, non quoad formalem & exe-

C cutiuam. Idem dicendum est de Matrimonio rato, non consummato, quod quia solùm est contractus ortus ex voluntate humana, & nondum habet consummationem suam, potest per voluntatem superioris dispensari, ne adimpleatur & obliget; non tamen posita consummatione, quia tunc esset in præiudicium ipsius Matrimonij, & perpetuitatis eius, & significationis sacramentalis iam consummatæ; præter præiudicium quod inde proueniret alteri coniugi & proli.

Ad ea quæ obijciuntur ex parte aliorum Sacramentorum in quibus potest aliquid Ecclesia mutare, dicimus iuxta doctrinam allatam Tridentini, Nihil mutare Ecclesiam quoad substantiam,

D sed solùm quoad vsum & administrationem, vel aliquam conditionem requisitam ab humana voluntate dependentem. Nam dare paruulis Eucharistiam, vel laicis denegare calicem, pertinet ad dispensationem & vsum, non ad substantiam Sacramenti. Similiter Celebrantes cum Episcopo non sumunt calicem, quia non sunt principales celebrantes, præsertim quia regulariter solus Episcopus consecrare solet; ipsi autem ordinati non referunt suam intentionem nisi ad verba Episcopi, vt per illa fiat consecratio, quando ipse finit, non quando ipsi finiunt; si autem contingat simul cum Episcopo finire, hoc rarissimum est; & ideo per se & regulariter solus Episcopus præsumitur con-

Concelebrantes ordinati, cur in sola specie panis communicent.

E secrare, ideoque solus vtramque speciem sumit, reliqui sicut laici; & præsertim quia in tanta multitudine ordinandorum timeri posset periculum effusionis, si omnibus exhiberetur calix. De Sacramento Confirmationis dicimus, Episcopum de iure diuino esse ordinarium Ministrum illius; Presbyter autem eodem iure diuino est Minister extraordinarius, supposita licentia & dispensatione Papæ; qua supposita non est contra ius diuinum quod Presbyter illud Sacramentum ministret.

De Sacramento autem Matrimonij dicimus, Ecclesiam non mutasse materiam substantialiter & formaliter, sed solùm apposuisse conditionem, qua constituatur vera materia, & discernatur ab

Matrimonij materia ab Ecclesia nô mutata.

ea, quæ incongrua est; Nam Christus Dominus pro materia Matrimonij solùm designauit contractum conjugalem validum; quis autem contractus, & quando sit validus, non pertinet ad ordinationem Christi, sed ad potestatem humanam, quæ diuersas conditiones, aut solemnitates potest adijcere contractibus, vt validi sint, & ideo validato contractu, remanet Matrimonium; annullato verò, remouetur. Sicut Christus Dominus instituit aquam pro materia Baptismi, & vinum pro calice, quæ sit autem vera aqua, & quando, vel quod sit vinum corruptum, aut verum, hoc relinquit humanæ potestati. Potest enim corrumpi aqua, & sic desinit materia Baptismi; non tamen qui aquam mutat, dicitur mutare materiam Sacramentorum, sed naturas rerum.

Nullus vini defectus cogit vnam solùm consecrare speciem.

Ad vltimum Respondetur, Nullam ex illis congruentiis valere; Non prima, quia nulla est regio, in qua homines possint viuere, & ad quam penetrauerit prædicatio Euangelij, ad quam non possit deferri vinum ex aliis partibus, saltem in modica quantitate; Et ipsa experientia docet, ad omnes regiones deferri mediantibus nauigationibus. Certe nulla est regio ita frigida, vt omnino careat vino pro potu & epulis; quomodo ergo deest pro Sacramento? Quod si induratur gelu, potest callidioribus pannis circumtegi calix, ne induretur vinum, Neque est inconueniens, quod quando primùm aliquæ regiones valde distantes detectæ sunt, quæ carebant vino, pro aliquo tempore Missa non celebraretur, quousque vinum, vel etiam panis posset deportari; cùm hoc sacramentum quoad sui realem sumptionem non sit de necessitate salutis.

Viatici necessitas.

Non obstat secunda congruentia, Quia ius diuinum non obligat infirmum ad communicandum nisi existente Sacramento, & parato; quod autem paretur Sacramentum & consecretur, non obligat Sacerdotem ius diuinum nisi iuxta formam & modum, quem Christus præstituit in ipsa substantia Sacrificij, & iuxta alios ritus & modos, quos Ecclesia decreuit pro celebratione ipsius Sacramenti, & communione infirmorum, qui pertinent ad ipsam reuerentiam Sacramenti, & ad eius vsum & administrationem: Sicut non potest Sacerdos sine vestibus sacris, aut tempore nocturno, aut sine vasis sacris conficere hoc Sacramentum, prætextu communicandi infirmum; sicut nec infirmo potest dari communio si sit phræneticus, aut habeat assiduam tussim, vel alium morbum in quo sit periculum vomitus, vel irreuerentiæ, vt determinatur in Rituali Romano Pauli V.

Parasceues cerimonia, non est Missa.

Non obstat tertia congruentia, Dicimus enim in die Parasceues non fieri Sacrificium, neque illam cæremoniam esse Missam, licèt aliqui oppositũ sentiant, sed malè; Quia si esset Missa, tenerentur fideles illam audire, quando dies illa cadit in festo Annuntiationis; at non tenentur, vt constat expressè ex nouissima decisione Cardinalium sacræ Congregationis Rituum 19. Februarij anni 1622. vt refert Barbosa in Collectaneis verbo *Annuntiatio Dominica*; & est maximè conforme ipsi iuri, vt sumitur ex cap. *Sabbato*, de Consecratione, dist. 3. vbi dicit Innocentius I. *Quod illo biduo* (scilicet feria Sexta & Sabbato sancto) *vt traditio habet Ecclesiæ, nulla Sacramenta celebrantur.* Et loquitur textus iuxta antiquum ritum Ecclesiæ, quo in Sabbato sancto non fiebat Sacramentum tota die vsque ad noctem Resurrectionis Dominicæ. Parificatur ergo Parasceues cum Sabbato sancto in hoc, quod nulla Sacramenta celebrantur, non obstante quod fiebat illa cæremonia in feria Sexta; ergo illa non est Sacrificium, sicut neque in Sabbato sancto dabatur: Idemque apertè docet sanctus Thomas infra quæst. 83. art. 2. ad 2. comparando Argumentum cum solutione.

Non denique refert quarta congruentia, Quia in illis casibus non consecratur vtraque species ex impossibilitate, vel impedimento, non ex dispensatione, neque scienter; de quo est difficultas: Casus enim impossibilitatis est extra legem. Et tamen tunc de facto non fit Sacrificium, quomodocumque contingat vnam tantùm speciem consecrari, ob rationem iam dictam. In illo autem vltimo casu, si quis minaretur mortem Sacerdoti si vtramque speciem consecraret, dicendum est; quod si id facit ante consecrationem vtriusque, abstinere potest ab omni consecratione; si autem post consecratam vnam speciem minatur Tyrannus mortem, si consecret alteram; vel ille relinquit Sacerdotem liberum & expeditum ad proferendum formam calicis, vel non, si non relinquit, redditur impossibilis consecratio secundæ speciei, & sic non obligat; si relinquit liberum, debet consecrare, etiam cum periculo mortis; Tum quia regulariter id fit in contemptum Sacrificij & præcepti diuini, & tunc obligat præceptum cum periculo mortis; Tum quia non interuenit ibi solùm præceptum affirmatiuum consecrãdi vtramque speciem, sed etiam negatiuum, non relinquendi Sacrificium imperfectum, & faciendi contra cultum & religionem, licèt præcipuè resplendeat præceptum affirmatiuum, siquidem per omissionem violatur: contra præceptum autem negatiuum virtualiter ibi inclusum non potest aliquis facere, etiam cum periculo vitæ, propter contemptum religionis adiunctum.

Etiam cum periculo mortis vtraque species consecranda.

Sed quid si Tyrannus post consecratum panem cogat Sacerdotem consecrare calicem, vt illum effundat, & ludibrio afficiat? tenebiturne consecrare vt Sacrificium perficiatur de iure diuino, an abstinere à consecratione ne inficiatur? Respondetur teneri abstinere, si non possit defendere calicem ne arripiatur à Tyranno. Ratio est, Quia tunc materia consecrationis calicis censetur deficere, non quidem physicè, sed moraliter, quia deficit circunstantia debitæ reuerentiæ, quod est moraliter deficere; quia tenemur iure diuino non dare sanctum canibus, nec porcis margaritas: Cæterùm isti casus sunt per accidens, & supposita impossibilitate morali vel physica, ex quibus non fit causa ad dispensationem.

Materia moraliter impossibilis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæ sit materia certa vel dubia Consecrationis, & in qua quantitate possit fieri?

CIrca materiam panis, Dico primò, Panis triticeus ex aqua naturali & farina confectus, est materia certa huius Sacramenti. Constat hoc manifestè; Tum ex ipsa institutione Christi, qui accepit panem ad consecrandum hoc Sacramentum; Tum ex definitione Ecclesiæ in Concil. Florent. in Instructione Armenorum, & in Concil. Lateranens. in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate; Tum ex vsu & praxi Ecclesiæ generali, quæ semper adhibet pro materia huius Sacramenti panem sic confectum. Et in communi vsu hominum,

Panis triticeus materia Eucharistiæ.

simpliciter & indubitanter panis sic confectus, vocatur & habetur vt verus panis. Difficultas esse posset in negatiua, seu exclusiua, Nempe An solus panis ex tritico factus, & cum illis conditionibus, sit materia huius Sacramenti?

Et sola.

Respondeo & dico secundò, Solus panis ex tritico, & non ex alio grano confectus, est materia huius Sacramenti, & cum illis conditionibus adiunctis; vt scilicet non sit sola farina, nec massa cruda, sed igne decocta; nec alio liquore conspersa, quàm aqua naturali. De prima parte conclusionis Aliqui dubitauerunt, existimantes panem ex quocumque frumento factum esse materiam huius Sacramenti, eo quod Concilia & iura antiqua non videntur requirere pro hoc Sacramento nisi panem ex frumento; frumentum autem est genus non solùm ad triticum, sed ad omne granum quod nascitur cum arista, vt ex sancto Isidor. 17. Etymologiarum cap. 3. Plinio lib. 18. Historiæ cap. 7. & ex aliis docet Vasquez hîc disput. 170. cap. 2. Et sic Gabriel lect. 35. in Canonem probabile censuit, ex quocumque frumento posse confici Eucharistiam; & saltem oppositum non planè conuinci affirmat in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. concl. 1.

Gabriel Biel opinio, ex quouis frumento.

Dicimus tamen id planè conuinci, Quia id quod in Euangelio dicitur panis, Quando *Accepit Iesus panem, & benedixit*, &c. & antiqua Concilia & Patres panem ex frumento, vel grano dicunt esse materiam huius Sacramenti; Eugenius quartus in Concil. Florent. in Decreto pro Armenis expresse declarauit esse panem triticeum. Verba Eugenij sunt, *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite*: quæ declaratio Ecclesiæ planè conuincit non posse materiam Eucharistiæ esse ex alio pane, quàm ex tritico; sicut neque ex alio vino, quàm de vite. Et sicut sola aqua est materia Baptismi, & oleum Extremæ Vnctionis, nec potest in alia materia confici, solùm ex hoc quod Ecclesia declarat illam esse materiam horum Sacramentorum; ita in præsenti, panis ex tritico, & non alius est materia Eucharistiæ: Vnde licèt in aliis Conciliis dicatur frumentum esse materiam huius Sacramenti, nomine frumenti intelligebant triticum, vt ista declaratio Ecclesiæ manifestauit. Excluditur etiam à materia Eucharistiæ sola farina, aut massa cruda; sed debet esse cocta igne, quia aliàs non esset panis vsualis. Nomine enim panis, qui in vsu hominum venit, intelligitur aliquid artefactum ex massa decocta igni; massa autem cruda, vel etiam exsiccata sole aut vento, non est panis, neque in vsum hominum venit. Debere autem esse panem id quod consecratur, non solùm constat ex dicto Decreto, sed etiam ex ipsa Scriptura, cùm ad consecrandum hoc Sacramentum dicatur, quod *Accepit Iesus panem*. Licèt enim possit ex alio grano, quàm ex tritico, aliquis panis fieri; tamen si panis est, necessariò est aliquid coctum igni, vt ex communi vsu hominum constat.

Massa nisi cocta igni, non est materia.

Quod debeat esse illa massa facta ex sola farina & aqua naturali, constat, Quia ex admixtione aliorum liquorum, vel rerum cum farina, non fit panis vsualis & communis, sed aliud genus cibi, vt placenta, vel aliquid simile. Panis autem communis vel vsualis, & quod est fundamentum aliorum ciborum, est panis ex conspersione farinæ cum aqua naturali; Vnde tam necessarium est hoc ad materiam Sacramenti, sicut quod sit panis vsualis & verus. Nec obstat, quod aliqui dicunt, Quod aqua est quasi materia transiens, & non remanens in ipso pane, & sic non videtur multum referre An sit aqua naturalis, vel non? Respondetur enim, Quod etiam farina est materia transiens; Neque enim manet farina, cùm fit massa, aut decoquitur panis; & tamen nisi ex farina fiat illa conspersio, tanquam ex materia antecedenti, non est panis. Sed quid, si panis coctus est recens, & per conspersionem iterum reducatur in massam, amittetne rationem materiæ Sacramenti? Respondeo non amittere, nisi tanta fiat conspersio, quod sit etiam corruptio: Si autem solùm mollescat quasi massa, vel madefiat, non amittit rationem panis; quia reuera iam fuit decoctus, neque iterum fit massa cruda, sed manet decocta & emollita; aliàs quotiescumque hostia consecrata madefactione in calice, vel saliua in ore emollesceret sicut massa, desineret ibi esse Corpus Christi, si desineret esse panis; hoc autem est falsum, quia Communicantes dum in ore tenent formam consecratam, & non statim deglutiunt, emollescit quasi massa, nec tamen desinit ibi esse Corpus Christi, aliàs non sumerent Sacramentum, nec daretur illis gratia, quando illud traijciunt; ergo signum est, quando ex pane cocto tali modo fit massa, non tolli veram rationem panis.

Farina aqua naturali subacta, & sola.

Dico tertiò, Materia dubia huius consecrationis est panis ex grano, quod est dubium An sit triticum, vel generatum ex tritico. Reliqua omnia ex non tritico facta, vel ex tritico corrupto, vt amylum, non sunt materia huius Sacramenti. Nec oportet hîc disputare An omne triticum eiusdem speciei infimæ, vel subalternæ, continens sub se diuersas species. Quidquid enim sit de hoc, tamen vt sit materia Sacramenti, sufficit quod sit verum triticum: Sicut pro calice, quod sit vinum de vite; licèt non sit eiusdem speciei infimæ omne vinum; Ex accidentibus enim, ex quibus species cognoscimus, non est minor varietas in vino, quàm in pane, seu tritico. Inuenitur enim varietas in sapore, odore, fortitudine, &c. sicut in tritico diuersus color, aut sapor inuenitur. Sicut ergo hoc non obstante, omne vinum de vite est materia consecrationis, ita omne triticum. Sanctus Thomas in præsent. art. 3. ad 2. posuit illam regulam, Quod quidquid ex grano tritici generari potest, est materia huius Sacramenti, licèt degeneret in aliquibus accidentibus. Et regula est certa speculatiuè; practicè autem & hîc & nunc, quæ grana oriri possunt ex tritico, & quæ non, & quando fit tanta corruptio, quod amittitur substantia tritici, aut quando solùm degenerat in accidentibus, non satis constat.

Materia dubia Eucharistiæ.

Et quidem sanctus Thomas per hanc regulam excludit à materia Sacramenti siliginem, speltam & far; quod tamen dicit esse simillimum tritico: at quid illis nominibus significetur, res nobis incerta est: fortè enim sunt alia grana, quæ apud nos non nascuntur; Nam spelta non omninò constat quod granum sit apud nos; Nam si est auena, manifestum est non esse materiam Sacramenti, sicut neque hordeum; si autem est idem quod *Tipsa*, vulgo *centeno*, est materia dubia, quia dicitur aliquando generari ex tritico, licèt differat in accidentibus ob tenuitatem terræ. Et Siligo aliquando sumitur pro tritico selecto, qualis est etiam scandia, quæ vulgo dicitur *candeal*; & tunc est certissima materia Sacramenti; aliquando sumitur pro grano degenerante ex tritico, & tunc erit vel materia dubia, vel totaliter exclusa à Sa-

Martinius, *Spelta*, verde vicia, in qua tamen nihil de spelta: & certè legumen vile esset, non frumenti species. Vide Theophr. l. 8. c. 9. & in illud Ioan. Bodæi eruditum Cómentarium,

plures impẽtem paginas, vt est res ista apud auctores Theoph. Galen. Plinium, &c. anceps: Plerique tamẽ hac ex tritico generari tradũt, esseque illi simila: quidam etiam verè triticũ esse, S. Thomas fortè solùm excludit à materia certa & legitima, ne sibi videatur obstare.

cramento, Quidquid tamen de hoc sit, quod attinet ad praxim, res ista regulanda est penes communem vsum & æstimationem hominum, qui cõmuniter iudicare possunt de pane, seu grano quod nomine tritici reputari potest. Ex granis quæ apud nos sunt, hordeum, millium, auena, sunt indubitatè extra speciem tritici, neque ex tritico oriri solent, & multò magis alia, quæ sunt potius legumina, quàm grana; nec enim crescunt cum atistis, quod est signum non pertinere ad genus frumenti, sicut faba, cicer, & alia. Est autem materia dubia, vt diximus, quod vulgo dicitur *centeno*. Appellari autem solet *Tifa*, siue *spelta*, aut *blata*, vel *siligo*. Licèt enim dicatur aliquando B generari ex tritico, reuera neque in figura, neque in colore, neque in sapore, neque in sustentatione, quam præbet, est sicut triticum; vnde non potest licitè ex illo confici hoc Sacramentum, licèt Aliqui admittant in casu magnæ necessitatis, verbi gratia pro communicatione infirmi, si non esset alius panis, posse confici ex isto; quod tamen non reputo securum; quia in vsu communi hominum, valde distinguitur à pane ex tritico; & apud nos vix est practicabile; quia etsi inueniatur panis ex illo grano deficiente pane ex tritico, tamen panis azymus ex illo grano factus vix inuenietur; Apud Latinos autem, vt statim dicemus, C nunquam licèt conficere nisi in azymo.

De amylo sanctus Thomas clarè dicit non posse ex illo confici Eucharistiam, licèt Aliqui oppositum teneant, quia licèt fiat ex tritico, fit tamen per corruptionem ipsius tritici; siquidem conficitur ex tritico madefacto & corrupto, vt testatur odor aquæ ex illo relictus; Quare si ex tali amylo fiat farina, & exinde panis; iam est farina tritici corrupti. Vnde in communi vsu hominum, ex amylo non fit panis ad sustentationem, sed pultes; & sic non est materia huius Sacramenti.

Violatum hoc præceptum in Archi-Episcopo Trapez. in Gallia exulante, & Paris. haud ita pridem defuncto, coacto in azymo facere, quo rũdam non satis iusto, aut ex scientia, zelo. Pij V. istud Decretum est, sapientissimi Pontificis, vt & sanctissimi. Communẽ auctoris & Latinorum opinionem eruditè Bochardus propugnat, de Animal. sacræ Scripturæ, etsi meret inter Heterodoxos.

Dico quartò, De qualitate panis consecrandi, quantum ad valorem Sacramenti, nihil attinet quod consecretur in azymo, vel fermentato; D quoad præceptum verò, extat Decretum Ecclesiæ, quod Latinus suæ Ecclesiæ morem teneatur seruare, quod in azymo consecret; Græcus autem quod in fermentato. Prima pars conclusionis deducitur; Tum ex eo quod Christus de facto quidem in azymo consecrauit, quando ipse instituit hoc Sacramentum, comedendo Pascha, seu Agnum paschalem cum Discipulis, vt constat ex illo Matt. 14. 1. & Lucæ 22. 1. Agnus autẽ paschalis non poterat comedi cum fermentato, sed cum azymis, vt erat expressa lex Exod. 12. 15. & consequenter Christus de facto non consecrauit nisi in azymo, quia non poterat tunc fermentatum inueniri in domibus, quando Pascha comedebatur; sed tamen quia esse azymum, vel fermentatum E non variat substantiam panis, cùm vterque fiat ex massa tritici & aqua naturali, & igne decoquatur; ideo tam fermentatus, quàm azymus substantialem materiam præbet consecrationi, & vterque est panis simpliciter, etiam in vsu hominum, & quantum ad substantiam; licèt frequentior vsus sit fermentati; Tum etiam quia sic intellexit Ecclesia Catholica, & sic definiuit, vt constat ex Decreto Eugenij Papæ in Concil. Florent. in Literis Vnionis, vbi dicitur, *In azymo, siue fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altari ipsum Corpus Domini debere conficere; vnumquemque scilicet iuxta Ecclesiæ suæ* (siue Orientalis siue Occidentalis) *consuetudinem & ritum.* Ita Pontifex.

Quæ definitio refellit plures sententias, quæ in hac parte versabantur; Nam quidam ex Græcis existimabant fermentatum esse de necessitate Sacramenti, Alij verò azymum: Aliqui etiam dixerunt, Azymum esse materiam necessariam pro Latinis, fermentatum verò pro Græcis, vt indicat Glossa in cap. *Literas*, de celebratione Missarum; quæ tamen sententia ridicula est, quasi Christus Dominus pro vna Ecclesia vel gente vnam materiam instituerit, & aliam pro alia. Nam pari ratione possit dici, Quod etiam pro Ecclesia Africana vel Hispana aliam materiã instituerit, quàm pro aliis: Quæ enim est maior ratio, vt pro solis Græcis diuersam materiam Christus instituisset, cùm solum vnam Ecclesiam Catholicam instituerit, in qua *non est distinctio Iudæi & Græci: Nam idem Dominus omnium*, vt dicitur ad Rom. 10. 12. Duæ autem priores sententiæ, errores sunt contra dictam definitionem.

Secunda verò pars conclusionis, de præcepto Sacerdotibus vtriusque Ecclesiæ posito, vt quilibet suæ Ecclesiæ consuetudinem seruet, constat in primis ex verbis relatis in Decreto Eugenij, *Sacerdotes debere conficere vnumquemque iuxta Ecclesiæ suæ consuetudinem*; vbi ly *debere*, vim præcepti declarat; & sic acceptatum videtur apud Latinos, apud quos indicaretur scandalosum & graue consecrare in fermentato. Cæterùm grauitatem huius præcepti explicauit amplius sanctæ memoriæ Pius V. in quodam Motu proprio, qui incipit, *Prouidentia Romani Pontificis*, &c. ann. 1566. vbi reuocans omnes facultates vel licentias celebrandi, Græcos more Latino & Latinos more Græco, subdit; *Quibusuis Presbyteris tam Græcis, quàm Latinis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis à diuinis, pœnis districtius inhibemus, vt deinceps Presbyteri Græci (præsertim vxorati) Latino more, & Latini Græco ritu, huiusmodi licentiarum & facultatum aut alio quouis prætextu, Missas, & alia diuina officia celebrare, vel celebrari facere non præsumãt.*

Ita Pontifex, vbi manifestè est præceptum obligans sub mortali, cùm sit positum in virtute sanctæ obedientiæ, & sub grauissima pœna suspensionis perpetuæ; nec solùm est præceptum ne hoc fiat vigore prædictarum facultatum, sed etiam generaliter quouis prætextu. Et cùm ritu Græco Latinis, & Latino more Græcis prohibuerit celebrare, clarum est vetasse ne Latini in fermentato, vel Græci in azymo conficiant; quia principalior ritus, in quo isti ab illis distinguuntur, est conficiendi in azymo vel fermentato; ergo hoc vtrisque prohibitum est. Ex qua decisione constat, Non esse verum quod aliqui tenent, Latinos sub præcepto teneri conficere in azymo, Græcos verò non teneri conficere in fermentato, sed posse in azymo, quia nostra consuetudo rationabilior est, licèt toleretur & permittatur illos sic consecrare: Nec etiam veram esse aliorum sententiam, qui dicunt Latinos peccare mortaliter, si in fermentato conficiant; Græcos verò non peccare mortaliter, si consecrent in azymo, quia consuetudo est melior; illorum autem consuetudo non videtur res grauis: oppositum enim constat ex Decretali relata Pij V. vbi tam Græcis, quàm Latinis præcipit suum morem seruare sub graui obligatione.

Sic fortè illis visum qui ita multos annos in azymis facere Parisiis coëgerant Metropolitam Græcum, mussitante Roma, nec æquè rem habente, vt neque qui docti Parisiis ritus Ecclesiasticos essent.

Solùm posset esse dubium, quando Græcus est apud Latinos, vel Latinus apud Græcos, An debeat sequi consuetudinem Ecclesiæ in qua inuenitur, an cuius est filius, & vnde discesserit? Et certum est, Quod si in terris Græcorum inueniantur Ecclesiæ Latinæ, quæ suum morem seruant; si ad illas diuertat Sacerdos Latinus, tenetur Latinum morem seruare, & è conuerso; quia hoc non regulatur penes regiones & terras materialiter sumptas, sed penes Ecclesias, in quibus consuetudo illa viget; si autem Latinus diuertat ad ipsam Ecclesiam Græcorum, vel è contra, dicimus quod hoc potest esse dupliciter, vel solùm transeundo tanquam viator, siue tanquam peregrinus & aduena ibi detentus, vel potest manere tanquam in proprio domicilio, adscriptus & incorporatus illi Ecclesiæ: Si primo modo, dico teneri seruare morem Ecclesiæ à qua discessit, non illius ad quam diuertit; ita quod Græcus apud nos celebret in fermentato, & Latinus apud Græcos in azymo. Licèt enim peregrini teneantur seruare præcepta & consuetudines loci, in quo inueniuntur, vt in festis & ieiuniis, tamen hoc intelligitur de consuetudinibus & præceptis affectis ad ipsa loca, non ad personas, propter distinctionem & speciale signum, quo istæ Ecclesiæ ab illis distinguuntur, quatenus isti sunt Græci, & illi Latini; quia repræsentant Ecclesias suas, & mores seu ritus illarum. Et ita Pius V. absolutè loquitur de Græcis & Latinis, non distinguendo de regionibus, seu locis ad quæ diuertunt. Vnde quandiu iste manet Sacerdos Græcus, & ille Latinus, vbicumque sit, tenetur suum ritum seruare; quia præceptum est vniuersale, vtpote à summo Pontifice latum, qui omnia loca comprehendit, & afficit ipsas personas vbicunque sint. Vnde cùm sit absolutè prolatum, præponderat consuetudinibus Ecclesiarum particularium: Si verò secundo modo se habeat Græcus, ita quod totaliter transferatur ad Latinam Ecclesiam, scilicet quia non se habet vt peregrinus, sed fixum domicilium habet; aut si obtinet beneficium, vel incorporatur Ecclesiæ Latinæ, tenetur illius morem seruare; quia iam non est amplius Sacerdos Græcus, sed transfertur in Latinum, & extat declaratio sacræ Congregationis Rituum 29. Ianuarij. anni 1605. vbi conceditur Clericis Græcis habentibus dignitatem in Ecclesia, quæ ritum Latinum accepit, recitandi officium Latino ritu: Refertur à Barbosa in Collectaneis verbo *Græci*, Tales quippe ratione dignitatis incorporantur illi Ecclesiæ. Supponitur ergo carere ista licentia, illos qui sic incorporati non sunt.

Sicque sibi & Græcus, Græcéque faciens perseuerauit Trapez. Latinorum tamen azymo.

De Materia Calicis, qualis sit?

Dico quintò, Materia Calicis de necessitate est vinum de vite ab vuis expressum, & in formam potabilem redactum. Sumitur ex definitione relata Eugenij IV. *Quod materia huius Sacramenti est panis triticeus, & vinum de vite.* Et idem habetur in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate; & in cap. *Sicut*, eodem titulo, vbi damnatur Hæresis Ebionitarum, qui in sola aqua consecrabant. Ex Euangelio quoque constat Christum Dominum consecrasse in vino de vite, siquidem consecrato calice dixit Math. 26.29. & Marc. 14.27. *Dico vobis, Non bibam amodò de hoc genimine vitis, &c.* vbi ly *hoc* designat materiam quæ erat in illo calice; ergo erat vinum de vite. Licèt autem per hoc exclusa maneat omnis alia materia, seu liquor non procedens à vite, quantumcumque nomine vini appelletur, quia æquiuocè est vinum; tamen adhuc non constat An omnis liquor qui ex vite procedit, sit apta materia huius Sacramenti. Primò enim ex vite fit agresta, vulgo *agraz*: secundò ex vuis maturis fit mustum; tertiò transit in vinum; quartò fit lora, vulgo *aguapie*; quintò fit acetum; sextò potest vinum congelari, & amittere formam potabilem; de his.

Vinum de vite, sola materia Eucharistiæ.

Dico sextò, Agresta non est materia Sacramenti, neque liquor intra vuas maturas contentus, sed debet esse expressus; neque lora, neque acetum; est autem materia sufficiens mustum recenter expressum ab vuis, licèt nondum sit purificatum; illo tamen non est vtendum propter indecentiam, nisi in casu necessitatis. Prima pars Probatur, Quia omnia illa non sunt vinum vsuale, & deseruiens pro potu secundùm communem æstimationem hominum. Agresta enim non bibitur, nec potui deseruit, nec habet speciem vini; quia ex agresta quantumcumque detineatur, non potest fieri vinum, sicut ex musto fit per solam purificationem; Similiter vuæ ipsæ maturæ, licèt in se contineant substantiam, quæ potest exprimi in liquorem, tamen quandiu non exprimitur liquor, non est aliquid potabile, sed comestibile; sicut in aliis pomis continetur humor, qui exprimi posset in liquorem, & tamen quandiu continetur in ipsis pomis, habet rationem cibi comestibilis, non liquoris potabilis; Neque est mirandum, quod per expressionem, quæ videtur esse aliquid accidentale, mutetur illa species; quia species istæ sunt valde imperfectæ, nec indigent multo apparatu dispositionum; sicut ignis facillimè conuertit materiam siccam; Vua autem matura, ferè est in vltima dispositione ad vinum; vnde facilè transit in illam speciem, non alia dispositione quàm expressione.

Agresta, nec vinum, nec materia Eucharistiæ.

Quod verò lora, vt communiter fit, non sit materia Sacramenti, constat, Quia non fit ex vuis, sed ex aqua superinjecta racemis iam expressis; vnde maior pars est aquæ, & solùm aliquid retinet de sapore contracto ex illis racemis. Quod si aliter fieret, & concurreret minor pars aquæ, & maior pars de expressione vuarum, non est lora, sed vinum, licèt tenue; & sic esset materia Sacramenti, nisi maneret dubium An esset maior pars aquæ, vel vini; tunc enim esset materia dubia; hac enim ratione vtimur in pane, quando fit ex farina admixta aliis granis (verbi gratia hordei, vel tisæ) Nam si sit tanta mixtio quod superetur triticum, non est materia Sacramenti; si è conuerso, est materia: si verò sit dubium quæ sit maior pars, est materia dubia, & non possumus illa vti, nisi pro casu necessitatis, si reperiatur panis azymus ex illa. Eodem modo iudicandum est de musto igne decocto, quod transmutatur in aliam speciem quàm vini, nec deseruit potui vsuali & communi. Similiter vinum aromatibus confectum, si in tanta copia projiciantur aromata, quod totum vinum afficiant & transmutent (quod ex colore & sapore dijudicari potest) non est materia Sacramenti; & multò magis si ad hoc efficiendum igne decoquatur: si verò in parua copia aromata projiciantur, ita quod non transmutent totum vinum, licèt aliquid saporis in illo relinquant, adhuc erit materia sacramenti; aut saltem erit materia dubia, si non possit certò scire de quantitate copiæ injectæ.

Item lora communis, secus vbi aqua vinum longè excederet.

Idem de pane triticeo alijs granis commixto.

Mustum igne coctū nō est materia, nec aromatibus conditum,

De

Item acetum.

De aceto constat, quod si est perfectum, iam est vinum corruptum, & consequenter non est substantialiter vinum, nec in potum visualem assumitur, sed in alia ministeria; si verò non sit perfectè & consummatè acetum, sed vinum acescens, id est, in via & fieri ad acetum, est materia quantum ad valorem Sacramenti, quia adhuc retinet speciem & substantiam vini, sed peccat conficiens in illo, vt dicit sanctus Thomas hîc art. 5. ad 2. Tum propter dubietatem de corruptione vini; Tum propter indecentiam, quia est in via corruptionis.

Mustum incertum materia.

Secunda verò pars conclusionis probatur; Quia mustum in substantia est vinum, solumque differt accidentaliter à vino decocto & purificato, vt docet sanctus Thomas loco citato ad 3. siquidem sine noua generatione aut corruptione, sed per se solum purificatur in vinum, & statim assumi potest in potum; ergo est sufficiens materia consecrationis, licèt propter indecentiam, & admixtionem impuritatis non possit licitè assumi ad consecrationem: In casu verò necessitatis potest exprimi botrus in calice, & consecrari in musto, vt constat ex Decretali Iulij Papæ in cap. *Cùm omne crimen*, de Consecratione dist. 2. vbi inquit, *Quod de expresso botro (id est, de vuarum granis) populus communicatur, valde est omninò confusum: sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur & aqua misceatur.* Vbi Pontifex, sicut prohibet vt in musto recenter ex botris expresso consecretur, ita concedit vt in necessitate fiat. Necessitas sufficiens erit (verbi gratia) pro communicando infirmo, vel in die festo ne populus maneat sine Sacrificio, si aliud vinum reperiri non potest: Neque est simile de massa cruda, & de musto; quia massa cruda non est panis, sed indiget decoctione; mustum autem substantialiter est vinum, & in forma potabili, licèt nondum sit omnibus suis accidentibus perfectum: Et de vino congelato est maius dubium, & diuersitas opinionum inter Authores, An possit consecrari non solum licitè, sed etiam validè.

Vinum leuius congelatum, materia certa: grauius cōgelatum, saltem dubia.

Dico vltimò, Si vinum non totaliter sit congelatum, & quasi crustum redditum, sed solùm in aliqua superficie congeletur, est materia Sacramenti; si tamen sit totaliter congelatum, & in duritiam versum, etiamsi possit calefactione liquefieri, probabilis est vtraque sententia, quod possit vel non possit consecrari; probabilius tamen est quod communiter non sit consecrabile, sed sit materia dubia. Prima pars probatur, Quia vinum illud ex tam parua congelatione neque amittit substantiam vini, neque formam potabilem; & facit eosdem effectus quando sumitur, atque vinum non congelatum; ergo non est cur excludatur à materia Sacramenti. Secunda verò pars probatur. Nam pro parte affirmatiua, quod sit materia Sacramenti, est authoritas plurium Doctorum cum Siluestro, Soto, Angelo, Vasquez, Suarez, & aliis; & habet fundamentum satis probabile, quia non amittit substantiam vini; siquidem facta resolutione iterum sumi potest tanquam vinum.

Vinū congelatū absolutè materia, multorum opinio.

Nec obstat, Quod quamdiu est congelatum non sit in forma potabili; radicaliter enim & virtualiter manet potabile; quia sola resolutione facta, potabile manet; non oportet autem quod quando consecratur sit in forma potabili actu & formaliter; sufficit quando sumitur, quod facilè contingere potest si post consecrationem calore resoluatur. Nec est simile de liquore contento intra vuas, qui etiam facilè exprimi potest; Nam ibi substantialiter est diuersum, cùm ex ipsa natura sit factum modo comestibili in vuis; quando autem congelatur, solùm accidentaliter amittit formam potabilem ex frigore constringente: Adde quod si vinum iam consecratum congelatur, non desinit ibi esse Sanguis Christi; ergo per congelationem non corrumpitur substantia vini; si enim corrumperetur, non posset ibi manere Sanguis facta tali corruptione; ergo si super illud sic congelatum cadat consecratio, Sacramentum fiet; quia sufficit ad consecrandum, quod habeat substantiam vini, & non sit totaliter corrupta. Antecedens verò probatur ex cap. *In Sacramento*, de Consecratione dist. 2. vbi dicitur, *Quod si vinum consecratum congeletur, debet liquefieri, & sumi cum reuerentia, tanquam Sanguis Christi*: & à simili patet in pane, qui licèt durissimus reddatur, potest tamen consecrari; ergo etiam vinum licèt congeletur, & durescat.

Non esse materiam, Aliorum opinio.

Pro parte verò negatiua, sunt etiam plures Authores, Ledesma, Armilla, Alanus, Nuño, & alij, habetque fundamentum, Quia vinum sic congelatum amittit speciem vini, non quia vertatur in lapidem, sicut aqua nimis congelata dicitur verti in crystallum (hoc enim ex vino fieri non posse putat Vasquez) & fortasse ita est, nec nos loquimur in tali casu; sed quando vinum totaliter est congelatum, potest tamen liquefieri per calorem, & reduci in formam potabilem, quod non potest fieri si conuerteretur in lapidem. Quod verò vinum sic congelatum mutet speciem ex eo suadetur, quia tam intensum frigus conuertit fortitudinem vini; vnde quando postea liquefit, inuenitur omninò sine vigore & fortitudine, quasi aqua; ergo signum est quod amittit speciem; quia substantia vini maximè dignoscitur ex fortitudine & acrimonia, magis quàm ex colore & sapore. Verum quidem est, quod si vinum sit valde forte, & gelu non sit valde intensum, aut multo tempore durans, non tam facilè soluitur species vini, quia post resolutionem adhuc retinet vini saporem & acrimoniam, licèt diminutam; vnde fit quod facta congelatione totali non poterit consecrari propter dubietatem materiæ, de qua non potest quis certificari quousque liquefiat, & tunc constet an substantia vini fuerit corrupta, vel non. Et practicè existimo nunquam esse dabilem casum, quo possit aliquis tali materia vti; Nam vel instat necessitas consecrandi, vel non; si instat, debet illud vinum prius liquefieri, & tunc ex ipsa experientia dignoscitur an fuerit corruptum, vel non; si enim consecratur, necessariò debet sumi à Sacerdote, & non potest sumi per modum potus nisi liquefiat; ergo ante consecrationem etiam potest liquefieri, & paululum expectare donec resoluatur: si verò non instat necessitas, non debet aliquis vti tali materia, quæ ad minus est dubia; & de certo valde indecens, cùm non sit potabile.

Opposita fundamenta facilè diluuntur. Ad primum Respondetur, Quod licèt illud vinum maneat in forma potabili virtualiter, tamen non manet sub specie vini nisi dubitanter; & ita expectandum est quod resoluatur, vt constet quam speciem retineat, & vt possit sumi à Sacerdote per modum potus. Ad secundum Respondetur, Non manere Sanguinem Christi in vino totaliter congelato, quia soluitur illius species. Quod verò dicitur in illo textu, in primis illum non inuenio.

in tota illa secunda distinctione, neque Authores oppositi citant illum; tamen facilis est responsio, quod post congelationem dubium manet an totaliter corrumpantur species vini vel non, iuxta diuersas opiniones, & ideo debet sumi cum reuerentia; & ob eandem rationem non debet consecrari in tali materia, quia valde dubia est. Ad id verò quod dicitur de pane indurato, differentia est manifesta, quia ille panis si comedatur, nutrit, & sustentat sicut panis, & sic habet eandem substantiam, licèt accidentaliter variatam; vinum verò per congelationem ita fortem nimis alteratur, & perdit fortitudinem suam, nec potest ita confortare; & sic amittit speciem, neque est consecrabile.

At quid Græcorum panis Eucharisticus in annum consecratus pro infirmus?

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Aqua infusa vino conuertatur immediatè in Sanguinem Christi, antequam conuertatur in vinum?

SVppono primò, Aquam misceri vino non de necessitate materiæ consecrandæ, sed de necessitate præcepti. Et certum est præceptum esse Ecclesiasticum, non diuinum; licèt consuetudo ista per traditionem Ecclesiæ à Christo deriuetur, qui ita creditur fecisse. Constat hoc, Quia materia Sacramenti sufficienter saluatur in solo vino, quia Christus Dominus solum illud designauit in calice, dum dixit Matth. 26. 29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Et Concilium Florent. in Decreto pro Armenis declarans materiam Calicis, solùm dixit, *quod est vinum de vite: cui*, inquit Concilium, *aqua ante consecrationem misceri debet*; quo genere loquendi significat, Materiam solum esse vinum de vite; mixtionem autem illam pertinere ad conditionem, non ad materiam Sacramenti; quod etiam ostenditur ex praxi & consuetudine Ecclesiæ, quæ modicam aquam adhibet, ita vt prius sit conuersa in vinum, quàm consecretur; ergo signum est solum vinum esse materiam; quia quando consecratur, iam non est aqua, sed solum vinum; ergo quando infunditur calici, non infunditur pro materia, sed propter aliquam significationem.

Aqua miscenda Eucharistiæ, ex Ecclesiæ præcepto.

Quod verò sit de necessitate præcepti misceri aquam vino, constat ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 7. vbi dicitur, *Monet etiam sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo misceant: Tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur: Tum etiam quia de latere eius aqua simul cum sanguine exiuit:* Et citatur ibi Concil. 3. Carthagin. cap. 24. & Bracharens. 3. cap. 1. & Cyprian. lib. 2. Epist. 3. aliàs Epist. 63. Et videri possunt alij textus de Consecratione dist. 2. Et Aliqui existimant hoc præceptum esse de iure diuino; id enim insinuant verba Cypriani, dicentis, *Contra diuinum mandatum & institutionem fieri, si aqua vino non misceatur:* & addit, *Non posse consecrari aquam solam, neque vinum solum, sed vtrunque permixtum:* quod intelligitur de necessitate præcepti; subdit enim, *Eis qui sine mixtione aquæ interdum consecrarunt, posse veniam concedi*; non tamen dicit fuisse irritum Sacramentum: Magis tamen significat Concil. Trident. loco citato hoc præceptum esse Ecclesiasticum, dum inquit, *Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, &c.* Præceptum autem

Cyprianũ adscare videri ius diuinum.

ab Ecclesia, apertè significat præceptum Ecclesiasticum, vt distinguitur a diuino. Neque enim potest dici esse præceptum ab Ecclesia, simulque à Christo Domino; aliàs enim posset dici, Præceptum consecrandi in vino, & in pane esse ab Ecclesia simul tamen à Christo; qui tamen modus loquendi communiter non admittitur; quia quæ sunt de iure diuino, condistinguuntur contra præcepta quæ sunt ab Ecclesia. Quare cùm dicitur aliquando à Patribus & Conciliis, Hoc esse diuinũ mandatum, non intelligitur de mandato strictè & rigorosè diuino, sed latè, prout omne factum Christi mandatum dici potest, quia ab illo tanquam ab exemplari dimanat in nos, & Ecclesia postea strictè præcipit; Quia tamen res grauissima est, & sic semper in Ecclesia reputata, sine dubio erit peccatum mortale illam aduertenter omittere; quia licèt quantitas aquæ sit valde modica, tamen mysterium & significatio magna est, quia significat vnionem populi Christiani cum ipso Christo.

Diuinum mandatum largè. i. in Christi exẽplo fundatum, non ab eo latum.

Secundò certum est, Aquam vino miscendam debere esse in multo minore quantitate quàm vinum. Et licèt in Concil. Triburiensi cap. 19. dicatur, *Quod duæ partes sint vini, tertia aquæ; quia maior est maiestas Sanguinis Christi*; tamen postea in Concil. Florent. in decreto pro Armenis multò minor quantitas designatur. Dicitur enim materiam calicis esse vinum de vite, *cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet.* Vnde quantò minus de aqua miscetur, tantò melius fit, & conformius mandato Ecclesiæ, quia ly *modicissima* significat id quod minimum esse potest in paruitate, dum tamen gutta illa aquæ sit sensibilis; quia videri debet, vt constet, quod sit infusa. Quod si aliquando aliquid plus de aqua infundatur, oportet tamen aduertere quod non sit tanta quantitas, quod possit vinum corrumpere, vel dubium relinquere An sit corruptum; quia consecrare in materia dubia, peccatum mortale est.

Aqua modica miscẽda, pro vini quantitate. At quid Græci qui & post consecrationem, antiquo ritu, calidam infundunt?

Difficultas ergo est, Quomodo aqua mixta vino possit conuerti in Sanguinem Christi; scilicet An requiratur quod prius mutetur in vinum, & tunc per consecrationem transubstantietur; an verò sufficiat aquam esse infusam, & conjunctam vino, etiamsi in vinum non conuertatur, vt mutetur in Sanguinem. Est enim aduertendum duplicem esse mixtionem, vnam perfectam & per conuersionem vnius in aliud, secundùm quod diffinitur mixtio in libris de Generatione, Quod est miscibilium alteratorum vnio, id est, corruptorum; Alia est mixtio imperfecta, & per solam iuxtapositionem vnius cum alio; ita tamen quod vnum non transit in speciem alterius, vel alicuius tertij; sicut cùm oleum miscetur aceto, vel alteri liquori, nec tamen conuertitur in illud: Est ergo difficultas, An aqua solùm imperfectè admixta, & non conuersa in vinum, transeat in Sanguinem Christi, solùm per hoc, quod sit coniuncta, & iuxtaposita vino, licèt in se aqua sit? In quo plures sententiæ fuerunt inter Antiquos, & modò versantur inter Recentiores, quæ distinguendæ à nobis sunt, vt melius discerni possit, quid propriè vnaquæque opinio affirmet.

Primò ergo aliqui ex Antiquis dixerunt absolutè & indistinctè, Aquam vino mixtam non conuerti in Sanguinem Christi, non distinguendo de mixtione perfecta vel imperfecta; atque adeo videtur significare hæc opinio, quod etiamsi aqua taliter misceatur vino, quod fiat mixtio

perfecta, & transitus eius in vinum, adhuc non conuertatur in Sanguinem; quam opinionem latè refert & refutat Cardinalis Baronius, Tom. 12. Annalium anno Christi 1188. num. 27. Vbi refert tunc primùm quæstionem istam ortam esse in Gallia, & de illa Gaufredus de Claraual. consuluit Cardinalem Episcopum Albanensem super ista controuersia: Aliqui enim dicebant vinum mixtum aqua conuerti in Sanguinem Christi, sicut panis mixtus ex farina & aqua conuertitur in Corpus Christi; vbi satis manifestabant se loqui etiam de mixtione perfecta, sicut perfectè miscetur farina & aqua quando fit panis; Alij verò dicebant aquam vino mixtam non cõuerti in Sanguinem, quod nulla sit mentio apud Authores aquæ pro conuersione Sanguinis, sed solùm vini; & Baronius ibi affirmat, hoc semper custodiisse Romanam Ecclesiam, vt aquam simul & vinum transubstantiari in Sanguinem Christi affirmaret. Et infra anno 1192. in fine dicit, Quod conuersionem Sanguinis fieri in vino, cùm commixtio intercederet, Antiquitas existimauit. Et sic vocat hæresim illo sæculo abortam, negantium aquam vino mixtam mutari in Sanguinem. Vbi planè loquitur de aqua perfectè mixta, & iam conuersa in vinum; Nam manente aqua non conuersa, licèt iuxta vinum posita, non potest esse hæresis negare quod conuertatur in sanguinem; cùm sit hodie communior & certior sententia.

Aquam in Calice non conuerti in Sãguinem, noua Hæresis Baronio. Auctoris opinio de aqua in vinum versa, quod ille fortè non voluit.

Secundo loco Alij existimantes Aquam vino mixtam non conuerti in ipsum, (est enim Aliquorum Naturalium opinio, non facilè conuerti istas species, nec vnum in aliud transire, nisi multo tempore intercedente) sed manere in sua substantia aquæ, quando infunditur vino, diuisi sunt in duas sententias, quas refert Innocent. in cap. Cùm *Marthæ*, de Celebratione Missarum. easque reprobat, & tertiam quam postea referemus approbat vt probabiliorem. Prima sententia dicebat, illam aquam infusam vino non conuerti in Sanguinem Christi, sed in quendam humorem aqueum, seu phlegma, quia putabant talem fuisse aquam quæ exiuit de latere Christi; & dicebant vinum conuerti in Sanguinem, aquam verò in illum humorem. Alia verò sententia dicebat, Aquam neque in Sanguinem, neque in humorem conuerti, sed manere in propria substantia, & solùm vinum conuerti in Sanguinem Christi. Manere autem substantiam aquæ, & non transire in vinum sentit hæc opinio, eo quod vinum non semper habet efficaciam conuertendi aquam, vel quia quantitas aquæ est nimia; vel quia parua temporis mora intercedit inter mixtionem & consecrationem.

Aquam manere in sua substãtia, aut in phlegma verti, opiniones improbatæ ab Inn. III.

Vtramque sententiam reijcit Pontifex. Primam quidem, Quia id quod fluxit è latere Christi fuit vera aqua, non phlegma, vel humor, cùm dicat Scriptura, *quod exiuit sanguis & aqua*, Ioan. 19. 34. Vera autem aqua elementalis non ingreditur compositionem corporis humani, sed aqua illa per miraculum fluxit de Corpore Christi, & ita modò non est in Corpore eius glorioso; ergo non potest conuerti in illam aqua infusa calici, quia neque ex vi verborum conuertitur (cùm nullum verbum formæ consecrationis significet aquam, vel humorem aqueum) neque per concomitantiam, cùm non contineatur aqua vera in Corpore Christi. Secunda verò sententia relinquitur ab Innocentio vt minus probabilis; Et sanctus Thomas in præsenti art. 8. illam reijcit, quia facta

A consecratione, nulla substantia ibi remanet, quæ non conuertatur in Christum; Quia illud verbum *Hoc*, & *Hic est calix*, comprehendunt quidquid sub illis speciebus continetur; quia secundum modum communem loquendi facit sensum indefinitum, & adæquatè comprehendentem quidquid ibi continetur; ergo inconueniens est, quod per se loquendo relinquatur ibi aliqua substantia non consecrata; & est contra praxim & vsum Ecclesiæ, quæ post consecrationem calicis totum illud proponit populo adorandum; quod esset inconueniens si remaneret ibi aliqua substantia aquæ, vel vini non conuersa in Sanguinem Christi. Et similiter Ecclesia reputat ieiunum Sacerdotem sumentem calicem, ita vt possit aliam Missam celebrare si ablutionem non sumat, vt fit in die Natiuitatis; ergo sentit non manere ibi substantiam aquæ; hæc enim solueret ieiunium naturale, sicut soluit aqua sumpta pro ablutione.

B

Tertiò Alij existimantes fieri posse veram & perfectam conuersionem aquæ in vinum, licèt aliquando vel propter breuitatem temporis, vel propter tenuitatem vini fieri non possit nisi imperfecta mixtio, etiam diuisi sunt in duas sententias; Quidam existimant deberi prius aquam conuerti in vinum, & sic transire in Sanguinem Christi; si autem non conuertatur in vinum, non transubstantiari, sed manere in sua substantia; sicut
C manet gutta olei, vel alterius liquoris, si esset in calice. Alij dicunt aquam coniunctam vino, etiam si non sit conuersa in illud, sed maneat in propria substantia, conuerti in Sanguinem Christi, solùm quia coniuncta est vino per modum vnius potus integri, licèt non omnes partes sint vinum. Prior sententia est communis omnium Doctorum, eamque probabiliorem esse dicit Innocentius III. in cap. *Cùm Marthæ* cit. quantum ad illam partem, quod aqua prius transit in vinum, & deinde in Sanguinem Christi. Sequitur sanctus Thomas hîc art. 8. Alensis, Bonauentura, Scotus, Richardus, Major, Soto, Suarez, Vasquez, Nuño, & Alij communiter. Et Catechismus Pij V. dicit esse
D sententiam omnium Ecclesiasticorum Scriptorum.

Aquam, tunc solùm conuerti in Sanguinẽ, cum ante cõsecrationem, in vinum trãsiet, opinio magis probata Innocent. III. à S. Thom. recepta.

Secundam sententiam aliqui Recentiores nostra ætate sequuntur, & pro ea citantur Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 13. Toletus lib. 2. Summæ cap. 25. Coninch. de Sacramento Eucharistiæ quæst. 24. art. 4. dubio vnico, Paulus Aretius peculiari libro de hac re edito, Scortia de Sacrificio Missæ, & Alij. Voluntque aliqui roborare hanc sententiam ex authoritatibus Sanctorum, qui asserunt vinum aqua mixtum consecrari in Sanguinem; & à Gaufredo Epistola supradicta citantur, qui tamen non in hoc sensu loquuti sunt, sed supponunt dictam mixtionem perfectè fieri, & cum conuer-
E sione vnius in aliud; nempe aquæ in vinum, & sic adducuntur à Gaufredo contra illos qui negabant aquam mixtam vino, etiamsi perfectè esset mixta, non conuerti in Sanguinem Christi; quasi ex sola illa mixtione redderetur inhabilis ad consecrationem, vt ex ipsis verbis Epistolæ citatæ supra collegimus; & contra hoc procedunt auctoritates illæ.

Sententia alia, ipsam aquam immediatè conuerti.

Dicendum ergo est, Aquam non reddi materiam consecrationis, neque conuerti immediatè in Sanguinem Christi, nisi prius fuerit conuersa in vinum; & sic requiritur mixtio perfecta. Quod si aqua maneat in sua substantia conjuncta vino, solùm vinum conuertitur in Sanguinem, & manent deinde species conjunctæ illi aquæ, & in eam

Fundamenta opinionis S. Thomæ.

possunt agere, eamque alterare, & corrumpere eodem prorsus modo sicut antea; & sicut possunt agere circa alias res. Hæc sententia pluribus solet fundamentis confirmari, sed præcipua reducuntur ad tria; Primò, Quia conformior est auctoritati & praxi Ecclesiæ; Secundò, Quia aqua quamdiu manet in sua substantia, non fit materia consecrationis per extrinsecam coniunctionem cum vino. Tertiò ab inconuenientibus, quæ altera sententia deuorat, & valde absurda sunt.

Primum fundamentum declaratur sic, Quia Concilia, quando faciunt mentionem conuersionis in Corpus & Sanguinem Christi, solùm nominant panem & vinum pro materia talis conuersionis, vt patet in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate ex Concil. Lateran. Et in Concil. Florent. in Decreto pro Armenis. Et quod non possit intelligi nomine vini etiam illa aqua, quæ coniuncta est vino, nisi in vinum conuersa sit, deducitur ex eo quod Ecclesia, sicut assignat pro materia conuersionis vinum, ita declarat & præcipit quod modicissima aqua ante consecrationem infundatur; quæ verba sine dubio pro aliquo speciali fine ab Ecclesia apposita sunt; nec alius intelligi potest, nisi quia voluit Ecclesia in tali quantitate misceri, quod facile posset conuerti in vinum, & sic in Sanguinē. Si autem posset aqua, antequam conuerteretur in vinum, conuerti in Sanguinem, ad quid seruit tanta cura Ecclesiæ, quod aqua miscenda sit modicissima, si æquè bene potest conuerti illa aqua in Sanguinem Christi, etiamsi non sit modicissima, sed in maiori quantitate, dummodo vinum non corrumpat; Et non corrumpi ab ipsa nisi in magna quantitate, videtur certum; quia vinum fortius est ad resistendum aquæ, quàm è conuersò. Videmus enim in communi vsu simul vinum, quod in sua substantia tale sit, etiamsi infundatur aqua non modicissima; ergo vt vincatur resistentia, maior pars aquæ requiritur.

Deinde in Concil. Trident. sess. 13. can. 2. dicitur, *Conuerti panem in Corpus, & vinum in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini*; ergo species aquæ nunquam manere possunt, siquidem Concilium dicit manere dumtaxat species panis & vini; ergo neque aqua conuerti potest in Sanguinem, nisi prius fuerit conuersa in vinum. Patet consequentia, Quia si conuerteretur aqua in Sanguinem, non maneret eius substantia, & manerent eius species continentes Sanguinem; ergo non manerent duntaxat species panis & vini, sed etiam species aquæ.

Nec dici potest, Concilium nomine specierum vini, etiam intelligere species aquæ quatenus vino coniunctæ; quia licèt physice vinum non sint, tamen denominatiuè appellantur vinum, propter coniunctionem cum illo, quia vsuali & communi modo totum illud reputatur pro vino. Contra enim est, Quia quando Concilia explicant materiam Sacramentorum (verbi gratia quod sit aqua pro Baptismo, oleum pro Extrema Vnctione) loquuntur in toto rigore physico de oleo, & aqua naturali & vera: ergo etiam quando loquuntur de pane & vino pro Sacramento Eucharistiæ, in proprietate physica loquuntur, & non secundùm moralem & extrinsecam denominationem, aliàs nihil certi in materiis Sacramentorum haberemus; ergo similiter quando dicit Concilium remanere dumtaxat species panis & vini loquitur de vino in proprietate & rigore physico; siquidem solùm illius vini species manent post consecrationem, quod ante consecrationem fuerat materia.

Secundò deducitur Argumentum, ex eo quod aqua non potest esse materia consecrationis, siue mixta, siue separata à vino, nisi ex voluntate & institutione Christi; sed neque vt coniuncta, neque vt separata instituta est à Christo pro materia; ergo non potest conuerti in Sanguinem quamdiu est in forma aquæ: Consequentia patet, Quia illud solùm potest conuerti, quod est materia conuersionis; illud solum est materia conuersionis, quod à Christo institutum est pro materia; ergo quod non institutum est pro materia, conuerti non potest. Minor probatur, Quia aqua non miscetur vino nisi tantùm ex præcepto Ecclesiæ, vt patet ex verbis supra relatis Concil. Trident. sess. 22. cap. 7. sed aqua intantum potest esse materia consecrationis, inquantum miscetur vino, & non seorsùm ab illo; ergo si solùm ex ordinatione & præcepto Ecclesiæ coniungitur vino, nullo modo habet esse materia consecrationis. Consequentia patet, Quia nihil potest esse materia consecrationis ex vi ordinationis Ecclesiæ, quia non habet potestatem super substantiam Sacramenti; sed solùm ex institutione Christi; ergo si aqua solùm adhibetur in hoc Sacramento ex ordinatione Ecclesiæ, non potest esse materia Sacramenti.

Aqua à Christo nō designata pro materia.

Dices, Ecclesiam non instituere illam aquam mixtam pro materia Sacramenti, sed Christum instituisse vt id quod Ecclesia misceret, esset materia consecrationis, quia totum illud pro vino vsuali reputatur; & nomine vini venit intelligendum: Vnde hoc ipso quod Christus designauit vinum pro materia, quidquid nomine vini intelligi potest, materia est; Ecclesia ergo solùm ponit conditionem requisitam, vt aqua illa reputetur pro vino, coniungendo illam vino; sed Christus instituit & designauit illam pro materia, hoc ipso quod vinum materiam esse dixit.

Sed contra est, Quia in designandis materiis Sacramentorum Christus nihil Ecclesiæ commisit, sed solùm circa vsum & administrationem illorum, vt constat ex Concil. Trident. sess. 21. in principio; Materia autem maximè pertinet ad substantiam Sacramentorum; ergo illius designatio non est commissa Ecclesiæ, nec voluntati Ecclesiæ relictum est, quod si præciperet miscere aquam, esset materia; si non præciperet, non esset; neque ad hoc adducitur aliquod fundamentum, vnde constet Christum Dominum sic fecisse, ergo sine aliquo fundamento, & temerariè in re tam graui id affirmaretur; aliàs simili modo posset dici, quod si oleo misceretur alius liquor pro Extrema Vnctione, etiam ille liquor redderetur materia talis Sacramenti, quia sic instituit Christus. Nos autem non aliunde possumus colligere quæ sit propria materia Sacramenti, nisi ex propriis verbis quibus Scriptura illam designat; Vt nomine aquæ pro Baptismo, solam aquam naturalem, nomine olei pro Vnctione solum oleum, & nomine vini solum vinum de vite: Quidquid amplius est, sine fundamento dicitur Christum id instituisse dependenter à præcepto Ecclesiæ. Quod si solùm fiat vis in hoc, quod nomine vini intelligitur totum illud quod in Calice ponitur, vt coniunctum vino per modum porus, & hac ratione aqua illa vt mixta vino vinum appellatur.

Contra est, Quia hac ratione, etiam sine auctoritate Ecclesiæ & præcepto potest aqua fieri materia Sacramenti; immò non solùm aqua, sed

& quilibet alius liquor etiam mixtus vino conuerteretur in Sanguinem; ac per hoc institutio Christi Domini fuisset, quod vinum, & quilibet alius liquor ipsi mixtus, sit materia consecrationis. Immò quando ex aqua & vino fit vnum mixtum tertium, quod physicè & in re neque est aqua neque vinum, sed tamen vsualiter & communiter pro vino reputatur, esset materia consecrationis; sicut dicitur esse aquam mixtam vino, non quia est, sed quia reputatur pro vino; quæ tamen omnia absurda sunt, nec de tali Christi institutione constat. Aliud est enim, quod facta mixtione alterius liquoris, illa pars vini quæ non corrumpitur, remaneat materia consecrationis, aliud quod etiam liquor extraneus reddatur materia, cùm ex se non sit, per hoc præcisè quod adiungatur vino; cùm tamen solùm constet Christum Dominum designasse pro materia vinum, & Ecclesiam sic declarasse; Neque etiam obstat, Quod Christus Dominus designauit pro materia matrimonij illum contractum, quem Ecclesia validum esse decreuit; ergo etiam potuit designare pro materia calicis illud, quod Ecclesia præceperit & ordinauerit calici infundi.

Contra enim est, Quod exemplum nullo modo quadrat; Nam Christus Dominus designauit pro materia Matrimonij contractum aliàs validum secundùm naturam & leges talis contractus; vnde conditio adiecta per Ecclesiam, vt contractus sit validus, non mutat materiam, neque facit vt id quod non est contractus sit materia Sacramenti, sed solùm ponitur illa conditio ad producendum in rerum natura verum & validum contractum secundùm approbationem legalem; Aqua autem non infunditur vino ad hoc vt vinum reddatur vinum & proprium, sed solùm propter significationem mysticam; & ideo si non conuertatur in vinum, non potest ab Ecclesia fieri materia Sacramenti, & ideo exemplum sic adæquabitur, si dicamus quod conditio Ecclesiæ adiecta contractui redditur materia Sacramenti, quia transit in valorem contractus; ita aqua redderetur materia consecrationis, si transeat in vinum.

Tertiò & vltimò probatur conclusio ab inconuenientibus; & omnia reduci possunt ad vnum principale. Sequitur enim ex opposita sententia, quod possit aliquando Sanguis Christi manere sub specie solius aquæ, vel Corpus Christi sub specie panis non triticei; consequens est absurdum; ergo. Minor probatur, Quia Corpus Christi non potest contineri nisi sub speciebus panis, neque Sanguis nisi sub speciebus vini, quibus corruptis desinit ibi esse Corpus Christi aut Sanguis; ergo sub speciebus solius aquæ, vel alterius panis, quàm triticei, non potest manere Corpus & Sanguis Christi; siquidem talis materia non potest se sola consecrati, ergo neque se sola potest conseruare, & retinere Corpus & Sanguinem Christi. Sequela verò probatur. Sit casus quod in aliqua hostia simul cum massa ex tritico misceatur massa ex alia farina, vt ex hordeo, vel fabis, non conuersa illa in triticum; vel in calice sit aqua non conuersa in vinum; & consecratio cadens super totam illam materiam, conuertit in Corpus & Sanguinem etiam illud, quod non est panis, neque vinum physicè & in re; si ergo aliquo casu vinum illud calicis arescat, vel corrumpatur non corrupta parte aquæ, vel ex hostia detrahatur illa pars quæ est ex tritico, remanente illa parte quæ est ex alio grano, tunc remanebit Corpus Christi sine specie panis, & Sanguis sub speciebus aquæ, & non vini. Patet, Quia illa aqua, & ille alius panis, iam fuerunt consecrata, & eorum substantia iam transiuit in Corpus & Sanguinem Christi; ergo non potest eorum substantia redire, nisi iterum Corpus Christi & Sanguis conuertatur in ipsas, nec ibi potest desinere esse Corpus & Sanguis, nisi illæ species consecratæ destruantur, quia habent sibi alligatum & vnitum Corpus & Sanguinem Christi facta consecratione; sed illæ species non destruuntur, quia non datur aliquod agens corruptiuum illarum, sed solùm separantur localiter ab aliis; ergo remanet in illis Corpus & Sanguis Christi.

Absurdum ex opinione contraria; fore Sãguinem sub speciebus solius aquæ.

Dices, Non corrumpi physicè illas species per solam localem diuisionem, corrumpi tamen moraliter, & quantum ad quandam conditionem requisitam vt contineant Corpus Christi; nempe quod sint coniunctæ vino, vel pani triticeo; quia ex tali coniunctione poterant esse materia sacramenti, inquantũ totum illud reputabatur vt panis, vel vinum; Et hoc ideo, quia illa materia non est materia sacramenti per se, sed per accidens, id est, per aliud, & ex coniunctione ad aliud; vnde remota illa coniunctione, est perinde ac si destruerentur illæ species, quia in ratione materiæ talis sacramenti destruuntur. Sed contra est, Quia licèt hoc requiratur ad ipsam consecrationem quando fit, tamen semel facta consecratione, & physicè conuersa illa substantia in Corpus Christi, non potest nisi per physicam corruptionem specierum desinere ibi esse, eo quod Corpus Christi est physicè vnitum, & alligatum speciebus, tanquam loco substantiæ subrogatum. Et deinde, Quia licèt illa materia sit per accidens materia Sacramenti, tamen realiter & verè illa substantia fuit physicè destructa, & conuersa in Christi Corpus; ergo per solam separationem localem non potest illa eadem substantia redire, nisi à Deo iterum reproducatur destruendo ibi Corpus Christi, vel conuertendo ipsum Corpus Christi in eam substantiam, quæ in ipsum fuerat conuersa, quod est magnum inconueniens & absurdum. Quod autem non possint illæ species amplius denominari panis vel vinum, non est destructio physica talium specierum, neque reproductio physica illius substantiæ semel destructæ, sed solùm amissio denominationis extrinsecæ ex coniunctione ad species panis & vini, ergo non potest ibi desinere esse Corpus Christi ex sola illa separatione locali; neque est inconueniens, quod ad faciendam consecrationem requiratur talis coniunctio in illa materia, facta autem consecratione non amplius requiratur ad retinendum ibi Corpus Christi; quia hoc non potest ibi desinere nisi per aliquam physicam mutationem specierum, neque substantia destructa redire, nisi per physicam reproductionem, quod totum non constat ibi esse.

Soluuntur Argumenta.

Argumenta quæ contra nostram resolutionem fieri possunt, nec multa sunt, nec valde vrgent. Præcipuum tamen Argumentum potest fieri ex determinatione Innoc. III. supra relata, & ex sancto Thoma hîc art. 8. Ex eo enim Innocentius & sanctus Thomas, reijciunt illam opinionem, quæ dicebat aquam mixtam vino non transire in Sanguinem, sed manere in substantia aquæ, quia totum quod in calice est, debet esse Sanguis Chri-

sti, & sic proponitur populo adorandum; ideo- A que inconueniens est, quod aliqua substantia ibi maneat, quæ non sit Christus, nec possit adorari. Sit ergo casus, quod aqua infusa vino nondum sit conuersa in vinum quando fit consecratio, tunc vel totum illud quod est in calice conuertitur in Sanguinem, vel non; si conuertitur, habetur intentum, quod aqua conuersa in vinum transit in Sanguinem Christi; si non conuertitur, sed remanet substantia aquæ, currit eadem ratio, propter quam Innocentius & sanctus Thomas reijciunt aliam opinionem, scilicet quod remaneat aliqua substantia in calice non consecrata, & adoretur à populo; ergo vel illa ratio est insufficiens, vel currit eodem modo in nostro casu, siquidem tunc substantia aquæ non consecratur.

Confirmatur & explicatur amplius hæc ratio, Quia Patres communiter & indistinctè docent aquam & vinum conuerti in Sanguinem; sæpe autem contingit aquam non esse conuersam in vinum, vel propter debilitatem vini, vel propter breuitatem temporis inter eius infusionem & consecrationem; ergo Ecclesia præcipiendo aquam vino misceri, semper redderet dubiam, vel exponeret periculo dubietatis consecrationem totius materiæ contentæ in calice. Si enim tunc, quando aqua non est conuersa in vinum, non conuertitur in Sanguinem Christi, est contra prædictos Patres, & contra certitudinem quæ requiritur in consecratione totius materiæ; si autem consecratur, habetur intentum: Quod verò Patres ita doceant, constat ex pluribus authoritatibus quæ citantur in supradicta Epistola Gaufredi; Nam Cyprianus Epist. 63. inquit, *Calix Domini non est aqua solùm, nec vinum solùm, nisi vtrumque sibi misceatur*. Ambros. lib. 4. De Sacramentis cap. 4. & 5. *Vinum cum aqua in calice mixtum fit Sanguis Christi*. Damascenus lib. 4. Fidei. cap. 14. *Ex pane Corpus, & ex vino & aqua Sanguinem suum effecit*. Et similia habent alij Patres. Difficiliora sunt autem verba Petri Blesensis tractatu de Eucharistia. cap. 14. *Post consecrationem Sanguis bibitur, quia in Sanguinem demutatur aqua*. Et Paschasij lib. de Corpore & Sanguine Christi cap. 11. *Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in Sanguinem*.

Respondetur, Aliud esse loqui de eo quod Innocentius dicit in illo textu, aliud de ratione adducta à sancto Thoma in hoc art. 8. Nam Innocentius Papa tres refert opiniones, nec tamen eisdem rationibus vtitur, quibus sanctus Thomas. Nam primo refert illam, quæ dicebat vinum conuerti in Sanguinem Christi, & aquam mixtam vino conuerti in illam aquam, quæ fluxit de latere eius. Quod enim Aliqui dicebant aquam conuerti in phlegma, seu humorem aqueum, qui exiuit de latere Christi, non in ea Decretali improbat Innocentius, sed infra cap. *In quadam*, eodem titulo de Celebratione Missarum. Secundò refert eam opinionem, quæ dicit aquam transubstantiari in Sanguinem, quia transit in vinum mixta vino, licèt aliqui Physici dicant in vinum non conuerti. Hanc postea approbat Pontifex vt probabiliorem. Tertiam opinionem refert, quæ dicebat aquam non transire in Sanguinem, sed remanere vini accidentibus circumfusam; hanc relinquit Pontifex, non tamen rationem aliquam affert contra illam; sed sanctus Thomas in hoc art. 8. referens eandem opinionem, improbauit illam, ratione adducta, Quia facta consecratione non manet ibi aliqua substantia, quæ non sit Corpus Christi & Sanguis, alioquin non totùm veneraretur adoratione latriæ. Nos autem supra hanc rationem, quæ est sancti Thomæ, etiam Innocentio attribuimus, quia pro Innocentio illam adducit sanctus Thomas, ad improbandam opinionem, quam Pontifex reliquit. Quo supposito respondemus ad Argumentum, Quod attinet ad Innocentium, non reprobare illam opinionem, ex eo quod totum quod in calice est quomodocumque facta consecratione conuertatur in Sanguinem, sed opinionem illam refert, nec rationem affert contra illam, sed solùm relinquit, eligens aliam vt probabiliorem. Vnde ex illo textu non potest deduci B Argumentum contra nos; quia quando ex aliquo accidenti aqua infusa calici non est conuersa in vinum, neque consecratur, quia non est materia consecrationis; neque in hoc casu tantum loquebatur illa sententia, sed semper & per se asserebat sic fieri, quod aqua maneret cum vino speciebus eius circumfusa, non autem per mixtionem conuertebatur in vinum; & ideo relinquitur ab Innocentio tanquam disconueniens opinio.

At verò sanctus Thomas addidit illam rationem, quæ omninò conuincit per se loquendo esse inconueniens, quod aqua non conuertatur in vinum, sed maneat in propria substantia aquæ, cùm non possit transire in Sanguinem, nisi prius facta sit vinum; Esset autem inconueniens, quod ex vna C parte Ecclesia præciperet aquam misceri vino, quæ nunquam esset conuertenda in Sanguinem, nec mediatè nec immediatè, sed remaneret in propria substantia aquæ, & ex alia parte totum quod est in calice indinctè proponeret adorandum; hoc est magnum inconueniens, & directè destruit illam opinionem, quam non approbauit Innocentius, quia dicebat semper ita fieri, quod aqua remaneret in sua substantia ex natura rei. Cæterùm si aliquo casu fortuito, vel ex ignorantia, vel ex negligentia, aut malitia remaneat aqua non conuersa in vinum, reuera non conuertetur in Sanguinem; & proponeretur adorandum populo totum quod est in calice, non ex intentione Ecclesiæ, quæ de se solicita est vt in tam parua quantitate D infundantur aqua, quod facilè transeat in vinum, & moraliter de hoc simus certi, sed erit per accidens quod aliquando proponatur adorandum populo aliquid quod non est Sanguis Christi; sicut etiam fieri potest ex malitia Sacerdotis, quod consecret vnam partem hostiæ & non aliam, vel omittat verba consecrationis, & tamen tem illam adorandam proponat; quæ enim sunt per accidens ab arte omittuntur.

Ad confirmationem Respondetur, Patres in illis verbis, & alijs similibus loqui de aqua mixta vino mixtione perfecta & rigorosa, per quam conuertitur ipsa aqua in vinum; Tum quia nomen mixtionis id in rigore significat (alia enim mixtio E imperfecta, non est propriè mixtio, sed iuxtapositio) Tum quia consuetudo & mandatum Ecclesiæ ita hoc intellexit, dum præcipit modicissimam aquam infundi; quod vtique non fieret, nisi vt aqua conuerteretur in vinum, atque adeò vt mixtio perfecta & rigorosa fiat, quæ est cum conuersione aquæ in vinum; Et cum hæc mixtio consueta & communis sit in Ecclesia, de illa loqui Patres credibile est, non de mixtione imperfecta, quando manet aqua in propria forma. Et cùm dicitur, Posse sæpè contingere aquam non esse conuersam in vinum; Respondetur non posse

id frequenter contingere, si seruetur vsus & præceptum Ecclesiæ, apponendi modicissimam aquam; si autem id non seruetur, per accidens erit, & non ex intentione Ecclesiæ; nec sequitur quod manebit dubia materia, quia modò non sit tanta quantitas aquæ quod corrumpat vinum, semper est certum manere materiam consecrationis; quod si magna quantitas aquæ ponatur, fiet contra præceptũ Ecclesiæ, & tunc erit dubia materia ob defectũ Ministri, non ex intentione Ecclesiæ. Si autem fiat vis in eo quod totalis materia manebit dubia, quia non constat quod totum quod est in calice sit consecrabile; Respõdetur quod seruando vsum Ecclesiæ infundẽdi modicissimam aquam, nunquam id erit dubium practicè & moraliter, quia non potest securius fieri ista mixtio, nisi apponendo modicissimam aquam, vt constet esse conuersam in vinum; si verò præceptum Ecclesiæ non seruetur, dubium illud de materia consecrationis non erit per se, sed per accidens: ex defectu Ministri.

Secundò arguitur, Quia Christus Dominus in vino aqua mixto creditur consecrasse, vt dicit Concil. Trident. sess. 22. cap. 3. sed Christus non consecrauit apponendo guttam modicissimam, quia miscuit aquam propter obseruationem temperantiæ & consuetudinem illius regionis; esset autem ridiculum propter temperantiam modicissimam aquam infundere; ergo etiam nos debemus in vino sic temperato consecrare; atque adeò ferè semper aqua non erit conuersa in vinum, quia tam breui tempore non potest talis quantitas aquæ conuerti; & hoc non obstante Christus Dominus totum quod erat in illo calice consecrauit, & adetandum præbuit, ergo etiamsi aqua non sit conuersa in vinum, tota consecrabitur; quod etiam patet ex ipsa forma calicis, *Hic est calix Sanguinis mei:* id est, totum contentum in isto calice est Sanguis, ergo si aliquid de aqua fuit in illo calice nondum conuersa in vinum, totum illud fuit factum Sanguis. Confirmatur, Quia vinum limphatum est commune & vsuale vinum inter homines, sicut absolutè dicitur panis triticeus, etiamsi aliquod granum sit ex hordeo, ergo totum illud potest conuerti in Sanguinem; quia sufficit ad conuersionem commune & vsuale vinum; alioquin solùm purum vinum, non autem limphatum & mixtum consecraretur, quod negant Patres supra citati; vinum autem mixtum diuiditur contra purum; ergo si mixtum est materia consecrationis, non debet prius aqua cõuerti in vinum, quàm in Sanguinem; alioqui id quod conuertitur erit solum & purum vinum, non ergo mixtum.

Respondetur Christum Dominum, cùm euidenter & comprehensiuè cognosceret quãdo aqua esset conuersa in vinum, etiamsi plus aquæ infunA deret quàm nos, tamen quando consecrauit, iam aqua erat conuersa in vinum; Nam etiam Christus Dominus expectauit vt esset finita Cœna ad consecrandum Calicem. Quia postquam cœnauit, accepit Calicem, &c. cùm tamen panem durante Cœna consecrauerit, Nam *cœnantibus illis accepit Iesus panem, &c.* & sic sufficiens tempus transiit, vt aqua illa conuerteretur in vinum. Deinde etiam non constat Christum Dominum non infudisse aquam in modica quantitate; quia B licèt regulariter limphatum vinum in magno temperamento biberet, tamen tunc quando consecrauit, non vtebatur illo calice propter temperantiam, sed propter mysterium; siquidem non infundebat illum, vt ipse solus biberet, sed vt biberent ex illo omnes Apostoli; Vnde etiamsi modica aqua apponeretur, temperatissimè biberent. Vnde & Christus Dominus immediatè post consecrationem calicis dixit illud esse de genimine vitis, vt intelligeremus, quia licèt infudisset aquam, C iam totum illud erat vinum. Quare magis tenemur sequi præceptum, & traditionem Ecclesiæ, quæ iubet modicissimam aquam misceri, quàm discursus nostros, quibus imaginamur Christum majorem quantitatem aquæ infundisse, de quo non constat. Et cùm dicitur, Quod forma calicis significat totum contentum in calice conuerti in Sanguinem; distinguo, totum quomodocumque, nego; totum in materia habili & capaci ad conuersionẽ, scilicet in substantiam vini, concedo.

Ad confirmationem Respondetur, Vinum limphatum esse vinum vsuale, si taliter sit mixtum, D quod sit conuersum in vinum; si verò non sit conuersum, sed fiat quoddam tertium ex vino & aqua, non est vinum vsuale, licèt sit vsualis potus. Aliud est enim vinum vsuale, aliud potus vsualis. Vsualis potus potest esse ex aliis liquoribus, præter vinum: vinum autem vsuale non nisi vinum esse potest; quod non solùm pro potu, sed etiam pro aliis vsibus seruit. Sicut panis triticeus, si habeat alia grana admixta, & illa sint conuersa in massam triticeam, simpliciter est panis triticeus vsualis; sin minus, illud quod non conuertitur in triticum, non E erit materia consecrationis. Quod verò Patres dicunt, Vinum mixtum esse materiam consecrationis, non vinum purum & solum, dicimus Verum esse de vino mixto quoad infusionem aquæ, non mixto quoad corruptionem vini; vel quod maneat aqua in sua substantia, sed debet solùm esse vinum quoad substantiam (hoc enim requirit mixtio perfecta aquæ) quod si debet remanere vinum, & non totaliter corrumpi, oportet quod mixtio perfecta fiat, non per conuersionem vtriusque in vnum tertium, sed per conuersionem aquæ in vinum; Patres autem loquuntur de mixtione perfecta, vt dictum est.

QVÆSTIO LXXV.

De conuersione Panis & Vini, in Corpus & Sanguinem Christi.

IN hac quæst. tractat S. Thomas de re contenta sub speciebus consecratis; & duabus quæstion. sequentib. tractat de his quæ talem conuersionem & continentiam consequuntur. Duo ergo in ista quæst. explicat; Primum est, de existentia Corporis Christi in hoc Sacramento, & non existentia panis, per tres priores articulos; ostendens in hoc Sacramento realiter esse Corpus Christi, non autem substantiam panis; nec tamen panem annihilari, sed conuerti; Secundum est, de ipsa conuersione panis, ostendens quod potest conuerti in Corpus Christi manentibus accidentibus, quia illa non conuertuntur; non tamen manet forma substantialis, quia tota substantia panis conuertitur, quæ conuersio fit in instanti, quia fit virtute diuina, cui nihil resistit. Vnde hæc est vera, De pane fit Corpus Christi; & de his agit per reliquos quinque articulos.

QVÆSTIO LXXVI.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.

EX tam admirabili conuersione duo sequuntur valde notanda; Alterum ex parte ipsius Christi, qui ponitur in hoc Sacramento; Alterum ex parte accidentium remanentium. Et primum tractat in hac qu. secundum in sequenti. Quoad primum, Modus quo Christus est in hoc Sacramento consideratur in tribus. Primò, Quia hîc est totaliter, id est, solum Corpus in hoc Sacramento sub qualibet specie, sub qualibet particula; immò & tota illius quantitas, licèt non modo extensiuo, sed indiuisibili; eo quòd quantitas sequitur hîc modum substantiæ, non substantia modum quantitatis. De hoc agit quatuor primis articulis. Secundò consequitur, Quod Christus non sit hîc modo locali, nec vt mobilis localiter; licèt per accidens moueatur ad motum specierum. Et de hoc agit art. 5. & 6. Tertiò consequitur, Quod Christus non sit hîc modo visibili, nec possit videri, etiam ab oculo glorioso; quando autem apparet Christus in Sacramento, in specie carnis, vel pueri, non propterea desinit ibi esse Corpus Christi, quia non corrumpuntur accidentia; & de hoc agit duobus vltimis articulis.

QVÆSTIO LXXVII.

De Accidentibus remanentibus in hoc Sacramento.

DE modo tenente se ex parte Accidentium remanentium in hoc Sacramento, duo sunt valde mirabilia; Alterum quoad esse; Alterum quoad operari, seu pati. Quoad esse miraculum est, quod maneant accidentia sine subiecto, licèt quantitas separata sit subiectum aliorum accidentium. Et de hoc agit duobus primis articulis. Quoad operari autem vel pati, agit reliquis sex articulis; ostendens quod idem faciunt vel patiuntur ista accidentia, ac si essent in subiecto; Vnde possunt res alias actiuè immutare, possunt corrumpi, possunt nutrire, & ex illis aliquid generari; possunt illæ species frangi, potest vino consecrato aliquid aliud permisceri, quæ omnia singulis articulis tractat idem sanctus Thomas.

DISPVTATIO

DISPVTATIO XXVIII.

De Transubstantiatione, & his quæ ad illam consequuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Stabilitur vera fides de Existentia Corporis Christi & conuersione totius substantiæ in ipsum in hoc Sacramento.

CIRCA rem contentam in hoc Sacramento, tria principaliter docet fides. Primum est, Post consecrationem esse in hoc Sacramento verè & realiter Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus consecratis. Secundum est, Nihil de substantia panis & vini manere in hoc Sacramento, sed sola eorum accidentia. Tertium, Totam substantiam panis & vini, tam quoad materiam quam quoad formam, conuerti in Corpus & Sanguinem Christi; quæ conuersio rectè dicitur *Transubstantiatio.* Omnia ista definita sunt in Concil. Trident. sess. 14. prout inferius referemus. Et licèt pro Catholicis sufficiat definitio Ecclesiæ, vt res ista de fide habeatur, tamen pro Theologo non sufficit simpliciter credere, sed oportet eos, qui contradicunt, arguere, & veritatem fidei declarare & defendere. Igitur circa primum punctum, de vera & reali existentia Corporis Christi in hoc Sacramento, præter aliquos ex primis discipulis Domini, qui ipsum de veritate huius Sacramenti disserentem audientes abierunt retrò, dicentes; *Durus est hic sermo*, Ioan. 6. 61. non valentes intelligere quomodo posset Christus dare Carnem suam in cibum, & Sanguinem suum in potum; Fuerunt alij Hæretici, qui simpliciter negauerunt esse in Eucharistia verum Corpus & Sanguinem Christi; inter quos Aliqui referunt Hæreticos illos antiquos, qui vel negauerunt veram carnem esse in Christo, sed solum apparentem & phantasticam, vt Manichæi, & discipuli Simonis & Menandri; vel fatebantur veram carnem, non tamen esse assumptam in Personam Verbi, & sic non esse carnem Christi sicut Nestoriani & Eboinitæ, qui dicebant Christum esse purum hominem; qui omnes ex consequenti negabant in Eucharistia esse veram Carnem & Sanguinem Christi. Hos tamen omittimus in præsenti, quia directè errabant in mysterio Incarnationis, quo sublato cogebantur etiam errare in mysterio Eucharistiæ.

Ex his autem Hæreticis, qui confitebantur mysterium Incarnationis, negauerunt autem verum Corpus Christi contineri in Eucharistia, sed solùm ibi esse tanquam in signo; intelligentes verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, non in sensu proprio, sed metaphorico. Primus qui huncerrorem (saltem publicè) docuit & defendit fuit Berengarius Archidiaconus Andegauensis, qui damnatus fuit in Concil. Romano sub Leone IX. & deinde specialius cognitum est de hoc errore, & damnatus est in Concil. Vercellensi sub Victore secundo; & ipse abiurauit errorem suum, primo in Concil. Turonensi sub eodem Pontifice, & iterum publicè abiurauit eandem hæresim in alio Concilio Romano sub Nicolao secundo, cuius abiurationis forma habetur in cap. *Ego Berengarius*, de Consecratione dist. 2. Non tamen cum Berengarij re- tractatione error extinctus est, sed infœlicius repullulauit diuersis sæculis apud diuersas sectas Hæreticorū. Illum Aliqui attribuunt Albigensibus, contra quorum hæresim pugnauit sanctus Pater Dominicus. Alij attribuunt etiam Flagellantibus. Docuit illum Wicleph damnatus in Concil. Constantiensi; & tandem nostro sæculo impudentius præ omnibus suscitatus est à discipulis Lutheri; Nam ipse non est ausus absolutè negare præsentiam Christi in hoc Sacramento, licèt posuerit substantiam panis simul manere cum Corpore Christi. Denique à Caluino expresè negata est hæc veritas, docendo panem & vinum solùm esse signa, seu symbola Corporis & Sanguinis Christi; per illa tamen nobis Christum vniri, non realiter in Corpus nostrum intrando, sed per fidem, qua illum credimus.

Sacramentariorum erroris ortus & successio.

Nihilominus ista veritas in pluribus Concilijs ab Ecclesia definita est; & præter relata Concilia, vbi error Berengarij damnatus est, extat etiam definitio eius in Concil. Lateranensi sub Innocentio III. in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate; in Concilio Viennensi in Clementina vnica de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum; in Concilio Constantiensi sess. 8. vbi damnati sunt errores Wicleph; in Concilio Florent. in Decreto pro Armenis, & in Concilio Trident. sess. 13. Suffragatur quoque communis Ecclesiæ traditio & acceptatio; Tum in auctoritatibus sanctorum Patrum, quos latissimè refert Bellarminus tom. 2. libr. 2. de Eucharistia; Tum etiam in ipsa praxi Ecclesiæ, quæ perpetuò à temporibus Apostolorum cultum & venerationem exhibuit Eucharistiæ, sicut ipsi veræ Carni & Sanguini Domini. Dubitant verò Aliqui, An ista veritas non solùm sit de fide, sed etiam sit articulus fidei?

Sed breuiter Respondeo, Articulum fidei propriè loquendo tres requirere conditiones inter credibilia, vt sumitur ex sancto Thoma 2. 2. qu. 1. art. 6. & 8. scilicet dignitatem, necessitatem & difficultatem. Dignitas, quia articuli fidei sunt prima obiecta credibilia in fide, ad quæ alia reduci possunt; & propter se in fide requiruntur, sicut est mysterium Trinitatis & diuinitatis, & mysterium Incarnationis. Necessitas, quia omnes tenentur scire articulos de necessitate salutis. Difficultas, quia ideo distinguuntur articuli, quia inuenitur specialis ratio & difficultas in credendo, & assentiendo vni, quàm alteri. Dicimus ergo, Quod in ista veritate credendi mysterium Eucharistiæ concurrunt duæ conditiones ad articulum requisitæ (scilicet necessitas ex parte nostri, & difficultas ex parte mysterij.) Nam tenentur omnes scire hoc Mysterium; Tum quia tenentur sumere Eucharistiam, cùm ad annos discretionis peruenerint; Tum quia tenentur assistere Sacrificio, & adorare Sacramentum; Est etiam specialis difficultas in hac veritate intelligenda & credenda, quia valde excedit omnem vim naturalem, ita vt specialiter appelletur *Mysterium fidei*; vnde quantum ad istas duas conditiones bene potest dici articulus fidei; sed tamen simpliciter non est articulus, quia deest prima conditio, quia non est ex primis mysteriis, qualia sunt Mysterium Trinitatis & Incarnationis; & ideo hæc veritas non est expresè numerata in quatuordecim articulis diuinitatis & humanitatis, sed vt mysterium consecutum ad Incarnationem, & reducibile ad illos priores articulos. Et aliqui reducunt hanc veritatem ad articulum de remissione pec-

Eucharistia, ipsa non articulus est fidei, sed quæ ad illos reducatur

catorum, quia ordinatur hoc Sacramentum ad remittenda peccata, saltem venialia; sed verius S. Thomas loco citato, reducit hanc veritatem ad duplicem articulum, scilicet ad omnipotentiam Creatoris, quatenus hîc miraculosè continetur Corpus Christi, & ad articulum Saluatoris sanctificantis nos per gratiam; quatenus Eucharistia est maximum & præcipuum Sacramentum in genere sanctificandi.

Restat verò iudicare, Vnde sumatur efficax Argumentum contra Hæreticos, ad probandum in hoc Sacramento esse Corpus Christi, non solùm vt in signo, sed in veritate? Respondeo ex verbis Christi deduci; Tum in Cœna quando consecrauit panem dicendo, *Hoc est Corpus meum*: Tum ex illa disputatione, quam habuit cum Iudæis Ioan. 6. quando apertè dixit, Carnem suam esse verè cibum, & Sanguinem verè esse potum. Secundò ex intelligentia, qua verba ista intellecta sunt in sensu proprio, & non metaphorico; Tum ibi à Iudæis audientibus Christum; Tum postea à tota Ecclesia, sic intelligente verba Christi; Tum quia non decebat Christum Dominum in re tam graui & seria non declarare sensum proprium, in quo loquebatur; sed sub metaphora rem tantam relinquere; præsertim cùm non potuerit magis propriis & planis verbis vti Christus ad exprimendum proprium sensum, quam istis. Tertiò denique ab effectibus, qui ex hoc Sacramento consecuti sunt, scilicet adoratio ipsius & cultus, idem omnino qui exhibetur ipsi personæ Christi; & è contra iudicium & condemnatio indignè suscipientium, tanquam malè tractantium Corpus Domini.

Verba Scripturæ quandoque metaphorica; in Eucharistiæ propria.

Et quidem non negamus in Scriptura accipi verba metaphoricè, & in sensu improprio, vt quando Deus dicitur *Ignis consumens*, dicitur Deus dolere, & pœnitentia affici: dicitur quod Ioannes est Elias, & alia his similia, quæ metaphoricè accipienda sunt; sed tamen negamus in præsenti Scripturam vti metaphorica locutione, sed propria, sicut definit Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. & communiter intellexerunt Doctores sacri; licèt Cajetanus art. 1. huius quæst. 75. dixerit illa verba *Hoc est Corpus meum*, seclusa Ecclesiæ auctoritate, non sufficere ad confirmandam hanc veritatem; quod tamen iussu Pij V. expunctum est. Sed & ipse Cajetanus super cap. 26. Matthæi, expresè dicit omnes Hæreses excludi per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, secundùm proprietatem sermonis intellecta. At si verbis propriis, si proprietate sermonis non habetur veritas fidei, ruit tota fides Trinitatis, ruit certitudo sacræ Scripturæ; quibus verbis apertè Cajetanus testatur hæc verba sufficienter confirmare hanc veritatem; siquidem aliàs rueret tota certitudo Scripturæ; licèt verum sit in omni Scripturæ sensu opus esse Ecclesiæ auctoritate, sic intelligentis, sine qua nec ipsius Scripturæ auctoritas nobis constare potest.

Cùm ergo in præsenti materia Scriptura dicit, Hoc esse Corpus Christi, Hæreticus intelligit metaphoricè & impropriè, vel quia intelligit esse signum Corporis Christi, vel quia vult non esse dicta de illo pane, sed de seipso: nec acquiescit Ecclesiæ intelligenti illa verba propriè, & sine metaphora; oportet recurrere ad circunstantias, ad modum loquendi, ad finem propter quem dicebantur illa verba, ad sensum in quo intellecta sunt ab audientibus, vt inde constet nullum metaphoræ locum relinqui, nisi fictitiæ. Oportet autem in Scriptura non omnia verba intelligere metaphoricè, sed multa dicta sunt in proprio sensu, præsertim quæ dicta sunt tanquam communia dogmata fidei, & quæ ab omnibus sciri debent; & præsertim illa quæ in illa vltima Cœna Christus locutus est Apostolis, sicut ipsi dixerunt Ioan. 16. 29. *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.* Formatur ergo Argumentum sic; Christus Dominus instituebat tunc aliquid perpetuò faciendum, & celebrandum publicè in Ecclesia, quod ab omnibus sciri & cognosci debebat, & de quo præceptum posuit Apostolis & successoribus, *Vt hoc facerent in suam commemorationem*; ibique testamentum suum condebat, sicut ipse dixit, *Hoc nouum Testamentum est in meo Sanguine*; ergo debuit vti propriis verbis, & non obscuris & metaphoricis. Patet consequentia, Quia id quod tunc tradebat Christus, erat in re & de facto celebrandum, & faciendum erat præceptum illud, quod implendum imponebat, dicendo; *Hoc facite*; Erat Testamentum illud exequendum, erat res illa publicè & communiter ab omnibus cognoscenda; si autem metaphoricè & impropriè loqueretur, nihil horum poterat fieri de facto, quousque intelligeretur propriè id quod in illo dixerat obscurè, & sub metaphora. Si alibi, assignetur locus vbi Christus Dominus clarioribus verbis expresserit se loqui de signo Corporis sui, & non de veritate; si non alibi explicauit, & sic sub metaphora reliquit; vnde debet nobis constare, quid est illud quod in re, & de facto Christus faciendum præcepit, & credendum proposuit? Neque enim in re, & de facto potest aliquid fieri & obseruari, & credi determinatè sub metaphora & dubio. Dicere autem quod nihil certi nobis Christus reliquit in re tam graui, & prædictas circunstantias habente, est adeò absurdum, vt nec ipsi Hæretici id possint admittere. Quod si aliquando Scriptura ea quæ ad Deum pertinent sub aliqua metaphora tradit, ideo est, quia aliis locis apertè & sine metaphora rem explicat; vt quia dicit, *Deum esse Spiritum*, & summum Creatorem omnium, colligitur quod non potest dici ignis nisi metaphoricè: Quia dicit Deum esse immutabilem, colligitur quod non potest pœnitere, nec dolere nisi metaphoricè: Quia dicit Ioannem venturum esse in virtute & spiritu Eliæ, colligitur quod non est in persona Elias. At verò de hoc Sacramento nullibi dicit Scriptura quod sit solum signum Corporis Christi, vel quod illud non contineat; dicit autem in istis locis citatis, quod est Corpus suum & Caro sua; ergo nullum est fundamentum ad intelligendum hoc esse dictum in sensu improprio.

Secundò deducitur sensus proprius verborum Christi ex ipsa intelligentia eorum, qui audierunt, & ex Ecclesia sic accipiente ab Apostolis; Nam Iudæi audientes Christum dicentem, Quod Caro sua esset cibus, & Sanguis potus, *Litigabant ad inuicem, dicentes, Quomodo potest hic dare nobis Carnem suam ad manducandum?* Ioan. 6. 53. & ne putaremus hoc dicere ex inuidia, vel inimicitia erga Christum, aliqui etiam ex Discipulis Christi dubitauerunt, dicentes, *Durus est hic sermo*, Ioan. 6. 61. sed difficultas ista non potuit nasci ex prædictis verbis nisi loqueretur in sensu proprio, & non de metaphorico; ergo, &c. Minor probatur, Quia tota illa difficultas & dubitatio non poterat esse, si solùm ille panis esset signum Cor-

poris Christi, aut solùm loqueretur de fide credendi in ipsum; Nam illi discipuli sequebantur eum tanquam Christum; ergo non poterat illis esse durum, si solùm vellet dicere, quod crederent in eum, aut quod sumerent aliquod signum repræsentatiuum illius; ergo si solùm in hoc sensu loqueretur Christus, gratis litigabant & dubitabant, ergo id quod difficultatem ingerebat, erat quod Christus intelligebatur loqui in sensu proprio de sumptione Corporis & Sanguinis sui.

Dices, Illi non dubitabant, nec suspicabantur aliquid de inuisibili & sacramentali continentia Corporis Christi in hoc Sacramento, sed de sumptione Corporis Christi in propria specie, intelligentes Christum daturum Carnem suam, sicut comeduntur carnes animalium, sicut Augustinus super illum locum dicit; ergo impertinenter se habet ista dubitatio ad intelligendum quod Christus loquebatur in sensu proprio de veritate ipsius Sacramenti. Vnde Dominus respondens eorum dubitationi, nihil de veritate Sacramenti dixit; *Hoc*, inquit, *vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat; Caro non prodest quidquam*: si ergo Christus Dominus correxit illorum dubitationem, dicendo, Quod caro nihil prodest, & quod ipsum non deberent comedere verè & realiter, quia visuri erant eum ascendere in cœlum; manifestè explicauit se locutum fuisse parabolicè, & non esse sumpturos ipsum propriè, sed per fidem. Cui expositioni fauet Augustinus, reprehendendo intelligentiam eorum, qui putabant dentibus Christum comesturos, & non solùm fide. *Vt quid* (inquit) *paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti?* Vt omittam plures esse ex Catholicis, qui probabiliter censent Christum Dominum in his verbis Ioan. 6. non esse loquutum de Sacramento Corporis sui, vt Gabriel, Cajetanus, Iansenius, Ioannes à Louanio, & Alij, qui putant Christum loqui ibi de spirituali manducatione per fidem, eo quod non est verisimile Christum imposuisse præceptum de sumenda vtraque specie Corporis & Sanguinis sui, quod tamen poneretur, si ibi esset sermo de sumptione sacramentali.

Manducatio vera intellecta discipulis, nec correcta, sed modus illius.

Cæterùm vtraque solutio nullius momenti est; Non prima, Quia non facimus vim in eo, quod illi audientes sermonem Christi, non intellexerint ipsum loqui determinatè de tali modo sumendi Corpus suum, inuisibiliter & sacramentaliter contentum, sed solùm facimus vim in eo, quod ipsi intellexerunt Christum non loqui figuratè & metaphoricè, sed de vera & propria manducatione Corporis sui; & quia inuisibilem modum continentiæ in Sacramento nec suspiciari poterant, sumptionem verò ipsius in propria specie vt horribilem reputabant, ideo dubitauerunt, quomodo posset carnem suam dare ad manducandum; quasi præsupponentes ipsum loqui de vera comestione illius in substantia; dubitabant vero de modo; Discipuli verò existimabant modum comedendi futurum in propria specie, vt August. dixit Tract. 27. in Ioannem; & ideo responsio Christi correxit eos ab ista sinistra intelligentia, docens quod non erant comesturi eum in propria specie, siquidem ascensurus erat in cœlum: Immò, etiamsi in propria specie comederetur, non prodesset quidquam ad vitam æternam, sed solùm ad alimentum temporale, sicut carnes aliorum animalium: Ad hunc autem effectum velle

A manducare Christum, omninò impium esset; & in ordine ad talem manducationem rectè dixit Augustinus, *Quid paras dentem & ventrem?* Licet enim Christus in Sacramento contentus corporali ore sumatur, tamen quoad fructum & effectum, fide manducandus est, & non solùm dente.

Secunda verò solutio sustineri non potest; Nam aliud est affirmare quod ibi Christus Dominus etiam loquutus sit de spirituali manducatione per fidem, quæ sine dubio requiritur ad fructum huius Sacramenti, & ideo principaliter a Domino commendatur; aliud est negare quod ibi Christus B egerit de hoc Sacramento, & non promiserit ipsum instituere. Primum verum est; secundum, falsissimum; cùm verba illius capitis manifestè loquantur de Pane sacramentali, contraposito manna, quod in deserto manducauerunt Patres illorum, & erat figura huius Sacramenti; nec apparet aliqua ratio, cur appellauerit Christus hic Carnem suam, panem, & Sanguinem suum, potum, nisi per respectum ad hoc Sacramentum, in quo continetur per modum cibi & potus. Nam ad habendam fidem Christi sine ordine ad hoc Sacramentum, sufficiebat considerare ipsum vt Deum & hominem, non vt panem & potum. Et ita videtur intellexisse Trid. sess. 13. cap. 2. dum C dicit, *Voluisse Christum sumi hoc Sacramentum tanquam spiritualem cibum Animarum, quo alantur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, viuet propter me;* Quæ sunt verba Christi in illo capite. Loquitur autem Concilium de reali sumptione Sacramenti, non de spirituali tantùm. Et hæc est communior sanctorum Patrum intelligentia de isto loco Ioannis, vt sentit Athanasius, Basilius, Chrysost. vterque Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Leo Papa, & Alij, quorum verba videri possunt apud Suarez disput. 46. cit. sect. 2. Quod verò Ecclesia & Patres eodem modo intellexerint Christum loquutum fuisse in sensu proprio, cùm dixit, *Hoc est Corpus meum,* D superfluum est referre, cùm iam Concilium Trident. sess. 13. apertè definierit id esse intelligendum in proprietate sermonis, & nihil sit communius apud Patres, & in vsu ac traditione Ecclesiæ, quàm hoc Sacramentum appellare Corpus & Sanguinem Domini, & in veritate contineri in hoc Sacramento; quorum auctoritates latissimè adducunt Bellarminus, Suarez & Vasquez citati, vbi videri possunt; nobis sufficiant tot Conciliorum auctoritates, quas supra citauimus, vbi hæc veritas definita est; & maiorem vim habent Concilia, quàm dicta Patrum.

Promissa Eucharistia Ioan. 6.

Denique Ecclesia semper adorationem exhibuit, & exhibet huic Sacramento; & eandem reuerentiam, quam ipsi personæ Christi (scilicet adora- E tionem latriæ) vt constat ex definitione Concil. Trident. sess. 13. cap 5. & can. 6. Et est antiquissima Ecclesiæ consuetudo; Nam sanctus Clemens Papa lib. 2. Constitutionum cap. 61. loquens de hoc Sacramento, *Cum timore*, inquit, *& tremore tanquam ad Regis Corpus accedentes.* August. super Psalm. 98. *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adorauerit.* Chrysost. hom. 3. ad Ephesios, *Adora*, inquit, *& manduca.* Ipse etiam Canon Missæ, qui antiquissimus est, nihil aliud repræsentat, quàm adorationem & cultum, ipsi Sacramento & Corpori Christi exhibendum: Et denique vniuersalis Ecclesia absolutè hoc Sacra-

Adoranda Eucharistia.

mentum adorat in Hymno huius festiuitatis, cùm dicit, *Tantum ergo Sacramentum, veneremur cernui.* Similiter qui indignè manducat hoc Sacramentum, dicitur iudicium manducare & bibere, non dijudicans Corpus Domini. 1. ad Corinth. 11. 29 si autem panis ille & vinum solùm essent signa Corporis & Sanguinis Christi, nec ipsum realiter continerent, qui sic commederet, non peccaret in eo quod non discerneret Corpus Domini: potius enim deberet iudicare non esse ibi Corpus Domini: At dicit Apostolus, Ex hoc iudicari & damnari, quia non dijudicat Corpus Domini, ergo ibi realiter & verè continetur.

Soluuntur Argumenta.

Fundamentum Hæreticorum, vt verba Christi non intelligant propriè, sed figuratè, potest esse duplex; Alterum, Quia apparet ipsis impossibile, quod Corpus Christi simul sit in cœlo, & in Sacramento; sed cùm non afferant manifestam implicationem, quia hoc non destruit aliquod prædicatum essentiale, vel essentialiter requisitum ad substantiam Corporis Christi, non oportet in hoc immorari; sed solùm in subsequentibus explicare ea, quæ difficultatem afferunt, sed non impossibilitatem circa hoc Sacramentum. Alterum fundamentum est, Quia aliqui Patres intelligunt Christum figuratè in illis verbis loqui, & esse in hoc Sacramento tanquam in signo: sic enim inquit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. *Corpus suum fecit dicens, Hoc est Corpus meum, id est, hoc est figura Corporis mei.* Sanctus Dionysius Epist. 9. ad Titum, *Iesum in parabolis, per typicæ mensæ apparatum deifica Mysteria tradere.* August. supra relatus tract. 25. in Ioan. *Crede, & manducasti*: Et iterum; *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi estis, &c.* Et in aliis locis, vocat hoc Sacramentum figuram Corporis Domini, vt sup. Psalm. 3. & Epist. 28. & lib. contra Adimantium Manichæum cap. 12. vbi signum nomine signati dicit appellari; & subdit, *Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est Corpus meum, cùm signum daret Corporis sui.* Citatur quoque sanctus Hieronymus super cap. 14. Marci, vbi inquit, *Quod accipiens panem, benedixit & fregit, & transfigurauit Corpus suum in panem, quod est Ecclesia præsens, quæ accipitur in fide, benedicitur in numero, &c.* Omitto alias auctoritates, quæ non ita vrgent, & ex responsione ad istas solui possunt.

Patrum loci aduersus veritatem Eucharistiæ.

Resp. auctoritates istas, & alias similes, probare quod in Eucharistia inuenitur signum, & repræsentatio Corporis Christi, quia est verum & proprium Sacramentum, atque adeò signũ Corporis Christi; non tamen probant in hoc signo non cõtineri Corpus Christi realiter: hoc enim Patres non negant; Et sic affirmare quod sit signum, seu sacramentum, nihil probat, ad negandum quod contineatur in eo Corpus Christi. Sic ergo & Patres, & nos fatemur, Eucharistiam esse signum Corporis Christi; non tamen Patres, nec nos dicimus, tantum esse signum; Et in hoc est punctus difficultatis. Vnde Tertullianus in illo loco, si bene perpendatur, vtrumque dicit; Et quod panis sit Corpus suum quantum ad rem contentam, & sit figura, seu signum Corporis sui, quantum ad species continentes, ratione quarum Eucharistia est Sacramentum: sæpiùs autem Tertullianus fatetur nos in Eucharistia manducare Corpus Domini, vt videri potest lib. de Resurrectione Carnis cap. 8. *Caro* (inquit) *Corpore & Sanguine Christi vescitur, & Anima saginatur*: Et videri etiam potest lib. 2. ad Vxorem cap. 5. lib. de Idololatria cap. 7. & aliis locis. Locus Dionysij non vrget; Quia Christus deifica Mysteria tradidit, & in parabolis, quantum ad prædicationem, & per typicæ mensæ apparatum in hoc Sacramento; non tamen dixit, quod in hoc Sacramento parabolicè loquutus sit. Augustinus in illis Tractatibus super Ioannem, solùm vult Carnem Christi, quantum ad suum fructum, non debere manducari sicut cibus visibilis, sed fide & deuotione debere sumi; & quod non est comedendum Corpus Christi quod videbatur, scilicet sub specie visibili, & inquantum videbatur. Cùm autem in aliis locis dicit, Hoc Sacramentum esse figuram Corporis Domini, non loquitur de re contenta, sed de ipso Sacramento, prout continente & significante, & prout Sacramentum est; sic enim est signum; sed non ponit Augustinus exclusiuam, quod tantùm sit signum. Hieronymus verò, vel quicumque est Author illius Commentarij super Marcum, loquitur in sensu mystico; & de hoc Sacramento pro effectu, quem facit in nobis, scilicet prout vnit Corpus suum Ecclesiæ; Et hoc vocat, Transfigurare Corpus suum in panem, quod est Ecclesia; non verò loquitur de ipsa conuersione panis in Corpus Christi, sed de effectu ipsius in nobis, dum Corpus suum nobis vnit per fidem viuam; non tamen negat realiter esse in hoc Sacramento.

In Eucharistia, figura cum veritate.

Auctor ille in Marcũ, nihil Hieronymi venæ habet: totus allegoricus, ac penè barbarus.

Nihil de substantia panis & vini manet post consecrationem, sed totum conuertitur in Christum.

Hoc est secundum & tertium quod supra posuimus esse de fide in hoc Sacramento. Vtrumque est expressè definitum in Concil. Trident. sess. 13. can. 2. & cap. 4. vbi definitur non remanere substantiam panis & vini cum Corpore & Sanguine Christi, sed conuerti in eius Corpus & Sanguinem, remanentibus duntaxat speciebus panis & vini; Additque Concil. cap. 4. rationem & fundamentum vnde Ecclesia colligit hanc conuersionem debere poni, *Quoniam* (inquit) *Christus Redemptor noster Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo hæc sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conuersionem fieri totius panis in substantiam Corporis Christi Domini, &c.* Devtroque autem est difficultas; & de veritate ipsa contra Hæreticos, qui simul ponunt cum Luthero substantiam Corporis Christi cum substantia panis; & de consequentia apud Theologos, An sufficienter colligatur desitio panis, & conuersio eius in Corpus Christi.

Contra Hæreticos autem sufficit supponere ipsam veritatem verborum Christi, dicentis, *Hoc est Corpus meum*: vbi ly *Hoc*, quod est subiectum, designauit illum panem, quem Discipulis præbebat ad manducandum; & per ly *Corpus meum*, quod est prædicatum, designauit illud corpus quod erat Caro sua; illud verbum *est*, quod est copula, sumitur pro esse realiter & propriè, non figuratiuè, vt supra diximus; & verificatur illud prædicatum verè & propriè de illo subiecto designato per ly *hoc*. Quæ verba sic intellecta,

destruunt omnes interpretati nes Hæreticorum, quæ circa talia verba finguntur, & in tantum multiplicatæ sunt, quod libellus prodierit integer continens ducentas: sed sunt planè fictæ & ridiculæ; Nam ex ipso contextu apertissimè constat, quod *Accepit Iesus panem, deditque discipulis suis, dicens, Accipite & comedite; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*; ergo ly *Hoc* ex parte subiecti, apertè designat rem illam, quam Christus dabat Discipulis suis comedendam; nec potest nisi chimæricè aliud designare; non ipsum Christum, quasi diceret, Hoc meum Corpus, est Corpus meum; non locum in quo erat, non actionem quam faciebat, non collegium Apostolorum & Discipulorum, aut ipsam Ecclesiam, quæ est mysticum corpus eius; hæc enim omnia Hæretici pro subiecto illius propositionis accipiunt; sed apertissimè contra literam; quia si præbendo panem ad commedendum Christus diceret, Hoc meum Corpus est Corpus meum, non autem designaret per ly *Hoc* rem illam quam dabat ad comedendum, omnino impertinenter loqueretur, & sine aliquo fine. Et quomodo præciperet Christus Ecclesiæ rem illam perpetuò celebrare, dicendo, *Hoc facite, &c.* si solum dicebat quod suum Corpus esset suum Corpus? Similiter ille locus in quo erat Christus, vel in quo erat panis, quem dabat, non potest significari pronomine *Hoc*, sed aduerbio *Hic*: nec loqueretur ad rem Christus, si diceret, Sumite panem, quia in hoc loco est Corpus meum, vel in hoc loco est iste panis; quid ineptius? Similiter illa actio quam faciebat Christus, non poterat designari per ly *Hoc*; Tum quia ly *Hoc* designat rem, quam ad manducandum exhibebat; illa autem actio non comedebatur; Tum quia dixit rem illam esse suum Corpus, quod tradendum erat pro omnibus; actio autem illa non erat Corpus tradendum. Et eadem ratione non potuit intelligere per ly *Hoc* ipsam Ecclesiam, vel Collegium Apostolicum, quod est corpus mysticum; quia illud non erat tradendum, sed potius pro illo tradendus erat Christus.

Ex parte autem prædicati ly *Corpus meum* significat Carnem Christi: Hæc enim tradita est pro nobis, & de qua ipse Christus dixerat Ioan. 6. 56. *Caro mea verè est cibus*; non ergo ly *Corpus meum* significat ipsum panem, quasi dicat panem illum esse Corpus, seu rem possessam à Christo, sicut sunt aliæ creaturæ; vel quod ipsa substantia panis est Corpus de nouo vnitum hypostaticè ipsi Verbo diuino, quod fiebat panis in Eucharistia, vt aliqui posuerunt, vocantes *impanationem*, quod est manifestus error; Nam Christus Dominus specificauit quale esset illud Corpus, dicendo, *Corpus meum, quod pro vobis tradetur, & Calix, qui pro vobis effundetur*; quod neque de corpore, quod est panis, nec de vino verificari potest. Denique illa copula *est*, sumitur propriè, & facit veram prædicationem, significando quod illud Hoc est verum Corpus Christi, non figuratiuè aut metaphoricè. Et sic manent exclusi omnes errores, qui posuerunt substantiam panis esse in Sacramento; siue eorum qui dixerunt simul sub speciebus esse vtrumque Corpus (panis & Christi) sicut tandem posuit Berengarius, Ioannes Hus & Lutherus; & etiam error eorum, qui dixerunt substantiam panis vniri Verbo, vt Rupertus Abbas lib. 2. de Diuinis Officiis cap. 5. Et ita definitum est in multis Conciliis, Substantiam panis & vini non manere in hoc Sacramento, sed conuerti, vt in Concil. Romano sub Gregorio VII. in Lateran. sub Innocentio III. Et habetur in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, in Constantiensi & Florentino; & denique in Tridentino supra relato.

His suppositis restat discutere, Quomodo ex vi significationis illorum verborum efficaciter inferat Ecclesia non manere substantiam panis in hoc sacramento, sed conuerti in Corpus Christi. Et est ratio dubitandi; Quia poterat Deus, si vellet, ponere Corpus Christi sub istis speciebus, conseruando simul substantiam panis; verbi gratia conuertendo aliam materiã in Corpus Christi, & alligando illud istis speciebus cum corpore panis; ergo per se loquendo illa realis præsentia Corporis Christi non petit absentiam panis. Poterat etiam annihilare substantiam panis, vel in alium locum remouere, & nihilominus hîc ponere Corpus Christi; & tunc non esset conuersio; ergo præsentia Corporis Christi, per se loquendo, non petit conuersionem: Similiter neque verificatio verborum hoc petit, quia si id esset, maximè quia dicendo, *Hoc est Corpus meum*, ly *Hoc*, non potest verificari, nisi totum contentum sit Corpus Christi, sed hoc est falsum; Nam ly *Hoc* non est idem quod totum hoc, sed supponit indefinitè pro aliquo ibi contento, ergo non requiritur ex vi illius significationis, & ad eius verificationem, quod totum contentum sit Corpus Christi, sed sufficit quod aliquid ibi contentum sit Corpus Christi, & aliquid sit panis: sicut verè dicimus de carne humana, quod est corpus, & tamen non continetur ibi solum corpus, sed etiam Anima; ergo ad verificandum ly *Hoc*, non requiritur quod totum contentum sub speciebus sit Corpus Christi.

Et confirmatur, Quia quando in aliis rebus demonstramus aliquid per pronomen *Hoc*, non est necesse demonstrare totum contentum, sed sufficit demonstrare partem, etiamsi absolutè proferatur; sicut quando aliquod vas continet vinum, verè dicimus Hoc est vinum absolutè & simpliciter, licèt ibi sit etiam aliud corpus continens, scilicet ipsa substantia vasis. Et in linteo vbi est aurum inclusum, & aliquid parum argenti, absolutè dicimus Hoc est aurum, non obstante quod ibi sit aliquid argenti; ergo similiter posset dici, quod in hoc Sacramento maneret substantia panis, & intra illam quasi intra vas inclusum Corpus Christi; ita quod non solæ species, sed etiam substantia panis sit continentium Corporis Christi; tunc enim simpliciter verificatur, quod Hoc est Corpus Christi vt contentum, sicut verificatur de vase, quod hoc est vinum, licèt substantia vasis ibi maneat vt continens; vel quia existente ibi Corpore Christi substantia panis reputatur pro re tam parua, quod absolutè potest designari Corpus Christi per pronomen Hoc, licèt simul cum ipso sit substantia. Vnde enim oppositum conuincetur ex præcisa significatione verborum?

His fundamentis adducti Aliqui ex Catholicis, sentiunt, quod licèt ex definitione Ecclesiæ constet substantiam panis & vini non manere in hoc Sacramento, id tamen ex præcisa significatione verborum non deduci. Quæ sententia est Scoti in 4. dist. 11. quæst. 3. & Durandi ibidem, & Palud. & aliorum; qui Authores loquuti sunt ante Concil. Trident. quod sess. 13. cap. 4 non solum definit substantiam panis & vini conuerti in Corpus & Sanguinem Christi, sed etiam ideo fieri hanc conuersionem, quia Christus verè dixit illud esse Corpus suum. Aliqui tamen Recentiores apud Vas-

Non haberi ex verbis Domini, non manere substantiam panis in Eucharistia, quorundã sententia.

quez hîc disput. 108. cap. 5. pro sententia Scoti A dixerunt, Reuera illa verba, *Hoc est Corpus meum,* duplicem sensum facere posse, & vtrumque verum; Alterum non destructa substantia panis, & significando per ly *Hoc*, non totum quod ibi est contentum, sed aliquid ex ibi contentis; & ita potuisse verificari, etiamsi ibi panis remaneret; Alter sensus est, quod ly *Hoc* designet totum contentum sub illis speciebus esse Corpus Christi, nec manere ibi substantiam panis; Ecclesia autem elegit hunc secundum sensum, edocta ab Spiritu sancto; & ita de facto sic debent verificari illa verba, quia sic voluit Christus de facto: potuissent tamen etiam priorem sensum facere, si ipse vellet; Vnde non probatur efficaciter hæc veritas desitionis & B conuersionis panis præcisè ex sensu, quem possunt illa verba facere absolutè, & ex se, sed prout intellecta sunt ab Ecclesia; & vt nobis determinatè repræsentant quid de facto voluerit Christus, non permittendo consortium panis cum Corpore suo; non autem præcisè attendendo ad significationem verborum.

Nihilominus hæc sententia euertit totum fundamentum Concilij, & ideo omninò reijcienda est; & firmiter asserendum illa verba solùm vnicum sensum facere posse, quem adstruit Concilium. Nam si illa verba possunt facere illum duplicem sensum, ita quod illud pronomen *Hoc*, & possit designare totum contentum sub speciebus, C & possit etiam designare partem, & vterque sensus est verus & legitimus; ergo non ex eo quod Christus verè dixit illud esse Corpus suum, potuit sufficienter persuaderi Ecclesia non manere hic substantiam panis, sed conuerti in Corpus Christi. Patet consequentia, Quia potuit Christus Dominus verè dicere illud esse Corpus suum etiam sine desitione panis; ergo non ideo quia verè illud dixit, persuaderi potest Ecclesia quod hîc desinat panis; siquidem potest verè dici, etiamsi non desinat. Nec potest dici, Non ex eo præcisè id colligi, quia verè dicitur absolutè, sed quia verè dicitur tali modo, scilicet prout de facto voluit Christus, & intellexit Ecclesia; Etenim hoc ipsum D vult probare Concilium, quare sic intellexit Ecclesia: Nempe ideo, quia Christus verè hoc dixit; ergo si supponit verè dixisse secundum intellectum Ecclesiæ, probaret Ecclesiam sic intellexisse, quia sic intellexit, quod esset nugari; At Concilium dicit, Quia Christus Corpus suum id quod offerrebat sub specie panis verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi. In sententia autem opposita, etiamsi per consecrationem non fiat conuersio totius substantiæ panis in Corpus Christi, potest verè dici quod hoc sit Corpus Christi; ergo illa causalis Concilij non E colligit efficaciter.

Contraria mens Tridentini.

Quare vt saluemus Concilium, omninò dicendum est, Illa verba non habere nisi vnicum sensum verum & proprium; scilicet quod absolutè hoc contentum sub speciebus sit Corpus Christi, quæ æquiualet vniuersali; scilicet Totum contentum est Corpus Christi; quod ex duplici principio deducitur. Primò, Quia ly *Hoc* designat contentum, non quomodocumque, sed vt demonstratur per illa accidentia & species; illa autem accidentia, cùm sint accidentia panis, non possunt non designare panem, quamdiu ibi continetur, quia inhærent illi; ergo ly *Hoc* non potest per demonstrationem talium accidentium designare Corpus Christi verè, si ibi remanet substantia panis. Patet consequentia, Quia si ibi remaneret substantia panis, hoc ipso remanerent accidentia inhærendo in substantia panis; ergo propriè & directè designare debent ipsum panem; quia accidentia alicuius rei, propriè & verè solùm demonstrant inhærendo subiectum illud, cuius sunt accidentia, quamdiu tale subiectum ibi est, & in ipso illa inhærent; ergo vt verè demonstrent aliam substantiam ibi contentam, necesse est quod subiectum proprium ibi non sit, sed tantùm alia substantia. Quando autem aliquid non se habet vt accidens inhærens alicui subiecto, sed tanquam vas continens aliud, potest quidem ly *Hoc* designare substantiam ibi contentam, etiamsi remaneat ibi substantia continens (scilicet corpus vasis) & hoc modo si substantia panis se haberet tanquam vas continens Corpus Christi, possemus dicere Hoc esse Corpus Christi, non destructa substantia panis, vt continentis Corpus Christi; sicut dicitur *Hic sanguis* non destructo calice continente; & dicimus hoc esse vinum, non destructo dolio continente: Cæterùm substantia panis non se habet hoc modo, tanquam vas continens, sed tanquam res absoluta, sub illis accidentibus demonstrata; accidentia autem non demonstrant nisi subiectum cui inhærent, quamdiu tale subiectum ibi est; ergo si remanet substantia panis, non poterit per illud pronomen *Hoc*, designante accidentia illa, seu contentum sub accidentibus, demonstrare aliam substantiam, quàm panis.

Probata Tridentini sententia.

Alterum principium sumitur ex parte rei contentæ, demonstratæ per pronomen *Hoc*; Quia non potest sic indefinitè & absolutè dictum verificari, quod sit Corpus Christi, nisi totum contentum sit tale Corpus Christi. Etenim propositio indefinita æquiualet vniuersali, & est idem, quod totum hoc, seu omne hoc; præsertim quando propositio indefinita explicat quid sit aliquid: Tunc enim se habet quasi definitio, & complectitur totum, quod in aliqua re designatur. Sicut quando inquirimus, Quid est hoc? & respondemus, Hoc est lapis, vel est animal, vel est panis; non possumus verè respondere, nisi ly *Hoc* totum complectatur quod in illa re est, quia respondemus per modum definitionis; & tunc propositio indefinita æquiualet vniuersali, & complectitur totum quod in illa re est. Cùm ergo Christus Dominus verè dixerit, Hoc esse Corpus suum, non accepit substantiam panis tanquam vas quoddam continens Corpus Christi, quia panis non habet hoc munus, sed respexit ad veritatem illius rei contentæ sub illis accidentibus, explicando & designando quid daret, & offerret discipulis ad manducandum; ergo illud pronomen *Hoc*, designat quasi definitiuè quid sit absolutè res illa, non autem solùm contentiuè; quasi ille panis sit vas continens Christum, quia reuera non est; ergo illa indefinita æquiualet vniuersali, & est idem dicere ly *Hoc*, ac dicere totum hoc; & sic dicit quandam comprehensionem & adæquationem rei contentæ; adæquatio autem totum complectitur, ergo repugnat quod stante verificatione istorum verborum cum his circunstantiis, possit ibi remanere substantia panis.

Soluuntur Argumenta.

Ad Fundamenta opposita Respondetur; Ad

primum dicitur, Quod loquendo de potentia absoluta, posset Deus ponere hic Corpus Christi præsens, & alligare illud speciebus, conseruando substantiam panis; quod fieret per aliam actionem non conuersiuam substantiæ panis in Corpus Christi; sed tamen tunc non posset proferre illa verba *Hoc est Corpus meum*, ad exprimendam veritatem & quidditatem illius rei, quam offerebat ad manducandum, sed solùm posset dicere, Quod hîc est Corpus meum, id est, in hoc loco, vel in his speciebus, non tamen posset dicere, Quod hoc est Corpus meum. Et ad instantiam, Quod etiam tunc verificarentur illa verba; Negamus antecedens, & dicimus quod ly *Hoc* in nostro casu, est idem ac dicere totum hoc; quia supponit indefinitè æquiualenter ad vniuersale; quod maximè fit, quando ad modum definitionis adæquatè vel inadæquatè, formaliter vel identicè explicatur quid aliquid sit, & quid in veritate sit, quia verè dicitur esse hoc. Definitio enim, seu explicatio veritatis rei, totum quod est in ipsa re importat; Christus autem significare voluit illis verbis veritatem illius substantiæ, & illius contenti sub speciebus; & sic illud pronomen *Hoc* demonstrat indefinitè totum quod est in illa re. Cùm autem dicimus de homine, Hoc est corpus, verè dicimus; & nomine corporis etiam includitur Anima identicè; quatenùs est forma corporis sub gradu corporeitatis, licèt non explicet omnes gradus Animæ; Nam corpus materiam & formam inuoluit, & sic dicit totum, quod ibi est, & de toto illo verificatur, saltem identicè, & per concomitantiam, licèt non explicet omnem gradum, & omnem modum qui est in illo toto.

Transsubstantiatio in verbis Domini significata.

Ad confirmationem Respondetur, Quod ly *Hoc* si simpliciter & absolutè proferatur, demonstrando adæquatè, vel quasi definitiuè rem illam singularem, æquiualet vniuersali, seu comprehensioni totali illius rei, quam demonstrat; potest tamen aliquando non ita vniuersaliter verificari, vel quia non sumitur in toto rigore & physicè, sed secundum quandam moralem intelligentiam; vel quia non designatur per ly *Hoc* res aliqua substantiuè & absolutè, quantum ad id quod est, sed contentiuè tantùm, & pro re contenta, quam intra se habet; verbi gratia. Si in aliquo contineatur aurum, & aliquid parum argenti, absolutè dicimus hoc est aurum, quia illud parum moraliter reputatur pro nihilo, ac si ibi non esset. Et quando demonstrato vase dicimus, Hoc est vinum, verificatur hoc, etiam si ibi sit substantia vasis; quia ly *Hoc* sumitur pro re contenta, & non refertur ad rem continentem. Cùm autem illud continens non sit solùm accidens, sed corpus vasis, compatitur quod ibi sit alia substantia præter vinum, non contenta, sed continens; At verò in præsenti, substantia panis non se habet tanquam vas continens, sed tantùm sumitur absolutè pro eo quod offertur ad manducandum, & solùm demonstratur per accidentia propria ipsius panis; & quantum est de se, inhærentia illi; vnde cùm Christus Dominus per pronomen *Hoc* designauit quid esset verè & substantialiter illud quod sub talibus accidentibus continetur, non potuit relinquere ibi substantiam panis, vt dictum est; Tum quia accidentia designarent substantiam panis, & non Corporis Christi, cùm essent propria panis, & inhærentia illi; Tum quia non referuntur ad aliquid contentum in pane tanquam in vase, sed ad demonstrandum quid sit absolutè & substantialiter contentum sub illis speciebus; vnde non potest ly *Hoc* verificari pro toto contento solùm morali modo, sed physicè & entitatiuè, quia demonstrat quid sit illa substantia absolutè; & sic non relinquit locum alteri substantiæ.

Articvlvs Secvndvs.

Quænam sit ista actio conuersiua, & quem terminum formalem habeat?

De actione & termino huius conuersionis simul inquirimus; quia terminus & actio reciprocantur inter se, cùm actio specificetur à termino, vnde vnum sine altero perfectè tractari non potest. Supposita ergo doctrina fidei, præcedent. art. tradita, quod in hoc Sacramento datur conuersio totius substantiæ in Corpus Christi, quæ rectè Transsubstantiatio appellatur, & sic appellandam esse decernit Ecclesia, non solùm in Concil. Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 4. sed etiam in Lateranensi sub Innoc. III. cap 1. Atque adeò non sufficit ad fidem confiteri in hoc Sacramento esse præsentialiter & realiter Corpus Christi, & non esse substantiam panis, sed etiam fieri conuersionem totius substantiæ panis in Corpus Christi; Hac, inquam, fide supposita, inquirimus de ista conuersione quid sit? In qua actione consistat? quis sit formalis terminus eius? articulo autem sequenti dicemus de termino desinente & corrupto, scilicet, An substantia panis annihiletur.

Est autem supponenda definitio conuersionis genericè sumptæ; deinde diuisio eius in suas species; & tertiò conditiones ad illam requisitæ. Difinitio conuersionis in genere est, *Transitus vnius rei in aliam*. Ly *transitus* non est solùm ordo, seu habitudo inter duas res, (vt aliqui putarunt) sed est vera & realis mutatio cum illa habitudine, & ordine inter extremum desinens & extremum succedens. Ly *vnius rei in aliam*, designat extrema positiua, inter quæ versatur conuersio, non subiectum in quo versatur, non terminum à quo formalem, qui est priuatio in generatione; sed extremum illud positiuum de quo fit transitus in aliud; & est terminus à quo materialis respectu actionis, vt generatiuæ; per se autem & formaliter ad actionem, vt conuersiuam. Vnde in mutationibus, in quibus est transitus de vno ad aliud, considerandum est, quod aliud est subiectum, quod mutatur de vno ad aliud, aliud est extremum quod mutatur, & transit de vno ad aliud: Subiectum potest quidem dici, quod mutatur, sed non quod conuertitur. Dicitur verò conuerti ipsum extremum, quod transit in aliud; verbi gratia in generatione ignis, materia aquæ seu ligni transit, & mutatur in formam ignis; non tamen dicitur materiam conuerti in formam ignis, quia materia manet; id autem quod conuertitur in aliud, non manet, sed desinit esse; Et sic aqua, vel lignum, quod desinit esse, est illud quod conuertitur in ignem. Et quando homo albus fit niger, non dicitur homo conuerti in nigredinem, vel in nigrum, sed mutari de albo in nigrum; dicitur verò album conuerti in nigrum, quia conuersio significat mutationem, prout inter ipsa extrema exercetur, & secundùm habitudinem termini desinentis in terminum incipientem; Mutatio verò prout consideratur inter

Quid conuersio, &c.

subiectum & formam dici potest mutatio, sed non A conuersio; & ideo in definitione conuersionis cùm dicitur, Transitus vnius rei in aliam, ly vnius rei, intelligitur pro extremo, non pro subiecto.

Secundò notanda est diuisio in conuersionē totalē, & formalem; In conuersionem substantialem, & accidentalem. Prima diuisio explicatur sic, Quod conuersio totalis est, quando vnum extremum ita transit in aliud, quod nihil de illo remanet commune vtrique extremo; sed totum quod est in vno, transit in aliud, tam ex parte formæ, quàm materiæ; Conuersio autem formalis fit è contra, quando vnum extremum ita transit in aliud, quod remanet idem subiectum commune vtrique extremo, & solùm fit successio, & transitus in formis; ideoque vocatur formalis. Et primo modo inuenitur conuersio solum in Eucharistia, in qua tota substantia panis transit in Corpus Christi; secundo modo inuenitur etiam in mutationibus naturalibus, vt cùm ex aqua fit ignis, ex albo nigrum, &c. Secunda autem diuisio notissima est; Dicitur enim conuersio substantialis, quando fit transitus in aliquod extremum substantiale; vt cùm ex aqua fit ignis, vel è contra; Accidentalis verò dicitur, quando fit transitus in extremum accidentale, vt cùm ex albo fit nigrum, &c. An verò in omni mutatione naturali inueniatur conuersio? Respondetur in omni mutatione, inter terminos positiuos, quatenùs tales sunt, inueniri conuersionem, C non autem inter priuatos; quia ex priuatione ad formam datur simplex generatio, seu mutatio; quia priuatio cùm sit nihil, non conuertitur in aliquid; si autem detur aliquid positiuum quod desinit, & aliud positiuum quod succedit, dicitur fieri conuersio; non quod vna forma transeat in aliam, sed quod illud constitutum (seu concretum ex forma & subiecto) dicitur conuerti in aliud ratione formarum; sicut in augmentatione aliquid ex paruo fit magnum, vel è contra; in generatione ex aqua fit ignis, in alteratione fit ex calido frigidum, vel ex minus calido magis calidum; & in motu locali, ex distanti fit propinquum, ex sedente stans, vel è contra. D

Conuersio totalis, & formalis, &c.

Tertiò notandæ sunt tres conditiones conuersionis. Prima, Quod sit inter terminos positiuos; priuatio enim, quæ nihil est, non conuertitur in aliquid; Et in hoc sensu verissimum est antiquorum Philosophorum dictum, Ex nihilo, nihil fit; scilicet per conuersionem & mutationem; Vnde generatio, provt fit ex priuatione, non est formaliter conuersio, licèt sit mutatio; sed provt inter terminos positiuos fit. Secunda conditio, Quod vnum extremum, seu terminus desinat, & alter succedat, siue de nouo incipiat, entitatiuè & in esse, siue solùm in aliquo modo, vel dependentia terminandi, sufficit quod succedat alteri. Quod E enim debeat vnus terminus desinere, siue absolutè & entitatiuè, siue quoad modum, patet, Quia quod conuertitur, non manet inuariatum & quietum, sed transit; ergo non permanet id quod erat, vel non sicut erat; & hoc est desinere. Quod verò debeat alter terminus succedere, & de nouo produci, vel terminare illam mutationem, patet; quia fit transitus in talem rem; ergo debet aliquid succedere alteri, & subrogari loco illius; & hoc realiter & verè, & non per solam extrinsecam denominationem; quia conuersio realis mutatio & transitus est; & sic oportet, quod de nouo aliquid realiter fiat, vt dicatur vnum realiter succedere, & alterum realiter desinere.

Conditiones Conuersionis.

Tertia conditio est, Vt in conuersione concurrat vna actio, & duæ mutationes. Debet dari actio, Quia conuersio est mutatio, & transitus actiuus. Si actiuus, hoc ipsum est actio; Si passiuus, ergo supponit actionem; quia omnis passio, ex actione infertur; Et hoc ideo est, Quia conuersio non potest fieri per puram suspensionem influxus causæ efficientis, quia reuera in conuersione aliquid fit; influxus autem causæ efficientis est actio. Dari verò duas mutationes, seu quasi mutationes, constat, Quia vnum extremum, quod transit & conuertitur, non manet sicut antè, ergo mutatur; terminus autem in quem transit, de B nouo succedit illi; ergo aliquo modo incipit esse, & sic mutationem habet. Intercedit ergo hæc duplex mutatio, ex parte termini desinentis, & ex parte termini incipientis; licèt non semper sit mutatio physica in vtroque extremo, sed sufficit quod in altero sit metaphysica. Dicitur mutatio physica, quæ fit in aliquo subiecto communi vtrique extremo; & hæc solùm inuenitur in conuersione formali; Dicitur verò metaphysica, quæ non requirit subiectum commune, in quo fiat ista mutatio, sed sufficit noua dependentia, vel terminatio vnius extremi ab aliqua actione, sine entitatiua mutatione, sicut accidit in conuersione totali in Eucharistia.

Mutatio Physica & Metaphysica.

Explicatur formalis terminus huius Conuersionis.

Difficile semper visum est formalem terminum huius conuersionis explicare; quia valde difficile intelligitur, Quid de nouo fiat per istam actionem, quod sit specificatiuum formale illius; Nam vel illud quod fit de nouo est aliquid substantiale, vel accidentale; Non substantiale, quia tota substantia quæ hìc ponitur de nouo, est substantia Corporis Christi; hæc autem nullo modo fit de nouo, neque aliquid substantiale accipit, quod antè non haberet; siquidem conuersio fit in Corpus Christi præexistens; ergo supponitur tota eius substantia, non verò fit de nouo; sic enim substantialiter mutaretur in Sacramento: Si autem fit de nouo aliquid accidentale tantùm, ergo illa conuersio non est substantialis, sed accidentalis; ergo non est Transubstantiatio. Quod si dicamus Non dici Transubstantiationem, quia ipsa conuersio substantialis fit, sed quia est successio duarum substantiarum, sine hoc quod producatur noua substantia, sed solùm quod succedat vna substantia loco alterius; restant duo valde difficilia; Primum est, Quomodo res illa, seu substantia succedens, terminet nouam dependentiam & actionem sine aliquo nouo producto (Quomodo enim corpus iam existens, nouam actionem terminare potest, nullo sibi superaddito, neque substantiali neque accidentali?) Quod si neque hoc, vt nouam dependentiam aut terminationem acquirat per istam actionem conuersiuam, non apparet quomodo Corpus Christi sit de nouo terminus actionis, & non sit de nouo terminans & dependens ab illa; Neque etiam poterit reddi ratio, cur non possit creatura conuerti in Deum; siquidem vt sit terminus huius conuersionis, non requiritur aliqua dependentia, vel mutatio in ipso termino succedente; ergo poterit Deus esse terminus huius conuersionis. Secundum est, Quomodo Corpus Christi hìc succedens, reddatur incompossibile cum substantia panis hìc desinente? Nam ex natura rei

Terminus formalis conuersionis in Eucharistia.

rei non est incompossibile; posset enim manente substantia panis poni hic realiter Corpus Christi, si Deus vellet: Vnde ergo, & ex quo principio habet illa substantia Corporis Christi destruere & corrumpere substantiam panis, ex vi solius actionis ponentis Corpus Christi sub istis speciebus?

Propter hoc valde diuisi sunt Theologi in hac parte. Reducimus autem omnes opiniones in tres præcipuas classes; Prima est negantium terminum huius conuersionis formaliter esse aliquid de nouo productum, vel physicè incompossibile cum substantia panis; sed terminum formalem esse Corpus Christi, vt enunciatum & verificatum per verba; sic enim, & non ex alia ratione est incompossibile cum pane: in tantum autem aliquid est terminus formalis conuersionis, inquantum est destructiuum, & incompossibile cum termino antecedente & desinente: ergo Corpus Christi physicè non est incompossibile cum pane, ergo neque secundùm aliquid physicum est terminus huius conuersionis; & tamen (vt dicit Concilium) datur hîc conuersio, quia verificantur verba formæ; ergo Corpus Christi vt enunciatum per ista verba, est terminus formalis. Ita sentit Vasquez disput. 181. cap. 12. existimatque hoc fundari in verbis Concilij sess. 13. cap. 4. vbi ex eo redditur causa huius conuersionis, quia Christus verè dixit illud esse Corpus suum. Sufficit autem ad conuersionem substantialem, quod ex vi vnius substantiæ desinat alia, licèt ista incompossibilitas non sit ex natura rei, nec sit sola successio duarum substantiarum merè concomitanter se habens. Itaque apud istum Authorem, præsentia Corporis Christi ponitur hîc per distinctam actionem ab ipsa conuersione: Et hæc præsentia, est mutatio aliqua in Corpore Christi, qua recipit modum indiuisibilem existendi in Sacramento, non deserendo illam præsentiam, qua est in cœlo. Sed tamen licèt hæc præsentia Christi requiratur ad conuersionem, non tamen in illa formaliter perficitur conuersio; quia in vi illius non redditur substantia Christi incompossibilis cum substantia panis; sed quando incipit enuntiari, Quod hoc est Corpus Christi (scilicet contentum sub his speciebus) tunc fit conuersio, quia tunc incipit esse incompossibilis substantia Corporis Christi cum pane, non absolutè, sed prout sic enuntiata; Conuersio autem tunc perficitur, quando aliquid se habet incompossibiliter cum alio, & sic fit transitus ab vno in aliud: Nihil ergo productum, neque actio producens requiritur ad istam conuersionem, sed tantùm illa quæ reddit Corpus Christi incompossibile pani; & hoc non est aliqua intrinseca & physica incompossibilitas Christi cum pane, sed illa extrinseca enuntiatio.

Vasquez sent. Terminum esse Christi Corpus vt enuntiatum.

In secunda classe, Alij Authores inceperunt agnoscere terminum huius conuersionis, vt physicè incompossibilem cum substantia panis, & tanquam terminum physicum & realem huius conuersionis; non tamen ratione ipsius substantiæ, vel alicuius prædicati substantialis, quod mutetur, vel de nouo producatur (substantia enim Christi non mutatur hîc, neque producitur, sed supponitur existens) sed ratione alicuius accidentalis de nouo producti; quod tamen substantiam istam reddit incompossibilem cum substantia panis sub eisdem speciebus; quod Aliqui explicant per ipsam præsentiam Corporis Christi ad istas species, quæ est modus superadditus Corpori Christi; Alij per vnionem de nouo productam in Corpore Christi cum speciebus, quatenus subrogatur loco panis, licèt non sustentet accidentia. Et prima sententia tribuitur Scoto in 4. dist. 10. §. *Quantum ad istud Argumentum:* Secundam verò Suarez attribuit Capreolo, Ledesmæ, Palacios, & Aliis; quæ tamen parum, aut nihil videtur differre à prima; Quia illa præsentia Corporis Christi, quam ponit Scotus, non est præsentia localis, sed modus indiuisibilis, quo Corpus Christi fit præsens speciebus (scilicet totum in toto, & totum in qualibet parte) Non requiritur autem alia vnio cum speciebus, quàm illa, qua Christus fit contentus sub speciebus; fit autem contentus, inquantum præsens, quia præsentia illa, & continentia passiua in loco, idem omnino est; Non negat autem Scotus actionem conuersiuam, sed distinguit, licèt subobscurè, duplicem actionem; Aliam conuersiuam terminatam ad substantiam Corporis Christi; aliam adductiuam, terminatam ad præsentiam, qua redditur contentum sub speciebus; licèt non explicet, An sit duplex actio modò de facto concurrens ad consecrationem; An verò solùm sint duæ actiones possibiles in conuersione; Altera quæ terminetur ad substantiam ipsam (& est actio substantialis) Altera quæ terminatur ad præsentiam substantiæ alibi existentis, illamque præsentem reddit.

Terminus, aliquid accidentale & modus, vel præsentia; Aliorem sententia.

Quidquid verò de hoc sit, Communiter Scotus intelligitur constituere actionem adductiuam, rationem qua Christus redditur hic præsens, non qua substantialiter attingatur. Sufficit autem ad conuersionem & transubstantiationem ista actio; quia ex vi talis actionis datur successio substantiarum sub eisdem speciebus; & habet illa actio vim expellendi substantiam panis, vt reddat totum contentum & præsens sub speciebus ipsum Corpus Christi; Neque enim Concilium definiens dari hîc conuersionem totius substantiæ panis in Corpus Christi, affirmat, aut affirmare cogit hanc conuersionem esse substantialem, neque ad substantiam formaliter terminari; Sufficit esse conuersionem substantiarum, id est, successionem vnius substantiæ post aliam, licèt id fiat actione adducente illam substantiam Corporis Christi cum expulsione substantiæ panis, & positione præsentiæ Corporis Christi. Vnde etiam sanctus Thomas infrà quæst. 78. art. 5. dicit, Per istam actionem non fieri vt Corpus Christi, sit Corpus Christi, quia antè iam hoc erat; sed fit vt contentum sub his speciebus sit Corpus Christi; contentum autem sub speciebus, est idem quod præsens; ergo præsentiam facit.

Scot. Actio adductiua ratio præsentię Christi in Eucharistia.

Et omnes istæ sententiæ principaliter adducuntur ad ita sentiendum, vt effugiant concedere duplicem actionem totalem circa idem Corpus Christi. Si enim actio ista conuersiua immediatè terminaretur ad substantiam Corporis Christi, idem numero effectus dependeret à duplici causa totali & adæquata; scilicet Corpus Christi à generatione, qua productum est, & ab ista conuersione, quæ tangit ipsum Corpus Christi, & à se dependere facit; & de facto produceret, si non inueniret iam productum: Et qualibet istarum actionum sufficit adæquatè & totaliter producere Corpus Christi. Quia ergo sententiæ istæ refugiunt concedere quod eadem entitas possit à duplici causa totaliter dependere, ideo non assignant

pro termino formali ſubſtantiam Corporis Chriſti, neque illam actionem volunt eſſe ſubſtantialem, neque illud Corpus ex ſua natura reddi incompoſſibile cum ſubſtantia panis, ſed ex aliquo ſuperuenienti; Scotus quidem, ex præſentia, qua illa ſubſtantia ſuccedit ſub ſpeciebus panis; Vaſquez autem non ex præſentia ſolùm, quia hæc etiam eſt compoſſibilis cum pane, ſed ex verificatione verborum, quibus fit conſecratio.

Terminus ipſum ſubſtantialiter Corpus Chriſti. Denique tertia claſſis opinantium exiſtimat ſimpliciter terminum huius conuerſionis eſſe ipſam ſubſtantiam Corporis Chriſti, iſtamque conuerſionem in omni rigore intelligendam eſſe; ita quod non ſolùm ſit ſucceſſio ſubſtantiarum, ſed ſubſtantialis actio, reddens incompoſſibilem panem cum ipſa ſubſtantia Corporis Chriſti, quia verè & phyſicè tranſit panis in Corpus Chriſti: atque exiſtimant Tranſubſtantiationem non ſolùm eſſe conuerſionem ſacramentalem ratione verborum formæ, ſed etiam phyſicam; quia ſine aliqua enuntiatione verborum poſſet Deus ſola ſua virtute conuertere panem in Corpus Chriſti; indeque colligunt, Quod reſpectu virtutis diuinæ, quælibet res poteſt conuerti in aliam; quia non eſt maior ratio, quòd panis poſſit conuerti in Corpus Chriſti, quàm lapis in lignum, vel aqua in ignem, aut quidquid Deus voluerit in aliud. Hæc ſententia valde cõmunis eſt inter Thomiſtas & Theologos; ſed ad explicandum modum, quo illa ſubſtantia Corporis Chriſti, quæ ſupponitur præexiſtens, poſſit de nouo eſſe terminus huius conuerſionis & actionis, cùm in ſua entitate nihil de nouo accipiat, non eodem modo omnes explicant, ſed etiam diuiſi ſunt; Nam quidam affirmant Corpus Chriſti eſſe nouum terminum ad quem, per habitudinem & reſpectum ad terminum à quo (qui eſt panis) ita quod terminus formalis huius conuerſionis, eſt Chriſtus, non abſolutè in ſe, ſed prout ex pane; atque ita eſt terminus, non ratione nouæ entitatis, quæ Chriſto ſupperaddatur, ſed ratione noui reſpectus, prout ſcilicet ex tali termino à quo, qui eſt panis, ſit Corpus Chriſti: ſicut idem locus indiuiſibilis in eadem diſtantia, poteſt eſſe terminus formalis aſcenſus & deſcenſus; non abſolutè, ſed ſub reſpectu ad diuerſum terminum à quo; quia prout ex loco ſuperiori, eſt deſcenſus; & prout ex inferiori, eſt aſcenſus, cùm ſit idem locus entitatiuè. Et hunc modum dicendi ſequitur Cajetanus hìc art. 4. qui ob hoc dicit, Pertinere aliquo modo, ſeu refundi terminum à quo, in terminum ad quem; ita quod terminus conuerſionis ſit Chriſtus vt ex pane; non quia aliquid panis remaneat in Corpore Chriſti facta conuerſione, ſed quia Corpus Chriſti non induit formalitatem termini huius conuerſionis, niſi prout ex pane, & ſub reſpectu ad panem; & ille reſpectus Corporis Chriſti ad panem, pertinet ad terminum ad quem; panis autem ſolùm in obliquo, & non in recto pertinet ad formalitatem termini ad quem. Et ita idem Corpus Chriſti, vt ex ſanguinibus beatæ Virginis, eſt terminus formalis generationis; vt autem ex pane, eſt terminus formalis huius conuerſionis.

Chriſti Corpus vt ex pane.

Quod autem Aliqui addunt ad explicationem huius ſententiæ, Quod terminus huius actionis eſt Corpus Chriſti, prout in illud eſt conuerſus panis, ſeu in illud deſinit panis, & quaſi ibi abſorbetur, nihil amplius addit ad ſententiam Caietani; Quia ſi vult aliquid de pane entitatiuè & in recto manere in Corpore Chriſti, eſt error; ſi verò

A vult ſolùm Corpus Chriſti cum reſpectu ad panem deſinentem eſſe terminum conuerſionis, ita quod ille reſpectus inueniatur ex parte termini formalis, panis autem ſolùm in obliquo, eſt ipſa ſententia Caietani, neque aliquid addit ſuper illam; Solum verò reſtat explicare, Quomodo ratione iſtius reſpectus ſuperadditi, ſit terminus conuerſionis, & reddat Chriſtum incompoſſibilem cum pane, cùm abſolutè poſſet ſaluari poſitio Corporis Chriſti conſeruati cum pane; Quomodo item impugnatur Scotus, quod ratione alicuius modi ſuperadditi Corporis Chriſti (ſcilicet præſentiæ) dicat illud reddi incompoſſibile ſubſtantiæ panis,
B ſi Caietanus ſolùm reddit incompoſſibile ratione reſpectus ad panem. Et rurſus inquiritur, An ille reſpectus ſit intrinſecus & proprius Corporis Chriſti ex vi poſitionis eius in hoc Sacramento, an intrinſecè ſuperadditus ex voluntate Dei. Si ex natura rei conuenit, ergo non poſſet hìc poni Corpus Chriſti ſeruata ſubſtantia panis; & ſic reditur in ſententiam Vaſquez, quòd Chriſtus inquantum enuntiatus iſtis verbis (quod ſolùm eſt ex beneplacito Dei) eſt terminus huius conuerſionis, ſi ex voluntate Dei tantùm, & non ex natura rei eſt incompoſſibilis; Nam ſi ex natura ſua incompoſſibilis eſt, non poterit ſimul cum ſubſtantia panis conſeruari. Denique ſi terminus
C formalis huius actionis eſt Chriſtus vt ex pane, ita quod ly *ex pane* refunditur in terminum ad quem; ergo ſi fieret non ex pane, ſed ex aqua, vel aëre, eſſet illa actio diuerſæ ſpeciei, quia variaretur aliquid pertinens ſpecificè ad formalem terminum.

Tandem Aliqui exiſtimant, Hanc actionem conuerſiuam ſimpliciter ſubſtantialem, & habere pro termino formali ipſam ſubſtantiam Corporis Chriſti in ſe; panem autem ſolùm pertinere ad terminum à quo, & reſpectum ad illum ſolùm generali modo includi in termino ad quem; quia omnis mutatio eſt de termino à quo ad terminum ad quem; Quomodo autem illa at-
D tingat de nouo ſubſtantiam Chriſti, non producendo aliquid de nouo, dupliciter explicatur; Primò, dicendo actionem iſtam de facto non producere Corpus Chriſti, quia inuenit illud iam productum; eſſe tamen de ſe efficacem ad illud producendum, & hoc ſufficere, vt ſit actio ſubſtantialis; Quod indicat Soto in 4. diſt. 9. quæſt. 2. art. 4. in ſolutione Argumentorum; ſed non explicat quid producat de facto, & in actu ſecundo; ſed ſolùm quod ſit productiua ſubſtantiæ in actu primo. Vnde non aſſignat terminum formalem de facto in exercitio. Alij verò dicunt, verum eſſe, quod de facto non producit Corpus Chriſti, quia inuenit productum; ſed de facto conſeruat Corpus Chriſti in Sacramento ſicut in cœlo, quia
E hoc ſolùm poteſt ponere de nouo in illa ſubſtantia. Et hoc tandem ſequitur Suarez hìc diſput. 50. ſect. 4. qui citat pro ſe ſanctum Thomam, Bonauent. Gabriëlem, Richardum, Paludanum & Alios.

Noſtra ergo reſolutio ſit iuxta ſententiam Caietani, quæ probabilior cæteris videtur, magiſque conſona ſancto Thomæ, & Diuo Ambroſio, Quod terminus formalis coincidit cum totali, ſicut in creatione; eſtque totum Corpus Chriſti, vt ex toto pane; neque eſt inconueniens, quod in conuerſione, quatenùs conuerſio eſt, reſpectus ad terminum à quo includatur intrinſecè, & pertineat ad ſpecificationem termini ad quem; quia

Terminus formalis, ipſe totalis, totũ Chriſti Corpus, ex toto pane.

specificè & essentialiter conuersio est transitus termini à quo in terminum ad quem. Itaque non est consideranda ista conuersio, neque regulanda, sicut generatio & creatio, quæ formaliter non respiciunt terminum à quo, nec ab illo specificantur; etiam vt à conditione requisita, sed totaliter illum relinquunt tanquam aliquid per accidens; sed consideranda est vt pura conuersio, quæ non respicit terminum ad quem, vt præcisè factum, sed vt ex alio mutatum & translatum; Et ita id quod fit de nouo in hac actione (quæ purè conuersio est) est totus Christus vt ex toto pane. Sumitur hæc resolutio ex sancto Thoma & ex Diuo Ambrosio; ex aliarum sententiarum exclusione, ex propria ratione huius conuersionis. Ex sancto Thoma quidem, si ponderemus duo eius loca; Nam in primis infra quæst. 78. art. 5. inquit, *Quod hæc verba formæ non faciunt quod Corpus Christi, neque quod panis sit Corpus Christi; sed quod contentum sub his speciebus (quod prius erat panis) sit Corpus Christi*: vbi sanctus Doctor explicat terminum formalem, seu id quod fit de nouo per istam actionem conuersiuam, dicendo quod hoc faciunt illa verba; Explicat autem istum terminum de nouo, non per solam substantiam Christi in se, non per substantiam Christi vt præsentem, non per ipsam vt enuntiatam, sed per hoc quod id quod prius erat panis, fit Corpus Christi; ergo in isto termino vt nouo, & nouiter facto includitur esse ex pane, seu id quod prius erat panis. Alter locus est in hac quæst. 75. art. 4. ad 3. vbi explicans sanctus Thomas, Quomodo virtute infinita possit tota entitas rei mutari in aliam, inquit, *Quod id quod entitatis est in vna re, potest Auctor entis conuertere in id, quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur.* Vbi sanctus Thomas apertè ponit ipsam substantiam, & entitatem rei pro termino formali; Nam dicit, *Quod id quod entitatis est in vna, potest conuerti in id, quod entitatis est in altera*; illud autem quod entitatis est in vna re, est ipsa substantia rei, & physica ratio illius; ergo terminus formalis & specificatiuus huius conuersionis, est aliquid physicum, & id quod entitatis est in aliqua re, non id quod denominationis extrinsecæ, vel id quod modi in aliqua re; Neque enim id quod est entitatis in aliqua re solum est modus, sed ipsa rei substantia. Et quando addit sanctus Thomas, *Quod conuertitur in id, quod est entitatis, sublato eo per quod distinguebatur substantia panis à substantia Corporis Christi*; aliquid substantiale est, siquidem non differunt accidentaliter, sed substantialiter panis & Corpus Christi; ergo si ista conuersio tollit id per quod differunt, tollit aliquid substantiale; ergo id quod relinquit, & ponit loco eius, quod tollit, aliquid substantiale est; Et sic per istam conuersionem attingitur ipsa substantia Corporis Christi, vt tollens id per quod panis distinguitur ab illa. Et concinunt verba Ambrosij lib. de Sacramentis cap. 4. dicentis. *Vbi accedit consecratio, de pane fit Corpus Christi*; ergo Corpus Christi, vt ex pane, est id quod de nouo fit.

Secundò constat hæc sententia ex aliarum exclusione. Et primò contra Vasquez ostenditur hanc conuersionem & incompossibilitatem terminorum inter panem & Corpus Christi, non solùm esse sacramentalem, & ratione verificationis verborum, sed physicam & substantialem. Nam illud ipsum quod fit in hoc Sacramento, interueniente significatione verborum, posset Deus facere se solo sine verbis; sed in hoc Sacramento fit conuersio totius substantiæ panis in Corpus Christi, ergo potest conuerti panis in Corpus Christi etiam remota omni significatione verborum; ergo erit terminus conuersionis, & incompossibilis cum pane, non vt enuntiatus & verificatus per verba, sed secundùm se & ratione eius quod physicum est in tali termino. Maior probatur, Quia totum quod fit in hoc Sacramento, fit per solam virtutem Dei, & non per aliquam virtutem quam habeant verba secundùm se; siquidem aliquid reale & physicum fit de nouo in hoc Sacramento; physicè enim destruitur substantia panis, & ponitur substantia Corporis Christi, & realiter conuertitur panis in Corpus Christi, non fictè & per rationem; sed omnis effectus physicus & realis fit ab aliqua reali & physica virtute, ergo interueniente illa, & omni alio remoto, potest fieri ipsa conuersio, & iste realis effectus; verba autem ex sua significatione præcisè non habent virtutem physicam ad istam conuersionem, cùm significatio illa sit aliquid rationis; &, si quam virtutem habent, solùm est instrumentalis, & principaliter est à Deo; siquidem requiritur ad hunc effectum virtus infinita, & supra omnem naturam; hæc autem nullo modo est alligata verbis; ergo sine illis potest Deus operari idem quod modò operatur per illa. Minor verò est expressa in Concilio Trident. sess. 13. cap. 4. dum inquit, *Per consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi*: ista autem conuersio physicè & realiter fit, non fictè neque per rationem; ergo datur physica & realis factio istius conuersionis; Neque enim potest dari verum & reale fieri, nisi detur verum & reale facere; nec datur realis factio, nisi per realem & physicam virtutem agendi; ergo si fit conuersio (vt dicit Concilium) & fit à parte rei & physicè (alias nullo modo fieret) oportet quod à physica virtute fiat, & à virtute infinita, quæ est Dei; quæ hoc ipso non est alligata verbis, neque vlli creaturæ; & sic potest eandem conuersionem facere cum verbis ac sine verbis, licèt ex verificatione verborum colligatur quasi à signo physica ista conuersio substantialis.

Ex hoc autem manifestè colligitur, Debere dari physicam incompossibilitatem inter substantiam Corporis Christi, & substantiam panis; Nam idem fit in Sacramento realiter & physicè nunc, quod Deus faceret se solo sine verbis (siquidem tunc nihil amplius faceret, quàm conuertere panem in Corpus Christi, & idem omninò quod nunc est in Sacramento, remota tota efficientia verborum) sed in omni conuersione vera & reali terminus à quo debet esse incompossibilis cum termino ad quem, siquidem terminus à quo debet transire, & desinere esse in vi successionis termini ad quem, & non purè concomitanter; ergo etiam remota significatione verborum, assignanda est nunc incompossibilitas de facto inter substantiam Corporis Christi & substantiam panis; siquidem idem fit modò per verba, quod fieret tunc sine verbis.

Et confirmatur, Quia veritas enuntiationis debet sumi ab eo, quod in re fit: sed verba illa, *Hoc est Corpus meum* verè & propriè dicuntur; ergo ita fit à parte rei, sicut illa significant; ergo physicè & in re fit conuersio panis in Corpus Christi, quia hoc illa verba significant; ergo terminus for-

Christi Corpus vt enuntiatũ, nõ esse terminum.

malis huius conuerſionis debet eſſe terminus phyſicus & in re, non autem ſolùm prout enuntiatus. Patet conſequentia, Quia vt verè enuntietur per verba, requiritur quod in re ita fiat; ergo aliquid debet aſſignari in re & phyſicè, quo iſta conuerſio perficiatur, præter ipſam enuntiationem & enuntiatum eſſe; quia obiectum enuntiationis non eſt ipſamet enuntiatio, neque denominatio extrinſeca enuntiati, quæ cadit ſuper ipſum obiectum, & ſupponit illud.

Poſita actione conuerſiua, ſuperflua actio adductiua, contra Scotum.

Sententia autem Scoti ex eo excluditur, Quia vel Scotus ponit actionem conuerſiuam, quæ habeat pro termino ſubſtantiam Corporis Chriſti, & aliam adductiuam, quæ terminetur ad præſentiam ſacramentalem Chriſti; vel ſolùm ponit iſtam actionem adductiuam cum annihilatione, ſeu deſitione panis; ita quod iſta conuerſio ſolùm conſiſtat in illa ſucceſſione ſubſtantiarum: Si primum, reducitur ſententia Scoti in illam, quæ ponit ſubſtantiam Corporis Chriſti pro termino formali huius conuerſionis, & reſtant explicandæ difficultates quæ contra idem fiunt de incompoſſibilitate huius termini cum pane, & de terminatione duplicis actionis totalis in eodem effectu; & quomodo aliquis terminus de nouo fiat, quæ omnia non expedit Scotus, ponendo actionem adductiuã ad præſentiam Corporis Chriſti; immò iſta ſuperflue ponitur, ſi datur illa prima conuerſio, quia non poteſt conuerti vnum in aliud, niſi ipſo facto maneat præſens alicubi.

Si autem dicatur ſecundum, quod ſolùm interuenit hîc actio adductiua cum annihilatione, vel deſtructione panis, inſtatur manifeſtè ex aduertentia Vaſquez, Quia ſubſtantia Corporis Chriſti, non eſt per ſe & ratione ſui incompoſſibilis cum pane, ſi Deus vellet conſeruare ibi ſubſtantiam panis ſimul ponendo Corpus Chriſti, ergo etiam ipſa præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus cum pane non erit incompoſſibilis cum ipſo.

Actio adductiua, ipſa non conuerſio, & per accidens.

Patet conſequentia, Quia ſubſtantia panis intantum non eſt incompoſſibilis cum ſubſtantia Chriſti, inquantum poſſunt ſimul conſeruari à Deo ſub ſpeciebus; ſed eſſe præſens eſt idem quod eſſe ſimul & coniunctum cum alio; ergo ſi non eſt incompoſſibilis ſubſtantia, neque præſentia: Vbi autem non eſt incompoſſibilitas vnius termini cum alio, non eſt conuerſio; quia conuerſio eſt tranſitus vnius in aliud; ergo ex ipſa quidditate & ratione conuerſionis, oportet quod vnum extremum non maneat, ſed recedat, & aliud ſuccedat ex vi talis tranſitus, & non per puram concomitantiam. Si enim Deus deſtruat & annihilet meam ſubſtantiam, & in eodem loco ſtatim creet Angelum, non dicitur mea ſubſtantia conuerti in Angelum, licèt vtrumque ſuccedat in eodem loco. Per accidens enim eſt ad illam creationem Angeli annihilatio mea; Conuerſio autem per ſe, & ex ſua eſſentia eſt tranſitus de vno in aliud; ergo non debet iudicari quod ſit conuerſio ex concurrentia & concomitantia pura duarum ſubſtantiarum per accidens in eodem loco, ſed ex tranſitu & mutatione per ſe vnius in aliud; ergo non ſaluatur vera & realis conuerſio, niſi terminus conuerſionis ex vi talis tranſitus & mutationis ſit incompoſſibilis cum termino à quo; ergo ſi ex ſe præſentia Chriſti in ſacramento non eſt incompoſſibilis cum pane, non eſt per ſe terminus conuerſionis, neque veram conuerſionem ſaluat: At ſecundùm fidem vera & realis conuerſio ſaluanda eſt totius ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti; ergo illa ſententia de

A formali termino præſentiæ excludenda eſt.

In aliis autem ſententiis, quæ ponunt ſubſtantiam pro termino formali huius conuerſionis, reſtant expediendæ difficultates, quas ſtatim contra noſtram ſententiam proponemus, oſtendendo nunc alias ſententias non rectè explicare terminum huius conuerſionis. Nam illa quæ dicit terminum formalem eſſe Corpus Chriſti, prout in illo deſinit, aut mutatur & tranſit panis, non eſt aliud quàm dicere, Corpus prout ex pane; Neque enim aliquid panis ibi manet, ſed totum tranſit in Corpus Chriſti, vt ſupra ponderabamus; ergo terminus ille eſt Corpus Chriſti prout ex pane (ſcilicet ex pane deſinente & tranſeunte in ipſum,
B non manente in ſe) ergo eſt ipſa ſententia Caietani. Dicere autem quod per iſtam actionem conſeruatur de nouo Corpus Chriſti, non ſoluit difficultatem, ſed auget; quia conſeruatio non eſt aliud quàm continuatio præcedentis actionis, & termini iam producti; & ſic conſeruari ſupponit fieri, & factum eſſe, quia continuat illud. Quando ergo conſeruatur Chriſtus in Sacramento & ſimul in cœlo, vel iſta conſeruatio eſt eadem omnino qua conſeruabatur in cœlo, per continuationem generationis, qua primò productum eſt Corpus Chriſti, vel eſt alia

Conſeruatio Corporis Chriſti, ipſa eius continuata productio, eaſdemque difficultates habens.

C conſeruatio diſtincta, & aliquid de nouo faciens in Sacramento; ſi primum, illa conſeruatio nihil ampliùs facit quàm continuare Corpus Chriſti vt in cœlo, ſiquidem eſt eadem omnino cum tali conſeruatione; ergo non ponit de nouo Chriſtum in Sacramento, quia ſolùm continuat primam generationem, ſi autem eſt diſtincta conſeruatio, ergo ſupponit diſtinctum fieri, quia conſeruatio eſt continuatio actionis; & ſaltem iſta conſeruatio ita reſpicit Corpus Chriſti, quod de nouo aliquid fit in hoc Sacramento, quod antè non erat, & ſic conſeruatur; ergo illud quod fit de nouo, quidquid illud ſit, oportet quod ſit nouus terminus, non ſolùm in ipſo conſeruati, ſed etiam in
D fieri.

Confirmatur hoc, Quia remanet ſemper eadem difficultas; Quia vel iſta conſeruatio excludit per ſe ſubſtantiam panis, & eſt incompoſſibilis cum illa, vel non; ſi non eſt incompoſſibilis; ergo poteſt manere cum ſubſtantia panis; ergo non eſt conuerſio illius, quia in conuerſione non poteſt manere terminus à quo, ſed debet tranſire in ipſa poſitione termini ad quem; Si autem illa conſeruatio eſt incompoſſibilis cum ſubſtantia panis, ergo res conſeruata aliquid habet, per quod incompoſſibilis eſt, & illud non habet prout in cœlo, ſed pro vt in Sacramento; quia ſubſtantia Corporis Chriſti prout in cœlo indifferens eſt vt ponatur ſimul cum ſubſtantia panis, vel non, quia
E vtrumque poſſibile eſt; ergo aliquid habet prout in Sacramento, quo fit incompoſſibilis cum ſubſtantia panis; ergo non ad ſolam conſeruationem recurrendum eſt, ſed ad aliquid quo ipſa ſubſtantia incompoſſibilis eſt cum pane; & hoc non explicat iſta ſententia, niſi recurrat ad ſententiam Cajetani.

Etiam conſeruatione, neceſſariũ produci aliquid incõpoſſibile cum termino à quo.

Illa verò ſententia, quæ dicebat hanc actionem eſſe de ſe productiuam ſubſtantiæ Corporis Chriſti, ſed de facto non producere aliquid, quia inuenit productum, ſed tantùm conuertere, diminuta eſt; quia non explicat quid ſit illud conuertere, & quis ſit terminus conuerſionis de facto. Licèt enim de facto non producatur Corpus Chriſti, tamen de facto conuertitur, & de nouo eſt in

Exploſa Soti explicatio: veræ actionis aſſignandus terminus in actu ſecundo.

Sacramento id, quod antè non erat; ergo oportet assignare terminum de nouo huius conuersionis, licèt non productionis; Et illud inquirimus quid sit? Dicere autem quod actio solùm est producti-cta in actu primo, & non assignare illi terminum in actu secundo, inquantum conuersio est, est dicere quod de facto non est actio, quia non habet terminum.

Soluuntur Argumenta.

Restat difficultates expedire, quæ militant contra nostram sententiam; sic enim explicabitur, Quomodo ista conuersio simul terminetur ad Corpus Christi prout ex pane; & præter rationem dubitandi positam à principio; An terminus iste formalis sit aliquid substantiale vel accidentale, de nouo productum, vel de nouo succedens. Restant tres difficultates præcipuæ. Prima est, Quomodo possit idem numero effectus dependere à duplici causa totali & adæquata, sine noua productione & additione super talem rem; siquidem adæquata & totalis actio est illa, quæ totaliter complectitur totum quod factibile est in effectu; ergo non relinquit locum alteri actioni vt aliquid agat; si autem nihil agit, actio non est; Et præsertim hoc vrgetur, Quia illa actio ex sua natura tendit ad rem iam existentem, sicut hæc actio tendit ad Corpus Christi præexistens; tunc enim non potest de nouo terminari, & dependentiam habere in suo esse, ille terminus ab ista actione; quia in tantum terminat de nouo, inquantum transit de potentia ad actum, de non esse ad esse; sed illud Corpus præexistens iam est in actu, nec per illam actionem transit de non esse ad esse; ergo non habet nouam dependentiam & terminationem in suo esse.

Duplicis causæ totalis difficultas in Eucharistia.

Secunda difficultas, Quia substantia Corporis Christi ex sua natura non est incompossibilis cum pane, sed posset simul cum illo conseruari à Deo sub illis speciebus, vt sæpe dictum est. Per quid ergo redditur illa substantia Corporis Christi incompossibilis cum pane, & consequenter terminus conuersionis? Si dicatur, Quod substantia Corporis Christi non est absolutè incompossibilis cum substantia panis, sed Corpus Christi vt ex pane.

Incompossibilitatis Christi Corporis cum pane.

Contra est, Quia substantia Christi vt ex pane, significat terminum ad quem, cum termino à quo vt destructo; & sic Corpus Christi vt destruens panem, certissimum est quod non compatitur cum pane. Sed restat difficultas, Quomodo & qua ratione destruit panem; & in hoc est punctus difficultatis, quæ non soluitur per hoc quod dicitur Corpus ex pane, seu ex pane destructo: Supponitur etenim destructus panis ex vi positionis Corporis Christi, & non explicatur per quid formaliter destruitur illa substantia panis, cùm Corpus Christi absolutè non sit incompossibile cum substantia panis; posset enim simul conseruari cum illo, si Deus vellet.

Tertia difficultas est, Quomodo assignetur hîc terminus de nouo in ista conuersione, quia Christus vt ex pane non dicit nouum terminum ad quem entitatiuè, sed solùm respectiuè, scilicet respectu noui termini à quo, & nouæ actionis facientis sic dependere, & sic conuerti panem in Corpus Christi; ergo non fit de nouo nisi aliquis respectus, & sic non est ipsa substantia Corporis Christi terminus formalis, quia hic debet esse terminus de nouo factus: Datur enim nouum fieri, quia fit conuersio panis in Corpus Christi; ergo & nouum factum esse, & hoc non explicatur quid sit; nisi tantum respectus. Denique idem inquantum idem non potest specificare & terminare diuersas actiones, nec idem immutatum in se potest egredi ab aliqua actione à qua antè non egrediebatur; ergo nec de nouo terminare illam, aut dependere, vel attingi ab illa; quia terminare actionem est egredi ab illa, siquidem est terminus illius; quomodo ergo potest res existens immutata in se, egredi ab aliqua actione noua?

Termini substantialis noui, non solius respectus.

Ad primam difficultatem, quæ componitur ex rationibus dubitandi à principio positis, Respondetur, Terminum formalem huius actionis esse aliquid substantiale; nempe ipsam substantiam Corporis Christi, vt conuersam ex pane. Dicit enim Concilium sess. illa 13. cap. 9. *Per consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi.* Vbi ly *in substantiam*, in proprio sensu explicat formalissimum terminum conuersionis, qui vtique si est ipsa substantia Corporis Christi, aliquid substantiale est; Neque enim dicit conuerti in præsentiam, in successionem, in denominationem, in conseruationem substantiæ; sed absolutè *in substantiam Corporis Christi*: & quia est conuersio in substantiam, non debet sumi substantia vt producta, vel reproducta, vel conseruata, sed vt conuersa, & prout ex pane. Vnde non apparet quod fiat de nouo substantia entitatiuè, sed conuersiuè & terminatiuè; id est, cum nouo respectu ad terminum à quo, qui est panis, & cum noua dependentia ab actione conuertente. Et sic Corpus Christi, non sub respectu productionis, sed sub respectu conuersionis, & prout ex pane, est terminus; in quo non est inconueniens quod intret in termino specificatiuo conuersionis ipse terminus à quo, non directè, sed de connotato, & in obliquo, vt tamen essentialiter requisitus ad rationem conuersionis, quæ est transitus de vno ad aliud, & non simplex productio; sicut etiam obscuritas includitur in specificatiuo fidei vt essentialiter connotatum, non vt directè specificans.

Terminus formalis, ipsa substantia vt conuersa.

Terminus à quo, ipse inclusus in termino ad quem, in obliquo.

Quomodo autem fiat in Corpore Christi noua terminatio, & dependentia ab illa actione, statim explicabitur: Ex similiter quomodo illa substantia reddatur incompossibilis cum substantia panis. Licèt enim absolutè substantia Corporis Christi non sit incompossibilis cum pane, si alio modo & alia actione fieret; tamen substantia vt conuersa, incompossibilis est cum pane vt termino à quo; Esse autem conuersam docet fides, quia dicit Concilium, *Conuerti substantiam panis in substantiam Corporis Christi*; ergo illa substantia vt conuersa incompossibilis est cum termino à quo, quia in conuersione essentialiter vnus terminus transit in alium; ergo iste alius non permanet cum illo. Et quia terminus, in quem fit conuersio, licèt supponatur præexistens & immutatus entitatiuè, respectiuè tamen mutatur per nouum respectum ad terminum à quo, & nouam dependentiam ab agente, ideo repugnat Deum esse terminum conuersionis.

In Deum aliquid cōuerti, impossibile.

Ad secundam difficultatem, Respondetur, Quod non potest idem effectus dependere à duplici causa totali adæquata, si sit creata, propter suam limitationem, aut si vtraque producat de nouo; bene tamen à duplici causa totali, vna creata, altera increata, & non producente de nouo; quia hæc con-

Duplex causa totalis vt impossibilis.

tinet totam virtutem, & perfectionem alterius, potestque Deus rem aliquam diuersis viis & actionibus attingere. Potest enim hominem facere creatione, formatione ex terra, generatione ordinaria, transsubstantiatione; & sic non repugnat simul etiam diuersis actionibus attingere, aut in rem iam existentem conuertere, vt diximus in Physica quæst. 12. Et quando dicitur, Quod actio totalis amplectitur totum quod in re est factibile, Respondetur, Quod attingit totum sub omni modo quo attingibile est. 1. Obedientialiter & in ordine ad potentiam diuinam; nego, quia Deus potest eandem rem diuersis actionibus attingere. Cùm verò vrgetur, Non posse ad rem existentem terminari nouam actionem; distinguo, Per modum productionis, ita quod de nouo exeat de non esse ad esse, transeat; per modum conuersionis, ita quod transeat de esse vnius ad esse alterius, nego.

Terminus ad quem conuersionis, nouus formaliter.

Itaque actio vt productiua seu generatiua, semper est mutatio de non esse ad esse, de potentia ad actum; Actio autem vt præcisè conuersiua, non est transitus alicuius rei de non esse ad esse: sufficit ad formalitatem conuersionis quod transeat de esse vnius ad esse alterius; licèt illud esse quod transit, non remaneat, sed destruatur; tamen ista destructio est consequuta, sicut corruptio sequitur ad generationem. Non ergo requiritur quod terminus ad quem præsupponatur non esse simpliciter, sed solùm non esse ex pane; & ita non fit de nouo simpliciter & productiuè, sed solùm conuersiuè, & inquantum ex tali termino à quo.

Corpus Christi vt conuersum incompossibile cum substantia panis.

Ad tertiam difficultatem Respondetur, Corpus Christi ex natura sua esse incompossibile cum pane, non absolutè consideratum, sed in ordine ad actionem conuersiuam; in ordine autem ad aliam actionem non conuersiuam panis, bene potest esse compossibilis cum illo. Sufficit autem nobis, quod stante conuersione & in ordine ad illam, sit Corpus Christi incompossibile cum termino à quo conuersionis, quia quatenus conuertibile est incompossibile: Non est autem necesse quod aliquis terminus sit incompossibilis cum alio respectu omnium actionum, sed sufficit quod respectu alicuius actionis, quæ est conuersio; Sicut quando ex aëre generatur ignis, rectè dicimus ignem ex natura sua esse incompossibilem aëri, nec posse simul vtrumque coniungi, licèt per aliquam aliam actionem coniungi possint (vt si Deus poneret illa in eodem loco, aut sub eisdem accidentibus constituat) sufficit quod per illam actionem generatiuam vnius ex alio, natura ignis non possit simul permanere cum aëre, siquidem est terminus à quo illius; sed quia est terminus à quo naturalis, & iuxta naturalem generationem, dicitur ex sua natura esse illi incompossibilis.

At verò substantia Corporis Christi dicitur ex natura sua esse incompossibilis pani, non respectu omnis actionis, qua possit à Deo alligari pani, sed respectu actionis conuersiuæ ex pane; tunc enim panis redditur incompossibilis Corpori Christi tanquam terminus à quo, cum termino ad quem; Sed tamen quia non est conuertibilis ex pane nisi supernaturaliter, ideo non dicitur incompossibilis illi naturaliter, sed obedientialiter. Et sic natura illa obedientialiter considerata, est incompossibilis cum pane, non per ordinem ad omnem actionem, sed solùm per ordinem ad actionem conuersiuam; quam conuersionem Ecclesia collegit ex verbis Christi quasi à posteriori, & à signo; quia non potuit verificari hoc esse Corpus suum simpliciter & absolutè, nisi tota substantia ibi contenta esset Corpus Christi; non quidem annihilando panem (quia annihilatio non est facere aliquid, sicut in præsenti fit) ergo conuertendo panem in Corpus Christi.

Incompossibilitas obedientialis.

Cùm autem instatur, Quomodo Corpus, prout ex pane, sit ratio incompossibilitatis; siquidem hoc est præsupponere incompossibilitatem, non autem ostendere per quid sit incompossibile Corpus cum pane. Respondetur, Nasci istam incompossibilitatem ex ipsa natura Corporis, non absolutè, sed vt conuertibile est, & in ordine ad talem actionem conuersiuam. Itaque Corpus ex pane sumitur, non vt destruens panem in actu secundo, & sic præsupponens destructionem, sed vt destructiuum panis in actu primo; quatenùs secundùm potentiam obedientialem conuertibile est totaliter ex tota entitate panis. Ex hoc enim sequitur destructio, non verò ad hoc præsupponitur; & sic Corpus Christi est terminus incompossibilis, & destruens panem consecutiuè: sicut etiam ex positione termini generationis, sequitur corruptio formæ præcedentis. Est autem Corpus Christi destructiuum panis ex sua natura obedientialiter considerata, in ordine ad conuersionem totalem, sicut natura ignis est incompossibilis aquæ ex natura sua, per ordinem ad generationem naturalem; quia in ordine ad aliam actionem bene possunt compati in eodem loco, & sub eisdem accidentibus, vt ostensum est. Et hoc modo Corpus Christi destructiuum est secundum potentiam obedientialem, non solùm substantiæ panis, sed cuiuscumque alterius entitatis, ex qua Deus vellet illud conuertere; quia secundùm potentiam obedientialem omnibus illis opponitur, quæ potest respicere vt terminum à quo; sicut ignis secundùm potentiam naturalem omnibus illis opponitur, ex quibus potest generari.

Incompossibile Christi Corpus, omnibus ex quibus fieri potest, diuina virtute.

Ad quartam difficultatem Respondetur, Quod Christus vt ex pane, non dicit nouam entitatem, & substantiam absolutè, sed respectiuè, & terminatiuè; Quia illamet entitas, quæ alia actione fit, potest etiam per istam attingi sub nouo modo & respectu; Nec tamen dicitur fieri solùm ille respectus, aut panem conuerti in illum respectum, sed in ipsam substantiam conuertitur; vt tamen subest tali respectui, & fundat illum. Sicut idemmet homo qui formatur ex terra, sicut Adam, vel ex sanguine, sicut modo ordinario; vel ex nihilo, sicut per creationem; omnes istas actiones, terminat secundùm substantiam suam, non tamen absolutè, sed prout fundat diuersum respectum & dependentiam & terminationem; & tamen non est solus respectus qui formatur vel creatur, sed substantia sub tali respectu; & sic terminus de nouo factus in ista conuersione, est substantia Christi vt conuersa; quia Concilium dicit, *Quod per consecrationem fit conuersio in substantiam Corporis Christi*. Id ergo quod fit de nouo, est substantia Corporis Christi, non absolutè, sed vt fundat istam conuersionem; Nulla enim actio est quæ producat terminum ita absolutè, quod sub nullo respectu ipsum attingat; quia saltem cum nouo respectu termini à quo, & noua dependentia ab agente, & aliis similibus debet fieri; sicut patet in exemplis adductis de homine formato, creato vel generato.

Terminus ipsa substantia sub respectu, non respectus.

Et idem locus potest terminare ascensum &

descensum; idem gradus qualitatis intensionem & remissionem; & denique idem terminus materialis potest formaliter diuersas actiones terminare, quæ omnes eundem terminum substantialiter & entitatiuè attingunt; verbi gratia eundem locum, eandem qualitatem, eandem substantiam; Et tamen si inquiramus, Per quid differat formaliter vnus terminus ab alio, non inueniemus nisi per illammet entitatem vt fundat talem respectum & terminationem; & sic ipse respectus præcisè non est terminus, sed res ipsa absoluta, vt fundat talem respectum & formalitatem; & provt illum sic fundat, fit de nouo terminatiuè, non entitatiuè: Nec tamen dicetur de nouo produci, quia ad productionem non sufficit fieri aliquid de nouo quomodocumque, sed fieri ex non esse ad nouum esse; non autem vt fundat alium respectum, quàm istum de non esse ad esse, sicut terminum Esse reproductum, est fieri de esse amisso ad esse iteratum; quæ denominationes & respectus desunt in ista conuersione Corporis Christi.

Ad vltimum Respondetur, Quod idem inquantum idem formaliter, non potest specificare diuersas actiones, bene tamen idem materialiter, vt fundat diuersas formalitates & respectus potest terminare postea diuersas actiones, vt in exemplis adductis patet. Cùm autem dicitur, Quod idem immutatum in se non potest de nouo egredi ab aliqua actione, Resp. Quod idem omnino immutatum tam in se, quàm in nouo respectu, quem fundat, non potest de nouo egredi ab aliqua actione; cæterum idem immutatum in suo esse, mutatum autem quoad respectum & dependentiam, potest egredi de nouo ab aliquo agente, quatenùs de nouo facit illam entitatem dependentem à se, & cum nouo respectu ad terminum à quo; ex consequenti autem ponit nouam præsentiam Corporis Christi sub istis speciebus, & loco, quæ præsentia non est primarius terminus, sed consequutus, &c.

Vt ergo res aliqua ita se habeat, quod de nouo fundet omnia ista, oportet de nouo egredi, & sub noua actione fieri (scilicet vt conuersam ex pane) & sic egreditur noua egressione conuersiua, non productiua; & ita manet immutatum in se quoad esse absolutè consideratum, non quoad formalitatem, & respectum quem fundat inquantum conuersum; & sic terminat actionem specie distinctam, quia actio non specificatur à termino materialiter considerato, sed formaliter (scilicet provt fundat talem formalitatem & respectum) ipse autem respectus non est formaliter terminus, sed connotatum termini formalis, & consequutum ad ipsum; formalis verò terminus est ipsa entitas, provt fundat talem respectum, & tale connotatum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Deducuntur Corollaria quædam ex dictis.

EX dictis colligimus quatuor, quorum explicatio dependet ex art. præced. Primò colligitur, Quomodo Corpus Christi dicatur mutari, vel non mutari in ista conuersione. Diximus enim supra non habere Corpus Christi in hac conuersione mutationem physicam, sed metaphysicam; Et intelligimus, mutationem physicam, illam quæ fit in aliquo subiecto communi vtrique extremo;

A mutationem autem metaphysicam intelligimus, aliquam dependentiam, vel influentiam in ipso termino ad quem, non autem in aliquo communi. In hac ergo conuersione constat non fieri mutationem ex parte subiecti communis vtrique extremo, quia constat tale subiectum non dari, cùm non sit conuersio formalis, qua in subiecto mutantur diuersæ formæ, sed totalis, qua tota entitas (tam scilicet materia quàm forma) transit in substantiam Corporis Christi, & sic mutatio subiectiua physica non datur.

Mutatio Corporis Christi in Eucharistia, metaphysica; realis tamē & vera.

Similiter constat in ipso termino ad quem Corporis Christi nullam fieri mutationem, in his prædicatis quæ habet in se, & provt existit in cœlo, B quia nihil perdit Christus in se intrinsecè per istam conuersionem; verè tamen in se recipit nouam dependentiam & influentiam per istam actionem conuersiuam, qua incipit de nouo esse terminus realis illius. Vnde hæc mutatio non dicitur metaphysica, quasi non sit vera & realis actio, realem terminum habens; sed distinguitur à physica, quia non fit per mutationem subiecti, sed termini. Denique ipse panis realiter & physicè mutatur mutatione priuatiua & destructiua de esse ad non esse; de hac tamen non loquimur in præsenti, quia solùm est difficultas de mutatione positiua in ipso Corpore Christi.

C Quibus positis componi possunt diuersæ sententiæ in hac parte; Quidam enim dicunt in Corpore Christi nullam fieri mutationem substantialem, sed mutationem se tenere ex parte panis, qui transit substantialiter in Corpus Christi; quæ est sententia sancti Thomæ in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. vbi inquit, *Quod id in quod terminatur conuersio, nullo modo transmutatur (scilicet Corpus Christi) sed solùm panis, qui conuertitur.* Et idem insinuat in hac quæst. 75. art. 4. ad 1. & 2. & communiter sequuntur Thomistæ aliique Authores, vt Alensis, Richardus, sanctus Bonauentura, Marsilius, & Alij, quas citat Suarez hîc disput. 50. sect. 5. è contra verò Scotus, Durandus, Paludanus, Ocham, & communiter D Nominales tenent hanc actionem inducere mutationem in Corpus Christi.

Mutatio tota substant. ex parte panis; sententia, Aliorū, etiam ex parte Corporis Christi.

Nos dicimus, Sanctum Thomam solùm negare mutationem subiectiuam & physicam, vt patet in loco citato dist. 11. *Vbi*, inquit, *Quod naturalis mutatio non potest pertingere vsque ad variationem materiæ*; Et in toto illo articulo de mutationibus naturalibus loquitur, quæ sunt mutationes physicæ. Et similiter in hac quæst. 75. cit. loquitur de mutatione habente subiectum, quæ vtique physica est, & hanc denegat Corpori Christi. At verò loquendo de mutatione terminatiua, seu metaphysica, qua terminus accipit dependentiam & influentiam ab aliquo agente, non negat sanctus Thomas (nec negari potest) quod sit ali- E qua mutatio in Corpore Christi, inquantum terminus est conuersionis; Non quia aliquod prædicatum substantiale mutetur, & non maneat idem atque antea in Corpore Christi, sed quia nouo modo illa substantia terminat, & dependet ab influentia actionis, quàm antè, & cum nouo respectu ad terminum à quo, scilicet ad panem, ex quo fit conuersio.

Nulla mutatio physica, sed verè metaphysica.

Restat autem duplex mutatio in Corpore Christi; vna primaria & substantialis, qua ista substantia nouo modo dependet à Deo, ita vt si cessaret actio generatiua Virginis, adhuc ex vi istius actionis conuersiuæ haberet esse; & hæc mutatio

Noua in Christi Corpore & substantialis dependentia à Deo.

fundat in Corpore Christi nouam dependentiam à Deo, & nouam terminationem ab eius actione, nouumque respectum ad terminum à quo, qui est panis; & ad talem terminum sic conuersum fit influentia istius actionis conuersiuæ, & consurgit huiusmodi respectus & dependentia. Nec sufficit ad hoc mutatio panis, quia ex parte panis solùm est mutatio priuatiua & destructiua illius; ergo non est sufficiens fundare istam nouam dependentiam, & terminationem positiuam in Corpore Christi, & respectum ad ipsum panem, vt ad terminum à quo.

Nouus in illo modus præsentiæ Sacramentalis; quid illa?

Alia est mutatio secundaria in ipso Corpore Christi, quantum ad præsentiam, quam acquirit sub istis speciebus, & vnionem ad illas; similiterque in ipsis accidentibus consequitur nouus modus essendi, saltem negatiuus, quatenus conseruantur in suo esse sine dependentia à subiecto, vt diximus in libris de Generatione quæst. 9. Quæ tamen mutatio pertinet ad ipsa accidentia. Illa verò præsentia & vnio ad species, recipitur in Corpore Christi, quia ipsum Corpus Christi in se intrinsecè & formaliter constituitur præsens sub istis speciebus; quæ præsentia non est circumscriptiua, quia non est localis, neque modo quantitatiuo, sed indiuisibili, quatenus totum est in toto, & totum in qualibet parte.

Neque etiam est definitiua, sicut præsentia Angeli; quia licèt sit modo indiuisibili, sicut Angelus, non tamen definitur ad certum terminum, ratione cuius vocatur præsentia Angeli definitiua, quia taliter est in vno loco, quod non potest esse in pluribus. Corpus autem Christi ita est sub vna hostia, quod in pluribus & diuersissimis locis simul esse potest. Vocatur ergo illa præsentia sacramentalis, quà habet hunc effectum, vt modo indiuisibili ponat Corpus Christi sub istis speciebus, nec tamen coarctet & limitet Corpus Christi, vt non sit alibi, ideoque non est præsentia definitiua.

Neque est necesse, quod ista præsentia producatur per distinctam actionem ab ipsa conuersione, sed eadem actione conuersiua, qua attingitur substantia Christi ex pane, constituitur præsens sub speciebus; sicut eadem actione qua generatur substantia, constituitur præsens in loco, quia in aliquo loco generari debet. Licèt autem conuersio illa absolutè considerata, & metaphysicè saluari possit sine hoc, quod talem præsentiam indiuisibilem producat, aut vnionem ad species, quia posset Deus ponere hîc Corpus Christi destruendo accidentia panis, & similiter posset conuertere ipsum manente sua naturali & quantitatiua præsentia, non relinquendo ipsum in cœlo; tamen ista conuersio quatenus sacramentalis, habet vim ponendi Christum sub speciebus, vt mediantibus illis reddatur visibilis & sacramentatus: Neque est nouum, quod actio productiua substantiæ vel conuersiua, habeat vim ponendi aliquod accidens in illa, quod non sit propria passio; sicut eadem actione qua fit corpus mixtum, fit consecutiuè color & figura, & alia accidentia, quæ non sint propriæ passiones.

Solùm inquiri potest, Quomodo hæc conuersio differat à creatione, cùm sit actio ex non subiecto; Creatio autem hoc maximè proprium habet, quod facit rem non ex subiecto, neque per modum eductionis, sicut generatio. Vnde etiam sanctus Thomas in hac quæst. 75. art. 3. dicit, *Hanc actionem esse similem creationi, quia non* A *fit ex præsupposito subiecto*; negat autem 1. p. quæst. 45. creationem esse mutationem, quia non fit ex subiecto; ergo ista actio non differt à creatione. Quod si differt per hoc quod creatio est ex nihilo, hæc autem conuersio est ex aliquo, talis differentia est omnino materialis, & per accidens, quia solùm tenet se ex parte termini à quo; vnde non sumitur specifica & essentialis differentia.

Transubstantiatio, alia à creatione actio.

Nihilominus actio ista nullo modo dicenda est creatio, vt docet sanctus Thomas in hac qu. 75. art. 8. Quia ad creationem non solùm requiritur quod res fiat ex non subiecto, sed etiam ex non termino (scilicet ex nihilo) ad conuersionem autem per se requiritur quod fiat ex aliquo termino B positiuo, licèt non fiat in aliquo subiecto communi vtrique extremo, quia est transitus de vno in aliud. Vnde licèt sit terminus à quo, illud extremum ex quo fit conuersio, tamen omnino requiritur ad essentialem & quidditatiuam rationem conuersionis, saltem in obliquo & in connotato, quatenùs conuersio respicit terminum ad quem, non absolutè, sed vt fundat respectum illum ad talem terminum ex quo, quem non fundat terminus creationis, sed purè est ex nihilo. Ad distinguendum autem terminos actionum formaliter & quidditatiuè, non requiritur diuersa entitas de nouo producta, sed eadem vt fundat diuersos respectus ad diuersa connotata; sic enim fit per diuersam viam, & actionem; sicut idem locus quan- C do acquiritur per ascensum, vel descensum; & idem homo quando fit per generationem, vel formationem è terra, vel generationem. Igitur in hac conuersione, terminus à quo refunditur etiam in terminum ad quem de connotato, & attingitur etiam per ipsam actionem, quatenus transmutatur per illam, & sic versatur circa illum.

Conuersionis subiectum, & non subiectum.

Secundò colliges ex dictis, in quo subiecto sit ista conuersio, seu actio; Nam sanctus Thomas in quæst. 75. art. 4. ad 3. dicit, *Quod cum hæc conuersio substantialis importet ordinem quendam substantiarum, quarum vna conuertitur in aliam, est sicut in subiecto in vtraque substantia, sicut ordo & numerus*; statim verò solut. ad 2. dicit, *Quod huius conuersionis non est accipere aliquod* D *subiectum*: Quæ quidem verba prima facie videntur contraria, sed reuera non sunt; quia hoc secundo loco sanctus Thomas loquitur de subiecto sub vtroque extremo manente, & tale subiectum non datur in ista conuersione, sicut in conuersione formali, cui sanctus Thomas istam contraponit. At verò in priori loco loquitur de subiecto inhæsionis, seu denominationis, quod in hac conuersione deesse non potest, cùm vtrumque extremum denominetur mutatum; vnum priuatiuè, alterum positiuè.

Quare cùm in præsenti inueniatur vna actio (scilicet conuersiua) cum duplici mutatione, oportet distinguere de ipsa actione, & de ipsa mutatio- E ne, ad assignandum vnicuique proprium subiectum; Nam actio illa considerata actiuè, vt est ipse actus secundus, ex parte agentis est in Deo; neque est aliud quàm ipse Deus, qui seipso, & non per aliud superadditum est in actu puro, & in actu secundo ad omnes effectus, quos voluerit facere; actio verò instrumentalis, quæ pertinet ad ipsa verba quæ instrumentaliter concurrunt ad istam conuersionem, pertinet ad ipsam virtutem quam Deus imprimit verbis, & in actu secundo constituitur per ipsam actionem vt tenet se ex parte agentis; Actio autem vt tenet se ex parte termini,

mini, & cum ipsa mutatione inuoluitur, est tanquam in subiecto in termino ad quem, eo quod actio sic considerata, identificatur cum suo termino ad quem, sicut fieri cum facto esse; via & motus, cum termino: & sic vbi est terminus, ibi est actio vt terminata. Mutatio autem priuatiua partis non habet subiectum positiuum, quia subiectum eius destruitur, cùm transeat de esse ad non esse; & sic mutatio corruptiua formaliter non habet subiectum positiuum permanens, sed transiens, & destructum; ideoque cum illo transit ipsa mutatio priuatiua. Quia tamen corruptio sequitur ad ipsam generationem effectiuè, ideo corruptio effectiua est in genito, vbi est ipsa generatio, quæ est effectiua corruptio; formalis autem destructio, seu corruptio non habet subiectum existens, sed destructum, nec amplius requiritur ad priuationem seu negationem; vnde non tam habet subiectum inhæsionis, quàm denominationis.

Subiectum priuationis transiens & denominationis.

Solùm obiici potest, Quia actio illa, seu mutatio positiua, tenens se ex parte termini ad quem, est effectiua illius termini; ergo prius natura existit, quàm terminus reddatur existens in facto esse; siquidem effectiuè influit in illum: causalitas autem effectiua supponit existentiam, vt influat; ergo pro illo priori, in quo verificatur quod influit, verificatur quod existit, sed pro illo priori in quo influit, nondum terminus eius est existens, quia per talem actionem producitur; ergo non existit illa actio, neque subiectatur in termino à se producto, siquidem prius influit & existit, quàm terminus sit productus.

Mutatio in fieri & in facto esse; item que creatio.

Hæc difficultas currit etiam in creatione; Quia influxus creatiuus debet cum termino creato identificari, & tamen influit in illum tanquam influxus effectiuus. Respondetur ergo, Quod in illo priori, quo illa actio influit, non intelligitur existens plenè & completè, sed solùm in fieri; Existit autem in facto esse pro alio posteriori, in quo terminus intelligitur productus; in re autem, & quantum ad instans durationis, verè existit. Et cùm instatur, Quod influentia effectiua supponit existentiam; distinguo, Supponit existentiam in sua causa, a qua dimanat, concedo; in ipsamet actione & influentia pro illo priori, nego; sed solùm in re & de facto existit, sicut suus terminus; non autem pro omni prioritate debet intelligi existens in facto esse, sed sufficit quod in fieri, & hoc ideo, quia etiam pro illo priori naturæ ipse terminus, cum quo identificatur, non intelligitur in facto esse, sed in fieri; actio autem & influxus non plus existit, quàm suus terminus, cum quo identificatur.

Tertiò colliges, quomodo possit quælibet res creata conuerti in quamlibet aliam: in qua re plures Authores tenent absolutè; Quodlibet ens posse in quodlibet conuerti, dummodo non conuertatur in Deum, neque Deus in creaturam; quia hoc non potest fieri sine aliqua mutatione & dependentia tam ex parte termini à quo, quia desinit, quàm ex parte termini ad quem, quia nouo modo per actionem illam attingitur, & accipit dependentiam, quam antea non habebat; nec potest etiam intelligi ex ente limitato & creato fieri ens infinitum & increatum. Loquendo ergo de conuersione creaturæ in creaturam, tenet hanc sententiam sanctus Thomas in hanc qu. 75. art 4. ad 3. & Scotus in 4. dist. 11. quæst. 2. & communiter Thomistæ; eamque indubitatam debere esse

Quodlibet in quodlibet conuerti posse vno Deo excepto, sententia.

A Fidelibus scribit Bellarminus lib. 3. de Eucharistia, cap. 15.

Alij tenent non posse propriè fieri conuersionem vnius rei in aliam, nisi vtrique extremo maneat aliquid commune; saltem aliqua accidentia; Quia si nihil in vtroque manet commune, non videtur saluari conuersio, sed pura & sola successio substantiarum, annihilati vna, & producta alia. Sed tamen hoc commune quod manet in vtroque extremo, non potest esse materia panis, vt existimauit Durandus in 4. dist. 11. quæst. 2. num. 6. Quia iam definitum est ab Ecclesia, Nihil substantiæ panis & vini manere, sed dumtaxat B accidentia, vt dixit Concilium Trident. sess. 13. can. 2. Neque etiam debet remanere aliquod prædicatum commune, quia prædicata generica destruuntur destructis inferioribus, in quibus sunt, & cum quibus identificantur.

Durandi, aliquid cōmune vtrique extremo requirens.

Nihilominus aliqui Authores dicunt, requiri ad conuersionem quod maneant aliqua accidentia communia vtrique extremo; Et in hoc conueniunt Vasquez & Suarez; sed ex diuersis fundamentis: Vasquez quidem disput. 184. cap. 2. Quia existimat vnam substantiam non opponi cum alia ex natura sua, sed posse simul cum illa conseruari à Deo; solùm autem non posse ratione alicuius communicationis, qua demonstratur sensibiliter hoc esse totam substantiam ibi contentam, ad quam C demonstrationem faciendam requiruntur accidentia contentiua illius substantiæ.

Vasquez & Suarez, accidentia cōmunia exigens.

Suarez verò disput. 50. sect. 10. existimat requiri quod maneant accidentia separata, vt possit substantia panis desinere; quia ipse existimat substantiam panis non desinere in sacramento ex vi actionis constituentis ibi Christum, sed ex vi alterius actionis separantis accidentia à pane; illis enim separatis, destituitur substantia panis, quasi ablatis dispositionibus, vt affirmat ibi sect. 6. Quare si aliquod accidens non separetur, à quo dependeat conseruatio substantiæ, desitio illius erit pura annihilatio cum successione alterius substantiæ, quod non sufficit ad veram conuersio- D nem: Sed si hoc ita est, etiam non sufficiet ad conuersionem illa remanentia accidentium, quia tunc non destruitur substantia panis ex vi positionis termini ad quem, sed ex altera actione destruente substantiam panis per remotionem accidentium, non per transitum in alterum terminum.

Cæterum sanctus Thomas, citato loco, simpliciter & absolutè affirmat talem conuersionem fieri, quia vtrique formæ, & vtrique materiæ est communis natura entis; & id quod entitatis est in vna, potest Author entis conuertere in id quod entitatis est in altera, sublato eo per quod ab alio distinguebatur. Quæ locutio est generalis de omni E ente creato, nec requirit aliqua accidentia communia manere, sed solùm quod conueniant in natura entis transmutabilis; & tunc entitas vnius conuertitur in aliud, sublato illo per quod distinguuntur; quod est tollere omnia prædicata vnius; quia omnia prædicata, quæ sunt in vno, distinguuntur ab omnibus quæ sunt in alio, licèt per similitudinem conueniant in aliquibus.

S. Thomæ, solam rationem entis communem sufficere.

Quare dicendum est, Quod substantia panis desinit, non ex vi separationis accidentium, sed quia est terminus à quo, ex quo fit Corpus Christi. Quia cùm ista conuersione fiat Corpus ex pane, & verè substantia panis conuertatur in substantiam Corporis Christi, vt definit Concilium Tridentinum, necesse est quod panis ha-

beat rationem termini à quo, respectu Corporis Christi, vt in terminum ad quem; quidquid autem potest esse terminus à quo, in aliqua conuersione, est incompatibile cum termino ad quem; ergo ex vi illius transitus non potest compati cum illo. Non ergo ob istam desitionem oportet recurrere ad separationem accidentium, vt facit Suarez, sed ad incompatibilitatem cum termino ad quem, & transitum in illum; & multo minus ad verificationem verborum, vt recurrit Vasquez; siquidem Christus vt conuersus necessariò habet incompossibilitatem cum eo termino, à quo, vnde fit conuersio; & sic destruit illum; licèt non repugnet per aliam actionem non conuersiuam panis in Corpus Christi, poni illud Corpus simul cum pane, si Deus vellet; vt supra latè declaratum est.

Quod si panis & vinum habent rationem termini à quo, possunt conuerti in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, etiamsi accidentia illa non manerent, sed destruerentur; eadem ratione potest quæcumque res conuerti in aliam, siue remaneant accidentia siue non; quia non habent maiorem proportionem panis cum Corpore Christi, & vinum cum eius Sanguine, vt in illum conuertantur, quàm ignis cum lapide, vel cum aqua, aut quodlibet ens cum alio ente; siquidem tota vis istius conuersionis non nititur in proportione ipsorum extremorum inter se, sed in virtute infinita Dei, qui totius entis est author, & potest hanc entitatem in illam conuertere, vt dicit sanctus Thomas, sicut potest ex nihilo rem quamlibet facere. Vnde quod dixit Paludanus, Requiri ad hanc conuersionem vt extrema sint eiusdem materiæ, quia ea quæ in materia communicant, sunt conuertibilia; non tenet in hac conuersione, sed in conuersione formali, vbi duæ formæ succedunt in eadem materia, quia est capax vtriusque: in hac autem conuersione non supponitur materia capax vtriusque, quia ipsa etiam materia conuertitur in aliam. Cùm autem dicitur, Quod ad veram conuersionem requiritur, quod maneat aliquid commune vtrique extremo, & non purè sit successio duarum substantiarum.

Paludani opinio, quod extrema sint eiusdem materiæ, hic non vera.

Respondetur, Non requiri quod maneat aliquid commune physicè, siue substantiale siue accidentale; sed sufficit quod maneat aliquid commune logicè, vel metaphysicè; id est, aliquid simile, licèt non idem; Neque enim aliquod prædicatum quod est in pane, manet idem in Corpore Christi, sed totaliter destruitur substantia panis; manet tamen aliquod prædicatum simile, saltem in ratione entis, quia conueniunt in natura entis; & non requirit amplius sanctus Thomas in verbis supra relatis, nisi quod vtrumque extremum conueniat in ratione entis, vt possit hæc entitas transire in illam.

Ratio entis vna sufficit.

Quod verò aliquid physicum commune vtrique extremo remaneat, non requiritur; Nam nihil substantiale commune remanere in hac conuersione certum est de fide. Quod verò remaneant accidentia, est omninò extrinsecum huic conuersioni in se, & substantialiter consideratæ; quia illa accidentia non se habent vt extrema conuersionis, neque vt terminus à quo, quia non desinunt; neque vt terminus ad quem, quia in illa non fit conuersio; ergo non requiruntur intrinsecè ad istam conuersionem, siquidem intrinsecè & essentialiter perficitur conuersio ipso transitu vtriusque extremi; Accidentia ergo solùm manent vt aliquid

Accidentia per accidés se habent ad conuersionem.

A extrinsecè contentiuum, non vt pertinens intrinsecè ad substantiam panis.

Vltimo colliges ex dictis, In hac conuersione panem non annihilari. Communis est hæc sententia inter Thomistas, & illam docet sanctus Thomas hîc art. 3. licèt aliqui Authores dixerint panem annihilari, vt Gabriel, Maior, Ocham, & Alij, tribuiturque Scoto in 4. dist. 11. quæst. 4. qui tamen modum loquendi de annihilatione conatur vitare. Aliqui etiam censurant hanc opinionem esse erroneam, vt Soto in 4. dist. 7. qu. 2. art. 4. tamen sanctus Thomas solùm appellat illam falsam. Neque est dubium quod considerando hanc conuersionem vt includit vtramque mutationem, tam circa Christum quàm circa panem, non possit dici annihilatio, quia sic tolleretur conuersio, quod est contra fidem; Neque enim daretur terminus positiuus in quem conuersio fieret, si totum esset annihilatio. Vnde nullus Theologus sentit totam hanc conuersionem annihilationem esse, sed solùm loquendo de mutatione illa, quæ est circa panem præcisè, quæ est mutatio priuatiua, seu destructiua, dicunt illi Authores esse annihilationem, quia provt sic panis totaliter desinit; & pro hac parte volunt esse annihilationem panis, quæ tamen coniuncta alteri mutationi positiuæ circa Corpus Christi, sufficit ad conuersionem constituendam, quæ ex illa duplici mutatione consurgit, licèt altera dicatur annihilatio.

Non annihilare substantiam panis.

B

C

Nihilominus ratio quare negatur annihilatio panis, variè redditur à Theologis; nec omnes sufficienter eam attingunt; Quidam enim intelligentes annihilationem solùm considerari, & tenere se ex parte termini destructi, dixerunt aliquid positiuum panis remanere, ratione cuius non dicitur annihilari; sed modò hoc est erroneum post definitionem Tridentini. Alij posuerunt non esse annihilationem, quia remanet substantia panis in potentia obedientiali; siquidem potest Deus iterum conuertere Corpus Christi in panem; & sicut in corruptione naturali non annihilatur forma, quia manet in potentia materiæ, ita nec annihilatur panis, quia manet in potentia obedientiali Corporis Christi; sed hoc modo etiam manet in potentia obedientiali cuiuscumque rei, quia ex quacumque re potest Deus conuertere, & facere de nouo illum panem: hoc autem modo etiamsi annihilaret cœlum, vel Angelum, maneret in potentia obedientiali aliarum rerum, quia ex quacumque re posset per conuersionem reproduci à Deo, nec tamen propterea dicitur non annihilari.

Varij modi explicandi, cur non sit annihilatio hæc mutatio.

D

Alij dicunt manere aliquid panis (scilicet accidentia quæ ad panem pertinent) & ita aliquid de illo manet non substantiale, sed accidentale: Sed hoc nihil est, Quia bene potest Deus annihilare vnam entitatem sine alia, scilicet substantiam sine accidentibus; cùm ergo accidentia sint distinctæ entitates à substantia, quid prohibet annihilari substantiam non annihilato accidente, si suspenderet Deus concursum suum?

E

Alij dicunt non annihilari, Quia manet illa substantia imbibita & absorpta in Corpore Christi; vel quia eius desitio ordinatur à Deo ad ponendum hîc Corpus Christi; sed illud absorberi, & imbibi in Corpore Christi, non dicitur propriè, sed metaphoricè; quia panis sic imbibitus non manet panis, sed totaliter desinit; Cur ergo illa desitio non est annihilatio, licèt vocetur absorptio? illa verò ordinatio ad ponendum Christum, non tollit veram annihilationem, quia est ordina-

tio extrinseca, & solùm ex voluntate Dei, non A per se intrinsecè in desitione panis inclusa; nisi id reducamus ad rationem sancti Thomæ statim ponendam; sola autem extrinseca ordinatio non tollit annihilationem, si aliàs in se est totalis desitio.

S. Thomæ vera opinio; non annihilari panem, eo quod conuertitur in aliquid.

Quare melius sanctus Thomas annihilationem negauit, non considerando aliquid positiuum, siue in actu siue in potentia, quod remaneat de ipso pane (verè enim totaliter desinit) sed considerando ipsum modum desinendi, quia conuertitur in aliquid, non autem vertitur in nihil; annihilari autem est conuerti in nihil. Et sic inquit sanctus Thomas in hac quæst. 75. art. 3. ad 3. ***Quod quia*** B ***id, in quo est conuersa substantia panis, est aliquid (scilicet Corpus Christi) ideo substantia panis non est annihilata.*** Tota ergo ratio apud sanctum Thomam negandi annihilationem panis est, quia panis conuertitur in aliquid; ergo non annihilatur. Patet consequentia, Quia annihilari est conuerti in nihil; ergo si conuertitur in aliquid, non annihilatur, licèt ex consequenti destruatur ex positione termini incompossibilis cum illo.

Itaque ad annihilationem non sufficit quod aliquid in se maneat destructum, & non habens esse; sed vlterius requiritur, quod nec maneat in se, nec de illo aliquid fiat: Si enim de illo fit aliquid, ipsum non fit nihil, ergo non annihilatur; C quia nihil aliud est annihilatio, quàm fieri nihil. Frustra ergo laborant, qui ad negandam annihilationem recurrunt ad hoc, quod remaneat aliquid de tali re, siue in actu, siue in potentia; Quia etiamsi non remaneat, tamen si ex illo fiat aliquid, hoc ipso non annihilatur, quia non fit nihil. Sufficit ergo quod remaneat aliquid, quod ex illa re fit, licèt res ipsa totaliter desinat in se consecutiuè & secundariò; sed desitio consequuta ad aliquid factum non sufficit ad annihilationem, quia talis desitio etiam in quacumque corruptione, quæ consequitur ad generationem, inuenitur; sed oportet quod per se & directè tendat in nihil, ita quod terminus ad quem, siue in quem desinit, D sit ipsum nihil; non autem terminus ad quem sit aliquid positiuum, ex quo consequitur desitio eius, quod se habet vt terminus à quo: Et inde est, quod in annihilatione non requiritur actio, sed potius suspensio actionis & influxus; quia purum nihil non habetur ex influxu positiuo, sed ex ablatione influxus.

Vasquez sent. explosa; Non esse annihilationem, propter verba consecrationis.

Pater Vasquez hîc disput. 183. cap. 3. suam sequens sententiam, docet ideo panem non annihilari quia conuertitur in aliquid; Annihilatio autem est conuerti in nihil. Et quantum ad hoc bene dicit; Subdit autem, Ideo conuerti in aliquid, & non in nihil, quia enuntiatur per verba Sacerdotis Hoc esse Corpus Christi, quod non verificatur nisi destructa substantia panis. Quia ergo destruitur E faciendo aliquid, id est, consecrando, seu dicendo illa verba, ideo non annihilatur panis; quia consecrando destruitur, non annihilando. Sed est planè ridicula explicatio; Nam illa actio enuntiandi, seu pronuntiandi verba consecrationis, non facit aliquid nisi verba, quæ vtique in se, non sunt aliquid incompatibile ipsi substantiæ panis, cùm illi extrinseca sint, & solùm extrinsecè denominent: significatio autem verborum intantum est vera, inquantum à parte rei ita est, sicut per ipsa significatur. Cùm ergo per verba significetur Hoc esse Corpus Christi, ita quod nihil ibi sit nisi Corpus Christi, restat videre quid in re ponatur, vel fiat, per quod destruatur panis? An sola suspensio influxus conseruantis panem, an verò aliqua substantia, seu terminus illi incompossibilis: Si hoc secundum, est nostra sententia; si primum, est annihilatio in re, quia in re destruitur panis per suspensionem influxus. Quod verò pronuntientur verba significantia talem destructionem, seu suspensionem, nihil omninò obstat, quia illa verba extrinsecè se habent, & non tollunt in re annihilationem fieri, si in re per solam suspensionem influxus desinit panis: sicut si aliquo pronuntiante annihilationem Angeli, Deus illum annihilaret, talis pronuntiatio non tolleret quin esset vera annihilatio.

Suarez explosa opinio; Non annihilari quod accidentia separentur.

Denique Pater Suarez hîc dispur. 50. sect. 7. sentit, quod panis non annihilatur, quia desinit non per suspensionem concursus, sed ex vi alicuius actionis positiuæ; hanc tamen actionem dicit esse illam, qua Deus separat accidentia, & ponit illa sine subiecto; inde enim sequitur panem desinere, quia sine accidentibus non potest conseruari. Vnde consequenter concedit, Quod si Deus separaret accidentia, & tamen non conuerteret substantiam panis in Corpus Christi, vel in aliquam aliam substantiam, adhuc substantia panis non annihilaretur, quia desineret per illam actionem separatiuam. Quid autem esset tunc illa desitio, vel in quid desineret panis, non explicat Suarez; sed solùm dicit esse desitionem innominatam, & generali nomine vocari desitionem panis.

Sed hoc est inintelligibile, Quia non potest in re dari aliqua mutatio genetica, quæ non habeat determinatam speciem: Omnis autem priuatiua mutatio & desitio rei, vel est in ipsum purum nihil, vel in aliquid; Si conuertitur in nihil, est annihilatio; si in aliquid, assignetur ille terminus in quem desinat panis in tali casu, siquidem nulla res est in quam conuertitur, nec aliqua substantia ibi succedit. Quare sola separatio accidentium non destruit substantiam, nisi habeat adiunctam aliam actionem substantialem, vel generatiuam vel conuersiuam totius substantiæ: sicut in generatione, destructio dispositionum non destruit substantiam, nisi quia habet adiunctam introductionem aliarum dispositionum, & productionem formæ substantialis; Quare ratio sancti Thomæ sola est efficax.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quid sit præsentia Corporis Christi in hoc Sacramento, & quomodo cognoscatur?

Christi Corporis præsentia in Sacramento.

CErtum est de fide Corpus Domini esse præsens realiter in hoc Sacramento sub speciebus consecratis, tali modo, quod in qualibet parte specierum sit totus Christus, vt constat ex definitione Trident. sess. 13. cap. 3. & can. 3. vbi dicitur, *Si quis negauerit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub vtraque specie, & sub singulis cuiuscumque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, Anathema sit.* Ex qua definitione constat Corpus Christi Domini ita esse præsens in hoc Sacramento, quod non sit modo locali, & quantitatiuo, sicut corpus circumscriptum loco, quod est totum in toto, & pars in parte; sed ad modum rei spiritualis, quæ cùm careat partibus, indiuisibiliter est tota in qualibet

parte: sic Corpus Christi ita est in toto pane, quod in qualibet illius parte, vel puncto, vbi posset esse substantia panis si non consecraretur, manet tota substantia Corporis Christi, & non solùm pars illius; siquidem fracta hostia, & separatione facta, in qualibet particula totus Christus sumitur, non pars illius tantùm.

Quare præsentia ista Corpus Christi duas habet conditiones; vnam, in qua conuenit cum præsentia rei spiritualis; alteram, in qua excedit illam. Conuenit in eo quod vtraque modo indiuisibili facit rem præsentem (scilicet totum in toto & totum in qualibet parte) excedit autem in eo, quod vbi seu præsentia rei spiritualis, licèt sit indiuisibilis, tamen quia oritur à virtute finita & limitata, ita coarctatur & definitur ad certam distantiam & locum, quod vltra illam sphæram non est; & ideo vocatur vbi definitiuum; At verò præsentia Corporis Christi oritur ex virtute infinita Dei, conuertentis panem in ipsum; vnde ita est in vno loco & sacramento, quod non definitur & limitatur, vt non sit in alio; & ideo non est vbi definitiuum, sicut præsentia Angeli, licèt sit modo indiuisibili; sed vocatur Præsentia Sacramentalis, quia ita est indiuisibiliter & totaliter in qualibet hostia, & in qualibet parte illius, quod etiam in aliis hostiis & locis esse potest, si ibi consecretur panis.

Præsentia sacramentalis, altior præsentia definitiua rei spiritalis.

Licèt autem non sit difficile intelligere, quod aliqua substantia corporea, remòta quantitate indiuisibilis maneat formaliter, quia non habet formam extensionis & diuisibilitatis, quæ est quantitas, sed solùm est radicaliter diuisibilis; posset tamen aliquis quærere, An maneat quantitas in Corpore Christi, supposito quod est præsens modo indiuisibili; & vnde constet quantitatem manere sine suo proprio modo diuisibili, sed ad modum substantiæ?

Respondetur constare quod omnia accidentia absoluta Christi, quæ habet in cœlo, & pertinent ad designationem & indiuiduitatem talis Corporis (quorum præcipuè est quantitas) reperiuntur in hoc Sacramento; idque deducitur ex principiis fidei certa ratione, ita vt oppositum, aut esset erroneum, aut temerarium. Ratio est, Quia de fide constat, & ex verbis Christi, hîc poni Corpus suum, esseque veram Carnem & Sanguinem illius: Illud autem est Corpus suum, quod habet ipse in cœlo vnitum tali formæ; hæc autem vnio formæ ad materiam, requirit dispositiones & accidentia, sine quibus non fit; ergo necesse est quod quantitas & accidentia Christi remaneant in hoc Sacramento, nisi ponamus speciale miraculum, quo Deus de potentia sua conseruat vnionem formæ ad materiam sine vlla dispositione, quod tamen sine fundamento diceretur; quia est certissima regula in hac materia, Nullum esse ponendum miraculum in Eucharistia, quod non exigatur ex vi consecrationis; Constat autem ex vi consecrationis non exigi quod forma sit in materia sine dispositionibus, quin potius oppositum exigunt illa verba, *Corpus meum*: Est enim Corpus Christi quod est organizatum & temperatum, sicut corpus humanum; quod vtique sine quantitate & qualitate disponentibus stare non potest.

Vnde quod Corpus Christi cũ quantitate, etsi modo indiuisibili, in Eucharistia.

Item vera caro & verus sanguis exigunt diuersa temperamenta, quia sanguis est liquidus, caro est densior, & ossa sunt duriora, quod sine accidentibus intelligi non potest; scilicet raritate, densitate, quantitate, organizatione. Dicere autem, A quod formaliter non est hîc Caro Christi neque Sanguis, sed radicaliter, quia est substantia Christi exigens dispositiones illas carnis & sanguinis, non tamen actu illis affecta; omnino esset erroneum & temerarium, quia contra omnes Doctores Scholasticos, & contra proprium & per se significatum illius nominis *Caro & Sanguis*, quo significatur corpus sic dispositum, & illis accidentibus affectum, quibus caro & sanguis organizantur & distinguuntur. Itaque accidentia ista absoluta entitatiuè sunt in Corpore Christi, licèt non modo quantitatiuo; quia iste modus non pertinet ad essentiam ipsam quantitatis, sed ad localem extensionem, quæ est secundarius illius effectus, & potest impediri de potentia absoluta: B Accidentia autem relatiua in ordine ad locum & situm, possunt variari in cœlo & in Sacramento.

Secundò inquiri potest, An ex vi huius præsentiæ maneat Corpus Christi vnitum speciebus sacramentalibus, & quæ vnio sit illa? Nam quod sit vnitum, dubitari non potest; Quia ad motum specierum mouetur etiam Corpus Christi; Neque enim quando mouetur hostia, remanet Corpus Christi extra illam; Non posset autem moueri ad motum specierum, nisi esset illis coniunctum; quia nihil mouetur ad motum alterius, nisi illi coniunctum sit. Quænam verò sit ista vnio difficillimum est explicare; C Neque enim illa accidentia inhærent Corpori Christi, cùm non sint accidentia ipsius, sed panis; ergo illa vnio non est per inhærentiam, qua in accidentibus contineatur Corpus Christi, sicut liquor continetur in vase, vel corpus sub veste; quia Christus Dominus non est modo locali & circumscriptiuo intra illas species, sed modo indiuisibili: ponere autem vnionem spiritualem Corporis Christi erga illa accidentia, non videtur habere fundamentum, quia Corpus Christi nullum spiritualem effectum communicat accidentibus, nec accidentia illi, sicut neque aliquem substantialem effectum; quia solùm posset esse sustentatio accidentium, quæ tamen sine subiecto D sunt; vnio autem ex effectu suo dignoscitur An sit substantialis vel spiritualis; sine aliquo autem effectu spirituali & substantiali, non apparet quomodo illa vnio dicenda est spiritualis, vel substantialis.

Vnio Corporis Christi cum speciebus.

Respondetur ergo, Talem vnionem, seu coniunctionem non habere similem inter naturales: Maximè autem assimilatur illi, qua duo corpora sunt penetratiuè; vel potius si vna substantia denudata quantitate intra aliam quantitatiuam poneretur. Cùm enim quantitas in istis speciebus consecratis se habeat ad modum corporis per se existentis, eo modo iudicandum est de corpore aliquo intra illam quantitatem contento, ac de corpore penetrato cum alio, quod quidem vniretur illi, seu E coniungeretur taliter, quod vbi esset vnum, esset alterum, & moto vno, moueretur alterum; & tamen accidentia vnius non inhærerent in altero, nec vnum circumscriptiuè contineret alterum; sed solùm dicitur coniunctum penetratiuè, quia intra terminos alterius ingreditur, & ipsa penetratione copulatur, nec potest diuelli nisi ab eo qui penetrauit, vel destructo illo corpore cum quo penetratum est: Ad eum modum Christus ex pane conuersus, intra terminos illius quantitatis separatæ manet, quasi penetratiuè se habens cum illa quantitate, & loco panis subrogatus sine inhærentia talium accidentium; sed tamen propriè & in rigore non dicitur penetratus, quia Corpus

Ipsa singularis, & sine exemplo in natura: affinis penetrationi intra aliud corpus.

Christi non est modo quantitatiuo in ordine ad locum, & sic non indiget penetratione vt sit cum altero.

Et ideo diximus, Magis propriè se habere, sicut si vna substātia sine quantitate intra terminos alterius poneretur: Tunc enim solùm dicitur penetrari, quia intra terminos illius est; nec tamen tunc quantitas illa inhæreret, aut circunscriberet substantiam positam intra se: Sic Corpus Christi intra terminos quantitatis separatæ ponitur loco panis, nec inde potest auelli, quia motu locali moueri non potest, & consequenter nec dimoueri; & aliàs ipsa penetratione, vel conuersione intra terminos quantitatis manet applicatum, & consequenter coniunctum; quæ vnio seu applicatio dissolui non potest per motum localem, vel aliam actionem naturalem, quia nulla opponitur illi penetrationi vel positioni intra terminos quantitatis, sed solùm potest desinere ibi esse, aut destructis accidentibus, quibus est coniunctum, aut Deo ipso separante. Dicuntur tamen illa accidentia continere Corpus Christi, non quia circundant illud, sicut superficies vasis circundat liquorem, sed quia intra suos terminos illud habent & continent; sicut contineretur substantia panis si ibi esset, aut aliud corpus penetratum.

Christi Corpus videri non posse oculo corporeo, sub eo modo, quo est in Sacramento.

Tertiò inquires vtrum ista præsentia & vnio Corporis Christi sub speciebus, possit videri aliquo oculo corporeo, saltem glorificato? Respondetur negatiuè; ita quod nec ista præsentia, neque Corpus Christi vt affectum illa, manet visibile, nec intra sphæram visibilitatis. Ita sanctus Thomas, hîc quæst. 76. art. 7. & communiter eius Discipuli; licèt aliqui Authores sentiant miraculosè posse videri Corpus Christi vt existens sub hoc sacramento; idque concedunt oculis Christi Marsilius, Bonauentura, Scotus, & Alij apud Suarez hîc disput. 53. sect. 4. Et videtur fauere sanctus Thomas art. 7. cit. ad 2. Et idem priuilegium tribuit beatæ Virgini Alensis 4. p. quæst. 40. memb. 3. art. 8. §. 2. Nec desunt Authores, qui existimant posse Christum sub præsentia sacramentali videri naturaliter, licèt impediatur propter meritum fidei. Et ratio est, Quia modus istius præsentiæ non impedit videri Corpus Christi confusè, sed solum distinctè secundùm singulas partes; absolutè tamen potest videri sicut totum quoddam confusum, qualiter si duo corpora penetrantur vtrumque videtur confusè.

Videri Christi Corpus oculo corporeo sub præsentia sacramentali, non potest.

Nihilominus resolutio sancti Thomæ certa est; Et fundamentum est, Quia ille modus præsentiæ reddit Corpus Christi indiuisibili modo correspondens ipsis speciebus, ita quod sit totum in toto, & totum in qualibet parte; ergo eodem modo correspondebit ipsi aëri, seu medio per quod fit visio, & ipsis oculis, quibus fit visio, (Non enim aliter correspondet medio, quàm ipsis speciebus.) Talis autem correspondentia non est materialis, neque sensibilis, sed extra omnem modum quantitatiuum: Quod autem caret modo quantitatiuo, caret modo sensibili, quia modus sensibilis fundatur super accidentia sensibilia, quorum primum est quantitas modo extenso disposita; si ergo videretur corpus tali modo affectum, videretur modo non sensibili; sed visus essentialiter est potentia sensitiua, ergo obiectum vt affectum modo non sensibili est extra specificatiuum visus, quamdiu manet sub tali modo; sicut remoto modo intelligibili non potest aliquid attingi ab intellectu. Nec obstat quod illud corpus potest manere lucidum, aut coloratum; Quia lux & color non reddunt rem visibilem corporaliter, nisi provt modo corporali & sensibili affecta; Si enim considerentur sine modo sensibili, non sunt obiectum visus, sed intellectus, qui etiam intelligit colorem & lucem, alio modo quàm sensus; scilicet abstrahendo à modo sensibili (qui vtique est modus extensus, & quantitatiuus) ergo sine illo non videntur ab oculo corporeo.

Ad fundamenta contraria, Respondetur; Ad fundamentum quidem secundæ sententiæ, dicitur, Quod confusio & distinctio partium potest dupliciter intelligi; Vno modo confusione eiusdem ordinis & lineæ, (scilicet confusione quantitatiua) sicut cùm plures partes addensantur & confunduntur, vel plures res à longè videntur; & ista confusio videri potest, quia sensibilis & quantitatiua est: Alio modo confusione extra lineam quantitatis, & ad modum indiuisibilem & spiritualem pertinentem, sicut si substantia denudetur quantitate, vel modo quantitatiuo & extenso in ordine ad locum; & talis modus inuisibilis est.

Ad fundamentum alterius sententiæ Respondetur, Implicationem sumi ex dictis; Quia illa præsentia, vel corpus sub illo modo, sunt extra sphæram obiecti sensibilis; implicat autem potentiam cognoscentem tendere in obiectum quod est extra sphæram suæ propriæ & adæquatæ specificationis.

Et hinc etiam soluitur fundamentum Vasquez hîc disput. 191. cap. 2. qui putat miraculosè posse Christum videri in Sacramento, quia habet colorem, & aliàs indiuisibilitas non obstat, quia solùm est priuatio extensionis ad locum, sine qua calor videri potest; Sed dicimus colorem cum tali priuatione manere inuisibilem & insensibilem, quia modus ille indiuisibilitatis est proprius rei spiritualis, & ab omni modo sensibili extraneus; & ideo coloratum sub tali modo solùm spiritualiter potest attingi, non sensibiliter.

Adhuc tamen faciunt vim verba S. Thomæ art. 7. cit. ad 2. vbi dicit, *Quod oculus Christi videt seipsum sub Sacramento existentem; non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub Sacramento: nec tamen est simile de alio oculo glorioso, quia etiam oculus Christi est sub hoc Sacramento, in quo non conformatur ei oculus gloriosus*. ergo si Christus sub hoc Sacramento existens videt seipsum, non est extra sphæram visibilitatis, & consequenter videri potest à quolibet oculo, saltē per miraculum.

Et confirmatur ex ipso sancto Thoma in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 4. quæst. 1. ad 1. vbi expressè dicit, *Quod oculus Christi extra species sacramentales existens, non videt seipsum intra species sacramentales existentem, nisi miraculosè; & similiter alij oculi gloriosi non vident ipsum hîc, nisi fortè per miraculum*: qua auctoritate fundatur Vasquez.

Christi oculus existens Sacramento, vt videat seipsum.

Respondetur, Oculum Christi existentem in Sacramento videre seipsum existentem ibi materialiter & specificatiuè, quatenus retinet visionem sui in cœlo, non tamen formaliter & reduplicatiuè, quatenus afficitur modo sacramentali, vt patet ex verbis subiunctis; *Non tamen potest videre modum ipsum, quo est sub Sacramento*: ergo Corpus sub illo modo visibile non est, quia non potest sub illo modo videri, nisi modus ipse attingatur. Quia ergo Christus in cœlo seipsum videt, & ille met oculus ponitur in Sacramento cum visione quam habet, ideo dicitur Christus in Sacramento seipsum videre; non tamen provt in Sacramento reduplicatiuè, sed seipsum absolutè.

Vnde sic est construenda litera, Quod oculus Christi sub Sacramento, videt seipsum existentem, non tamen existentem sub Sacramento.

Quod si instes, Ergo hoc modo etiam alij oculi gloriosi (verbi gratia beatæ Virginis) videbunt Christum, non prout in Sacramento reduplicatiuè, sed materialiter & specificatiuè; & sic non est differentia inter alios oculos gloriosos, & oculos Christi.

Respondetur differentiam inter oculum Christi & alios oculos gloriosos non esse ex parte obiecti visibilis, quatenus subest modo sacramentali (sic enim nullus oculus videt ipsum) sed ex parte subiecti videntis; quia oculus Christi continetur sub Sacramento, retinendo visionem sui, quam habet in cœlo; & ita in Sacramento videt seipsum, licèt non prout in Sacramento. Alij verò oculi gloriosi, neque in Sacramento ipsum vident, quia non continentur in Sacramento, nec prout in Sacramento existentem, quia sic non est obiectum visibile.

Ad confirmationem Respondetur, Ibi loqui sanctum Thomam dubitatiuè ex aliorum sententia, vt patet ex illa particula, *Nisi fortè per miraculum*, in præsenti autem loquitur resolutiuè, & ex propria sententia. Vel si sustinendum est, quod ibi etiam loquitur ex propria sententia, Respondetur, Quod oculi gloriosi, tam Christi quàm aliorum non vident ipsum nisi miraculosè; subintellige, nisi miraculosè apparendo in hostia; & pro casu miraculosæ apparitionis verificatur dictum sancti Thomæ; sed tali miraculo posito etiam ab oculo non glorioso potest videri, quod ibi non negat sanctus Thomas, licèt expresè non affirmet, quia solùm agit de oculo glorioso.

Videri miraculosè, in figura apparente, non sub modo Sacramentali.

Quartò inquires, An Angelus naturaliter, seu naturali lumine possit attingere præsentiam Christi in Sacramento? Per lumen enim supernaturale, seu per reuelationem, non est dubium, quod non solùm Angeli, sed etiam nos possumus illam præsentiam attingere hic per fidem, & in cœlo per visionem. Respondetur negatiuè; Quæ est sententia sancti Thomæ hic quæst. 76. art. 7. vbi inquit, *Quod nec etiam intellectus Angelicus secundùm sua naturalia sufficit ad hoc intuendum.*

Modus præsentiæ sacramentalis, nec Angelo per naturam visibilis.

Aliqui tamen authores oppositum tenent, pro qua sententia refertur Scotus in 4. dist. 10. qu. 8. Maior & Ocham, Gabriel & alij. Et fundamentum esse potest, Quia ille modus, quem habet Corpus Christi, non est aliquid supernaturale quoad substantiam, sicut gratia & charitas, cùm sit quid corporeum, vtpote receptum in Corpore Christi; neque est quid morale, sicut cogitatio cordis; ergo non est cur non possit aliquo lumine naturali (saltem Angelico) attingi.

Opposita sententia.

Nec obstat, Quod ille modus fit virtute supernaturali; Nam etiam mortuus suscitatur virtute diuina, & duo corpora per miraculum penetrantur, & dotes gloriosæ dantur corpori virtute supernaturali, & tamen isti effectus naturaliter videntur ab Angelo; ergo etiam ille modus, licèt supernaturaliter fiat. Et vrgetur in ipsa Anima Christi, quæ in hoc Sacramento non induit modum indiuisibilem, quem ipsa de se non habeat, siquidem spiritualis est; ergo saltem Anima Christi, prout in Sacramento, videtur ab Angelo; illa autem est vnita corpori, ergo videt corpus vt terminum illius. Possunt etiam accumulari & alia Argumenta, quæ fiunt circa humanitatem Christi, An videatur ab Angelo vt subsistens subsistentia increata: Sic in præsenti Angelus videt Corpus Christi, eiusque quantitatem, & non videt modum extensionis ad locum, quo caret; ergo videt illum modum indiuisibilem quem habet: Similiter videt absentiam panis, & accidentia non inhærentia; ergo videt illa esse per se sine subiecto; ergo etiam videre potest quod loco panis ibi contineatur.

Nihilominus dicendum est, Modum illum sacramentalem in se directè videri non posse ab Angelo naturali lumine; si verò aliquos effectus naturales habet circa operationem vel passionem Corporis Christi, videbitur ex parte effectuum, non in se: Sicut dici solet in materia Incarnationis de subsistentia increata, & vnione hypostatica humanitatis. Ratio est, Quia præsentia illa sacramentalis nulli rei naturali est debita, neque connexionem cum illa habet, ergo neque habet speciem naturalem repræsentatiuam sui, neque lumini naturali proportionata est. Consequentia patet, Quia lumen naturale Angeli non se extendit nisi ad res naturales, quæ connexionem habent cum hoc vniuerso; aliàs si vltra istud vniuersum naturaliter potest Angelus cognoscere, naturaliter debentur illi species rerum possibilium, quæ latent in omnipotentia Dei; neque erit maior ratio cur istarum rerum, & non aliarum species habeat. Antecedens verò probatur, Quia omnis connexio cum aliqua re, solùm in tribus fundari potest; Vel quia est debitum alicui rei naturali, vel quia habet aliquas naturales causas, vel quia aliquos naturales effectus, in quibus communicat cum rebus naturalibus; sicut homo qui resurgit, vel visus qui datur cœco, licet per causas supernaturales fiat, tamen in se aliquid naturale est, & effectus naturales sortitur; sicut etiam claritas, & agilitas corporis gloriosi supernaturaliter datæ. Præsentia autem sacramentalis non debetur alicui corpori, quinpotius ipsi modo extensionis quantitatiuo & connaturali contrarius est; Neque fit per causas naturales, quia à solo Deo potest produci supra omnem naturam corporis; Nec denique habet aliquos effectus naturales, quia Corpus Christi sub illo modo neque potest agere, nec pati à causa naturali; vel si aliquos effectus habet, illi videbuntur ab Angelo, non ipsa præsentia.

Asserta opinio negans sancti Thomæ.

Ad fundamenta opposita, Respondetur; Ad primum dicitur, Modum illum præsentiæ esse supernaturalem, quia est participatio quædam diuinæ immensitatis, sicut gratia & charitas sunt participationes diuinæ naturæ & voluntatis; differenter tamen, quia gratia & virtutes ordinantur ad fruitionem diuinam, ad quam eleuant creaturam rationalem; ista autem præsentia solùm ordinatur ad reddendum Corpus præsens modo illo particulari, qui est participatio diuinæ immensitatis; quatenus non solum reddit corpus indiuisibiliter præsens, sicut res spiritualis, sed etiam sine termino definitiuo præsens, sed vbicumque conseruari potest; in quo excedit præsentiam rerum spiritualium, quæ definitiua est; & ita non est solùm participatio præsentiæ spiritualis creatæ, sed ipsius immensitatis Dei.

Modus Corporis Christi in Eucharistia, supernaturalis, & participatio diuinæ immensitatis.

Nec obstat, quod sit aliquid corporeum subiectiuè, & ex parte eius in quo est; sufficit quod participatiuè sit aliquid diuinum. Sicut etiam vnio hypostatica, ex parte Corporis Christi est aliquid corporeum, & tamen non potest ab Angelo cognosci, quia est ordinis diuini.

Ad exempla quæ adducuntur, de effectibus virtute supernaturali & diuina factis, Respondetur; Ad primum, Illos effectus esse naturales entitatiuè, licèt ex modo faciendi sint supernaturales; sicut vita mortui, oculus cæci, vbi penetratiuum intra corpus alterius. Ad secundum de dotibus gloriæ, dicimus quod si entitatiuè sunt supernaturales (quod non est certum) tamen habent aliquos effectus in rebus naturalibus, sicut lux gloriosa lucet & illuminat, & agilitas mouet corpus gloriosum, aut alia corpora, & sic de aliis: At verò sacramentalis præsentia, est participatio quædam diuinæ immensitatis; Non quia Corpus Christi sit vbique extensum, vt quidam Hæretici huius temporis errauerunt; sed quia ita est de facto sub speciebus, quod potest sub aliis, si consecrentur, & sub pluribus sine termino esse; quod nulli præsentiæ spirituali conuenire potest, quia definitiua & limitata est.

Effectus ex modo supernaturales, aut effectum aliquem relinquentes.

Ad id verò quod dicitur de Anima Christi, Pater Suarez hîc disput. 53. sect. 5. concedit probabile esse, Animam Christi videri ab Angelo vt existentem in hoc Sacramento, licèt non videatur vnio eius ad corpus, quia corpus non videtur, & vnio tenet se ex parte corporis. Oppositum tamen videtur dicendum iuxta dicta: Licèt enim præsentia illa, si præcisè consideretur vt indiuisibilis, non excedat spiritualem præsentiam Animæ, quæ etiam indiuisibilis est; tamen quatenus est sacramentalis præsentia, quæ definitiuo modo non reddit rem præsentem, sed se extendit ad quemcumque locum, vbi conseruari potest; sic excedit præsentiam spiritualem Animæ, & cuiuscumque rei spiritualis; quia est participatio quædam diuinæ immensitatis, & sic latet omne lumen naturale.

Ad Argumenta verò quæ formari possunt a simili de cognitione Vnionis Hypostaticæ in Humanitate, dicendum est sicut in materia de Incarnatione disput. 1. Quod licèt Angelus videat illam humanitatem existentem & operantem, & non habentem propriam subsistentiam; tamen inde non poterat coniecturare cum aliquo fundamento quomodo illa humanitas sustentaretur à Deo, sed solùm poterat iudicare aliquo peculiari mysterio humanitatem illam teneri, quod lateat ipsum; non tamen poterat determinatè iudicare, quod per subsistentiam increatam sustentaretur. Sic in præsenti, Videt Angelus naturaliter Corpus Christi, eiusque quantitatem & accidentia, non tamen videt illum modum præsentiæ, nec quomodo Christus sit præsens in Sacramento præsentia sacramentali: Nec repugnat Angelum absolutè scire quod illud Corpus existit in rerum natura, & ignorare vbinam sit determinatè, quantum ad existentiam in Sacramento. Nam in cœlo bene cognoscit quod sit Corpus Christi præsentia naturali; modus enim ille præsentiæ sacramentalis est distinctus ab existentia Corporis Christi, & non repugnat videri vnum non viso alio, si iste supernaturalis sit.

Restabat in præsenti agere & explicare, Quænam sint, quæ ponuntur in Sacramento ex vi verborum, & quæ sint quæ ponuntur per concomitantiam; sed res ista non est magnæ controuersiæ, nec specialis difficultatis. Breuiter dicimus, Poni ex vi verborum in Sacramento omne illud, quod expressè & directè significatur per verba consecrationis; per concomitantiam autem, quidquid in re est connexum cum tali significato, non tamen directè exprimitur per ipsa verba, nec est significatum per illa. Vnde poni ex vi verborum, non tam est aliquid dictum de termino conuersionis physice & absolutè in re positæ, quàm de ipsa ratione formali, & termino huius actionis vt sacramentalis, & alligatæ verbis formæ. Fecit enim Christus hanc conuersionem non quomodocumque, sed alligando illam significationi verborum. Et quia verba significant aliquid explicitè & directè, alia verò implicitè, & prout coniuncta rei significatæ; ideo optimè distinguitur iste duplex modus ponendi aliquid ex vi verborum, & aliquid per concomitantiam, vt approbat Concil. Trident. sess. 13. cap. 3.

Quæ in Sacramento ex vi verborum, &c.

Ad discernendum ergo quid ponatur ex vi verborum, & quid per concomitantiam, oportet attendere significationem propriam verborum consecrationis; vt cùm dicitur, *Hoc est Corpus meum*: vbi ly *Hoc* tenet se ex parte subiecti, & significat contentum sub speciebus; ideoque non designat id quod ponitur ex vi verborum, sed rem illam de qua dicitur tanquam de subiecto, id quod ponitur ex vi verborum: Id ergo quod tenet se ex parte prædicati ponitur ex vi verborum (scilicet Corpus meum) vbi nomine Corporis non significatur sola materia prima (quia hæc non est corpus sed pars corporis) sed significatur compositum ex materia & forma, prout constitutum in gradu corporeitatis. Quæ sit autem ista forma, An aliqua forma corporeitatis distincta à forma Animæ, vt putant aliqui dari in rebus naturalibus; An verò forma Animæ in se, siue forma inanimis, vt forma cadaueris, non explicatur per illud verbum; sed solùm corpus, prout præcisè dicit constitutum ex materia & forma dante gradum corporeitatis, quod in re semper est determinatè corpus viuum, vt modò, vel inanime, vt in triduo mortis Christi; & per illam actionem physicam vtrumque in re potest poni, & de facto ponitur, prout fuerit in Christo, & prout determinatur per ly *meum*. Ex vi autem significationis verborum præscindit, & non determinat formaliter vnum, vel alterum; quia formaliter solùm significat corpus; Non quod formaliter in re possit poni corpus abstractè sumptum; sed quia vis significatiua verbi neutrum formaliter determinat. Vis autem physica conuersiua, vtrumque indifferenter amplectitur; & illud ponit de facto, ad quod determinatur per illam particulam *meum*, tam quoad implicitum, quàm quoad explicitum, prout fuerit in Christo.

Secunda illa particula, *meum*, ex vi significationis exprimit proprium Corpus Christi secundùm tres conditiones. Prima, Quod nomine Corporis mei intelligitur corpus quantum ad partes solidas corporis humani, vt distinguitur à sanguine & humoribus. Licèt enim hæc sint corpora physicè loquendo, tamen secundùm vsum communem nomine corporis in animalibus intelligitur id quod est solidum, vt distinguitur ab humoribus: Et ita dixit Trident. citato loco, *Quod Sanguis non ponitur ex vi verborum in consecratione panis, sicut neque Corpus in consecratione calicis ex vi verborum ponitur.* Secundo nomine *Corporis mei*, ex vi verborum intelligitur corpus organicum organizatione humana; quia corpus non organicum non est proprium Christi, nec *meum*. Ista autem organizatio humana non significatur determinatè ex vi verborum, quod sit mortua vel viua; Nam etiam corpus mortuum manet organicum, & dicitur humanum mortuum, non viuum; poterat au-

tem poni Corpus mortuum Christi, si consecraretur in triduo mortis.

Tertiò per ly *meum* significatur explicitè ordo illius corporis ad illud indiuiduum, seu suppositum, in cuius persona pronuntiantur verba (scilicet ad Christum) Nam ly *meum* explicitè & per se est relatiuum possessionis, & ita dicit ordinem ad possidentem. Cùm autem Christus pronuntiauerit illa verba, & in persona eius pronunticntur modò, oportet quod ly *meum* dicat ordinem possessionis ad Personam Christi pronuntiantem illa verba. Quæ sit autem ista Persona, Diuina, An creata; cum Vnione Hypostatica, vel sine illa: non exprimunt; sed sicut ex parte de ly Corporis, significatio illa abstrahit a Corpore viuo & mortuo (licèt modò iure semper sit viuum) ita ly *meum*, ex parte Personæ possidentis, non significat quid sit illa persona (ideoque dixit Concilium citato loco, *Diuinitatem poni per concomitantiam*, id est, Personam vt diuina) sed solùm explicat Personam possidentem illud corpus, & sic pronuntiantem verba. Idem proportionaliter debet dici in

A forma calicis, per ly *Sanguinis*, & ly *mei*.

Ex quibus deducitur, In consecratione panis poni ex vi verborum Corpus organicum, humanum, solidum (seu quoad partes solidas, distinctas ab humoribus) proprium Christi; & in consecratione calicis Sanguinem humanum proprium Christi, abstrahendo vtrobique a viuo & mortuo: Per concomitantiam autem ponitur vtrobique Anima quantum ad formalitatem & gradum Animæ; Diuinitas seu persona Verbi; Vnio Hypostatica, Accidentia absoluta, & alia omnia quæ sunt coniuncta Corpori & Sanguini, & non significantur verbis explicitè Similiter in consecratione panis ponitur Sanguis per concomitan-
B tiam, & in consecratione calicis ponitur Corpus per concomitantiam; quia ita de facto inuenitur illud Corpus, & ille Sanguis in Christo, & sunt adinuicem coniuncta; in triduo autem mortis Christi, nec per concomitantiam poneretur Sanguis cum Corpore, neque Corpus cum Sanguine, quia in re erant separata, & sic propria Christi.

QVÆSTIO LXXVIII.

De Forma Sacramenti Eucharistiæ.

TRIA præcipuè resoluit, & tractat sanctus Thomas in hac quæst. Primò conuenientiam vtriusque formæ, tam panis, quàm calicis; primò in communi, deinde in particulari. De vtraque forma per tres primos articulos. Secundò agit de virtute effectiua vtriusque formæ in ordine ad suum effectum. Tertiò de verificatione locutionum, quomodo scilicet, & pro quo instanti verificentur illa verba; cui adiungitur alia difficultas, An vna forma expectet prolationem alterius ad habendum suum effectum, vel independenter ab alia sortiatur illum. Et resoluit, quod quælibet forma statim ac profertur habet suum effectum.

DISPVTATIO XXIX.

De formis Consecrationis huius Sacramenti?

ARTICVLVS PRIMVS.

Quænam sint essentialia Verba vtriusque Formæ, & quid formaliter significent?

SVppono tanquam certum, Christum Dominum confecisse hoc Sacramentum verbis consecrationis, sicut præcepit discipulis vt facerent, & nunc vniuersa facit Ecclesia. Nam licet Aliqui olim senserint Christum Dominum sine verbis confecisse, sed ex sola sua potestate, licèt postea verba dixerit, vt nos illis vteremur; sicut de Aliquibus refert sanctus Thomas in hac quæst. art. 1. tamen nunc illa sententia sustineri non potest, quia Concil. Florent. in Decreto pro Armenis dicit,

C *Formam huius Sacramenti esse verba, quibus Christus hoc Sacramentum conficit*; Et Trident. sess. 13. cap. 1. dicit, *Christum hoc Sacramentum instituisse. cùm post panis vinique benedictionem, se suum Corpus & Sanguinem illis præbere disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Id etiam constat traditione Ecclesiæ, Quia in Canone Missæ dicitur, *Quod accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite & manducate, Hoc est Corpus meum* quod totum sumitur ex Euangelio: Et ita communiter Patres dicunt,
D Christum Dominum verbis suis mutasse panem in Corpus suum; & in hymno Corporis Christi Ecclesia canit, *Verbo Carnem efficit.*

Dominũ verbis consecrasse.

Dubitatum est autem à quibusdam, An CHRISTVS DOMINVS diuersis verbis benedixerit, quàm consecrauerit; ita quod aliud fuerit benedictio quàm consecratio: Nam aliqui tenent fuisse diuersa, vt Pater Suarez hîc disput. 58. sect. 2. propter citata verba Concilij Trident. *Quod Christus post panis vinique benedictionem, se suum Corpus discipulis præbere testatus est:* Prius ergo benedixit, & postea verba protulit;
E quod etiam insinuatur Matthæi 26. 26. cùm dicitur, *Accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum;* ergo prius fuit benedictio, quàm prolatio illorum verborum.

Non consecrasse, quibus verbis benedixerit opinio.

Oppositum tamen tenet sanctus Thomas in hoc art. 1. ad 1. & Catechismus Pij V. titulo de Eucharistia post medium: & antiqui Expositores Scripturæ, Hugo Cardinal. Lira, Remigius, Bruno, & Alij, quos citat Pater Suarez loco citato: Et ratio est, Quia illa benedictio non apparet quibus aliis verbis facta sit, quam consecratius:

Iisdem consecrasse, vera sententia.

tuis: si autem sine verbis benedixit, non apparet A qua actione; Neque enim faciendo crucem, sicut modò facimus, Christus benedixit; quia nondum tunc sua Passione consecrauerat Crucem. Deinde quia illa Christi benedictio fuit efficax ad reddendum panem benedictum; Nulla autem efficacior benedictio, quàm illa quæ de facto consecrat panem; & ideo Scriptura consecrationem benedictionem appellat 1. ad Cor. 10. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* & Patres communiter appellant ipsam consecrationem, benedictionem mysticam.

Nec obstant verba Concil. Trident. Quia non est sensus, Post benedictionem factam præbuisse, seu consecrasse panem; sed sensus est, Quod testabatur se præbere discipulis Corpus & Sanguinem post benedictionē, id est, id quod est Corpus & Sanguis post benedictionem. Similiter Euangelistæ in illis verbis, *Benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens*, &c. non significant nisi concomitantiam illarum actionum simul cum illo dicere; ita quod dicens illa verba, *Hoc est Corpus meum*, simul accipiebat panem, & frangebat, & benedicebat; vtique per illa verba quæ simul tunc dicebat seu proferebat.

Græca Aoristum habent, quæ nos gerundio reddimus, *benedicendo*, vel participio præsenti.

His suppositis quæritur primò; Quæ sit Forma consecratiua in hoc Sacramento? Respondetur Formam huius Sacramenti esse illa determinata verba, quibus Christus confecit, & iussit nos facere, & modò vtitur Ecclesia; scilicet pro pane, *Hoc est Corpus meum*: pro calice, *Hic est Calix Sanguinis mei*, &c. Reliqua quæ dicuntur in Missa, siue in Canone, siue extra, non pertinent ad formam Sacramenti, sed solùm ad preces, vel laudes Dei, vel ad instructionem populi. Conclusio constat ex definitione Conciliorum & Ecclesiæ; Nam in Florent. supra citato dicitur, *Quod Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit Sacramentum.* Et in cap. *Cùm Marthæ*, de celebratione Missarum dicitur, *Christum conficiendo hoc Sacramentum, Formam expressisse, qua hoc Sacramentum conficitur.* Et in cap. *Vtrum sub figura*, de Consecratione dist. 2. dicitur, *Credendum est, quod verbis Christi Sacramenta conficiuntur: Reliqua omnia, quæ Sacerdos dicit, aut Chorus cantat, nihil aliud quàm laudes, & gratiarum actiones sunt.* Et August. lib. 2. contra Faustum dicit, *Quod Panis noster, & Calix, non qualibet, sed certa quadam consecratione mysticus nobis fit.*

Forma Sacramenti Eucharistiæ.

Et ratio est, Quia in omnibus Sacramentis illud accipitur pro forma, quod determinatè significat, & determinatam significationem præbet materiæ; & sic debet habere practicam & efficacem significationem, eius, quod faciendum est, quia Sacramentum est signum practicum, & principalem vim significandi habet à forma: illa autem verba, E *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Calix Sanguinis mei*, habent plenam & expressam ac determinatam significationem, quod sub illis accidentibus sit Corpus Christi, & ex illis colligit Concil. Trident. sess. 13. cap. 4. quod fiat conuersio substantiæ panis in Corpus Christi, quatenus illis verbis significauit Christus hoc quod offerebat discipulis, esse Corpus suum; ergo illa tantùm verba, quæ hoc significant, sunt conuersiua; ergo illa tantùm sunt consecratiua; quia idem est consecrare, & conuertere panem in Corpus Christi; ergo illa tantùm sunt forma huius Sacramenti. Patet consequentia, Quia si ista tantùm sunt consecratiua, ista tantùm efficiunt Sacramentum; siquidem consecratione Sacramentum fit; ergo illa solùm quæ sunt consecratiua sunt forma; ergo illa sunt consecratiua quæ sunt conuersiua panis in Corpus, & illa sunt conuersiua quibus significauit Christus, id quod offerebat, esse Corpus suum; ex illis enim colligit Concil. dari conuersionem.

Ex quo sequitur, Omnes alias orationes antecedentes & subsequentes, etiam in ipso Canone Missæ, non esse de necessitate formæ huius Sacramenti; Quia nullæ aliæ orationes, vel verba significant efficaciter, & de facto poni Corpus Christi in hoc Sacramento; hæc autem verba id expresse significant, vt de se patet; neque Christus Dominus aliis verbis significauit suum Corpus hîc poni. Licèt enim plura alia verba dixerit, B siue pertinuerint ad benedictionem, siue ad deprecationem, vel ad aliquid aliud, tamen nulla alia verba significant de facto & efficaciter hîc esse Corpus Christi, neque ex aliis verbis collegit Ecclesia conuerti panem in Corpus Christi, atque adeo consecrari & fieri Sacramentum, nisi quando testatus est, Hoc quod offerebat, esse Corpus suum; ergo illa verba protulit Christus vt consecratiua sui Corporis; ergo vt formam Sacramenti; quia illa sunt forma, quæ consecrant.

Obijciunt tamen Aliqui, Quod in Liturgia D. Iacobi, aut etiam aliis, quibus Græci vsi sunt, C post illa verba, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, adiungitur deprecatio, *Vt mittat Deus Spiritum sanctum super dona sancta, vt superueniens sancta & gloriosa sua præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem sanctum Corpus Christi*, &c. ergo supponitur quod per illa verba *Hoc est Corpus meum*, non est actum & consecratum. Et idem sumitur ex Liturgia D. Chrysostomi, & ex D. Clemente lib. 8. Constitutionum cap. 12. l. 17. Et plures Sancti communiter docent, Per inuocationem vel orationem Sacerdotis sanctificari panem; illa autem verba, *Hoc est Corpus meum*, non sunt deprecatiua, nec inuocatiua, sed simpliciter significant hoc esse Corpus Christi.

Inuocatio in Liturgiis Græcorum, vt fiat Corpus Christi, post verba Dominica.

D Respondetur, Ita haberi in illis Liturgiis; Nam eo ritu conficere Sacramentum, seu celebrare, confessi sunt Græci in Concil. Florent. licèt in sess. 25. dixerint confici Sacramentum solis verbis Christi; nec ipsi potuerunt intelligere quod illis verbis deprecatiuis consecratio fieret, quia illis nondum significatur fieri, sed inuocatur Spiritus sanctus vt fiat: cùm autem postea in illis Liturgiis non ponantur verba de facto significantia hunc effectum, sed antè sint posita, dicendo, *Hoc est Corpus meum*, oportet dicere, quod illa missio Spiritus sancti, vel sanctificatio eius petitur, Non vt fiat simpliciter Corpus Christi (quia iam factum supponitur) sed vt fiat nobis fructuosum & sanctum; ita quod proficiat nobis, & non manducetur in iudicium: Hoc enim est fieri Sacramentum nobis sanctum; Et ita tandem ipsæmet Liturgiæ id explicant. Nam in Liturgia D. Iacobi dicitur, quod *sanctificet hæc dona, &c. vt sint nobis, & his sumentibus in remissionem peccatorum.* Et in Liturgia Chrysostomi, *Vt fiat communicantibus in emendationem Animæ.* Et ita explicat similes deprecationes sanctus Thomas infra qu. 83. art. 4. ad 7. & 8. Quod verò Patres communiter dicunt, Per inuocationem vel precem Sacerdotis consecrari panem; Nomine inuocationis intelligitur tota Missa, quæ generali vocabulo appellari

Nempe vt fiat nobis & sit in salutem: sic quoq; Bessar.

Ipse ritus & forma Sacramenti, inuocatio & oratio, qua à Deo expectetur effectus.

solet Oratio, seu inuocatio (Græcis εὐχή) & est perinde ac si diceretur, Consecrari panem in Missa à Sacerdote: Vel si ipsa forma Sacramenti appellatur inuocatio & oratio, non intelligitur quod sit forma deprecatiua, sed quod operetur in virtute Christi, non in virtute propria Sacerdotis, quasi sit virtus innocata.

Secundò inquires, An omnia verba, quæ dicuntur in consecratione panis & calicis sint de essentia formæ, aut quænam tandem verba sint essentialia formæ Sacramenti? Respondetur, In consecratione panis solùm per se esse difficultatem, An illa Particula *enim* sit essentialis formæ; & quare non addantur illa verba, *quod pro vobis tradetur*, quæ ponit Lucas cap. 22. 19. & in multis Liturgiis Græcorum ponuntur: Similiter in forma calicis est maior difficultas, An illa verba, *qui pro vobis effundetur, &c.* quæ secundùm vsum Ecclesiæ proferuntur in forma calicis, sint de essentia ipsius formæ; ita quod si non proferantur, non consecretur Sanguis?

Quod ergo attinet ad formam consecrationis panis, Respondetur, Essentialia ipsius verba esse solùm illa, *Hoc est Corpus meum:* particula verò *enim*, quæ modò ponitur ab Ecclesia, non est de essentia formæ; sed tantùm adiicitur ad continuanda verba formæ cum verbis Canonis antecedentibus. Esset tamen peccatum graue illam aduerrenter omittere; si de facto omittatur, non est repetenda forma. Illa autem verba, *Quod pro vobis tradetur*, non sunt de essentia formæ consecrationis panis, licèt in aliquibus Liturgiis Græcorum adhibeantur. Tum hoc constat ex vsu & praxi Ecclesiæ Romanæ, quæ sine dubio ritè & rectè consecrat, nec tamen illis verbis vtitur. Sigillatim autem descendendo, constat illam particulam *enim* non esse de essentia formæ, quia Christus illa non est vsus, vt constat ex textu Euangelij. Vnde Sacerdos proferens illam, non profert eam in persona Christi, nec tanquam verba Saluatoris; & sic illa non influit ad conficiendum Sacramentum, sed solùm profertur recitatiuè, & tanquam addita ab Ecclesia, vt coniungatur cum clausulis præcedentibus. Quod verò sit peccatum mortale illam aduertenter omittere, tenent plures Authores, quos citat & sequitur Suarez hîc disput. 59. sect. 1. Alij verò tenent non esse peccatum mortale ex genere suo, nisi adsit contemptus, quia est valde leuis materia, nec pertinens ad substantiam significationis sacramentalis: quia sine tali particula ponitur quidquid necessarium est, vt significetur efficacia formæ ad conuertendum panem in Corpus Christi.

Particula enim, non est de essentia, sed de præcepto Ecclesiæ.

Nihilominus tamen, Licèt particula illa per se sola videatur aliquid leue, tamen motiuum Ecclesiæ ad ponendam talem particulam, non est leue, sed grauissimum; eiusque omissio de se inducit peccatum mortale: Neque enim est verisimile Ecclesiam aliquid, vel minimum voluisse apponere in verbis formæ, quod à Christo positum non fuerat, nisi grauissimis de causis adducta. Iudicauit enim oportere ad magis exprimendam veritatem & efficaciam formæ, verba illa Christi explicare per modum causalis; quasi voluerit Christus dicere, *Accipite & comedite, Quia hoc est Corpus meum.* Sic enim plenius exprimitur non esse cibum communem, quia est Corpus ipsius; ergo scienter prætermittere istam expressionem Ecclesiæ, non caret graui peccato & contemptu in re tam seria ac sacra.

Peccatum graue sciēter omittere.

Quod verò attinet ad illa verba, *Quod pro vobis tradetur*, quæ ponit Paulus 1. ad Cor. 11. 24. & Lucas cap. 22. 19. Dicimus non esse necessaria, & essentialia formæ; quia per ly *Corpus meum*, etiam omissis illis vocibus, sufficienter verificatur, hoc quod in Sacramento tradit Christus, esse eius Corpus; ergo statim ponitur ibi Corpus Christi: ergo non ampliùs requiritur ad essentialem significationem formæ. Omnes consequentiæ manifestæ sunt, Quia si verificatur sine illis vocibus illud esse Corpus Christi, ergo in re ibi ponitur Corpus Christi, etiam non prolatis illis vocibus: sed posito Corpore Christi est Sacramentum, ergo & forma Sacramenti; Non ergo potest dici, licèt Christus illas voces protulerit, quod illas voluerit esse de necessitate formæ; sed dixit illas ad certificandum Discipulos de quo Corpore loquebatur; Nempe de illo suo, quod morti erat tradendum. Vnde etiam Ecclesia quæ ex traditione Apostolica suscepit illam formam, intellexit non esse necessarias ad conficiendùm Sacramentum; ideoque Ecclesia Romana non vtitur illis, vt significet non esse de necessitate & essentia formæ; & tamen aliqui Græcorum in suis Liturgiis illas habent; non tanquam essentiales formæ (quia sine illis verificatur, & perficitur conuersio) sed vt exprimant proprietatem Corporis Christi, sicut ipse Christus ad idem exprimendum illas apposuit: Vnde etiam constat non esse obligationem præcepti, illas apponere, quia de facto Ecclesia Romana omittit.

Verba Quod pro vobis tradetur, nō esse essentialia, aut nobis de præcepto.

An verò sit præceptum, saltem in Ecclesia Latina, non apponendi illas voces, ita quod peccaret Sacerdos, qui illas apponeret? Respondet Pater Suarez disput. 59. cit. Hoc per se non esse malum, licèt sit malum addere vt necessarias consecrationi: Sed tamen existimo, Non solùm peccare mortaliter, qui adderet tanquam necessarias consecrationi (sic enim suspectus redderetur de irreuerentia contra Ecclesiam Romanam in vsu & forma Sacramentorum) sed etiam qui sine tali animo, solùm ex leuitate, vel libertate, aut alio motiuo aduertenter adderet; Tum quia in re valde graui (qualis est forma Sacramenti) contrauenirer vsui vniuersalis Ecclesiæ; Tum propter scandalum eorum, qui viderent introduci nouum ritum in forma Sacramenti; Tum quia licèt non sit speciale præceptum non addendi illas voces, est tamen generale seruandi formam, & ritum Missalis reformati, vt iacet, in omnibus & per omnia; vt patet ex quadam determinatione sacræ Congregationis Rituum 12. Nouembris 1605. Et videri potest Nicolaus Garcia de Beneficiis part. 3. cap. 1. num. 156. vbi dicit, Quod qui iuxta Bullam Pij V. debent vti Missali Romano reformato, ex declaratione sacræ Congregationis tenetur sub peccato mortali non vti alio Missali, quàm reformato. Religiosi autem, qui ex suis priuilegiis alio Missali vtuntur, habent in suis priuilegiis præceptum celebrandi iuxta formam illius Missalis; si ergo in aliis minoris momenti ad Missam pertinentibus tenentur non mutare aliquid, quantò magis in his quæ sunt in Canone, & à fortiori in his quæ sunt in forma Sacramenti?

Non peccare Latinum qui addeet, Suaris opinio: Auctoris, grauiter peccare.

Durior fortè ista sententia, cum in promptu Missale eiusmodi proprium non occurrit, sed peculiaris alicuius diœcesis, aut alterius Ordinis, vt passim iter habentibus accidit.

Quod verò attinet ad formam Calicis, est magna difficultas, An præter illa verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, etiam ea quæ sequuntur, scilicet *noui & æterni testamenti, mysterium fidei qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, pertineant ad substantiam formæ,

cùm Ecclesia Romana illis omnibus vtatur, & eodem modo & tenore illa proferat super calicem. Et suppono vt certum, ad minùs esse obligationem (saltem in Ecclesia Latina) illa omnia proferendi; quia ita est vsus, & traditio vniuersalis Ecclesiæ in re ita graui & sacra; Et similiter suppono eodem modo posse confici Sacramentum validè, dicendo, *Hic est calix Sanguinis mei*, vel dicendo, *Hic est Sanguis meus*. Quia vtroque modo significatur, & verificatur contentum sub illis speciebus esse Sanguinem Christi. Et vtroque modo Scriptura refert illa verba; Matthæus quidem & Marcus dicendo, *Hic est Sanguis meus*, Lucas verò & Paulus 1. ad Cor. 11. *Hic calix nouum testamentum est in meo Sanguine*.

Verba Calicis, *Noui & æterni, &c.* Latinis in præcepto, non omnino ad valorē necessaria.

Difficultas est de aliis verbis, *Noui & æterni testamenti, &c.* Nam ex vna parte quod non sint de essentia formæ, probat authoritas & ratio. Authoritas est, Quia in multis Ecclesiis (saltem Græcorum, & eorum Liturgiis ab Ecclesia permissis) non ponuntur omnia illa verba; præsertim illa *mysterium fidei æterni, &c.* Multi etiam Patres solùm commemorant pro forma, *Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur*. Clemens libr. 8. Constitutionum cap. 12. aliàs 17. Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 5. Auctor. de Operibus Card. in Serm. de Cœna Domini, Iustinus in Apologia secunda in fine, Damasc. lib. 4. Fidei cap. 15. Ratio autem, quæ semper efficax visa est, ex eo deducitur, Quia sicut per illa verba, *Hoc est Corpus meum*, sufficienter verificatur, quod id quod Christus offerebat erat Corpus suum, ita per illa verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, etiamsi alia non proferantur, verificatur quod contentum in illo calice est Sanguis; siquidem est propositio affirmatiua perfecta significans aliquam veritatem, & non aliam, quàm quod in illo calice sit Sanguis; sed ex illis verbis, quibus verificatur hoc quod offerebat Christus esse Corpus, & esse Sanguinem suum, colligit Ecclesia dari conuersionem, vt constat ex Concil. Trident. supra cit. ergo illa verba quæ sufficiunt ad verificationem, sufficiunt etiam ad conuersionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi Domini nostri; ergo ad consecrationem; ergo ad formam Sacramenti; quas omnes consequentias supra probauimus, & eodem modo currunt hîc; ergo etiamsi omittantur reliqua verba, Sanguis manet consecratus. Et hanc sententiam sequuntur plures ex Thomistis, Caiet. & Nuño hîc super art. 3. Ledesma & Soto, & Alij, quos citat & sequitur Suarez hîc disput. 60. sect. 1. & Vasquez disput. 198. cap. 2. & 4.

Non esse necessaria, quæ probent.

Ex alia parte, Quod illa verba sint essentialia, etiā suadet auctoritas & ratio. Auctoritas est, Quia ex Concil. Florent. habetur, Formam huius Sacramenti esse verba, quibus illud Christus confecit: confecit autem Sacramentū calicis illis verbis, *Hic calix nouum testamentum est in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur, &c.* & referuntur omnia illa verba tanquam prolata à Christo in Canone Missæ, & retinentur tanquam verba formæ, cùm tamen in consecratione panis illa non retineantur, *Quod pro vobis tradetur*: ergo aliquam differentiam inuenit Ecclesia inter formam calicis & formam panis, quod in illa retinuit illa verba *Qui pro vobis effundetur*, in ista omisit, *Quod pro vobis tradetur*: ergo sentit ista verba esse de necessitate formæ.

Item est expressa auctoritas sancti Thomæ in hac quæst. art. 3. vbi dicit, *Omnia illa verba esse de substantia formæ*: idem est autem de substantia, ac de essentia formæ; Nam supra quæst. 60. art. 8. dicit, *Quod si quid diminuitur de substantia formæ, non perficitur Sacramentum*: ergo nomine substantiæ intelligit essentiam formæ. Ratio autem id probat, Quia non consecratur calix ad ponendum Sanguinem quomodocumque, sed vt mysticè separatum à Corpore, & repræsentantem effusionem Sanguinis in Cruce, ideoque per modum Sacrificij celebratur; ergo oportet quod in ipso calice significetur hæc mystica separatio; illa autem significatur illis verbis, *qui pro vobis effundetur*: ergo illa sunt de essentia formæ. Et hanc sententiam tenent multi ex Antiquis, quos citat Suarez vbi supra.

Esse necessaria, quæ suadeant.

Dicendum est tamen, Essentialia verba & præcisa ad conuersionem Sanguinis, & constitutionem Sacramenti esse illa *Hic est calix Sanguinis mei*; reliqua verò non de essentia formæ sunt, sed de integritate; & hoc modo dicuntur à sancto Thoma, Esse de substantia formæ; scilicet quantum ad integritatem, quia etiam integritas substantia est. Mentem autem sancti Thomæ explicabimus in solutione Argumentorum. Expresè enim dicit in hoc art. 3. Taliter illa verba esse de substantia formæ, quod per prima verba *Hic est calix Sanguinis mei* significatur ipsa conuersio vini in Sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis; sed in art. 2. præcedent. dixerat sanctus Thomas, quod forma consecrationis panis *Hoc est corpus meum* significat conuersionem panis in facto esse, ergo similiter sentit de illis verbis, *Hic est calix Sanguinis mei*: si ergo sola ista verba secundùm sanctum Thomam significant conuersionem vini in Sanguinem, eo modo quo illa verba, *Hoc est Corpus meum*, significant conuersionē panis in Corpus; sentit sola illa verba esse essentialia, reliqua de substantia integritatis.

Esse de integritate & perfectione, non de essentia, Auctoris opinio.

Ex quo sequitur, Quod illa verba adduntur, non vt conuersiua & consecratiua, sed vt expressiua Passionis Christi, & eius immolationis in cruce. Pertinet autem ad hoc Sacramentum etiam esse Sacrificium, inquantum immolatio Christi in Cruce, quæ facta est per effusionem Sanguinis realem, hîc habetur per effusionem mysticam; ergo sicut pertinet ad integritatem Sacramenti quod sit Sacrificium, & in vtraque specie conficiatur, ita oportuit quod in ipsa forma calicis expressius poneretur effusio Sanguinis, vt significaretur non solùm ratio Sacramenti, sed etiam Sacrificij, quantum ad immolationem Christi, quæ consistit in illa effusione mystica Sanguinis, sicut Sacrificium Crucis in effusione reali. Vnde dicit sanctus Thomas in hoc art. 3. ad 2. *Quod quia Sanguis seorsum consecratus expresè Passionem Christi repræsentat, ideo potius in consecratione Calicis fit mentio de effectu Passionis, quàm in consecratione Corporis, quod est subiectum Passionis*. Itaque secundum sanctum Thomam retinentur illa verba in consecratione Calicis, ad exprimendam Passionem Christi, quæ in effusione sanguinis consistit; repræsentare autem illam passionem maximè pertinet ad Eucharistiam inquantum est Sacrificium, quia licèt substantialiter manebit Sacrificium sola facta conuersione per illa verba *Hic est calix Sanguinis mei*, tamen non ita integrè & completè explicabitur, sicut positis illis verbis, *qui pro vobis effundetur*, &c.

Soluuntur Argumenta.

Quare fundamentum primæ sententiæ concedimus: & illud est fundamentum nostrum, non minus deductum ex verbis sancti Thomæ.

Ad fundamenta secundæ sententiæ; Ad primum ex Concil. Florent. & Canone Missæ, & vsu Ecclesiæ Romanæ, Respondetur, Omnia illa verba poni in forma, & dicta esse à Christo, sed non omnia vt æquè essentialia, & eodem modo requisita; sed quædam vt sufficientia ad conuersionem perficiendam, alia ad magis integrè & complete exprimendum vim Sacramenti, & repræsentationem Passionis Christi; siquidem docemur in Concil. Trident. sess. 13. cap. 4. ex eo dari conuersionem, quia Christus testatus est id quod offerebat esse Corpus suum, & Sanguinem: id ergo quo sufficienter verificatur hoc esse Sanguinem Christi, sufficiens forma est ad conuertendum; reliqua solùm pertinent ad integritatem & maiorem expressionem. Sicut etiam Ecclesia vtitur in Sacramento Pœnitentiæ illis verbis, *Ego absoluo te à peccatis tuis*: & tamen sola illa verba *Absoluo te*, sunt essentialia & sufficientia; reliqua adhibentur in ipsa forma pro maiori expressione & integritate.

Sancti Thomæ, mēs de verbis in forma calicis.

Ad locum sancti Thomæ, Suarez & Vasquez vbi supra multi sunt, in hoc quod non possit intelligi sanctus Thomas, quod illa verba sint de substantia formæ quoad integritatem, sed quoad essentiam. Oppositum tamen sine vlla dubitatione dicendum est. Licèt enim illud verbum *de substantia* sit indifferens vt intelligatur de substantia quoad essentiam, vel quoad integritatem, quia etiam integritas substantia est, & non accidens; & sanctus Thomas loquens de Sacramentis in communi in illa quæst. 60. art. 8. acceperit substantiam pro essentia; tamen cùm specialiter agit de forma Calicis, ipse se explicat, quod loquitur de integritate, & non de essentiali ratione formæ ipsius Calicis. Explicauit autem sanctus Thomas hoc duobus locis expressis, præter illum supra allatum. Primò quidem in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 2. quæst. 1. in corpore, vbi inquit, *Quia conditiones appositæ ad subiectum & prædicatum sunt de integritate locutionis alicuius, ideo alij probabilius dicunt, Quod totum quod sequitur est de forma, cùm totum hoc quod additur, non sit locutio per se, sed determinata prædicati.* Secundò in hac quæst. 78. art. dicit, *Quod ea quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati (id est, Sanguinis Christi) vnde pertinent ad integritatem huius locutionis.* Si ergo sanctus Thomas expresè dicit, Hæc verba pertinere ad integritatem locutionis; & ex alia parte dicit, per prima verba *Hic est Calix Sanguinis mei*, significari conuersionem, sicut in forma panis, non potest esse dubium de mente ipsius, & interpretatione data.

Quando ergo in 4. sent. cit. solut. ad 3. dicit, *Illa verba, Qui pro vobis effundetur, esse essentialia Sanguini Christi prout hic consecratur*: Respondetur dici essentialia Sanguini, non absolutè, sed quantum ad expressionem virtutis eius. Non enim ista expressio fit aliis verbis, quàm illis. *Qui pro vobis effundetur*, &c. Bene autem stat, Quod id quod est essentiale expressioni virtutis, sit solùm de integritate respectu conuersionis & constitutionis Sacramenti. Vnde sanctus Thomas solùm concludit ibi, Quod illa verba sunt de substantia Sacramenti, & non concludit quod sunt de essentia; quia respectu Sacramenti essentialia non sunt, licèt ad exprimendam virtutem Sanguinis essentialia sint. In alio autem loco 1. ad Cor. 11 lect. 6. dicit sanctus Thomas, *Illa verba esse de necessitate formæ*. sed intelligitur de necessitate non absolutè & simpliciter, sed quoad integritatem; aut etiam de necessitate præcepti; supposito quod in aliis locis habemus ipsum non requirere ista verba ad significandam conuersionem, sed solùm pro integritate locutionis.

Quomodo autem aliquid possit esse de integritate formæ, & non de essentia, vt in exemplo allato de Sacramento Pœnitentiæ ostendimus latius, declaratum est à nobis 1. Tomo 1. Part. disput. 2. circa Approbationem Doctrinæ sancti Thomæ art. 3. vbi etiam soluimus instantias Patris Vasquez.

Ad rationem factam pro ista sententia, Respondetur Sanguinem hìc poni vt separatum mysticè à Corpore Christi, sed hoc sufficienter verificatur ante expressionem illorum verborum, *Qui pro vobis effundetur*: Nam hoc ipso quod seorsum à consecratione panis dicitur, *Hic est Calix Sanguinis mei*, seorsum consecratur Sanguis; atque adeo in ipso exercitio significatur vt separatus mysticè à Corpore Christi, licèt magis integrè & complete, & quoad expressionem virtutis, significetur illis verbis, *Qui pro vobis effundetur*.

Instabis, Si illis verbis, *Hic est Calix Sanguinis mei*, &c. significatur & perficitur conuersio, ergo reliqua verba superadiecta non causant conuersionem, etiam integraliter, quia iam causatam supponunt integrè & totaliter; ergo neque integraliter illam significant, atque adeò non sunt de integritate & substantia formæ. Patet, Quia si significarent, causarent, cùm sint significatiua sacramentaliter; atque adeo practicè & efficaciter: vel si ita non significant, non sunt pars formæ sacramentalis, etiam integraliter, quia nec etiam integraliter efficiunt & causant.

Respondetur negando secundam consequentiam, quando infertur, Ergo non significant integraliter. Et ad probationem, Si significarent, causarent; distinguo, si significarent per se primò & absolutè ipsam existentiam Sanguinis, concedo; si solùm significant virtutem eius, quæ est quasi proprietas Sanguinis, & pertinent ad maiorem expressionem solùm, nego; Sic enim non ponuntur ad causandum ratione sui, sed ratione sui principalis, cui adiunguntur; nempe ratione illorum verborum, *Hic est Calix Sanguinis mei*: In se autem solùm habent exprimere virtutem Passionis & Sanguinis effusi, non ipsam conuersionem efficere; & sic non requiritur quod in forma sacramentali omnes partes efficiant, & causent physicè per se; sed sufficit quod quædam causent per se & principaliter, aliæ solùm magis exprimant. Dicuntur tamen causare ratione aliarum, quibus adiunguntur; sicut dicitur totus homo videre, licèt non omnes partes videant, sed solùm oculi; reliquæ autem partes, vt deseruientes oculis: nec amplius requiritur ad partem integrantem, nisi quod aliquo modo alteri adiungatur, illique deseruiat; non quod idem faciat atque illa. Et sic sanctus Thomas dicit in præsent. art. 3. *Quod per prima verba significatur conuersio; per sequentia verò virtus Sanguinis effusi.* Non ergo dicuntur esse de integritate formæ, quasi significent aliquo modo conuersionem, vel illam efficiant; sed quia

adiunguntur illis verbis consecratiuis, tanquam significantia virtutem Sanguinis effusi, non ipsam conuersionem.

Quid Hoc Corpus, Hic Calix in consideratione.

Vltimò inquires, Quid significet pronomen *Hoc*, vel *Hic*, in formis consecratiuis, & quem sensum faciant formæ istæ? Respondetur ly *Hoc* non posse demonstrare panem, neque sola accidentia panis; quia sic falsificaretur propositio, dicendo de illis, Quod sint Corpus Christi; neque demonstrant ipsum Corpus Christi in se, quasi sit sensus, Hoc Corpus est meum; Quia sic solum significaret quod esset in se, non quod esset ex pane? Vnde neque sumitur ly *Hoc* adiectiuè, quasi dicat Hoc Corpus est Corpus meũ; sed ly *Hoc* demonstrat substantiuè hoc contentũ sub speciebus esse Corpus Christi. Et similiter in Calice, Hic Calix demonstrat contentum sub speciebus vini quod est in calice. Vel si dicatur, *Hic est Sanguis meus*, sensus est, Hic liquor, seu contentum sub speciebus huius liquoris, est Sanguis meus. Ratio est, Quia sic verificantur verba, & significatur conuersio in facto esse; & nullum est inconueniens significari per ly *Hoc* tale contentum indefinitè. Explicantur singula, Nam quod hoc contentum sub speciebus sit Corpus Christi, verificatur finita prolatione propositionis; ergo in ordine ad illud instans verba vera sunt: Hoc autem sufficit ad veritatem, quia propositio non debet verificari nisi in vltimo suæ prolationis: Tunc enim est perfecta & completa, & non antè; ergo tunc, & non antè verificari debet; & in ordine ad tale instans vltimum: Tunc autem iam est verum dicere, Quod Hoc est Corpus Christi, quia ita est in re, ergo.

Verum obiectiuè & in intentione, & executiuè in re.

Quod verò optimè significet conuersionem. Probatur, Quia in primis significat significatione practica & efficaci, quæ non præsupponit suum obiectum, sed facit. Licèt enim obiectum specificet, & hac parte præsupponatur ad significationem specificatam; non tamen requiritur nisi quod præsupponatur in intentione & obiectiuè, subsequatur autem in exercitio & in executione; sicut finis in intentione existens, specificat actum, licèt in executione subsequatur. Sufficit autem ad veritatem propositionis, quod in vltimo instanti prolationis res existat, quam significat; quia in ordine ad tale instans verba illa veritatem significant, quia practica sunt & factiua sui significati: sicut quæcumque actio productiua & factiua, respicit suum obiectum vt à se faciendum pro vltimo instanti, non verò factum supponit. Deinde per hæc verba sic explicata, significatur Corpus Christi, non absolutè, sed vt ex pane; quia designatur contentum, quod prius erat panis, & in fine prolationis verborum est Corpus Christi; quod non potest stare nisi destruendo substantiam panis, & non per annihilationem, quia aliquid fit, ergo per conuersionem; cui fauet Concil. Trident. sess. 13. cap. 4. dum colligit hanc conuersionem, ex eo quod verbis istis significauit Christus, id quod offerebat, esse Corpus suum; ergo optimè significatur conuersio, dicendo, Hoc contentum est Corpus Christi, quia id quod continetur offertur.

Solùm instari potest, Quia ly *Hoc*, est demonstratiuum rei in singulari; ergo quando pronunciatur super panem, designat rem illam in singulari: illa autem est indiuiduum positum sub aliqua specie, & non sub alia quàm sub specie panis, ergo ly *Hoc* designat indiuiduum panis quando profertur: Sed designando indiuiduum panis falsificatur propositio, quia affirmatur propositio de A ipso quod est Corpus Christi, & hoc est falsum. Quod si dicatur, Per ly *Hoc* non designari ipsum indiuiduum vt contentum sub pane, sed indefinitè & in communi contentum sub speciebus, sequitur quod ista propositio non sit singularis, sed indefinita & in communi, cùm tamen pronomen *Hoc* sit demonstratiuum rei singularis, quia demonstrat ad sensum; nec potest aliud demonstrare, tunc quando profertur, nisi illud indiuiduum panis.

Hoc contentum sub speciebus, ipse terminus formaliter in ratione contenti.

Respondetur ly *Hoc*, demonstrare rem vnicam & singularem formaliter (scilicet sub ratione contenti) licèt materialiter sit multiplex; & in principio sit panis, & in fine prolationis Corpus Christi. B Sic enim significatur conuersio. Sicut quando dico, Hic locus, designatur aliquid singulare formaliter in ratione ambientis in tali distantia: sic enim è conuerso designatur Hoc contentum formaliter sub ratione contenti, quidquid illud sit materialiter, sicut hic locus materialiter sunt diuersæ superficies, siue aëris, siue aquæ, siue alterius corporis; formaliter autem idem ambitus: Sic ergo ly *Hoc*, significat aliquid vtrique extremo commune, quod sub formalitate contenti est vnum (scilicet contentum sub speciebus) licèt materialiter sit multiplex; quia in principio est panis, & in fine prolationis Corpus Christi. Et C sic est sensus, Hoc contentum, quod prius est panis, est Corpus Christi. Et cùm dicitur, Quod hoc modo illa propositio erit indefinita, Respondetur, Quod erit indefinita secundùm quid; simpliciter autem singularis; quia demonstrat hoc contentum sub accidentibus, quod sub ratione contenti est vnum, licèt materialiter & ex parte connotati sit multiplex, & vtrumque complectatur quasi vagè & indefinitè. Nec est nouum quod ly *Hoc* possit demonstrare indiuiduum vago & indefinito modo, saltem ex parte sui materialis, vt cùm dico, Hæc herba nascitur in horto meo; non demonstro hanc materialiter in indiuiduo, sed hanc speciem herbæ, connotando eius sensibilem de- D monstrationem per accidentia visibilia.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum Verba physicè efficiant conuersionem, & pro quo instanti?

VTraque hæc difficultas connexa est; Quia si tribuimus verbis physicã efficientiam, oportet declarare pro quo instanti illam habeant; quod valde difficile est in prolatione verborum. Cùm enim proferantur per motum, non habent instans intrinsecum suæ desitionis, sed extrinsecum; E quia motus desinit per primum non esse: In illo autem instanti quo verba finiuntur, non existunt, sed transierunt; quia est instans extrinsecum; ergo non possunt causare physicè; quia quod physicè non existit, neque causat. Si autem solùm moraliter causarent, non esset difficultas, quia tunc sufficit præsentia moralis; censetur autem moraliter existere, quod immediatè antè præteriit, & in existimatione est perinde ac si esset: Tunc autem solus Deus causaret illam conuersionem, supposita illa præsentia morali verborum, quæ physicè & in re est præterita. Et hæc est ratio dubitandi pro secunda parte Quæstionis.

Pro prima verò parte, An verba ista physicè causent conuersionem, possumus sumere rationem

dubitandi, vel ex communibus omnium Sacramentorum, An possint esse instrumenta physica gratiæ, vel ex particularibus huius Sacramenti & conuersionis. Ex communibus non sumitur modò ratio dubitandi, quia supponitur ex tractatis supra quæst. 13. de Humanitate Christi, & qu. 62. de Causalitate Sacramentorum, Non esse impossibile Deum assumere rem corpoream pro instrumento physicè causatiuo gratiæ, vt effectus spiritualis; & de facto id communicari Sacramentis probabilius est. Solùm ergo sumitur in præsenti difficultas ex specialibus huius Sacramenti, eo quod ista conuersio est totalis, & non ex aliquo subiecto, sicut formalis, in quo assimilatur creationi, vt supra diximus, & docet sanctus Thomas, quæst. 75. art. 8. sed respectu creationis non potest dari instrumentum physicum, vt docet sanctus Thomas 1. part. quæst. 45. art. 5. ex eo quod creatio caret subiecto, ex quo fiat, ergo pari ratione debet negari in hac conuersione physicum instrumentum. Et nos in materia de Incarnatione negauimus posse dari instrumentum ipsius, quia trahitur natura ad esse suppositi, neque in illa supponit esse, quantum est de se; ergo pari ratione non potest dari instrumentum huius conuersionis, quia facit totum esse ex non subiecto.

De verbis in Eucharistia, An sint instrumentum physicum, peculiaris difficultas.

Sententia S. Thomæ, esse instrumentum physicum.

Sed contra est sanctus Thomas, in hac quæst. art. 4. vbi docet, *Verbis istis inesse virtutem creatam ad perficiendam istam conuersionem.* Et solut. ad 2. negat dari instrumentum creationis; quod tamen concedit pro ista conuersione. Si autem loqueretur de solo instrumento morali, quod consistit in hoc quod ad præsentiam illorum verborum, vel illius instrumenti Deus se solo efficiat conuersionem, nulla est repugnantia quod detur instrumentum creationis morale; quia non repugnat, quod ad intercessionem alicuius Sancti, vel ad prolationem aliquorum verborum, Deus se solo creet Angelum vel Animam; sicut multoties propter preces alicuius Sancti, datur alicui filius, & creatur illa Anima. Similiter ad instrumentum morale non est necessarium ponere in ipso instrumento aliquam virtutem creatam, siquidem instrumentum morale non influit per virtutem physicam in effectum, sed Deus se solo ad positionem illius rei operatur; & sic sufficit pactum, vel voluntas Dei; non autem requiritur aliqua virtus creata ad operandum illum effectum. Et plura alia loca sunt sancti Thomæ, quibus constat ipsum loqui de instrumento physico, & non solùm de morali, quando Passioni Christi & Sacramentis attribuit virtutem ad producendam gratiam, & effectus supernaturales; quæ in materia de Sacramentis in genere ponderata sunt.

Fundamentum huius est, Quia de se nulla est implicatio, neque à contraria sententia assignatur, quod Deus possit vti aliqua creatura tanquam instrumento physico ad producendum istos effectus; sicut artifex vtitur instrumento ad producendos effectus artificiales. Et si quæ difficultates in oppositum afferuntur, facilem habent solutionem, vt in materia de Sacramentis in genere ostensum est; & plures etiam soluimus in qu. 26. Phy. art. 2. non ergo id est negandum omnipotentiæ diuinæ.

Conformius Scripturæ & Conciliis.

Quod verò de facto Sacramenta Nouæ Legis istam virtutem habeant, probat sanctus Thomas supra quæst. 62. art. 1. Quia si solus Deus causaret gratiam ad positionem Sacramentorum (quod esset causare solùm morali instrumento, & non physico) & non causarent gratiam Sacramenta

A operando, hoc non excederet rationem signi; & ita Sacramenta solùm significarent gratiam, non verò efficerent aut continerent illam; quia ad positionem Sacramenti Deum producere gratiam nullum influxum requirit ex parte Sacramenti, sed sufficit nuda significatio; at fides docet Sacramenta Nouæ Legis non solùm significare, sed etiam continere & operari gratiam, vt constat ex Concil. Trident. sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta Nouæ Legis non conferre gratiam ex opere operato, Anathema sit;* ergo si Sacramenta continent gratiam, quam significant, aliquid habent præter significationem in causando gratiam: Significatio autem est causalitas moralis, quatenus ad illius præsentiam Deus se solo causat illam; B ergo si non solùm Sacramenta significant, sed etiam continent gratiam, illamque conferunt ex opere operato, aliquam causalitatem habent vltra moralem; & hanc vocamus physicam. Idem dicendum est de verbis consecrationis respectu huius conuersionis Eucharisticæ.

Soluuntur Argumenta.

Ad primam difficultatem positam à principio, Respondetur, ex sancto Thoma hîc art. 4. ad 3. vbi inquit, *Quod vis conuersiua, quæ est in formis horum Sacramentorum, consequitur significationem, quæ in prolatione vltimæ dictionis terminatur: & ideo in vltimo instanti prolationis verborum, prædicta verba consequuntur hanc virtutem: in ordine tamen ad præcedentia.* Vbi illud vltimum instans, non potest intelligi de vltimo C intrinseco ipsi motui, quia motus non definit per vltimum sui esse, & per vltimum instans intrinsecum, sed per primum non esse; & tamen sanctus Thomas ponit quod illa verba non consequuntur virtutem istam nisi in illo vltimo instanti, in quo tamen iam non est motus physicè, quia est primum non esse motus. Quomodo ergo in illo instanti consequuntur verba virtutem physicam, si tunc iam non existunt physicè?

Relictis variis expositionibus & sententiis, Nostra interpretatio est, Quod instans vltimum, in D quo dicit sanctus Thomas verba consequi hanc virtutem, est quidem instans extrinsecum motui & prolationi verborum, vt motus est precisè; est tamen intrinsecum voci significanti. Quia vox, non est ipse motus localis linguæ producentis vocem, sed est aliquid productum per talem motum; quia vox est sonus ore animalis productus; sonus autem qualitas est, & non motus localis formaliter: Est enim id quod percipitur per auditum, tanquam proprium sensibile illius; & hoc non est motus localis, sed qualitas. Constat autem quod sonus & vox durat physicè, etiam post motum à quo producitur, vt constat experientia, quando E à longè videmus percussionem; quod priùs videmus quiescere motum percussionis, & postea audimus sonum; & priùs videmus fulgur, & postea tonitruum audimus, cùm tamen ex motu tonitrui causatum sit fulgur; ergo durat sonus, seu vox, post motum; Vox autem est quæ imponitur ad significandum, & non motus localis; ergo benè stat quod motus inquantum talis definat per primum non esse, & tamen in illo instanti duret adhuc vox, inquantum sonus in facto esse; ergo iam damus aliquid physicè existens in illo instanti extrinseco motus, quod possit eleuari ad causandum physicè; nempe vocem cum sua significatione tunc in facto esse existentem.

Vltimum instans in quo causat verba, instans extrinsecum prolationi, non verò significationi.

Instrumentum creationis impossibile, non transubstantiationis.

Ad secundam difficultatem Respondetur ex sancto Thoma, in hoc art. 4. ad 2. *Quod in creatione non fuit aliquod extremum, in quod instrumentalis actio creaturæ posset terminari, & ideo non est simile*: Quæ verba, inquit Suarez, obscurissima esse videntur; Quia actio instrumenti propriè & per se non terminatur ad extremum, quod desinit esse, sed ad terminum qui incipit, qui est terminus ad quem; & hic etiam in creatione reperitur. Nec obstat, Quod etiam in ista conuersione supponatur materia ex qua fiat ille terminus, quod in creatione non reperitur; siquidem illa materia non est subiectum actionis, vt supra diximus, sed ista actio est sine subiecto; ergo parum B interest, quod ex parte termini a quo reperiatur aliquid positiuum, si illud non est subiectum actionis, sed potius destructum ab actione; ergo remanet actio sine subiecto sicut in creatione.

Quod verò terminus ad quem sit subiectum actionis, quatenus identificatur cum illo, hoc etiam in creatione inuenitur, quia cum ipsa re creata identificatur actio. Et aliunde corroboratur difficultas; Quia sanctus Thomas requirit pro instrumentis aliquam actionem præuiam, dispositiuam in ordine ad effectum principalis agentis; verba autem consecratiua non apparet quam actionem dispositiuam habeant circa panem, in C ordine ad conuersionem; quod verò extra panem habeant actionem, omnino impertinens est, quia talis actio non potest disponere ad id, quod fit in pane; aliàs non repugnaret dari instrumentum creationis, si actio instrumenti non requiritur quod operetur circa id, quod creatur, sed circa aliud subiectum. Et denique vrgent quædam loca sancti Thomæ, quibus significat Verba ista virtute instrumentali non attingere terminum ad quem, qui est Christus, sed terminum à quo, qui est panis; vt patet in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4 quæst. 1. ad 6. & dist. 8. quæst. 2. art. 3. ad 5.

Creationis proprium, vt ex non subiecto, nec sit mutatio; quod est transubstantiatio.

Respondetur ergo, Quod ad instrumentalem actionem non requiritur determinatè subiectum, D in quo sit actio inhæsiuè; hæc enim cum termino ad quem identificatur, & vbi est ille terminus, est ista actio; sed requiritur subiectum ex quo, siue tale subiectum sit materia ex qua educitur forma, siue sit extremum quod transit in alterum; & hoc ideo est, quia actio instrumentalis, cùm sit creata, debet esse per modum mutationis, nec potest operari nisi immutando, cùm sit accidens, & modo accidentali operetur; quare vt actio eleuetur à Deo ad aliquem effectum vltra propriam virtutem, siue faciendum in eo subiecto & loco vnde actio procedit, & vbi versatur, siue in alio distanti, requiritur & supponitur quod fit mutatio; E alias non erit actio creata, & consequenter neque instrumentalis: si autem manet mutatio, non potest operari ex nihilo sicut creatio, quia mutatio vel debet esse ex subiecto, in quo recipitur, vel ex termino & extremo, quod mutatur; neutrum autem inuenitur in creatione, quia est ex puro nihilo; inuenitur autem in ista conuersione, quia habet extremum positiuum, quod mutatur in Corpus Christi, quidquid sit de subiecto inhæsionis, vbi est talis actio; quia de hoc non curauit sanctus Thomas; sed supposuit, quod omnis actio, siue instrumentalis siue principalis identificatur cum suo termino ad quem, & in illo sub- A iecto est, in quo terminus; sed solùm voluit saluare, quod ista actio sit mutatio; & cùm constet hanc conuersionem esse mutationem, ratione extremi quod conuertitur (scilicet panis) ideo hoc inuento non curauit sanctus Thomas de subiecto inhæsionis; quia ipse sentit, Etiam actum immanentem posse instrumentaliter operari in aliquid distans, & existens in alio subiecto, vt docet 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. Et Humanitas Christi existens in cœlo, operatur omnes effectus gratiæ in terra. Quare sufficit ad actionem instrumentalem, quod sit mutatio, & operetur ex aliquo subiecto, vel extremo; & intra limites operandi modo immutatiuo potest eleuari a Deo, ad quemcumque effectum. Ad operandum autem sine mutatione & ex nihilo, non potest eleuari, vt in creatione: Et idem est de Incarnatione, quatenus confert naturæ ipsum existere & subsistere, perinde ac si fieret ex non esse; vt in Materia de Incarnatione diximus.

Ad id verò quod dicitur de actione præuia dispositiua, responsum est quæst. 26. Physicor. art. 2. Quod non dixit sanctus Thomas, neque requiritur quod instrumentum producat dispositionem aliquam requisitam ad effectum principalis agentis; sed sufficit quod dispositiuè operetur, quatenus ex parte modi operadi habet se ad operandum effectum principalis agentis, iuxta modum ipsius instrumenti; Modus autem instrumenti est, vt operetur per actionem quæ sit mutatio; vnde potest eleuari á Deo ad quemcumque effectum supernaturalem, qui sub tali modo & dispositione fiat; nempe sub modo mutationis, non ad illum qui sine mutatione fit, vt creatio. Ad loca sancti Thomæ, Respondemus dicere, Quod actio instrumentalis attingit desitionem panis, & non terminum ad quem; non quia reuera non attingat Corpus Christi, sed quia attingit illud vt ex pane, & sub ratione mutationis; & ideo ex parte panis vt destructi accepit sanctus Thomas conditionem requisitam vt attingatur Corpus Christi per instrumentalem actionem, quæ est mutatio.

...uia dispositiua instrumenti.

Desitio panis vt attingatur.

Adhuc tamen instabis, Nam si verba consecratiua habent istam causalitatem physicam; ergo etiam ipsa Christi Humanitas habet eandem causalitatem; quia virtus verborum descendit à virtute Christi, præsertim quando ipse consecrauit in die Cœnæ per seipsum; ergo ipsa Christi Humanitas seipsam efficit, quod est absurdum; vel si physicè non efficit, neque verba.

Respondetur, Nullum esse inconueniens quod aliquid attingat seipsum sub alio modo (scilicet Christus in propria specie existens, seipsum vt conuersum & ex pane.) Est autem inconueniens quod aliquid, etiam instrumentaliter, seipsum producat in esse primo & per se; sic enim supponeretur existens, quia producit; & supponeretur non existens, quia producitur; Non autem est inconueniens, quod supponatur existens absolutè, & supponatur non existens tali modo, vt conuersum, & prout ex pane; & sic vt Christus existens influat in seipsum vt conuersum: Non tamen potuit Christus, nec aliqua virtus ab illo procedens, influere in suam primam conceptionem, vt docet sanctus Thomas hîc ad 2. qui tamen non negat, per virtutem Dei non procedentem ab Humanitate Christi, potuisse effici illam conceptionem.

Ipsa Humanitas instrumentum ad sui productionem vt ex pane, & in Sacramento.

QVÆSTIO LXXIX.

De Effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

De sex effectibus disputat sanctus Thomas in hac quæstione. Primò de Gratia communiter loquendo, siue sit prima gratia, siue augmentum illius: Et sic certum est aliquam gratiam dari in hoc Sacramento. Secundò de Gloria; & hunc etiam effectum habet, quia dat vitam æternam. Tertiò de Remissione peccati mortalis; & hoc non præstat per se & directè, quia est Sacramentum viuorum. Quartò de Remissione peccatorum venialium; & hoc præstat, quia dat feruorem charitatis. Quintò de Remissione pœnæ, & hanc dat, tam augendo gratiam inquantum Sacramentum, quàm per modum oblationis vt Sacrificium. Sextò dat præseruationem à peccatis, quia corroborat in gratia, eam nutriendo, & coniungit nos Christo. Denique ostendit sanctus Thomas, Hoc Sacramentum prodesse sumentibus per modum Sacramenti, & Sacrificij; non sumentibus autem solum per modum Sacrificij; & similiter non impediri effectum Sacramenti, qui est gratia, per peccatum veniale; licèt impediatur actualis deuotio, si suscipiens mente sit distractus.

DISPVTATIO XXX.

De Effectibus huius Sacramenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qui sint Effectus per se huius Sacramenti, & quando conferantur?

Effectus Eucharistiæ, Gloria.

Dico primò, Gloria Animæ est effectus huius Sacramenti, quando datur suo tempore. Constat ex illo Ioan. 6. 52. *Si quis manducauerit ex hoc Pane, viuet in æternum*; Vita autem æterna, est gloria. Similiter Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. numerans effectus huius Sacramenti, dicit, *Pignus præterea id esse voluit futuræ gloriæ, & perpetuæ fœlicitatis*: ergo aliquam causalitatem habet in ipsam gloriam. Modus autem quo causat gloriam (præter rationem generalem communem omnibus Sacramentis, quæ causant gloriam quatenus causant gratiam, quæ est ius ad illam) potest explicari speciali modo & proprio huius Sacramenti. Primò quidem, Quia hoc Sacramentum habet ex proprio effectu causare perseuerantiam in gratia, quia habet præseruare à peccatis mortalibus, vt docet Trident. loco citato: præseruando autem à peccatis, ponit perseuerantiam, quia impedit destructionem gratiæ. Secundò ratione rei contentæ, quia vnit nos Christo, vt maneamus in illo, & viuamus vita ipsius, iuxta A illud Ioan. 6. 58. *Qui manducat me, viuet propter me.* Qui autem viuit vita Christi, viuit vita æterna, quæ est visio beata. Tertio ratione Passionis Christi in hoc Sacramento repræsentatæ, & Testamenti quod constituit in illo, cùm dixit; *Hic Calix nouum Testamentum est in meo Sanguine*: Proprium autem est testamenti instituere hæredem; hæreditas autem est vita æterna; ergo in virtute huius Sacramenti, tanquam Testamenti Christi, instituuntur hæredes vitæ æternæ, qui illud sumunt, iuxta quod dicit Apost. ad Hebr. 9. 15. de Christo, *Noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant* B *repromissionem æternæ hæreditatis.*

Causare gloriam physicè, haud satis probabile: de eius effectu aliquo, non impossibile.

Addunt aliqui Hoc Sacramentum causare gloriam physicè instrumentaliter, sicuti gratiam; neque esse inconueniens quod visio beatifica, licèt sit actus vitalis, instrumentaliter ab hoc Sacramento causetur. Et cùm quæritur ab eis, Quomodo hoc Sacramentum physicè causet quando Anima glorificatur, cùm tunc non existat in se, neque in aliquo sui? Respondent, Non existere in se, sed in aliquo effectu à se relicto; Nempe in illa gratia sacramentali, quatenus data est virtute C Christi in Sacramento contenti: Sic enim eleuatur illa gratia, vt physicè causet gloriam virtute huius Sacramenti, cuius effectus est illa gratia. Cæterum hoc non est saluare quod ipsum Sacramentum physicè causet gloriam propriè & per se, sed quod effectus illius sit instrumentum causatiuum gloriæ; quod licèt non sit impossibile, tamen nobis non constat; sicut quando recedente fictione causatur effectus Sacramenti, non potest physicè causari ab ipso Sacramento; An verò causetur ab aliquo effectu illius relicto, incertum est.

Causare gratiam ex opere operato, fides docet; sed non primã.

Dico secundò, Hoc Sacramentum causat gra- D tiam ex opere operato; non quidem primam gratiam per se & directè, sed augmentum gratiæ. Prima pars est de fide, Ioan. 6. 58. 57. *Qui manducat me, viuet propter me. Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et definitur hæc veritas in Concil. Florent. in decreto pro Armenis, & in Trident. sess. 13. cap. 2. Vnde in quadam Epistola sancti Cyrilli ad Nestorium in Concil. Ephesino dicitur, *Ad mysticam benedictionem accedimus & sanctificamur, participes facti Corporis & Sanguinis Christi.* Quod verò ex opere operato eam confe- E rat, constat ex communi doctrina Sacramentorum, quam tradit Concil. Trident. sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit per ipsa Nouæ Legis Sacramenta non conferri gratiam ex opere operato, Anathema sit.* Secunda verò pars conclusionis (scilicet quod non causet primam gratiam per se & directè) constat, Quia ex sua institutione est Sacramentum viuorum, & datur per modum cibi; cibus autem supponit vitam in eo à quo sumitur; mortuus enim non potest nutriri, neque cibum sumere.

Et confirmatur, Quia hoc Sacramentum ex propria institutione petit, vt qui est in peccato mortali prius confiteatur, quam communicet, iuxta doctrinam Pauli 1. ad Cor. 11. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat.* Quod explicans Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. inquit, *Quod Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat*; ergo per se hoc Sacramentum prærequirit ablatum esse peccatum mortale à sumente; ergo ab ipsa Eucharistia non tollitur, atque adeo neque datur prima gratia, Tum quia si dat gratiam per modum alimenti; ergo per modum augmenti; quia in vita spirituali, cùm nihil perdatur de gratia nisi per peccatum mortale, idem est nutriri atque augeri.

Venialia tollit, & a mortalibus præseruat.

Dico tertiò, Hoc Sacramentum tollit peccata venialia, & præseruat à mortalibus. Ita docet Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. dicens, *Hoc Sacramentum esse antidotum, quo liberamur à peccatis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruamur.* Quod tollat peccata venialia, ex duplici capite prouenit, vt docet sanctus Thomas, in hac quæst. art. 4. Primò ex ipsa ratione gratiæ cibantis, quia proprium est alimenti non solùm nutrire, sed etiam restaurare quod per calorem naturalem perditur; per peccata autem venialia quotidie perditur de feruore & calore charitatis; ergo per cibum spiritualem restaurari debet. Secundò habet tollere peccata venialia, quatenùs de se excitat ad feruorem charitatis; peccatum autem veniale non contrariatur ipsi habitui, sed exercitio seu feruori charitatis.

Quod verò à mortalibus præseruet, patet, Quia proprium est cibi salutaris confortare, & roborare sanitatem; atque adeo noxias qualitates submouere, quod est præseruare ab infirmitatibus: Iste autem Panis maximè salutaris est, & confortatiuus cordis, iuxta illud Psal. 103. 15. *Et panis cor hominis confirmet*. Tum etiam, Quia maximè hoc Sacramentum vnit nos Christo per amorem; amor autem boni finis, expellit amorem contrarium mali finis; ergo præseruat à peccato mortali, quod ex amore creaturæ inordinato oritur. Tum denique, Quia per hoc Sacramentum conferuntur plura auxilia actualia excitantia in Christum, cum quadam deuotione & teneritudine & dulcedine de ipso, quia *Est panis habens omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem*, vt dicitur in Clementina vnica, *de Reliquiis & Veneratione Sanctorum.* Et similiter præstat auxilia ad vincendas omnes tentationes & insidias inimici, iuxta illud Ps. 22. 5. *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus omnes qui tribulant me.* Vnde dicit sanctus Cyprianus Epist. 54. *Non esse idoneum ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: quia mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit & accendit*: per auxilia autem quibus homo contra tentationes armatur, præseruatur, ne superetur ab illis; ergo Eucharistia præseruat à peccatis mortalibus.

Effectus Eucharistiæ in corpore: mitigare fomitem.

Dico quartò, In corpore habet aliquos effectus Eucharistia; tum in hac vita, mitigando fomitem appetitus sensitiui; tum in alia, causando resurrectionem corporis. Prima pars docetur hîc à sancto Thoma art. 1. ad 3. & art. 6 ad 3. Et hoc indicatur Zach. 9. 17. *Quid est bonum eius, & quid pulchrum eius: nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Virginitas autem & castitas, consistit in moderatione appetitus sensitiui, quantum ad passiones libidinis. Vnde in Catechismo Pij V dicitur, hoc Sacramentum sensum libidinis cohibere. Et idem docet sanctus Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 37. & lib. 4. cap. 17. dicit, *Sedat, cùm in nobis manet Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem; pietatem corroborat, & perturbationem animi extinguit.* Et sanctus Damasc. lib. 4. Fidei cap. 14. dicit de hoc Sacramento, *Quod cedit in corporis animique præsidium.* Habet autem hunc effectum; tum ratione rei contentæ (scilicet Corporis Christi) cuius contactus maximam puritatem corpori præstat; Et multi intelligunt aliquam physicam qualitatem imprimere in ipso corpore, qua mitigetur & temperetur appetitus. Quod si ita est, causabit illam Corpus Christi non contactu physico (quia provt est in hoc Sacramento non habet contactum, sed est modo indiuisibili) neque ipsæ species sacramentales habent vim naturalem causandi istam causalitatem; & ita si illam causant, est per modum instrumentalem. Secundò facit istum effectum indirectè, quatenùs ex abundantia gratiæ & charitatis redundat in ipsum corpus aliqua sensibilis mutatio erga spiritualia, vt etiam experientia docet. Proprium autem huius Sacramenti est augmentum & abundantiam gratiæ tribuere, nisi per nostram indispositionem impediatur. Et hunc modum causandi istum effectum corporalem assignat sanctus Thomas in hoc art. 6. ad 3.

Quod resurrectionem corporis gloriosi, dicimus esse effectum huius Sacramenti, propter illa verba Ioan. 6. 55. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et iterum 58. *Qui manducat me, viuet propter me.* Optima sunt verba Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio, vbi ait, *Animas eorum qui hoc Sacramentum in fine vitæ suscipiunt, ab Angelis propter assumptum illud Sacramentum rectà ad cælum via deduci: eorum verò corpora satellitum more stipantibus Angelis, in vitam æternam custodiri.* Ac denique est communis sensus Patrum, Hoc Sacramentum præbere nobis incorruptibilitatem & immortalitatem. Resurrectio corporum.

Modus autem quo causat resurrectionem corporum potest intelligi dupliciter. Primò ratione generali, quia causat gratiam & gloriam, cui debita est resurrectio corporis suo tempore; Nam resurrectio damnatorum, cùm sit ad maiorem pœnam & damnationem, non causatur ab hoc Sacramento nisi per accidens, quatenùs indignè sumens iudicium sibi manducat & bibit, 1. Cor. 11. 29.

Secundò speciali ratione, quatenus Corpus Christi associatur nobis in hoc Sacramento corporaliter: Vnde quia illud Corpus est fons resurrectionis & immortalitatis, efficaciam habet resuscitandi corpus sibi coniunctum per manducationem, sicut resuscitauit Corpus proprium per coniunctionem diuinitatis. Vnde sanctus Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 27. ait, *Non aliter poterat corruptibilis hæc natura corporis, ad immortalitatem & vitam æternam traduci, nisi naturalis Vitæ Corpus ei coniungeretur.* Sed tamen ex hoc non potest colligi, quod hoc Sacramentum efficientia physica causabit resurrectionem nostram, aut quod relinquat in corpore aliquam qualitatem

Christi Corpus in Eucharistia, moralis duntaxat causa nostræ resurrectionis, ac illius pignus.

vel effectum, qui tunc eleuetur à Deo ad causandam resurrectionem: Neque enim fundamentum habet talis qualitas, nec designari potest quænam sit, aut quomodo maneat in tam multis transmutationibus, quæ fiunt in corporibus mortuorum postea glorificandis. Quare meliùs dicitur hunc effectum causari solùm moraliter ab Eucharistia, quia Deus voluntate sua acceptat sumptionem Eucharistiæ, quasi pignus futuræ gloriæ, sicut dixit Trident. sess. 13. cap. 2. *Quod hoc Sacramentum voluit esse pignus futuræ nostræ gloriæ, & felicitatis perpetuæ:* Pignus autem non causat redditionem debiti, nisi moraliter; à debitore autem causatur physicè. Vnde & Christus Dominus sumentibus hoc Sacramentum promittit, Quod ipse resuscitabit eos in nouissimo die. Ipse ergo resuscitabit physicè, intuitu huius promissionis, quæ est obligatio moralis; Generaliter enim verum est, Quod Sacramenta causant physicè effectus suos, modò tamen existant, & non aliter.

Pœnæ remissio Eucharistiæ propria, vt est Sacrificium.

Dico quintò, Eucharistia causat pœnæ remissionem principaliter, inquantum Sacrificium est, quia est oblatio expiatiua peccati, de quo dicemus infra disput. 32. art. 3. At verò inquantum Sacramentum, non remittit directè pœnam, nisi ratione feruoris charitatis, quem excitat, vt dicit hîc sanctus Thomas art. 5. Siquidem inquantum Sacramentum, solùm ordinatur ad sanctificandum nos, non ad tollendum pœnam. Omnes istos effectus intelligitur dare hoc Sacramentum quantum est ex se, & ex proprio valore, nisi impediantur ex praua dispositione.

Tempus quo Eucharistia præstat suos Effectus.

Ex Effectibus enumeratis, constat aliquos non dari statim de præsenti, vt Glorificatio Animæ & corporis: similiter Auxilia actualia ad resistendum tentationibus dantur pro eo tempore, quo talis necessitas occurrit; Solùm est difficultas de tempore, vel instanti quo causat gratiam ex opere operato. Est enim promissa ista Gratia manduca- D tioni Sacramenti, Ioan. 6. 59. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Actio autem comestionis habet magnam latitudinem, & consumit multa instantia & tempus. Primò enim alimentum sumitur in ore; Secundò traijcitur per guttur, & tertiò reponitur in stomacho, ibique per calorem naturalem digeritur. Et quidem quantum ad primam partem, quando solum cibus est in ore, nondum dicitur manducari; Qui enim tenent in ore, & nullo modo traijciunt, non dicuntur comedere. Vnde difficultas solùm est de illo tempore, quo incipit traiectio alimenti per guttur vsque ad repositionem in stomacho, quando cessat motus traiectionis, pro quo tempore, vel instanti effectus Sacramenti detur in Anima; quod E valde difficile est assignare.

Cajetani singularis opinio, causat gratiã Eucharist. quandiu species sunt in stomacho.

Quidam ergo censent, Hoc Sacramentum non causare gratiam in instanti, sed toto illo tempore quo manducatio durat; quæ sententia attribuitur Maiori in 4. dist. 9. quæst. 1. Et Cajetanus in art. 1. huius quæstionis, non solùm id tenet, sed etiam quod quamdiu durant species sacramentales in stomacho, continuò causant gratiam, accommodatque illud dictum Christi, Ioan. 9. 5. *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi.* In hoc enim proportionari videtur cibus iste corporali cibo; quod quamdiu est in stomacho, habet effectum suum. Alij existimant Non causare hoc Sacramentum

Producere in instanti simili Angelico, alia opinio.

A effectum suum in instanti nostri temporis, sed in instanti superioris ordinis, simili Angelico, æquiualenti parti nostri temporis; Eo quod effectus ille datur per actionem, quæ in se est tota simul; quia præstat indiuisibilem effectum gratiæ: includit autem manducationem, quia illi est promissus effectus; & sic debet æquiualere tempori nostro: quam sententiam probabilem iudicat Suarez hîc disput. 63. sect. 4 conclus. 2.

Soti opinio, in instanti traiectionis in stomachũ; ipsa rigidior.

Alij dicunt Hoc Sacramentum conferre gratiam in instanti nostri temporis, vt tenet Soto in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 1. & probabile censet Suarez ibi conclus. 3. Sed Soto designat hoc instans, quod sit B illud in quo primò verificatur species sacramentales peruenire ad stomachum, quod est esse finitam manducationem; quæ tamen designatio ipsi Suarez nimis rigida videtur, & aliis Auctoribus; Tum quia antequam perueniat cibus ad stomachum, & cesset motus ille, iam verificatur manducari cibum, quia iam traijcitur; Gratia autem promissa est à Christo ipsi manducationi, non repositioni in stomacho, vel digestioni, dum dicit, *Qui manducat hunc panem, &c.* Tum etiam quia potest aliquis sentire difficultatem traijciendi species sacramentales vsque ad stomachum, & tunc vel calore naturali, vel humoribus concurrentibus possunt corrumpi species, vel etiam ipse homo mori C potest, antequam illæ perueniant ad stomachum, & tunc carebit fructu sacramenti, cùm tamen verè manducauerit, quod est valde rigorosum.

Aliorum; intra ipsum guttur.

Vnde alij mitigant hunc modum dicendi, & assignant pro instanti operationis gratiæ, illud in quo fit traiectio manducatiua; vel etiam illud instans in quo tota hostia occupat illud spatium gutturis, antequam perueniat ad stomachum: Qui modi ponuntur à Patre Suarez; sed iste vltimus patitur easdem difficultates, quas sententia Soti; Quia illa integra traiectio & occupatio intra guttur potest impediri ob difficultatem infirmi in traijciendo, vel propter magnitudinem hostiæ, & interim potest mori infirmus, vel species corrumpi, sicque carebit fructu Sacramenti, cùm tamen manducauerit aliquid de illo, etsi non integram hostiam. Primus autem modus difficilè saluat manducationem; Quia cùm cibus incipit tangere superficiem gutturis, non manducatur, quia nondum traijcitur; sed immediatè post incipiet traiectio. Magister Nuño hîc art. 1. tenet sententiam Soti, Quod tunc primò, quando peruenit ad stomachum; taliter quòd si pro illo instanti subiectum sit indispositum, possit toto tempore quo species sacramentales durant sine corruptione præberi iste effectus, si subiectum disponatur; & sic temperat sententiam Cajetani. Et tandem Suarez in fine illius sectionis dicit, Rem hanc esse incertam, & sapientiæ atque arbitrio Christi remittendam.

Reprobatur 1. sententia.

Ex his sententiis, Non admitto illos qui negant, Gratiã dari in instanti nostri temporis; sed dicunt dari in tempore, vel instanti Angelico; Nam determinatus gradus gratiæ, connaturali modo non causatur in tempore, sed in instanti; sicut patet in aliis Sacramentis. Hæc autem sententia non assignat determinatam durationem, in qua causetur gratia; sed totum illud tempus indeterminatè. Dicere autem Quod continuò influit Sacramentum gratiam, quamdiu non corrumpitur, est sine fundamento; & melioris conditionis esset, qui maiorem hostiam sumeret, vel longiori tempore consumeret.

Item altera Caietani.

Secundam verò sententiam non admitto, Quia talis modus operandi supra tempus nostrum, non est compossibilis modo operandi Sacramentorum, quæ operantur per motum & tempus; Productio autem gratiæ alligata est actioni sacramentali & sensibili, non ergo operatur Deus in Sacramento per instantia Angelica; neque assignat illa sententia quanto tempori nostro æquiualeat illud instans, & sic in ordine ad nos semper manet ambiguum quando datur effectus Sacramenti.

Dari effectum in prima trajectione gutturis.

Ex aliis autem sententiis illud videtur probabilius, & eligendum, Quod in illo instanti in quo verificatur, quod species sacramentales attingunt primam partem determinatam, & aliquo tam gutturis, tunc datur gratia; quia tunc verificatur, quod manducatur Christus sensibiliter & sacramentaliter; licèt ante quamlibet partem determinatam detur pars incerta & indeterminata, quæ attingit guttur; tamen illa attingentia non sufficit, quia nondum est sensibilis nec designabilis; & consequenter neque sacramentalis. Requiritur autem ad dandam gratiam, quod sumptio sacramentalis fit; & cùm in qualibet parte sit totus Christus, ideo qualibet parte attingente guttur, verificatur, quod totus Christus manducatur, quod in aliis cibis materialibus verificari non potest; quod si aliquis tantam habeat difficultatem in trajiciendo species, quod neque etiam illam minimam partem gutturis possit attingere, carebit effectu Sacramenti, quia reuera non manducauit; sed quid si ille qui incœpit trajicere species, & per aliquam partem determinatam traiecit, euomat hostiam, habebit ne effectum Sacramenti, an carebit illo, siquidem videtur non manducasse?

Qui euomit species, verè communicauit, & gratiam accepit.

Respondetur, Eandem esse difficultatem siquis vsque ad stomachum traiecit species & euomuit. Dicimus enim, quod in vtroque casu verificatur quod manducauit, & consequenter habet effectum Sacramenti; quia effectus illius non dependet nisi ex manducatione, non ex digestione cibi, sicut alimentum corporale: Vomitus autem non opponitur manducationi, sed potius supponit, licèt impediat digestionem. Vnde non est simile de cibo corporali, & de sacramentali; Quia cibus corporalis habet effectum nutriendi mediante digestione, & ita requiritur quod peruenerit cibus ad stomachum, vbi solùm fit digestio: cibus autem sacramentalis non operatur mediante digestione, ideoque non requiritur quod peruenerit ad stomachum, sed mediante sumptione, dummodò sit sensibilis & sacramentalis; tunc enim causabit effectum iuxta dispositionem sumentis; vel si tunc non habuerit dispositionem, carebit effectu propter obicem. Nec obstat quod hoc Sacramentum sit permanens, & sic poterit dare effectum toto tempore quo durat: Dicimus enim, quod licèt hoc Sacramentum in se sit permanens, tamen effectum suum præstat mediante sumptione, & hæc fit per motum, & in instanti extrinseco consummatur.

Contra conclusiones dictas, vix sunt difficultates aliquæ; Nam licet multæ auctoritates Sanctorum referri soleant, ad probandum hoc Sacramentum dare primam gratiam, & remissionem peccatorum; Dico quod auctoritates, quæ dicunt hoc Sacramentum dare vitam; loquuntur de vita per modum cibationis & nutrimenti, quæ primam gratiam supponit: Si autem dicunt hoc Sacramentum liberare à peccato, & remittere peccatum; vel intelliguntur de peccato veniali, vel de præseruatione à mortalibus, vel quod aliquando hoc Sacramentum dat primam gratiam per accidens, vt sequenti articulo dicemus.

Circa remissionem Venialium restat difficultas, An Sacramentum hoc remittat illa excitando feruorem charitatis, an etiam sine tali excitatione. Videtur enim sanctus Thomas in art. 4. vtrumque ponere; Et quod ratione excitationis charitatis tollat peccata venialia, & quod ratione cibationis per gratiam, quatenus proprium est cibi restaurare id quod quotidie deperditur. Et videtur difficile, quomodo peccatum veniale remittatur sine aliquo exercitio, vel actu charitatis, cùm peccatum veniale non opponatur ipsi habitui, sed actui, seu feruori charitatis.

Remissio venialium ex opere operato in Eucharistia, sine etiam actu formali charitatis.

Sed respondetur, Semper interuenire in remissione venialium aliquem motum, seu actum tendentiæ in Deum, sed non semper esse formalem actum charitatis. Itaque per actum charitatis sufficienter remittuntur peccata venialia sine aliquo sacramento, vel sacramentali, & solùm ex opere operantis, quia feruor seu actus charitatis est id cui opponitur peccatum veniale; si autem non sit motus seu actus charitatis, sed motus aliquis reuerentiæ erga Deum, saltem virtualiter, sicut est actus fidei, vel ille actus quo quis vult, aut voluit suscipere Sacramentum, vel rebus sacris vti; talis motus per se solùm non est sufficiens remittere peccatum veniale, est tamen sufficiens vt adjuncto Sacramento, vel aliquo sacramentali (sicut est aqua benedicta, & aliis similibus) remittatur peccatum veniale ex opere operato, etiamsi actu non habeat feruorem charitatis. Et ita hoc Sacramentum, cùm de se sit nutritiuum charitatis, speciali modo habet remittere peccata venialia ex opere operato, etsi feruorem charitatis non excitet; supponendo tamen aliquem actum, seu affectum, quo quis voluit accedere ad Sacramentum; quod est virtualis feruór, & sufficit vt adiuncto Sacramento possit remitti peccatum veniale.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum per accidens poßit hoc Sacramentum aliquando conferre primam gratiam?

Eucharistiam non remittere p. mortale per accidens, opinio.

NEgant plures Auctores, vt sanctus Bonauentura, Gabriël, Maior, Gerson, & Alij, quos citat & sequitur Pater Vasquez hîc disp. 105. cap. 4. Et fundamentum est, Quia neque ex institutione sua, neque ex ipsa natura & formali ratione huius Sacramenti, neque ex declaratione Ecclesiæ, aut traditione Patrum constat hoc Sacramentum, dare aliquando primam gratiam; ergo nullo modo id asserendum est. Consequentia patet, Quia cùm Sacramenta pendeant ex institutione Christi, non potest colligi quod operentur nisi aliquo ex dictis principiis. Antecedens verò probatur, Quia in primis ex institutione huius Sacramenti, & ex eius natura, id non colligitur; Quia tota efficacia Sacramenti ad aliquem effectum, deriuatur ex eius significatione; at verò significatio huius Sacramenti nullo modo (etiam per accidens) ducit in remissionem peccati mortalis; siquidem eius significatio solùm est per modum cibi & potus; cibus autem & potus sunt ad recreationem viuentium, non ad suscitationem mortui, quia mortuus manducare non potest;

Vnde formatur ratio, Quia nulla causa potest (etiam per accidens) excedere suam rationem formalem operandi; formalis autem ratio operandi in hoc Sacramento est per modum cibi & alimenti, seu augmenti gratiæ; ergo nunquam potest extendi ad dandam primam gratiam, quia tunc non operaretur vt cibus.

Ex traditione verò Patrum non constat hunc effectum habere, Quia vel dicunt generaliter valere contra peccata; & intelligi possunt de venialibus; Vel specialiter dicunt valere contra mortalia, & intelligi possunt valere per modum præseruationis, non per modum remissionis; Nunquam enim dicunt peccatum mortale remittere; B aut si id dicunt, ita absolutè id docent, quod non in solo aliquo casu, & per accidens dicant ad id valere, sed absolutè & simpliciter; quod opposita sententia etiam tenetur explicare, & non admittere. Denique Scriptura in institutione huius Sacramenti potius requirit hominem esse in gratia, cùm dicit 1. Cor. 11. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*: ergo sumptio huius Sacramenti non ordinatur vsquam à Scriptura ad remissionem mortalis, sed supponit illud remissum; nec assignari potest, quam dispositionem prærequirat ad istum effectum. Si enim requirit contritionem, supponit remissum peccatum, non tollit; si attritionem, sine fundamento C id dicitur, quia non constat pro aliquo casu eam sufficere.

S. Thomæ aliorúmque, opinio, per accidens remittere.

Oppositam sententiam tenet sanctus Thomas in hac quæst. art. 3. vbi dicit, *Quod potest hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter: vno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cùm quis primò iustificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet: fortè enim primò non fuit sufficienter contritus; tamen deuotè & reuerenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati*. Videri etiam potest sanctus Thomas in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. & dist. 11. quæst. 1. art. 3. Idem D sentit Scotus dist. 9. quæst. vnica, & communiter sequuntur Thomistæ. Et citantur etiam pro hac sententia Paludanus, Richardus, Siluester, sanctus Antoninus, Bellarminus, & Alij, quos citat & sequitur Suarez hîc disput. 63. sect. 1. conclus. 3.

Fundamentum huius conclusionis est, ex opposito prioris; Quia licèt directè & per se significatio propria huius Sacramenti sit gratiæ cibantis, tamen etiam significatio eius non habet repugnantiam, sed congruentiam cum remissione peccati mortalis, & habet sufficientem vim ad influendam istam remissionem, & primam gratiam; & testimonia Patrum valde in hoc inclinant, estque magis pium, & in consolationem Fidelium cedens; ergo non est cur negetur. Consequentia est manifesta (hæc enim omnia magnam probabilitatem inducunt) ergo non est negandum. Antecedens probatur; Nam ex parte institutionis Sacramenti Christus instituit illud in repræsentationem Passionis suæ, etiam vt remissiua est peccatorum, siquidem id expressit in consecratione Calicis, vt constat Matthæi 26. 28. *Hic est enim Sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*; qua forma etiam vtitur Ecclesia, Cùm ergo tota significatio Sacramenti desumatur ex forma, & in ea exprima- A tur sanguis vt effusus in remissionem peccatorum, non repugnat ex vi huius significationis habere vim remittendi illa; & sic pro aliquo casu debet remittere. Similiter Christus Dominus explicans vniuersalem virtutem huius Sacramenti in omnes effectus aliorum, dixit Ioan. 6. 54. *Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quæ verba supra extendimus ad omnes effectus (etiam dandi primam gratiam) quatenùs hoc Sacramentum habet esse finis omnium Sacramentorum; ergo non repugnat ex tali institutione habere vim ad remittendum aliquando peccatum (saltem per accidens) quia habet eminenter vim aliorum Sacramentorum.

Quod verò ex traditione Patrum idem sit dicendum, probatur, Quia verba Patrum id in sensu proprio significant, & aliàs Ecclesiæ & Conciliorum sensus huic non repugnat. Vide sanctum Iustinum Martyrem in Quæstionibus ad Gentes, responsione ad quartam, vbi loquens de sumptione Carnis Dominicæ in hoc Sacramento, *Carbo*, (inquit) *quem Propheta vidit immundis suis labijs adhærentem, ad iniquitatum peccatorumque expiationem, figuram habebat Dominicæ Carnis, quæ conscientiam eorum qui ipsam edunt ab omni scelere expiat*: Cui loco non inuenit Vasquez quid responderet, nisi Iustinum non loqui de sumptione Carnis Christi in Eucharistia, sed quatenus per fidem creditur. Sed vim faciunt verba Iustini, cùm paulò antè dicat, *Quod illa visione Isaiæ mysterium Christi enuntiabatur, qui in solio gloriæ sedet, esuque sanctæ Carnis suæ peccata impiorum scelestorumque hominum expiat*; esus autem Carnis Christi violenter explicatur de actu fidei quo creditur, & sine fundamento excluditur sacramentalis sumptio, si non per se & semper, saltem aliquando.

Patrum loci in eam rem.

Item Damasc. lib. 4. Fidei cap. 14. *His qui Sacramentum hoc per fidem dignè suscipiunt, in peccatorum remissionem & vitam æternam, animique & corporis præsidium cedit; omne incommodum propulsat, eamque vim habet, vt spurcitiam omnem abstergat; Neque enim in quibus simus peccatis considerat*. Chrysost. Homil. 83. in Matthæum, comparans hoc Sacramentum cum Agno Paschali, *Si hoc*, inquit, *remissionem peccatorum facit (sicut certè facit) superuacaneum illud omninò est*. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 17. *Pias quæso cogitationes suscipias; studiosè sanctèque viuas, vt benedictionem participes; quæ, crede, non mortem solam, sed etiam morbos omnes depellit*. Si autem mortem depellit, ergo aliquando id facere potest; licèt pias cogitationes requirat, & sanctè iustèque viuere.

Denique Ecclesia in quadam oratione postulat, *Vt hoc Sacramentum sit ablutio scelerum, sit for-* E *titudo fragilium, sit viuorum atque mortuorum fidelium remissio peccatorum*; ergo sentit Ecclesia valere inter alia hoc Sacramentum ad scelera abluenda. Nec obstat Trident. sess. 13. can. 5. vbi definitur, *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum huius Sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus peruenire, Anathema sit*. Nam potius Concilium nostram sententiam indicat, dum definit remissionem non esse præcipuum effectum; ergo minus præcipuus potest esse.

Oppones, Ex his testimoniis colligi per se esse effectum huius Sacramenti remissionem peccati,

Tum quia Patres indefinitè loquuntur, & sine A vlla distinctione, nec pro aliquo casu & per accidens; nos autem solùm intendimus, quod per accidens, & pro aliquo casu habeat hunc effectum; Tum quia in forma consecrationis calicis absolutè significat effundi Sanguinem in remissionem peccatorum; ergo si ex illis verbis aliquod argumentum trahimus, concludemus quod non solùm per accidens, sed per se hoc Sacramentum habet hunc effectum.

Respondetur nos istas auctoritates præcipuè adducere, vt constet hoc Sacramentum etiam habere hanc vim, vt possit saltem aliquando hunc effectum habere; nec sibi repugnare ex ipsa sua institutione & significatione: & hanc non repu- B gnantiam ostendunt efficaciter testimonia allata. Quod verò de facto hunc effectum per se & directè habeat, non ostendunt; quia obstat aliunde ipsa Scriptura, postulans pro dispositione necessaria ad hoc Sacramentum, quod prius homo probet seipsum, & sic de pane illo edat; quæ probatio debet esse mediante confessione, vt Ecclesia declarauit; & quia hoc Sacramentum per se institutum est, vt Sacramentum cibatiuum & Sacramentum viuorum; Et quia Tridentinum definiuit, Non esse præcipuum effectum huius Sacramenti remissionem peccati. Vnde relinquitur, quod illa testimonia non debent accipi pro effectu præcipuo, sed solùm probare, quod ad hoc C habet vim & potestatem hoc Sacramentum, licèt non semper & per se, sed propter suam eminentiam ad omnes effectus gratiæ.

Soluuntur Argumenta.

Ad fundamentum contrariorum, patet ex dictis; Videmus enim ex Scriptura & institutione Sacramenti, & ex traditione Patrum constare, quod iste effectus non repugnat huic Sacramento, & hoc sufficit nobis: inde enim deducitur efficax argumentum, Non est negandum huic Sacramento, ob sui excellentiam, quidquid illi non repugnat ex sua institutione; sed non repugnat dare D primam gratiam aliquando, & ad id vim habere, vt prædicta testimonia significant; ergo id non est ei denegandum. Et cùm instatur, Quod ratio eius formalis est causare gratiam per modum cibi; Respondeo, Per modum cibi eminenter habentis potestatem viuificandi, concedo; non habentis, nego. Licèt enim hoc Sacramentum ex sua propria ratione præbeat effectum suum per modum cibi, & sic directè & per se loquendo supponat vitam in comedente, non illam præbeat; tamen propter sui eminentiam super omnia Sacramenta, non repugnat quod sub istamet ratione cibi, vt eminenter continentis vim viuificandi, & dandi primam gratiam, possit illam dare; quia E valde congruum est excellentiæ huius Sacramenti, quod sicut propter sui excellentiam est finis omnium Sacramentorum, & omnium effectuum gratiæ, ita ob eandem possit in re dare primam gratiam effectiuè, quando aliàs ex parte dispositionis & modi sumendi sumitur per modum panis, quia bona fide existimat quis se habere primam gratiam, & esse iam viuificatum, vt statim dicemus.

Eucharistia, cibus eminenter continens vitam, ac in casu efficiens.

Ad id verò quod vltimò quæritur, Quam dispositionem requirat hoc Sacramentum vt conferat primam gratiam, & quo fundamento? Respondetur, Quod fundamentum sumitur ex natura & proprietatibus huius Sacramenti, & ex requisitis per se ad iustificationem. Nam ex ratione iustificationis certum est requiri in re affectum contrarium peccato ex motiuo supernaturali; & sic ad minus requiritur attritio supernaturalis, cum efficaci proposito excludendi affectum peccati, vel saltem quod aliquis confiteatur cum attritione existimata, quæ sufficiat ad Sacramentum Confessionis, postea autem antequam accedat ad Sacramentum Eucharistiæ habeat attritionem supernaturalem veram, & non solùm existimatam; aliàs non poterit Sacramentum hoc operari, quia inueniet obicem in subiecto. Ex parte autem ipsius Sacramenti Eucharistiæ requiritur, quod iste existimet bona fide se esse contritum, aut saltem quando confessus erat habuisse attritionem, quia semper seruanda est propria ratio operandi huius Sacramenti, quantum fieri potest; Nempe vt scienter quis non accedat cum peccato mortali; hoc enim esset manducare & bibere indignè, & non cum sufficienti probatione, quæ requiritur de iure diuino; & ideo communiter Patres requirunt pro accessu digno ad hoc Sacramentum, vt sine conscientia peccati mortalis accedatur, & cum innocentia, saltem existimata probabiliter, & humano modo; Nam in re nemo potest esse certus an sit in gratia.

Quæ requirantur, vt Eucharistia causet primam gratiam.

Ex quo sequitur, Quod si quis inuincibiliter existimat se esse contritum, vel confessum cum attritione; in re tamen non habeat veram attritionem, si suscipiat hoc Sacramentum, non recipiet effectum illius, nec primam gratiam, quia in re non habet affectum contrarium peccato; excusari tamen à noua culpa propter ignorantiam inuincibilem: Et ideo si quæratur An sumat dignè, vel indignè? Respondetur quod in re accedit indignè, & ideo non recipit fructum; in sua tamen existimatione accedit dignè, quia cum ignorantia inuincibili sic accedit; & hoc sufficit vt excusetur à noua culpa; Et sic simpliciter dicendum est, Quod attritio per se sola, & cognita vt talis, non est sufficiens dispositio ad hoc Sacramentum, sed cum circunstantia, quod existimetur probabiliter contritio, accipit vim dispositionis, non positiuè, sed negatiuè (id est) non ponendo obicem Sacramento, saltem quantum ad effectum eminentialem, qui est prima gratia, quatenus tollit indignitatem sumendi & accedendi ad hoc Sacramentum, hoc ipso quod existimatur esse contritio, & dignè accedere, & hoc est fieri dispositionem propriam negatiuè, non positiuè.

QVÆSTIO LXXX. LXXXI. ET LXXXII.

IN istis tribus vltimis quæstionibus, Agit sanctus Thomas de sumentibus hoc Sacramentum, & de Ministro illius. Et quia inter sumentes diuersa est difficultas, Quomodo nos sumamus, & quomodo Christus sumpserit; ideo sanctus Thomas in quæst. 80. agit de sumentibus communiter; & in quæst. 81. de modo quo Christus sumpserit, & vsus fuerit hoc Sacramento; in quæst. autem 82. agit de Ministro, ad quem pertinet conficere, & dispensare hoc Sacramentum.

DISPVTATIO XXXI.

De Sumptione huius Sacramenti, & de Ministro.

ARTICVLVS PRIMUS.

Quæ dispositio requiratur ad dignam sumptionem huius Sacramenti?

AD hunc titulum reducimus omnes difficultates, quæ in hac quæst. tractantur à sancto Thoma. Omnia enim quæ ad sumptionem & vsum huius Sacramenti pertinent, ferè ordinantur ad discernendam dispositionem huius Sacramenti. Quia verò condigna susceptio supponit capacitatem sumendi in subiecto, antequam agamus de dispositione condigna, quæ ordinatur ad suscipiendum hoc Sacramentum cum fructu.

Supponendum est, quibus concedatur vsus huius Sacramenti, & qui sint capaces recipiendi illud: Et suppono aliud esse sumere verè & propriè Sacramentum, aliud esse habere ius ad sumendum illud, ita quod possit effectum habere, nisi impediatur ex indispositione subiecti. Ad hoc enim vt sumatur Sacramentum, sufficit quod possit manducari corporaliter. Vnde siue sumatur à peccatore, siue ab infideli & Pagano (immò etiam à bruto) id quod sumitur verè & propriè Sacramentum est; Neque enim desinit esse Sacramentum, eo quod à bruto, vel ab infideli sumatur; quia Christus Dominus non desinit esse sub speciebus, nisi species ipsæ corrumpantur. Bene ergo stat, Quod possit animal brutum (& multò magis homo infidelis) hoc Sacramentum sumere. Cæterùm licèt hæc manducatio sit veri Sacramenti sumptio, non tamen est sumptio sacramentalis; id est, sumptio ab his, qui habent ius sumendi, & in quibus ordinari potest sumptio ad effectum spiritualem.

Sumptio Sacramenti, non sacramentalis.

Loquendo ergo de sacramentali sumptione, dicimus Esse capacem illius omnem hominem viuentem baptizatum, nisi aliquo præcepto vel pœna Ecclesiastica impediatur; Ad fructuosam autem sumptionem vlterius requiritur, per se loquendo, quod sit homo iustus, & in gratia. Dicitur *homo*, ad exclusionem Angelorum, qui non possunt propriè sumere hoc Sacramentum, etiam in corporibus assumptis, quia propriè & vitaliter non manducant. Excluduntur etiam bruta, quia etsi possint manducare species sacramentales, non

Quis Eucharistiæ capax, validè aut ritè suscipiendæ.

A tamen modo sacramentali; id est, ordinato de se ad fructum spiritualem. Dicitur *viuens*, ad exclusionem hominis mortui, quia homo mortuus non potest manducare. Dicitur *baptizatus*, quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum, & per illum datur potestas ad recipienda Sacramenta modo sacramentali; & ad hoc datur Character in Baptismo. Vnde sicut sine Charactere Ordinis non habet quis potestatem actiuam ad conficienda Sacramenta, quæ per Ordinem confici possunt, ita sine Charactere Baptismi non habet potestatem ad recipienda reliqua Sacramenta modo sacramentali. Vnde etiam si Catechumenus, & ille
B qui habet votum Baptismi, si habet actum Charitatis, sit iustificatus, non tamen potest Eucharistiam suscipere sacramentaliter.

Addimus in conclusione, *Nisi aliquo præcepto, vel pœna Ecclesiastica sit impeditus*, Quia per Ecclesiasticum præceptum, & ordinationem non permittuntur omnes baptizati sumere hoc Sacramentum; sed requiritur in eis vsus rationis, vt possint ad communionem huius Sacramenti admitti; & talis vsus rationis, qui possit sufficienter discernere excellentiam huius Sacramenti, & cum debita
C reuerentia ad illud accedere. Fundaturque hoc in vniuersali consuetudine Ecclesiæ, denegantis paruulis Eucharistiam, quam consuetudinem approbat Trident. sess. 22. cap. 4. licèt admittat veterum Patrum consuetudinem, dandi paruulis Eucharistiam, & pro sui temporis ratione probabilem causam sui facti habuisse ad talem consuetudinem habendam, vel tolerandam. Vnde colligitur, Paruulos non esse simpliciter incapaces Eucharistiæ, sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ seu ordinatione, talem sumptionem modo non esse licitam propter indecentiam, quæ timeri posset, si communiter paruulis daretur Eucharistia; quæ in-
D decentia in tanta multitudine Fidelium vix esset euitabilis.

Paruulis olim indulta Eucharistia; nunc pro periculo irreuerentiæ negata.

Ex eadem autem ratione propter indecentiam, & irreuerentiam negatur Eucharistia perpetuis amentibus, quia isti reputantur vt paruuli, & cum eadem irreuerentia tractare possunt hoc Sacramentum sicut paruulis; si tamen habeant lucida interualla, in quibus habeant vsum rationis, in illis poterunt Eucharistiam suscipere. Similiter si ex phrenesi vel tussi, vel vomitu probabiliter timeatur irreuerentia, vel quod infirmus vomat Eucharistiam, non est illi danda. De quibus omnibus videri possunt ordinata in Rubricis Ritualis
E Romani authoritate Pauli V. in Rubrica de Sacramento Eucharistiæ. Semper enim Ecclesia anteposuit vitare omnem irreuerentiam huius Sacramenti, quàm istis ipsorum Fidelium satisfacere ad sumendum illud; præsertim quia cum periculo irreuerentiæ non currit ius, & potestas sumendi Eucharistiam.

Amentibus quibus negata, vel permissa.

Ex pœna autem Ecclesiæ remouentur à communione Excommunicati. Ecclesia enim habet potestatem super Fideles ad prohibendum illis Sacramentorum communicationem & suffragiorum; & ita id fit per excommunicationem maiorem, per quam priuantur Fideles à passiua & actiua administratione Sacramentorum. Quod

verò attinet ad condignam dispositionem, qualis requiritur non solùm ad suscipiendum Sacramentum, sed etiam fructum & effectum huius Sacramenti, Dicendum est hanc dispositionem esse multiplicem, tum ex parte Animæ, tum ex parte corporis. Potest etiam considerari dispositio quæ requiritur ad habendum præcisè effectum gratiæ, seu ad augmentum gratiæ, vel ad habendum alios effectus actualium auxiliorum, vel specialis dulcedinis & suauitatis, quæ ex huius Sacramenti vsu percipitur.

Dispositio simpliciter necessaria & sufficiens ad augmentum gratiæ, vt quis accedat in gratia, etiã si distractus & cum peccato veniali.

Dico primò, Ad consequendum augmentum gratiæ habitualis ex opere operato, non est necessaria actualis aliqua dispositio, id est, actualis actus charitatis, vel alterius virtutis aut considerationis; immò etiam si aliquis actualem affectum peccati venialis habeat, & actu sit distractus, consequitur effectum huius Sacramenti ex opere operato, licèt non ita abundanter, sicut si haberet actualem dispositionem. Itaque ad habendum effectum huius Sacramenti, sufficit quod accedat in gratia habituali. Ita sumitur ex sancto Thoma supra quæst. 79. art. 8. vbi resoluit, Quod augmentum gratiæ & charitatis non tollitur per actum peccati venialis, quo acceditur ad hoc Sacramentum. Et licèt oppositum insinuet in 4. dist. 12 quæst. 2. art. 1. quæst. 3. tamen potest interpretari quod loquitur ibi de augmento gratiæ non habituali, sed actuali; id est, quoad effectus actualis dulcedinis; licèt Aliqui dicant hîc mutasse sententiam. Ratio autem & fundamentum est, Quia sic accedens non ponit obicem Sacramento, & aliàs habet primam gratiam; ergo non est ratio cur priuetur effectu huius Sacramenti; quia Sacramenta præbent effectus suos non ponentibus obicem, vt constat ex Trid. sess. 7. can. 6. Quod autem sic accedens non ponat obicem, patet, Quia, vt supponimus, accedit in gratia, neque illi repugnat; Carentia enim sola actualis deuotionis, non est repugnantia & impedimentum respectu gratiæ augendæ, neque specialis aliqua irreuerentia, quæ sit peccatum mortale, vt supponimus; quia solùm cum distractione veniali accedit; ergo non est vnde impediatur Sacramentum operari.

Confessio iure diuino præmittenda, illi qui sibi conscius mortalis sit.

Dico secundò, Qui habet conscientiam peccati mortalis, tenetur iure diuino præmittere Confessionem, si velit communicare; & non sufficit habere contritionem, seu conari ad illam; dummodo copiam Confessoris habeat. Conclusio est certa, & definita in Concil. Trident. sess. 13. can. 7. & 11. vbi etiam ponitur excommunicationis pœna, si quis contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit. Et sic ad talem pœnam incurrendam requiritur, quod scienter & aduertenter id faciat, ex præsumpto animo. Quod autem sit de iure diuino, & non ex iure positiuo Ecclesiastico, constat, Quia Concilium afferens illa verba Pauli 1. ad Cor. 11. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo, edat*, &c. dicit, *Ecclesiasticam consuetudinem declarare, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis (quantumuis sibi contritus videatur) absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam audeat accedere*: intelligit ergo Concilium solùm consuetudinem Ecclesiæ declarare, non verò statuere legem hanc; Et ita consensus Patrum, qui pro hac parte stat, supponit legem in Scriptura latam, non ab Ecclesia introductam; Nec tamen ex ipsa natura Sa-

De iure positiuo diuino a Paulo promulgato videri, non de naturali.

A cramenti videtur orta hæc obligatio, sed ex præcepto diuino positiuo, illis verbis Pauli explicato, & sic declarato per Ecclesiam.

Copia Cõfessoris, vel non copia, vt quis excusetur à confessione, vel non excusetur.

Solùm dubitare quis posset, Quando intelligitur verè & propriè non adesse copiam Confessoris? Respondetur intelligi quando non adest, non solùm physicè, sed etiam moraliter; idest, taliter quod possit eo vti humano modo. Dupliciter enim potest dari præsentia Confessoris, vno modo physicè, quia adest persona ipsa Confessoris; aut è contra absentia physica, quia abest physicè ipse Confessor; alio modo moraliter, quia scilicet non solùm physicè adest, sed etiam non est B impeditus, neq; ex parte sua, neque ex parte mea, vt possit audire confessionem: & similiter potest esse absens moraliter, quia scilicet etsi sit præsens physicè, vel facilè possit esse præsens, tamen intercedit aliquod impedimentum, ratione cuius est perinde ac si non esset præsens in ordine ad confessionem. Primò ergo verificatur quod non sit copia Confessoris, quando Confessor non est præsens actu; vel non est in tali distantia, vnde possit commodè venire, vel ego illuc accedere; vel aliàs instat necessitas communicandi, vel faciendi sacrum; cum ista enim necessitate mensuranda est illa absentia. Si enim nulla est necessi- C tas, non currit casus, sed debet omittere sacrum, potius quàm sine confessione illud facere. Quanta autem distantia censeatur sufficiens absentia, non potest vna regula definiri; quia respectu vnius subiecti vna leuca est magna distantia, & respectu alterius parua; & in aliquo tempore est magna difficultas itinerandi per illam leucam, in alio parua. Secundò si Sacerdos sit præsens physicè, sit autem impeditus, vel infirmitate, vel surditate, vel alia occupatione qua nolit confessionem audire, censetur moraliter abesse. Tertiò si ex parte sua sit dispositus audire, ex parte tamen mea probabile periculum timeo, quod ex tali confessione imminebit mihi periculum, aut reuelationis confessionis, aut alterius damni grauis D pro me, vel pro meis, est perinde ac si non haberem copiam Confessoris. Et vnico verbo, Quidquid excusat ab integritate confessionis, quando non est alius Sacerdos, excusat in nostro casu à præmittenda confessione, si non habeo aliud peccatum mortale quàm illud; vel excusat ne illud confiteatur, sed alia, si alia peccata habeam.

Reiectus casus, commodius cõfitendi aut deuotius.

Oportet tamen ex his omnibus cum magna prudentia procedere, nec facilè fingere istos timores de damno ex confessione secuturo, ac nisi magnum sit fundamentum, & probabilis ratio. Quod verò Aliqui extendunt hunc casum, quod moraliter censeatur non adesse copiam Confessoris, quia non adest Confessor proprius, vel cum quo deuotius aut accommodatius soleo confiteri, E non est sufficiens causa, vt confessionem prætermittam; Quia hoc non est moraliter deesse copiam Confessoris, sed solùm deesse commoditatem meam, & quod aliquid amplius ruboris aut verecundiæ patiar cum tali Confessario, quàm cum alio; quod certè est absurdum tanti æstimare, ac si simpliciter non esset copia Confessoris. Quod si Confessor, qui adest, iurisdictionem non habet, aut quia simpliciter non est expositus, aut quia peccatum meum est reseruatum, & non habeo Bullam, vel Priuilegium quo possim illud confiteri, censebitur non dari copiam Confessoris, vt multi Auctores tenent; licèt alij dicant, Posse tunc, & debere confiteri peccatum

reseruatum, cum onere illud iterum confitendi superiori; quia Sacerdos pro illa instante necessitate potest indirectè absoluere à reseruatis, cum onere comparendi ante superiorem; quod si potest absoluere, iam datur copia Confessoris: sed de hoc in Materia de Pœnitentia agetur.

Quæ necessitas intelligatur excusare.

Dico tertiò, Quando copia Confessoris non datur, adhuc vt possit quis licitè ad Eucharistiam accedere sine confessione, debent duæ conditiones concurrere; Prima, Quod sit vrgens necessitas communicandi, vel faciendi sacrum; Secunda, Quod conetur ad contritionem habendam, & non solùm attritionem, quantum potest. Prima deducitur ex Trident. sess. 13. can. 7. vbi loquens de Sacerdote celebrante sine copia Confessoris, dicit, *Quod si necessitate vrgente debeat celebrare*, &c. ergo supponit non habere locum extra casum necessitatis communicare, vel celebrare non præmissa confessione. Quid autem nomine casus necessitatis vrgentis intelligatur, non potest vnica regula assignari, sed variæ causæ ab Auctoribus adducuntur, quæ omnes reduci possunt ad quatuor. Primò ad periculum mortis. Secundò ad periculum infamiæ, vel scandali grauis, si communio, vel Missa omittatur. Tertiò ad necessitatem ipsius Sacrificij, quando iam inchoatum est, & non potest sine graui scandalo Sacerdos confiteri peccatum, cuius tunc recordatur. Quartò propter necessitatem populi, ne maneat sine Missa; quæ necessitas currit in Parrochis, qui tenentur ex officio ministrare populo Missam. In aliis enim Sacerdotibus non habentibus curam Animarum, non potest ex hac parte sumi necessitas, vt propterea sine confessione Missam celebrent; Nam etiam si tunc omittat sacrum facere, non ei imputabitur quod populus non audierit, quia hoc non est eius curæ commissum.

Præceptum quam citò vt facultas Sacerdotes ligans, qui sic in necessitate celebrauerint.

Ex Concilio autem Tridentino præceptum est Sacerdotibus, qui hac necessitate vrgente sine præuia confessione celebrant; quàm primùm possint confiteri; quod præceptum non obligat laïcos, absque præuia confessione communicantes, quia expressè loquitur Concilium de Sacerdotibus; neque in onerosis legibus facienda est extensio, vltra casum legis; Neque etiam obligat omnem Sacerdotem, sed tantùm illum qui necessitate vrgente celebrat. Quia Concilium voluit euitare, ne facilè quis prætenderet causas necessitatis, & sic differret confessionem ratione illarum. Ille autem qui ex pura malitia omittit confessionem, non indiget tali præcepto, quia tam abundans malitia, quæ audet ad Sacramentum accedere sine confessione nulla vrgente necessitate, tali præcepto non poterit coërceri.

Secunda verò pars conclusionis, Quod debeat tunc conari ad contritionem, & non sufficiat sola attritio cognita, vt possit cum probabili conscientia accedere, constat ex supra dictis; Quia hoc Sacramentum per se & directè non dat primam gratiam, sed supponit illam esse in subiecto, vt sumi possit per modum cibi; ergo dispositio qua acceditur ad illud talis esse debet, quod det primam gratiam ante sumptionem Sacramenti, vel saltem probabiliter existimetur talis esse: Attritio autem cognita non dat primam gratiam sine Sacramento; ergo non est sufficiens dispositio ad Eucharistiam.

An verò qui iam est confessus, si recordetur peccati mortalis ante communionem, vel celebrationem, teneatur illud confiteri ante communionem? Respondetur per se teneri, nisi sit aliquod scandalum vel infamia. Ratio est, quia quamdiu illud peccatum incipit innotescere, tenetur illud subiicere clauibus Ecclesiæ, etiamsi per accidens fuerit remissum in præcedenti confessione; ergo in casu quo iure diuino tenetur confiteri (vt est in præsenti) obligatur etiam tale peccatum subiicere clauibus Ecclesiæ, quamdiu durat illud præceptum; durat autem quousque communicet, ergo.

Etiam peccatum oblitum, cum tunc meminerit, antè confitendum.

Dico quartò, Ad habendos effectus actualis deuotionis & charitatis, requiritur actualis attentio. Patet hoc, Quia non potest excitari voluntas nisi actu cogitetur de eo, de quo est excitatio: Si enim sit quis distractus, vel non cogitans, non potest ei aliquid esse volitum; quia nihil volitum, quin præcognitum.

Actualis attentio necessaria ad deuotionis affectum.

Dico vltimò, Ex parte corporis requiritur duplex dispositio ad communionem; Altera de necessitate, scilicet quod aliquis sit ieiunus ieiunio naturali, extra casum viatici, vel alios casus extraordinarios; Altera de decentia, scilicet, quod non sit pollutus intra illum diem, in quo est communicaturus. Quod si pollutio sit cum peccato mortali, vel ex illo causata, prius confiteri tenebitur, sicut de aliis peccatis mortalibus dictum est. Prima pars constat ex traditione Apostolica, quam D. August. docet epist. 118. cap. 6 Cyprianus epist. 63. aliique Patres communiter, & plura Concilia, vt sexta Synodus Trul. can. 27. Bracar. 1. can. 16. vbi reuocatur licentia communicandi in die Cœnæ post sumptum cibum, quæ habebatur in Concil. Africano can. 8. & Carth. 3. can. 23. Videri etiam potest Concil. Bracarense 2. can. 10. & Toletanum 7. can. 2. Intelligitur autem nomine ieiunij naturalis, quod à media nocte, in qua inchoatur dies, nihil sumatur, & transeat in stomachum per os, quod rationem cibi vel potus habere possit. Quidquid aliud sit, quod cibus & potus non sit, siue reliquiæ cibi, siue aliqua humiditas vel exhalatio, aut odor, quæ cum saliua miscentur, non tollunt ieiunium naturale. Si tamen reliquiæ cibi in ore relictæ tales sint, quod possint nutrire, impediunt communionem; Nec sufficit aliquid ore tenere, sed requiritur quod traiiciatur de facto, vt impediat communionem.

Ieiunium naturale ex præcepto Ecclesiæ ante communionem.

Excipitur autem primò quando datur Eucharistia per modum Viatici, eo quod infirmitas non potest his legibus ieiunij adstringi, pluresque sine Eucharistiæ decederent, si ieiuni solùm possint communicare, quod esset denegare eis magnum subsidium pro morte. Quod si post sumptum Viaticum iterum in eadem infirmitate velit communicare infirmus, non est ei denegandum Viaticum, vt colligitur ex Rituali Romano; & sufficit quod inter vnam & alteram communionem intercedant octo vel decem dies. Secundò potest sumi Sacramentum à non ieiuno, quando id est necessarium pro ipso Sacramento perficiendo; vt si consecrata altera specie Sacerdos recordetur se non esse ieiunum, tenetur perficere & sumere. Et idem est, si post Missam inchoatam ante consecrationem recordetur, & non possit sine scandalo recedere ab altari. Item si sumpto calice videat non esse vinum, id quod sumpsit, tenetur iterum consecrare, & sumere; similiter si post inchoatum Sacrificium Sacerdos infirmetur, & non inueniatur alius Sacerdos ieiunus, debet Sacerdos, etiam non ieiunus, perficere. Tertiò si post ablutionem sumptam reperiat aliquas reliquias quæ commodè seruari non possint, possunt sumi à Sacerdote, quia adhuc

Viatici lex excusans; potestque sæpius in eadē ægritudine iterari.

Alij casus ex reuerentia Sacramenti.

adhuc tenetur perficere Sacrificium. Quartò propter vitandam grauem irreuerentiam Sacramenti, vt non veniat in manus infidelium, vel ne comburatur, potest à non ieiuno sumi.

Pollutio vt impediat.

Quoad secundam partem conclusionis dicimus, Quod in pollutione considerantur duo; Aut culpa mortalis, si fortasse interuenit in illa; Aut corporalis illa fœditas, vel distractio mentis inde relicta, etiam si sine peccato acciderit. Quoad primum impediet pollutio communionem, sicut alia B peccata mortalia, id est, quamdiu non fuerit peccatum illud Pœnitentia deletum, & confessum: quoad secundum etiam si pollutio peccato careat, aut etiam si quis culpam illius fuerit confessus, habet specialem indecentiam, tum propter impuritatem, tum propter distractionem mentis. Hæc tamen non de necessitate impediunt communionem, sed de decentia; relinquendumque est Confessoris arbitrio, vt ipse decernat, An expediat sic accedere; & sic cum humilitate & subiectione omitti debet communio, vel non omitti. Si non magna vrgeat necessitas, aut festus dies, melius abstinere pro illo die, quàm communicare.

Aduertendum est, Quod quando diximus supra, Amentem qui lucida habet interualla in illis communicare posse, etiam posse communicare dum est in amentia, si prius habuit vsum rationis cum affectu & dispositione ad hoc Sacramentum, vt sentit sanctus Thomas quæst. 80. art. 7. Et idem est de energumenis seu dæmoniacis. Solùm volumus dicere, quod tam in istis, quàm in aliis, & in quibuscumque adultis, non sit periculum irreuerentiæ; tunc enim deneganda est communio; & hæc pro regula habenda est.

Amentibus in ipsa amentia dãda Eucharistia, cùm ad eam antea deuotionem habuerint.

QVÆSTIO LXXXIII.

De Sacrificio Missæ.

IN quæst. 82. agit S. Thomas de C Ministro, resoluitque in primo articulo, Proprium esse Sacerdotis consecrare istud Sacramentum, quia solùm illi datur potestas supra Corpus Christi. Resoluit in secundo, Plures Sacerdotes simul posse eandem met hostiam consecrare, vt patet in Ordinatis, qui simul cum Episcopo eandem consecrant hostiam; ad quod dicit Innoc. III. Quod intentio omnium debet ferri ad idem consecrationis instans. In tertio, Solùm ad Sacerdotem pertinere huius Sacramenti dispensationem, quod patet; Tum ex facto Christi, qui in Cœna Corpus quod consecrauit ipse, aliis sumendum dedit; Tum ex D eo, quod ad tangendum hoc Sacramentum, propter ipsius maximam reuerentiam, requiritur consecratio; solum autem manus Sacerdotis consecrantur; vnde nulli tangere licèt, nisi in necessitate, vt si caderet in terram, v. gr. In quarto asserit, Teneri Sacerdotem consecrantem hoc Sacramentũ sumere, quia simul est Sacrificium; Quicumq; autẽ Sacrificium offert, debet illius fieri particeps. In quinto, Quod etiam malus Sacerdos consecrare potest, siquidem ei, quantumvis peccator sit, non aufertur Character, seu potestas in Ordine sibi data. In sexto, Non minus valere Missam mali Sacer- E dotis, quàm boni, quantum ad rationem Sacrificij, non verò quantum ad fructum seu efficaciam quam habent orationes, quæ in Missa dicuntur ex deuotione Sacerdotis. In septimo, Posse etiam Hæreticos, Schismaticos & Excommunicatos consecrare, quia in eis remanet Character, licèt non licitè possint. Idem etiam propter eandem rationem asserit art. 8. de Degradatis. Tandem in nono resoluit, Non licere Sacerdoti omnino à celebratione cessare, sed teneri saltem in præcipuis festis. Reprehenduntur enim 2. Mach. 4. 14. qui iam non circa altaris officia, cùm essent Sacerdotes, dediti erant; contempto templo, & sacrificiis neglectis. Apostolusque hortatur 2. ad Cor. 6... Ne in vacuum gratia Dei recipiatur.

Celebrationem Sacramenti Eucharistiæ, quæ Sacrificium est, nomine Ritus huius Sacramenti S. Thomas appellat. Et primò agit de eo quod pertinet ad substãtiam Sacrificij, ostendens art. 1. quod in hoc Sacramento Christus immolatur. Hæc enim est substantia Sacrificij. Deinde in reliquis articulis agit de accidentibus & circunstantiis illius, scil. de tempore quo celebrandum est, de loco, de dictis seu orationibus, quibus celebratur; de factis seu actionibus, quæ in illa celebratione fiunt; & tandem de defectibus, qui possunt occurrere in hac celebratione, & quomodo supplendi sunt.

DISPVTATIO XXXII.

De Sacrificio Missæ.

REm hanc, quia multum moralis est, ita diuidemus per articulos, quod in quolibet articulo plura dubia excitabimus, vt ea quæ moralia sunt, facilius expediamus. Præmittendo tamen in priori & secundo articulo, ea quæ pertinent ad essentiam & valorem huius Sacrificij, quæ aliquid amplius de metaphysica disputatione continent.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Sacrificium in communi, & quale sit in Lege Noua?

DAri Sacrificia tam euidens & notum est omnibus, quàm notum est dari apud omnes nationes, & fuisse semper aliquod nomen religionis, & cultum seu venerationem protestatiuam diuinitatis, siue veræ, siue falsæ. Vt enim inquit August. 19. contra Faustum, *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Et quidem apud veri Dei cultores frequentissimum est in sacris literis Sacrificij nomen, non solùm in

Sacrificiũ religioni coæuum.

Lege Veteri, ſed etiam ante Legem, in Sacrificiis A Abrahæ & Noë: immò & in ipſo mundi initio, in Sacrificio Abel & Caïn; Vt proinde rectè Auguſt. epiſt. 49. quæſt. 3. dixerit. *Intelligendum eſt, quàm antiqua res ſit Sacrificium, quod nôn niſi vni vero Deo offerri debere veraces & ſacræ literæ monent.* Inter cultores autem dæmonum & Idolorum, etiam immolationes & ſacrificia viguerunt, exiſtimantes illo genere cultus nonniſi diuinitatem & Numen aliquod religiosè coli. Ideoque vt dicitur Actor. 14. 41. *Cùm Sacerdos Iouis vellet ſacrificare Paulo & Barnabæ, exiſtimans eſſe ſimiles Diis, exclamauerunt ipſi, Viri quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines*: B quia ſcilicet iudicabant actionem ſacrificandi eſſe ſingularem proteſtationem ipſius diuinitatis; quæ fuit ratio vt dæmones tam ſolicitè ambierint ſacrificia ſibi fieri, & animalia immolari ab hominibus; quia, vt rectè dixit Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate cap. 19. *Dæmones non cadauerinis odoribus, ſed diuinis odoribus gaudent.* Quare notiſſimum eſt, nomine Sacrificij intelligi proprium cultum debitum ipſi Diuinitati; ideoque inter præcipuos actus religionis numeratur à ſancto Thoma 2. 2. quæſt. 85. His ſuppoſitis quæritur primò, In quo conſiſtat formaliter Sacrificium, & pro quo directè ſupponat?

Proprius diuinitatis cultus.

Quid formaliter Sacrificium: eſſe ſignũ, 1. opinio.

Circa quod tres ſunt Sententiæ principales, Quidam dicunt conſiſtere in genere ſigni externi, atque adeò in genere relationis, quia dicit Aug. 5. de Ciuit. cap. 5. *Quod viſibile Sacrificium, ſignum eſt inuiſibilis Sacrificij.* Et 10. de Ciuit. cap. 5. inquit, *Quod Sacrificia in quadam ſignificantia offeruntur.* Et Sacrificium de ſe eſt quædam proteſtatio diuinæ excellentiæ, & ſubiectionis ad ipſam, quæ proteſtatio aliquo ſigno fieri debet. Et ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 85. art. 1. probat eſſe de Lege Naturæ offerre Deo Sacrificia, quia naturale eſt homini aliquibus ſignis vti offerendo illa Deo, in ſignum debitæ ſubiectionis & honoris.

Actionem rei oblatæ immutatiuam in Dei honorem, altera.

Alij exiſtimant Sacrificium conſiſtere in actione, quatenus res aliqua per aliquam actionem immutatur & conſumitur in honorem Dei; vt quando occidebatur animal, vel conſumebatur victima in ſignum ſubiectionis ad Deum, talis mactatio vel conſumptio dicitur Sacrificium; quod prima ſententia non negat, ſed dicit iſtam actionem materialiter & præſuppoſitiuè ſe habere in ſacrificio; formaliter verò conſtitui per illam proteſtationem ſignificatiuam diuinæ excellentiæ, quam ſignificationem non negat ſecunda ſententia, ſed iudicat materialiter ſe habere ad Sacrificium, id eſt, ex parte materiæ, ſeu rei oblatæ, quatenus offertur Deo id quod eſt proteſtatiuum diuinæ excellentiæ. Sicut quando Regi offertur tributum in ſignum ſubiectionis; illa ſignificatio tenet ſe ex parte rei exhibitæ, formaliter verò eſt illa actio, qua traditur & exhibetur tributum; & ſimiliter in Sacrificio, quod eſt tributum diuinitatis, à creatura formaliter exhibetur Deo per actionem quæ eſt religionis cultus, ex parte autem rei oblatæ datur illa ſignificatio ſubiectionis.

Eſſe qualitatem, ac religionis actum in animo, tertia.

Tertia deniquè ſententia affirmat, Sacrificium neque eſſe formaliter in genere relationis vt ſignum, neque eſſe in prædicamento actionis vt immutatio; ſed formaliter eſſe in prædicamento qualitatis, quia formaliter eſt actus religionis; religio autem eſt in voluntate, & actus voluntatis pertinent ad qualitatem, ſicut & alij actus immanentes; Et licèt exterius exerceantur per aliquam actionem immutatiuam, tamen hoc materialiter ſe habet in actu humano, quia actus humanus exterior pertinet formaliter ad ſpeciem actus interioris, id verò quod externum eſt, ſolùm materialiter ſe habet; Sacrificium autem inter actus religionis, quæ eſt virtus moralis, numeratur à ſancto Thoma loco citato.

Sacrificiũ formaliter Religionis actus; materialiter & præſuppoſitiuè ceremonia exterior.

Nihilominus dicendum eſt, Sacrificium poſſe dupliciter conſiderari; Vno modo in genere actus moralis, ſicut aliæ actiones bonæ, vt eleemoſyna, oratio, ieiunium, &c. Alio modo in genere cuiuſdam cæremoniæ religioſæ, qua colitur Deus & fit proteſtatio diuinæ excellentiæ. Primo modo eſt in genere morali actionis, procedentis à religione; Secundo modo eſt in genere morali ſigni, ſeu relationis ex inſtitutione ſeu placito ſignificantis ſubjectionem noſtram ad Deum. Comparando autem iſtas duas formalitates, & rationes inter ſe, hæc ſecunda ſe habet materialiter, ſeu ex parte materiæ in Sacrificio; prima autem formaliter: ideoque ſimpliciter loquendo, Sacrificium eſt in genere actionis religioſæ ſicut adoratio & votum, & oblatio decimarum; quæ omnia numerat ſanctus Thomas inter actus externos religionis 2. 2. quæſt. 84. Ratio autem ſpecifica moralitatis, tam in actibus internis quàm externis, non conſiſtit C in genere qualitatis, ſed reſpectus & ordinis ad obiectum morale; vt diximus in tractatu de Bonitate & Malitia Actuum humanorum; quod verò actus voluntatis & intellectus ſint in genere qualitatis, hoc pertinet ad rationem phyſicam, non ad ſpeciem moralem illorum actuum; & ita impertinenter ponitur formalis ratio Sacrificij in genere qualitatis, etiam inquantum actus moralis eſt; quia actum illum eſſe qualitatem pertinet ad id quod phyſicum eſt in actibus humanis (quod vtique materialiter ſe habet) non ad id quod morale eſt.

Tota hæc reſolutio ſumitur ex ſancto Thoma; Nam in primis in quæſt. 85. citata art. 3. docet, *Quod Sacrificium eſt quidam ſpecialis actus, lau-* D *dem habens ex hoc, quod in diuinam reuerentiam fit: propter quod ad determinatam virtutem pertinet (ſcilicet ad Religionem.)* Vbi fatetur ſanctus Thomas Sacrificium pertinere ad genus actus moralis, ſeu virtutis. Quod verò ſit actus exterior Religionis, patet; Tum quia ſanctus Thomas ibidem in principio quæſt. 84. dicit. Conſiderandum eſſe deinceps de actibus exterioribus latriæ, vt adoratio, Sacrificium, &c. Et in quæſt. 85. ſequent. dicit, *Quod conſiderandum eſt de actibus, quibus aliquæ res exteriores Deo offeruntur*: Et primum eſt Sacrificium, de quo agit ibi; Tum quia in art. 3. ad 3. inquit, *Quod Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: ſicut quod animalia occidebantur, & panis* E *frangitur, & comeditur & benedicitur: Et hoc ipſum nomen ſonat, Nam Sacrificium dicitur, ex hoc quod homo aliquid ſacrum facit.*

Sacrificiũ actus Religionis exterior.

Et ratio manifeſta videtur, Quia Sacerdotium & Sacrificium ſunt correlatiua, & vbicumque repertum eſt Sacrificium, repertum eſt & Sacerdotium, vt docet Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. Sacerdotium autem eſt poteſtas offerendi & conſecrandi, vt ibi dicitur, ſumiturque ex Paulo ad Hebr. 5. 1. vbi inquit, *Quod omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat Sacrificia pro peccatis*; ergo ſi Sacrificium eſt proprium correlatiuum Sacerdotij, & Sacerdotium eſt poteſtas con-

Sacerdotium & Sacrificium correlata.

secrandi & offerendi, oportet quod Sacrificium sit A aliqua actio consecratiua & oblatiua, Quia omnis potestas directè datur ad aliquam actionem; & tunc dicimus fieri Sacrificium, cùm aliquid sacrum fit in honorem & cultum Dei.

Nec potest instari, Quia etiam Sacerdos est Minister Sacramentorum, & tamen Sacramenta formaliter non consistunt in actione, sed in signo rei sacræ. Respondetur enim, Quod Sacerdotium per se & directè non requiritur ad Sacramenta, cum possint vera Sacramenta fieri à non Sacerdotibus; sicut Matrimonium fit à contrahentibus, & Baptismus potest conferri à laico; sed sacerdotium directè constituitur per ordinem ad Sacrificium. Voluit autem Christus, eos qui sunt Sacerdotes facere Ministros aliquorum Sacramentorum, propter aliquas sacras functiones quibus conficiuntur.

Sacrificiū ex parte cæremoniæ in genere signi.

Secunda pars conclusionis, Quod Sacrificium ex parte cæremoniæ sacræ & religiosæ consistat in aliqua significatione, sumitur ex eisdem locis sancti Thomæ. Nam in quæst. 85. citata inquit, *Quod naturale est homini quibusdam rebus sensibilibus vti, offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis & honoris, secundùm similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominij.* Et art. 2. inquit, *Quod oblatio Sacrificij fit ad aliquid significandum: significat autem Sacrificium exterius, interius spirituale Sacrificium, quo Anima se offert Deo.* Et ratio istius est, Quia per Sacrificium, non quilibet cultus offertur Deo sed publicus, & cum aliquo mysterio sacratus. Vnde non pertinet ad quemlibet priuatum offerre Sacrificia, sed ad potestatem Sacerdotalem, quæ publica est, & auctoritatem habet in Ecclesia & in Republica; ideoque Sacrificium correlatiuum est Sacerdotij; ergo illa actio sacrificandi, inquantum publica & solemnis est, & per aliquam religiosam cæremoniam fit, oportet quod aliquid mysterij contineat, & aliquam protestationem subiectionis ad Deum; quod totum ad rationem significationis pertinet. Neque est nouum in istis rebus moralibus, pertinere aliquid ad duplicem speciem, dummodo vna se habeat essentialiter & principaliter, alia accidentaliter & accessoriè, vt constat in multis actibus humanis.

Significatio moralis & mystica in Sacrificio: illa per se, hæc secundaria & accidentalis.

Tertia denique pars conclusionis probatur, Supponendo prius duplicem significationem distingui ab Auctoribus in Sacrificio; alteram moralem, alteram mysticam. Moralis est, quæ significat actum interiorem, quo ipsa Anima se offert Deo, eo quod in actibus humanis exterior actus repræsentat & significat interiorem; Mystica, quia est significatio alicuius rei sacræ, vel alicuius mysterij supernaturalis ex impositione & beneplacito eius, qui instituit Sacrificium. Sicut antiqua Sacrificia repræsentabant Christum eiusque Passionem; & nostrum Sacrificium repræsentat Sacrificium crucis, aliosque effectus pertinentes ad Christum. Vnde talis mystica significatio non conuenit Sacrificio ex sola natura rei, id est, ipsius actus moralis externi, sed ex beneplacito instituentis Sacrificium; & quando significat mysterium aliquod diuinum, significatio illa supernaturalis est, nec potest conuenire Sacrificio ex natura rei. Ex quo sequitur manifestè, quod ista mystica significatio non est de essentia & quidditate Sacrificij; Quia Sacrificium est de Lege Naturæ, cùm sit naturaliter debitum Deo, supremum honorem illi deferre, qualis est in Sacrificio; ergo sine ista supernaturali significatione potest reperiri vera & formalis quidditas Sacrificij in pura Lege Naturæ. Quod si inuenitur mystica significatio, erit materialiter & per accidens, quatenus illa materia quæ offertur Deo in cultum, eleuatur & imponitur à Deo ad significandum aliquid supernaturale.

Ex his probatur tertia pars conclusionis, Quia sacrificare est idem quod sacrum facere, quatenùs exteriori actione offertur Deo debitus cultus supremi honoris in immutatione alicuius rei; hoc autem saluatur posita actione externa morali oblatiua illius cultus, sine hoc quod sit in genere signi B primò & per se, non minus quam aliæ actiones morales; ergo formaliter Sacrificium non consistit in genere signi, sed in genere actionis moralis. Minor probat. Quia si formaliter & per se primò esset in genere signi, vel esset in genere signi moralis, vel mystici & supernaturalis; Si primum, non recedit à genere actionis, neque primò & per se constituitur in genere signi, vt patet manifestè in aliis actibus moralibus externis, qui simpliciter ponuntur in genere actionis; verbi gratia actus fortitudinis vel iustitiæ, licèt ex ipsa natura rei, hoc ipso quod est actus externus humanus, significet & repræsentet interiorem; sed hoc est C ex consequenti, & generaliter conuenit actui externo: Si secundum dicatur, constat illam significationem non esse de ratione Sacrificij, quia saluari potest verum Sacrificium sine tali mystica significatione, vt in pura natura; sed si id conuenit Sacrificio, erit accumulatiuè & materialiter, quatenus Deus imponit & eleuat naturam illius Sacrificij ad significandum aliquod mysterium supernaturale, vel homines id faciunt ex instinctu Dei.

Soluuntur Argumenta.

Obijcies, Sacramentum primò & per se constituitur in genere signi; ergo & Sacrificium. Con- D sequentia patet, Quia in tantum aliqua actione fit Sacrificium, inquantum fit aliqua cæremonia religiosa in cultum Dei, tanquam protestatiua diuinæ maiestatis; sed ex eo Sacramentum simpliciter ponitur in genere signi, licèt fiat per aliquam actionem, quia illa actio est cæremonia religiosa cum significatione rei sacræ; ergo eodem modo Sacrificium simpliciter erit in genere signi ob eandem rationem. Secundò, Quia Sacrificium dicit aliquid sensibile factum in honorem Dei, sed nihil sensibile potest pertinere ad cultum Dei, nisi aliquid sacrum significet; ergo per ipsam rationem signi vltimatè & formaliter constituitur ratio Sacrificij. Minor probatur, Quia actio ex- E terna materialiter sumpta (verbi gratia iugulatio arietis aut vituli) eodem modo fit ab occidente, & à Sacrificante, quantum ad actionem externam sensibilem; & primo modo non habet rationem Sacrificij, quia non fit in signum diuini honoris, ergo esse in signum est ratio vltima formalis & differentialis Sacrificij. Denique ad hoc faciunt auctoritates D. August. & sancti Thomæ supra relatæ, *Quod Sacrificium visibile est signum inuisibilis Sacrificij: Et, Quod Sacrificia in quadam significantia offeruntur.* Et quod dicit sanctus Thomas, *Conuenire homini vti sensibilibus signis ad significandam subiectionem debitam diuinæ maiestati: & tale est Sacrificium*; ergo Sacrificium formaliter est signum.

Ad primum negatur consequentia; Ad proba-

Mm ij

tionem redditur disparitas inter Sacramentum & Sacrificium; Quod Sacramentum est aliquid ordinatum ad sanctificandum nos; Sacrificium autem est aliquid ordinatum ad cultum Dei, & ad reddendum illi debitum honorem & subiectionem; res autem sensibilis non potest sanctificare nos ex vi actionis suæ, sed ex aliqua eleuatione & impositione diuina, ordinante rem illam ad id, quod supernaturale est in nobis: vnde Sacramentum non sequitur rationem actionis, sed diuinæ impositionis & eleuationis; Voluit autem Deus imponere sacramenta ad significandum, & signis illis sensibilibus nostram sanctificationem subijcire & alligare. At verò in Sacrificio vice versa, nos offerimus Deo cultum tanquam inferiores superiori: & ideo Sacrificium principalius perficitur actionibus, quàm impositionibus & significationibus, licèt quod aliàs significatum est, possit etiam subjicere & offerre Deo; sed hoc tenet se ex parte materiæ oblatæ; sufficit enim ad Sacrificium illa actio moralis offerendi, & significatio moralis, quæ illam necessariò concomitatur & sequitur.

Sacramentum vt per se signum, non Sacrificium.

Ad secundum Respondetur, Quod aliquid sensibile potest pertinere ad cultum Dei dupliciter; Vno modo inquantum est actio humana & moralis, deriuata ab interiori cultu & subiectione ad Deum, quam significat per modum actionis externæ; Alio modo inquantum est cæremonia quædam religiosa specialiter imposita ad aliquid sacrum significandum: primo modo est formaliter & concomitanter, seu consecutiuè signum, inquantum omnis actio humana exterior est significatiua interioris; secundo modo est formaliter signum, & materialiter potest esse actio, si id quod imponitur ad talem significationem actio sit; & ita occisio animalis, vt est actio destructiua illius præcisè, non est Sacrificium, sed inquantum est actio moralis procedens à virtute Religionis in cultum Dei, sic est Sacrificium; sed per hoc non extrahitur à ratione actionis moralis, licèt concomitanter habeat rationem signi, ea generali ratione, qua omnis effectus significat causam, & omnis actus exterior interiorem, à quo dimanat.

Quod si instes, Quia hac ratione potius dicetur Sacrificium consistere in qualitate, sicut dicebat tertia sententia; Quia actus exterior non dicitur moralis & humanus ratione ipsius actionis exterioris, sed ratione interioris actus, à quo denominatur, & ille qualitas est. Respondetur, Quod actus exterior dicitur moralis, inquantum deriuatur ab interiori moraliter, & non physicè tantùm; actus autem interior est qualitas entitatiuè & materialiter consideratus: Dicitur autem moralis, prout est regulatus regulis rationis, quia attingit obiectum sic regulatum; actus autem exterior, secundum quod denominatiuè participat illam regulationem rationis, dicitur moralis, non secundùm quod procedit ab illo actu vt qualitas quædam est; hoc enim pertinet ad lineam generis entitatiui & physici, non moralis.

Ad auctoritates sancti August. & sancti Thomæ, Respondetur, Ipsos appellare Sacrificium signum, ratione significationis moralis, non mysticæ; Significatio autem moralis competit consecutiuè vel concomitanter actui morali externo, prout deriuatur ab interiori, non autem directè & per se primò dicit rationem signi; sed primariò rationem actionis moralis directè & per se, & secundariò significationem actus interni. Quod autem sic loquantur, patet, Quia Augustinus dicit,

A Quod Sacrificium visibile est signum Sacrificij inuisibilis; Sacrificium autem inuisibile est Sacrificium spirituale, quod fit in Anima per actus interiores, & significatur per exteriores. Idem expressius significat sanctus Thomas quæst. 85. citata art. 2. dum inquit, *Quod oblatio Sacrificij fit ad aliquid significandum; significat autem Sacrificium exterius, interius & spirituale Sacrificium, quo Anima se offert Deo;* hæc autem est significatio moralis respectu actus interni, & inuisibilis; ergo de illa loquuntur prædictæ auctoritates.

Ex dictis colligitur, Quænam sit significatio in Sacrificio, Ad placitum, vel naturalis; item An sit priuata, vel publica? Dicendum est enim, Quod quidquid pertinet ad significationem mysticam, vel ad cæremoniam religiosam, qua aliquid sacrum significatur, est significatio ad placitum, ex B humana impositione dependens; quidquid autem pertinet ad significationem moralem, reducitur ad signum naturale. Ratio est, Quia vt actus exterior significet interiorem, non requiritur aliqua impositio facta à Republica, sed sufficit, quod procedat ab actu interiori, tanquam effectus illius, per quam dependentiam suscipit denominationem moralitatis, quatenus eisdem regulis rationis regulatur quibus actus internus à quo procedit; Significatio autem effectus ad causam, non est ad placitum, sed naturalis; quia naturaliter effectus à causa procedit. Diximus tamen reduci C ad signum naturale, quia reuera deficit aliquo modo à signis purè naturalibus, eo quod actus exterior solùm quoad entitatem physicam procedit naturaliter à sua causa; in linea autem morali procedit moraliter ab actu interno, vt imperante & dirigente; tamen ista moralitas non est denominatio impositionis, quæ requiritur pro signo ad placitum, sed est moralitas regulationis, quæ potius reducitur ad significationem naturalem. quia est significatio effectus respectu suæ causæ. Cæterum ad significationem mysticam vel cæremoniæ sacræ, requiritur destinatio & impositio ad id significandum; quia neque ex sua natura illa actio sacrificandi, inquantum actio materialis est (verbi gratia occisio animalis) nec inquantum D humana & moralis est præcisè, habet significare mysterium aliquod, aut rem sacram, quæ per talem cæremoniam designatur; quia ad hoc omnino est indifferens, nec habet connexionem determinatam cum tali mysterio, sed solùm inquantum actio est repræsentat suam causam, siue moralem siue physicam; Ad repræsentandum ergo aliquid mysticum, id est, aliquod mysterium particulare, impositione indiget.

Significatio moralis, naturalis in Sacrificio; mystica, ad placitum.

Quod autem quæritur de auctoritate instituendi Sacrificia, An sit publica, vel priuata? Respondeo, Quoad significationem moralem non depen- E dere ab auctoritate publica, quia hæc solùm habet auctoritatem ad imponendum signa ad placitum; moralis autem significatio non est ex impositione, vt diximus, sed ex eo solùm quod actus exterior dimanet ab interiori; quod vtique à publica auctoritate non dependet. Quoad significationem autem mysticam, & quantum ad determinationem rerum & actionum quibus debet offerri Sacrificium, & modi seu cæremoniæ quibus offerendum est, per se pertinet ad potestatem publicam id instituere; & maximè ad institutionem Dei; per accidens autem potest aliquando pertinere ad personam priuatam.

Sacrificij institutio vt cerimonia, per se à potestate publica.

Declaratur hoc, Quia Sacrificium est cultus

publicus, quem non solùm priuatæ personæ, sed A etiam tota communitas tenetur offerre Deo, eo quod subiectio ad Deum, & recognitio seruitutis supremæ, pertinet ad totam communitatem; sicut reddere tributa Regi non solùm pertinet ad priuatam personam, sed etiam ad totum Regnum; Sacrificium autem est tributum diuinitatis, & ita soli Deo offertur; debet ergo per publicam auctoritatem designari, & determinari quibus actionibus, & rebus, & quibus cæremoniis iste cultus reddendus sit; sicut pertinet ad publicam potestatem Regni determinare in quibus rebus tributa reddenda sint, & qua obseruantia colenda sit Majestas regia. Pertinet etiam religiosus cultus, & cæremoniæ colendi Deum, ad hoc vt homines in B vna republica vel communitate adunentur: Sicut enim debet esse vnum regimen, & vnus modus legum, ita & vnus modus colendi Deum; alioquin valde homines dissociantur, si in varias sectas circa religionem diuiduntur; ergo maximè conuenit adunari per publicam potestatem in modo Sacrificiorum & rituum, & non permittere quod quilibet sua priuata auctoritate Sacrificia instituat. Et ideo Apostolus ad Hebr. 5. 1. Sacerdotium ponit tanquam publicam potestatem ab hominibus assumptam, dum inquit, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Si autem ex hominibus assumitur, vtique ad publicam potestatem spectat, quia C fit à multis; & cùm constituatur ad Sacrificia offerenda, vtique loquitur de Pontifice ratione Sacerdotij, quia Sacerdotium & Sacrificium correlatiuè se habent, vt docet Trident. sess. 23. cap. 1. ergo Sacrificium etiam pertinet ad publicam potestatem, quia est actus præcipuus Sacerdotis, seu Pontificis, qui est publica potestas. Maximè autem pertinet ad Deum, qui est summa potestas, Sacrificia instituere; Quia sicut pertinet ad potestatem Regiam designare quid sibi offerendum sit in tributum, etiam pertinet ad potestatem diuinam tributum Diuinitatis designare, quod est Sacrificium; Et plerumque homines qui Sacrificia instituerunt in Lege Naturæ, ex instinctu Dei id fecerunt, vt Abel, Noë, Melchisedech, &c. Immò D & Agnus Paschalis, qui erat Sacrificium oblatum à priuatis personis in suis domibus, erat tamen institutum auctoritate diuina Exod. 12. Non tamen per hoc tollitur, quin etiam remoto diuino instinctu, possit quælibet Respublica, attento iure naturali, sacrificia instituere in honorem Dei; Quia ipso iure naturæ tenentur homines Deo offerre cultum illi maximè proprium & debitum, quod est Sacrificium. Non tamen est simile de institutione Sacramentorum, Quia Sacramenta essentialiter ordinantur ad sanctificandum nos per gratiam, quam significant; gratiam autem solus Deus dare potest, & consequenter solus instituere Sacramenta; Sacrificium verò ordinatur ad red E dendum Deo debitam subiectionem, quod homo tenetur facere per seipsum.

Possit & priuatus instituere spectato purè iure naturali.

Cæterum per accidens potest etiam priuata persona instituere & determinare Sacrificia; Quia licèt connaturale sit homini socialiter viuere, potest tamen per accidens in aliquo casu solitariam vitam agere, & tunc poterit Deo reddere Sacrificia; quia ipso iure naturæ tenetur Deum colere signo aliquo sensibili supremæ subiectionis, quod est Sacrificium. Et hoc est attenta natura hominum secundum se, & quantum est ex ipso iure naturali præcisè: Attento enim iure positiuo diuino, modò non est potestas in hominibus ad instituenda sacrificia vero Deo, quia extra Ecclesiam non est Sacrificium, & cultus veri Dei: in Ecclesia autem tantùm est vnicum Sacrificium institutum à Christo Domino in Sacramento Eucharistiæ, quia *vno explenit Sacrificio, variarum differentiam victimarum*; vt inquit sanctus Leo Papa Serm. 7. de Passione; de quo infra latiùs dicemus.

Vnum iam veræ religionis Sacrificium Eucharisticum.

Colligitur denique ex dictis, dari præceptum iure naturali ad offerendum Deo Sacrificium, loquendo in communi & vagè; Hoc enim vel illud Sacrificium determinare, pertinet ad ius positiuum Dei vel Reipublicæ; & modò determinatum est in Noua Lege Sacrificium supernaturale, ad quod offerendum non tenetur homo naturali iure absolutè; sed supposita eius institutione tenetur iure positiuo diuino, & connaturaliter ad talem institutionem, offerre illud Deo; & offerendo illud satisfacit iuri naturali de offerendo Sacrificia.

Sacrificiũ iure naturali & diuino præceptum.

Declaratur hoc, Quia vt docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 85. cit. art. 1. *Homines ipso iure naturæ tenentur præstare Deo subiectionem, non solùm interioribus actibus, sed aliquibus signis visibilibus; quia homo simpliciter est res sensibilis constans corpore & Anima*: & sic non solùm per actus Animæ, sed etiam corporaliter tenetur Deo offerre cultum; Id enim exigit natura hominum, vt visibile Sacrificium Deo offeratur, sicut docet Trident. sess. 22. cap. 1. ergo tenentur aliqua exteriora signa Deo offerre, in recognitionem huius subiectionis; & hoc vocamus Sacrificium.

Dices, Sufficere offerre Deo laudem, vel adorationem, vel orationem externam, aut alium modum cultus, præter Sacrificium. Respondetur non sufficere, Quia per solam laudem, vel orationem, aut alium cultum externum, nondum offertur Deo id quod propriissimum est in recognitionem supremi dominij; hoc enim fit præcipuè per Sacrificium. Sicut enim non sufficit pro recognitione dominij regalis ipsum Regem laudare, vel etiam adorare, aut preces porrigere; sed vlterius requiritur tributum illi præstare & vectigal in recognitionem dominij illius, iuxta illud Apostoli ad Rom. 13. 7. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Et Christus Dominus Lucæ 20. 25. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: ita etiam non sufficit ad recognoscendum supremum dominium Dei in hac vita sola laus, vel adoratio & oratio externa; sed etiam oportet aliquid offerre ad modum specialis tributi diuinitatis, quod vocamus Sacrificium; ad quod etiam facit, quod in omni lege, & in omni natione habente Dei notitiam, semper curatum est vt Sacrificia Deo offerrentur; ergo signum est omnes intellexisse ipso iure naturæ & lumine rationis, debere Deo offerri hoc genus cultus, & non sufficere alium modum colendi; quia per istum principaliter & specialiter fit protestatio diuinitatis: Et ideo dæmones maximè sibi sacrificari ambiebant Quia in hoc opere præcipuè intelligitur recognitio diuinitatis. Vnde etiam in Lege Veteri sub pœna mortis prohibebatur alteri sacrificare quàm Deo, quia erat proprius cultus Dei; non tamen prohibebatur laudare vel orare alterum, vt patet Exod. 22. 20. *Qui immolat diis, occidetur, præter Domino soli.*

Quod verò iure naturæ non sit determinatum, hoc vel illud in particulari offerre in Sacrificium,

Determinatio Sacrificij, iuris

positiui, diuini aut humani.

constat, Quia in diuersis temporibus & legibus, A varia Sacrificia ordinata sunt; & illis omnibus satisfiebat huic præcepto, ergo ex præciso iure naturæ non determinatur quid offerendum sit, sed iure positiuo, diuino vel humano, id determinatum & designatum est. Sicut homines iure naturæ tenentur sustentare Ministros Dei; quod verò talis determinata quantitas detur illis (scilicet decima pars fructuum) hóc est de iure positiuo; Et dare tributa Regibus est de iure naturæ, designare autem quantum debeat dari, pertinet ad ius positiuum Regis, vel Regni. Quod si Deus designat pro Sacrificio aliquid supernaturale, vel rei supernaturalis significatiuum, obligabuntur B homines ad illud offerendum iure positiuo supernaturali; satisfaciunt tamen per illud præcepto iuris naturalis, quia illud Sacrificium taliter est supernaturale, quod etiam continet determinationem iuris naturalis, in exhibendo Deo cultum determinatum; & sic eminentiori modo adimplet ius naturæ: Sicut qui ex charitate supernaturali amat proximum, & illi benefacit, implet ius naturale amandi ipsum secundùm ordinem naturæ.

Quæ res sit offerenda in Sacrificio, & qua actione?

Secundò inquires, An sit de ratione Sacrificij communiter dicti, quod offeratur Deo aliqua res C permanens, & qua actione id debeat fieri? Respondetur. Quod sacrificium propriè dictum exigit quod res aliqua permanens offeratur Deo, actione aliqua externa immutatiua illius in honorem Dei. Ita sumitur ex sancto Thoma 2. 2. quæst. 85. art. 3. ad 3. sicque tenent communiter Theologi. Pro quo Notandum est, Quod diuinus cultus non solùm fit actibus internis, quibus Anima subijcitur Deo (vt oratione & deuotione) sed etiam actibus externis, quibus aliquid sensibiliter Deo offertur, vel erga ipsum exercetur; vt est adoratio externa, genuflexio, laus, seu oratio vocalis, votum, sacrificium, oblatio primitiarum aut decimarum, vel aliarum quarumcumque rerum in honorem Dei. Hinc fit, quod aliquando D per translationem & metaphoram sumatur sacrificium pro omni opere, in quo cultus aliquis Deo exhibetur, aut quomodocumque ei seruitur; aliquando verò sumitur Sacrificium propriè, pro illo opere protestatiuo diuinæ excellentiæ, quod fit per publicam potestatem, & relatiuè se habet ad Sacerdotium; & hoc vocant Theologi Sacrificium propriè & principaliter, aliud verò impropriè & lato modo, contra Hæreticos nostri temporis, qui negant Sacrificium visibile deberi offerri Deo.

Sacrificiũ propriè, & lato modo.

Et sic intelligitur, quomodo in Scriptura sæpe vocantur Sacrificia opera bona & iusta, quæ fiunt in honorem Dei, improprio & lato modo; sicut Psal. 4. 6. *Sacrificate Sacrificium iustitiæ.* Et Psal. 50. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribu-* E *latus.* Et de laude externa dicitur Psal. 49. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et de operibus misericordiæ ad Hebr. 13. 16. *Beneficientiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim Hostijs promeretur Deus.* Et generaliter de omni opere bono dicitur 1. Petr. 2. 5. *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum: offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Qua etiam ratione dixit August. 10. de Ciuit. cap. 6. *Verum Sacrificium est omne opus quod agitur, & sancta societate Deo inhæreatur;* quod intelligitur esse verum Sacrificium veritate erga Deum, non veritate æternæ cæremoniæ in protestationem Diuinitatis, quæ propriè Sacrificium appellatur.

Vnde habemus etiam in Scriptura speciali & proprio modo dici Sacrificium illum cultum externum, qui correlatiuè dicitur ad Sacerdotium, distinguiturque ab aliis oblationibus, iuxta locum Apostoli sæpe repetitum ad Hebr. 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis;* iuxta quod declarauit Trident. sess. 23. cap. 1. quod Sacrificium & Sacerdotium se habent correlatiuè. Vnde distinguitur Sacrificium proprium ab aliis operibus bonis & oblationibus, vt Oseæ. 6. 6. *Misericordiam volo, & non Sacrificium.* Et 1. Reg. 15. 22. *Melior est obedientia, quàm victimæ.* Psal. 39. 7. *Sacrificium & oblationem noluisti.* Et Psal. 50. 21. *Acceptabis Sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta;* quibus locis Sacrificium, victima, holocaustum condistinguuntur ab aliis bonis operibus & oblationibus.

Sacrificiũ propriè assertum ex Scriptura.

Ex quibus perspicuè deducitur, debere dari Sacrificium propriè & specialiter dictum, quod dicitur requirere oblationem alicuius rei permanentis, seu alicuius substantiæ sensibilis, cum aliqua actione immutatiua facta in honorem Dei. Probatur, Nam in omnibus Sacrificiis, siue in Lege Naturæ, siue in Lege Veteri, aut in nostra constat Sacrificia per aliquam oblationem fieri, ita quod sacrificare & offerre idem sint, vt Genes. 8. 20. *Obtulit holocausta super altare.* Et cap. 22. 2. *Offeres filium tuum in holocaustum.* Isai. 1. 13. *Ne offeratis vltra Sacrificium frustra.* Et Apostolus de omni Pontifice dicit, *Quod constituitur vt offerat dona & sacrificia.* Hoc autem quod offerebatur Deo, non quomodocumque offerri debebat, vt esset Sacrificium: Nam etiam in templo offerebantur pecuniæ, aurum & argentum, lapides pretiosi, & alia multa donaria; & etiam modò offeruntur pro ornatu templi, nec tamen sunt sacrificia, nec oportet fieri à Sacerdotibus; sed tunc oblationes erunt Sacrificia, quando fit aliqua immolatio, & immutatio circa rem oblatam in honorem Dei, vt iugulatio arietis, effusio liquoris: Et modò cùm panis & calix consecratur & sumitur in honorem Dei. Cùm enim per immutationem talium rerum fiat aliquis cultus specialis in honorem Dei, nec alius sit cultus publicus à potestate publica factus, nisi iste, oportet aliquo speciali nomine appellari. Et sic vocatur in Scriptura, Sacrificium, Victima aut Holocaustum; ergo dicendum est, quod Sacrificium dictum specialiter importat actionem immutatiuam alicuius substantiæ, ac rei permanentis in honorem Dei.

Sacrificiũ propriè, rei externæ & permanentis oblatio, cum eius immutatione.

Nec obijci potest, Melchisedech obtulisse Deo Sacrificium, nec tamen aliquid in illo immutasse, quia solùm legitur Genes. 14. 18. *Quod Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Respondetur enim, Quod licèt Scriptura non referat quomodo immutauerit res illas, Melchisedech, dubitandum tamen non est, aliquid circa illas fecisse, siue libationem vini, siue fractionem, aut distributionem panis; Neque enim protulit illas species, vt iterum secum ferret, sed vt Deo consecraret & dicaret. Dicitur enim ea protulisse, quia erat Sacerdos; quæ causalis non simplicem prolationem significat, sed sacrificatiuam.

In Melchisedech Sacrificio, etiam immutatio.

Sacrificiũ essentialiter sola vna actio rei immutatiua in honorem Dei.

An verò requirantur plures actiones ad istam A immutationem faciendam? Aliqui requirunt vnam actionem præparatiuam rei offerendæ, aliam oblatiuam, seu consecratiuam illius, in qua perficiatur Sacrificium; sed tamen quidquid sit, An aliquandò plures actiones interueniant in Sacrificio, tamen illa per quam fit immutatio ad diuinum cultum offerendo rem aliquam, sufficit constituere Sacrificium; verbi gratia mactatio arietis, fractio panis, libatio liquoris, & quidquid amplius fit, non pertinet ad Sacrificium essentialiter, sed dispositiuè & antecedenter.

Eius definitio explicata.

Tandem ex dictis elici potest definitio Sacrificij & diuisio. Definitio Sacrificij propriè & genericè sumpti est, *Oblatio externa soli Deo facta per* B *legitimum Ministrum, in qua res aliqua permanens immutatur in honorem Dei, & protestationem supremæ eius Maiestatis, & nostræ seruitutis.* Ponitur *oblatio externa* loco generis, quia communis est omnibus oblationibus. Dicitur *soli Deo facta*, vt designetur actio religiosa, specialiter pertinens ad cultum Dei. *Per legitimum Ministrum*, ad designandum quod Sacrificium est actus publicus, correlatiuè se habens ad Sacerdotium, quod est ministerium publicum. A priuatis enim hominibus etiam multa offerri possunt, quæ non sunt sacrificia, vt argentum, vinum, oleum, candelæ, &c. quod dicitur esse oblationem rei permanentis, ponitur ad differentiam rei transeuntis C oblatæ Deo, vt genuflexionis, adorationis, precum, laudis vocalis, &c. Dicitur fieri cum mutatione rei, quæ offertur, ad differentiam oblationis, quæ aliquid consecrat Deo, vt in eius cultu permaneat & conseruetur; sicut qui offert Ecclesiæ bona mobilia aut immobilia, vt in ea conseruentur: Sacrificium autem offert rem, non vt permaneat, sed vt destruatur vel immutetur pro honore Dei, licèt non semper requiratur totaliter rem destrui, sed sufficit aliquo modo eam immutari, vt liquorem effundi, vel libari. Denique dicitur, quod fiat in honorem Dei tanquam protestatio diuinæ Maiestatis & nostræ seruitutis; ad designandam intentionem sacrificantis, & pro- D prium finem religiosi cultus, specialiter diuinam Maiestatem manifestans. Ex hac autem parte, quia Sacrificium protestatiuum est diuinæ Maiestatis, potest etiam Sacrificium induere aliquam mysticam significationem respectu alicuius mysterij supernaturalis, si Deus vellet sic fieri talem protestationem: sed hoc non est de necessitate Sacrificij, sed ex abundantia, vt supra dictum est.

Sacrificij multiplex diuisio.

Diuisio Sacrificij multiplex est; potest tamen reduci ad quinque capita; Nam primò potest diuidi Sacrificium ex parte materiæ: Secundò, ex parte actionis seu formæ. Tertiò, ex parte modi. Quartò ex parte effectus. Quintò ex parte status. E Ex parte materiæ diuiduntur Sacrificia in libamina, quibus res liquidæ offerebantur; in victimas & hostias, quibus pecora immolabantur & alia similia. Ex parte formæ seu actionis, diuiditur in holocaustum, quando totum animal cremabatur & consumebatur in honorem Dei; in hostias pacificas, vel pro peccato, in quibus aliquid consumebatur, aliquid verò seruabatur Sacerdotibus. Ex parte modi distinguitur Sacrificium Cruentum & Incruentum; illud fiebat per effusionem sanguinis, sicut quando pecora occidebantur, & sicut Christus fuit immolatus in cruce; istud fiebat sine cruore, vt quando fructus terræ offerebantur, & modò species Eucharistiæ. Ex parte effectus distinguitur Sacrificium Propitiatorium, quod est pro remissione peccati, aut pœna illius; Eucharisticum, quod est bona gratia, seu in actionem gratiarum pro beneficiis acceptis; & Impetratorium, quod fit pro beneficiis recipiendis: quæ omnes formalitates, seu rationes in nostro Sacrificio conueniunt. Ex parte status distinguuntur Sacrificia Legis Naturæ, Legis Veteris, & Legis Nouæ, quæ secundùm varias significationes mysticas distincta sunt; nihil tamen antiqua Sacrificia conferebant ex opere operato, sed secundùm fidem operantis effectum sortiebantur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Sacrificio Nouæ Legis, Quid sit, & in quo consistat?

PRimò inquiritur, An sit de fide dari proprium & verum Sacrificium in Lege Noua? Negant Hæretici huius temporis, dicentes solùm debere dari Sacrificium spirituale & improprium, quia *Veri adoratores in spiritu adorabunt Patrem*, vt dicitur Ioan. 4.23. Cæterum Ecclesia tanquam de fide certum sentit, dari verum & proprium Sacrificium in Lege Noua, sicut & verum Sacerdotium, vt definit Concil. Trident. sess. 22. agens de proprio & visibili Sacrificio, & in sess. 23 agens de Sacerdotio, cùm tamen Hæretici (& specialiter Caluinus) dicant, Christum Dominum dedisse nobis mensam, in qua epulemur, non altare super quod victimas offeramus; non Sacerdotes consecrasse qui immolent, sed Ministros qui sacrum epulum distribuant: ideoque ipsi suos Parrochos Ministros vocant, non Sacerdotes.

Verum in Ecclesia Sacrificium, fides Catholica.

Nouatorum Ministri, non Sacerdotes.

Nihilominùs tamen præter Ecclesiæ definitionem, quæ pro Catholicis sufficit; Contra Hæreticos qui Ecclesiam non suscipiunt, deducitur argumentum ex Scriptura; Nam apertissimè Malach. 1. 11. prænuntiatur futurum Sacrificium in Lege Euangelica, cùm dicitur, *Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Qui locus non potest intelligi de Sacrificiis Iudaïcis, quia illa non fuerunt in Gentibus, nec in omni loco ab ortu Solis ad occasum, sed solùm in Iudæa. Quod si Iudæi per totum orbem sunt dispersi; non tamen in illis, sed in Gentibus offerendum dicitur hoc Sacrificium. Nec etiam intelligi potest de Sacrificiis Gentilium fidelium (Aliqui enim Gentilium habuerunt veram fidem Dei) qui tunc inueniebantur, vt interpretatur Arias Montanus super cap. 1. Malachiæ: Hoc enim omnino stare non potest; Tum quia Gentiles isti fideles, qui tunc erant, paucissimi inueniebantur; Propheta autem loquitur de Sacrificio futuro in Gentibus in omni loco à Solis ortu vsque ad occasum; Tum etiam quia non erat tunc in Gentibus aliqua oblatio ita munda, quod superaret in puritate & sanctitate Sacrificia Iudaïca, cùm apud Iudæos esset tunc expressior Dei fides, notitia & cultus, quàm apud alias Gentes; quomodo ergo præ illis Sacrificiis Iudaïcis dici potest munda oblatio, & Sacrificium illorum Gentilium fidelium, qui tunc erant; præsertim cùm ibi significetur futuram vnam oblationem tantùm, cùm tamen apud Gentiles variis modis Sacrificia ista essent diuersa.

Malachiæ vexatus locus pro Sacrificio Eucharistiæ.

Ariæ Montani mala expositio.

Caluini euasio explosa.

Nec denique valet responsio Caluini, Quod A loquitur Propheta de Sacrificio inuisibili & spirituali, quod consistit in bonis operibus, & in fide Crucis Christi. Et probat ex Augustino lib.2. contra literas Petiliani cap.86. vbi hoc Sacrificium Malachiæ de Sacrificio laudis interpretatur: idemque docet Hieronymus super cap.1. Malachiæ.

Nam contra est, Quia si solùm loqueretur Propheta de Sacrificio laudis & aliis Sacrificiis impropriè dictis, qualia sunt opera bona & fides Christi, non contraponeret illud Iudaïcis Sacrificiis; Neque enim illis succedunt, sed omnibus iustis communia sunt tam Iudæis quàm Gentilibus; & in quocumque loco fuit fides veri Dei, fuit etiam hoc genus Sacrificiorum, idest, opera bona & fides Passionis Christi: at in illo loco expressè loquitur Propheta de aliquo singulari Sacrificio, contraposito Sacrificiis Iudaïcis, illisque successuro, non in ipsis Iudæis, sed in Gentibus; sic enim dicit Propheta: ***Ad vos ô Sacerdotes qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum panem pollutum: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: A Solis enim ortu vsque ad occasum, &c.*** vbi manifestè loquitur Dominus de oblatione facta à Sacerdotibus super altare; ergo loquitur de Sacrificio propriè dicto, quod est correlatiuum Sacerdotij & altaris: Spiritualia autem Sacrificia & opera bona, neque requirunt altare, neque Sacerdotium. Dicit autem Propheta, Oblationes istas & Sacrificia esse rejicienda, successuram autem oblationem mundam, quæ sacrificanda est in Gentibus, ergo loquitur de Sacrificio propriè dicto, vtpotè quod succedit Sacrificiis Iudaïcis, quod absolutè & fine termino diminuente sacrificari dicitur: quod denique singulariter dicitur *Oblatio munda*, quæ aliquid certum & determinatum designat; Sacrificia autem spiritualia tot sunt, quot opera bona.

August. Hieronymusque expositi.

Ad Augustinum autem & Hieronymum, quos pro se citat Caluinus, Respondeo, Augustinum intellexisse illum locum Malachiæ de Sacrificio laudis, non excludendo proprium Sacrificium; Nam reuera Sacrificium Missæ etiam cum laude offertur, & vocari potest Sacrificium laudis, dummodò non excludatur proprium Sacrificium. Non exclusisse autem Augustinum, constat manifestè ex lib. 18. de Ciuit. cap. 35. vbi post verba Malachiæ relata, inquit, ***Hoc Sacrificium per Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, cùm omni loco à Solis ortu vsque ad occasum jam videamus offerri, &c.*** Et sanctus Hieronymus illo ipso loco Malachiæ, etsi intelligat spirituales victimas, & thymiama orationum successurum victimis carnalibus; addit tamen ***offerri in omni loco oblationem mundam vt in cæremoniis Christianorum:*** quod vtique est Sacrificium proprium; Non ergo illud excludunt Patres, quando de Sacrificio orationum intelligunt.

Vexatus Danielis locus, de iugi Sacrificio.

Deinde constat ex Prophetia Danielis cap. 12. tempore Antichristi auferendum esse iuge sacrificium, vt patet in illis verbis, ***Et à tempore, cùm ablatum fuerit iuge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta:*** quod tempus communiter intelligitur de regno Antichristi, quod durabit tribus annis cum dimidio. Vnde non loquitur ibi Propheta de regno Antiochi, sicut cap. præcedenti, quia hoc regnum non durabit solo illo tempore sed loquitur expressè de Antichristo; Sacrificium autem quod ablaturus est Antichristus, non est Sacrificium Veteris Legis, quia hoc iam à multis annis desiit; ergo ablaturus est Sacrificium Ecclesiæ modò existentis, contra quam persecutionem moturus est; ergo supponitur iam in Ecclesia esse Sacrificium quod auferendum est, quia tunc publicus eius vsus cessabit.

Denique in Ecclesia Christi datur Altare; ergo & Sacrificium. Patet consequentia, Quia Sacrificia spiritualia, & bona opera non indigent altari, vt fiant, sed solùm Sacrificium propriè dictum. Antecedens negatur à Caluino, sed docetur ab Apostolo ad Hebr. 13. 10. ***Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt:*** ergo verum & proprium Sacrificium in Lege Noua reperitur, sicut perpetua traditione & obseruantia Ecclesiæ stabilitum est.

Et ratio apertissima id suadet; Nam Christus Ecclesiam suam instituens, & Nouam Legem condens, non debuit eam destituere eo genere cultus, quo maximè Deus colitur, eiusque supremam potestatem protestamur, & quod omni hominum generi & nationi notissimum fuit, vt Deum sensibilibus signis recognosceremus; cùm proprium sit naturæ hominum sensibilibus signis Deum colere, & ex visibilibus ad diuina consurgere. Similiter transtulit Deus Sacerdotium Aaron antiquum in Sacerdotium nouum secundùm ordinem Melchisedech, dicente Apost. ad Hebr. 7. 11. ***Si consummatio erat per Sacerdotium Leuiticum, quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotium, & non secundùm ordinem Aaron dici? Translato enim Sacerdotio, necesse est vt & Legis translatio fiat:*** ergo in Lege Noua, ad quam transferebatur Lex Antiqua, datur Sacerdotium secundùm ordinē Melchisedech (nempe in oblatione panis & vini) sed hoc Sacerdotium, & hæc oblatio secundùm ordinē Melchisedech non fuit à Christo executioni mandata, nisi in Cœna, quando obtulit Patri, & consecrauit panem & vinum. Et non fuit ibi finita & extincta talis oblatio, siquidem ipse præcepit Apostolis & successoribus suis sic facere, sicut ipse fecit; ergo si illam oblationem fecit Christus per Sacerdotium suum, vtique fecit verum Sacrificium; ergo etiam in Ecclesia est Sacrificium & Sacerdotium; quia illud quod tunc factum est, deinde fieri Christus præcepit.

Soluuntur Argumenta.

Fundamentum Hæreticorum nullius est momenti. Dicunt enim Sacrificium non esse necessarium in Lege Noua, quia id probat Apost. ad Hebr. 10. 1. ex eo ostendens insufficientiam Legis Antiquæ, quia omnis Sacerdos tunc quotidie ministrabat, easdem offerens hostias; Christus autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei; vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos; ergò Sacrificium non seruit amplius ad sanctificandum nos, neque ad propitiandum Deum, & sic non est Sacrificium propitiatorium, sed ad summum Sacrificium improprium, quod est Sacrificium laudis vel gratiarum actionis. Immò injuriam facit oblationi crucis, qui aliam vult superinducere; siquidem vnica illa oblatio consummauit sanctificatos.

Si dicatur, Sacrificium nostrum non esse ad consummandum

summandum redemptionem, sed ad applicandum fructum illius nobis. Contra hoc vrgetur ratio Apostoli, Quia ideo probat fuisse imperfecta Sacrificia antiqua, quia sæpius indigebant iterari; ergo si nostrum Sacrificium tale est, quod sæpe iterari oportet, imperfectum est sicut illa, ergo incongruum & indecens pro Lege Gratiæ, quæ omnia ad perfectum adduxit. Et eodem modo fit injuria dignitati Sacerdotij Christi; Quia si alios Sacerdotes ponimus, illud Sacerdotium Christi non erit vnicum, neque perfectum, sed indigens aliis, quod inconueniens est.

Denique, ipse Christus Dominus Samaritanæ interroganti An deberet Deus coli & adorari in templo, vel in monte illo? Respondit Ioan. 4. 21. *Mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et subdit rationem, quia *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Vbi adoratio secundùm communem intelligentiam sumitur pro cultu externo, qui præcipuè exhibetur in sacrificiis, ergo pro Lege Noua solùm constituit Dominus Sacrificia spiritualia & inuisibilia, non externa & visibilia.

Apostoli locus quod vna Christi oblatio, solutus.

Respondetur probare illud Argumentum Apostoli, Non esse necessarium iterari Sacrificium & oblationem crucis; hæc enim vnica consummauit omnem redemptionem nostram; Non tamen probat, neque intendit Apostolus, Non esse necessarium iterari & continuari Sacrificium applicatiuum virtutis Sacrificij crucis. Quare hoc Sacrificium non ponit in numero cum illo ex parte rei oblatæ; & ita non iterat illud, sed continuat & applicat nobis; quia offerendo illud mortem Domini annuntiamus donec veniat, vt dicit idem Apostolus 1. ad Cor. 11. 26. ergo nomine vnius oblationis, qua Christus consummauit sanctificatos, intelligenda venit non solum oblatio Crucis, sed etiam Sacrificium Corporis eius; quia vtraque vna oblatio est; illa, vt consummatiua redemptionis; hæc, vt applicatiua ad Fideles: Et sic non recedimus ab vnica oblatione, nec illam multiplicamus ex parte rei oblatæ & valoris eius, cùm Eucharistiam dicimus esse Sacrificium; quia idem quod oblatum est in cruce, idemque valor & fructus, continuatur in hac mystica repræsentatione eius.

Iteratio Sacrificij defectu valoris, imperfecta, non ratione applicationis.

Ad replicam Respondetur, Apostolum rectè concludere imperfectionem veterum Sacrificiorum, comparatione ad Sacrificium Crucis; quia antiqua Sacrificia indigebant iterari ob defectum valoris, quia de se nullum habebant, sed operabantur in fide offerentium, quam oportebat iterari, si sacrificia iterabantur; sacrificium autem crucis habuit summum valorem, & ideo non indiget iterari ob defectum valoris, bene tamen ejus applicatio iterari debet propter indigentiam suscipientium & multitudinem illorum. Quando ergo valor Sacrificij indiget iterari, optimè inde infertur infirmitas Sacrificiorum & imperfectio; quando autem iteratur non propter indigentiam valoris, sed propter applicationem ad suscipientes, talis iteratio non infert imperfectionem Sacrificij, sed dependentiam nostram ab illo. Virtus autem & valor Sacrificij Crucis & nostri, non indiget iterari, sed est vnus & idem semper; applicatio autem eius indiget iterari; Sacrificia verò antiqua non erant applicatiua valoris Christi, quia non operabantur ex opere operato; iterabantur ergo ex defectu valoris, & secundùm fidem offerentium solùm operabantur, & ideo ex illorum iteratione rectè probauit Apostolus eorum imperfectionem.

Ad vltimum Respondetur, Affirmasse Christum quod neque in illo monte, neque in Hierosolymis adoraretur Deus, illa adoratione & sacrificiis carnalibus Iudaïcis, non tamen negauit futuram aliam adorationem & Sacrificium, quod omnino spirituale esset quoad suam virtutem, & modum existendi rei oblatæ, quæ inuisibili & sacramentali modo continetur hìc, licèt sit visibile ex parte specierum, quibus continetur, & cæremoniarum quibus celebratur. Vnde qui hoc Sacrificio Deum colit, in spiritu & veritate adorat; nec fit iniuria Sacerdotio Christi ponendo plures Sacerdotes in Ecclesia, quia isti sunt Sacerdotes & Ministri, Christus vt principalis; & in hoc non habet secundum.

Sacrificiũ Eucharisticum ipsum spirituale, & ex Christiano ritu.

Secundò inquires, An Sacrificium Euangelicum sit ipsum Sacramentum Eucharistiæ, & ita vnicum, quod non sit potestas in Ecclesia vel Republica aliud Sacrificium instituendi? Respondetur affirmatiuè. Est de fide, definita in Concil. Trident. sess. 22 cap. 1. & can. 1. & 2. Quia verò Hæretici huius temporis (præsertim Caluinus & Petrus Martyr) vehementius in hanc veritatem inuehuntur, nec in Missa agnoscunt nisi tantum quoddam improprium Sacrificium, (id est, Sacrificium laudis, aut nudam quandam memoriam Crucis, non verò proprium Sacrificium, quod propitiatorium sit) ideo Concilium can. 3. definiuit Missæ Sacrificium non esse solùm Sacrificium laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij Crucis, sed etiam propitiatorium; & hæc probatio pro Catholicis sufficit.

Pro Hæreticis verò, ex duplici fonte deriuatur euidens probatio huius veritatis, scilicet ex Scriptura & ex communi Ecclesiæ veterumque Patrum traditione, sine qua nuda Scripturæ verba calumniis patere solent Hæreticorum. Ne tamen cum Hæreticis extra lineam difficultatis disputationem tendamus, Aduerto aliquos ex illis fateri quidem hanc esse Patrum traditionem & Ecclesiæ sententiam, sed nihilominus contemnunt, vt Lutherus in libro contra Regem Angliæ, & in Tractatu de Missa priuata; vel etiam alij dicunt apertissimo mendacio Missas, & ritum sacrificandi à temporibus sancti Gregorij Papæ incœpisse. Cum his non disputamus; quia primi vt contemptores contemnendi sunt, & vt negantes principia relinquendi; secundi verò manifestè conuincuntur ex Liturgiis, seu Missis Iacobi Apostoli, Basilij & Chrysostomi, & ex auctoritate Clementis Papæ lib. 2. Constitutionum cap. 61. Cypriani, Augustini, Hieronymi, & Aliorum, qui longè ante tempora Gregorij fuerunt, & Missas atque sacrificia cognouerunt.

Luthero spreta Ecclesiæ Patrumque traditio.

Alij Hæretici moderatius, sed non minus falsò, dicunt Scripturam & Patres loqui de Sacrificio impropriè dicto, quale est Sacrificium laudis, vel gratiarum actionis, aut nuda commemoratio Sacrificij Crucis. Contra hos disputamus, & ostendimus Eucharistiam esse verum & proprium Sacrificium. Nam Christus Dominus habet Sacerdotium rigorosè & propriè dictum, secundùm ordinem Melchisedech; ergo id quod obtulit secundùm ordinem & ritum talis Sacerdotij, est

Veritas Sacrificij ex veritate Sacerdotij.

sacrificium propriè dictum. Consequentia patet, Quia illud est propriè dictum Sacrificiũ, quod correlatiuè se habet ad Sacerdotium propriè dictum, iuxta regulam Apostoli ad Hebr. 5. 1. *Quod omnis Pontifex constituitur vt offerat dona & Sacrificia pro peccatis*: sicque intellexit Ecclesia in Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. Antecedens verò probatur (scilicet quod illud Sacerdotium Christi sit propriè dictum) quia vt retulimus supra ex Apostolo, Hebr. 7. 11. *Si consummatio esset per Sacerdotium Leuiticum, quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem? Translato enim Sacerdotio, necesse est vt & Legis translatio fiat.*

Vnde sic deducitur Argumentum, Sacerdotium Leuiticum fuit Sacerdotium propriè dictum, sed hoc translatum est in aliud Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech, per quod etiam Lex translata fuit; ergo Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech est verum & proprium Sacerdotium, siquidem succedit Sacerdotio Aaronis, quod erat verum & proprium Sacerdotium, atque eius Legem transtulit in Euangelium; ergo tam verum & proprium est hoc Sacerdotium, sicut illud Aaronis; ergo & Sacrificium ei correspondens est verum & proprium Sacrificium; sed ordo & ritus Sacerdotij Melchisedech est oblatio panis & vini, vt constat Gen. 14. 18. *Protulit panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi*: ergo etiam ordo & ritus Sacerdotij Christi, est prolatio panis & vini. Illa enim prolatio Melchisedech fuit per modum Sacrificij, & functionis sacerdotalis, vt significat illa causalis, *Erat enim sacerdos Dei altissimi*. Christus autem non obtulit panem & vinum, nec surrexit secundùm ordinem Melchisedech Sacerdos, nisi quando in Cœna panem & vinum consecrauit, & Eucharistiam fecit, tradiditque discipulis, & sic semper faciendum præcepit; ergo in illa oblatione Eucharistiæ, & non in aliquo alio consummatur Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.

Eucharisticum Sacrificium, vnicum.

Ex eodem principio deducitur hoc Sacrificium esse vnicum in Ecclesia, nec posse aliud dari; & ita Singulare Sacrificium appellauit Trident. sess. 22. in principio. Et ratio est manifesta, Quia vt Apostolus probat, Necessarium fuit alium surgere Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, & non secundùm ordinem Aaron dici; ergo non est in Ecclesia aliud Sacerdotium quod succedat Leuitico, nisi Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech; ergo neque aliud Sacrificium quàm secundùm ordinem Melchisedech; scilicet in pane & vino, eo modo quo Christus Dominus obtulit, & offerendum præcepit, dicens Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem*. Et ita perpetuò in Ecclesia obseruatum est, vt vnicum tantum Eucharistiæ sacrificium agnosceretur. Vnde dicitur in quadam oratione Ecclesiæ, *Deus qui Legalium differentiam victimarum, vnius Sacrificij perfectione sanxisti*. Et sanctus Leo Papa Serm. 7. de Passione, *Vt vno*, (ait) *expleretur Sacrificio variarum differentia victimarum*: quod etiam docet Chrysostomus super Psalm. 95. aliique Patres communiter.

Congruentia autem huius esse potest, Quia Sacrificium ad hoc deseruit, vt colatur Deus per illam supremam protestationem, offerendo illi optimum quod potest offerri in recognitionem summæ Majestatis, ad obtinendam propitiationem peccatorum, & alia beneficia & gratias pro illis reddendas: Ad hæc autem omnia non potest dari aliquid aut melius aut efficacius, quàm ipsa Eucharistia; neque aliquid æquale, cùm ex parte rei oblatæ sit ipsemet Christus, qui oblatus est in cruce; ergo conueniens est illud tantùm offerri Deo; quia quidquid præter illud offerretur, esset inferius & inefficacius, & sic minùs gratum Deo. Conueniens ergo est, quod Sacrificium istud sit vnicum. Denique Sacrificium hoc ex parte rei oblatæ est infiniti valoris, & repræsentat Sacrificium Crucis; immò est idem cum illo in substantia; Constat autem quod Sacrificium crucis ratione infiniti valoris fuit vnicum, *Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos*, vt inquit Apostolus; ergo etiam hoc Sacrificium, quod est perfectè repræsentatiuum illius, & eiusdem valoris infiniti, debet vnicum esse; quia perfectè repræsentat illud, & continuatur cum illo.

Soluuntur Argumenta.

Obiicies primò, Sacramenta multiplicantur, cùm sint septem, non obstante quod per illa nobis communicatur tota efficacia Sanguinis & Passionis Christi; ergo etiam possunt multiplicari Sacrificia, quorum vnum sit perfectius alio, sicut vnum Sacramentum est perfectius altero; & sic non est inconueniens, quod res tanta, qualis est Passio Christi, variis modis repræsentetur, & in Sacrificium Deo offeratur. Et confirmatur ex auctoritate Ecclesiæ, quæ in oblatione Cerei Paschalis dicit, *Suscipe sancte Pater incensi huius Sacrificium Vespertinum*: ergo aliquid potest per modum Sacrificij offerri præter vnicum Eucharistiæ Sacrificium.

Sacramenta plura; vnum Sacrificium.

Respondetur, Esse diuersam rationem de Sacramentis & de Sacrificio; Sacramenta enim primò & per se ordinantur ad sanctificandum nos, & ad dandum nobis effectus gratiæ per redemptionem, & sanguinem Christi; Sacrificium autem ordinatur ad reddendum cultum Deo; Non repugnat autem effectum gratiæ & redemptionis Christi Domini multiplicari, etiamsi ipsa Passio & redemptio non multiplicetur. Vnde cùm Sacramenta respiciant istos diuersos effectus, non repugnat multiplicari; præsertim quia diuersæ dispositiones exiguntur ad istos diuersos effectus (verbi gratia ad obtinendam primam gratiam, vel augmentum illius) Sacrificium autem repræsentat ipsam Passionem Christi vt est in se & non solùm in effectu suo, id est, in gratia nobis collata; immò est idem in substantia cum illo Sacrificio. Vnde sicut fuit vna illa Passio in se, ita congruenter vnico Sacrificio repræsentatur.

Ad confirmationem Respondetur, Incensum dici Sacrificium lato & improprio modo, non propriè & rigorosè; quia oblatio incensi non requirit Sacerdotium, cuius correlatiuum est Sacrificium; potest enim offerri à Diacono; & de facto ita offertur in benedictione illa Cerei Paschalis.

Hæreticorum argumentum negat.

Obiiciunt secundò Hæretici, Si Eucharistia est Sacrificium, maximè id deduceretur ex facto Christi, quando illam instituit, & Ecclesiæ celebrandam commisit; sed neque ex verbis eius, neque ex factis Christi colligitur talis institutio; ergo non est dicendum Eucharistiam esse Sacrificium. Consequentia patet, Quia res tanta, qualis est Sacrificium eiusque institutio, & exclusio veterum Sacrificiorum, non debuit à Scriptura prætermitti; nec potest sufficienter constare de voluntate insti-

tuentis, nisi per reuelationem Scripturæ. Antecedens autem probatur, Non constat ex verbis Christi, Quia Ioan. 6. 59. solùm promisit Sacramentum, dicens, *Qui manducat ex hoc pane, viuet in æternum*; qui vtique est effectus gratiæ, & correspondet Sacramento. Quando autem illud instituit, solùm vocauit Testamentum, dicens, *Hic Calix nouum Testamentum est in meo Sanguine*, Luc. 22. 20. Nusquam autem appellauit Sacrificium; Non est autem idem Sacramentum & Sacrificium, cùm Sacramentum ordinetur ad sanctificandum nos, Sacrificium ad reddendum cultum Deo. Ex factis verò Christi nullatenus colligitur ratio Sacrificij, Quia Christus instituit conuiuium, non immolationem; posuit mensam, non altare; sedendo & cœnando, non orando vel adorando illud fecit; Non dixit Patri, Offero tibi hoc Sacrificium; Non dixit discipulis suis, Sacrificate & offerte; sed, *Accipite & comedite* inter vos, & manducate, *Bibite ex eo omnes, &c.* Vnde ergo habemus verba significantia Sacrificium?

Nec obstat, quod dixit, *Hoc facite*; Quia solùm dixit vt facerent id, quod ipse faciebat; ipse autem non significabat se sacrificare, nec dixit illis, Hoc facite immolando, vel sacrificando, sed, *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo Eucharistia solùm deseruit pro memoria & repræsentatione Sacrificij Crucis, non pro vero & proprio Sacrificio; præsertim quia Sacrificium exigit immolationem & immutationem, seu mactationem hostiæ, quæ sacrificatur; hìc autem solùm est imago, aut repræsentatio immolationis factæ in Cruce; non verò est immolatio vera in se, aliàs oporteret pluries Christum pati & immolari, quod tamen negat Apostolus, dicens ad Hebr. 9. 26. *Quod si sæpius necessarium fuisset offerri, oportuisset ipsum frequenter pati ab origine mundi.*

Confirmatur, Quia si ista oblatio est vera & propria immolatio Christi, ergo tantæ efficaciæ & virtutis est, sicut totum Sacrificium oblatum in cruce; ergo in hoc Sacrificio, & non in cruce, consummaret nostram redemptionem, quod est contra Scripturam. Patet consequentia, Quia illa oblatio facta fuit à Christo Domino dum erat in statu viatoris ante mortem, ergo operabatur infinitam satisfactionem ac redemptionem; ergo superfluum erat mori, & gratis Christus mortuus est, si ante mortem suam oblatus & immolatus est Sacrificio propriè dicto in Eucharistia, exhauriente omnia peccata, non minus quàm Sacrificium crucis, quia non minoris virtutis est.

Christi in Cœna Sacrificium in actu exercito.

Respondetur negando antecedens; Ad probationem Respondetur, Constare rationem Sacrificij in Eucharistia, præcipuè ex ipso facto Christi, proferente species panis & vini secundùm ordinem Melchisedech, & verbis suis præcipiendo Apostolis vt hoc ipsum facerent. Itaque non est necesse quod verba Christi significent in actu signato se sacrificare, & immolare Deo illud Corpus & Sanguinem; neque enim talia verba requiruntur ad offerendum verum Sacrificium; Nam etiam Sacerdotes veteris legis, quando immolabant victimas, & offerebant hostias, non dicebant in actu signato Hoc sacrifico, vel hoc offero Deo; sed ipso exercitio significabant se sacrificare; Sic ergo Christus aliquando exercuit officium Sacerdotij sui secundùm ordinem Melchisedech, secundùm quem (vt ait Apostolus) *necessarium fuit alium surgere Sacerdotem & non secundùm*

A *ordinem Aaron dici.* Nusquam autem inuenitur Christus talem ordinem Sacerdotij exercuisse, nisi quando obtulit panem & vinum, quod pertinet ad ordinem Melchisedech, & sic faciendum præcepit in Ecclesia, quod solum inuenitur in vltima Cœna, in qua panem & vinum in Corpus & Sanguinem suum conuertit, & per modum Testamenti proposuit; sicut vetus Testementum in sanguine sacrificiorum sancitum fuit.

Ex hoc ergo facto Christi, & verbis quibus illud præcepit, colligitur Sacrificium esse factum in Dei cultum, & in memoriam Passionis Christi oblatum; maximè autem colitur Deus memoria

B talis Passionis; nec potest assignari quod alibi obtulerit panem & vinum secundùm ordinem Melchisedech, nisi in hoc facto; ergo illud quod faciebat Christus tunc, sufficienter comprobatur fuisse Sacrificium, hoc ipso quod comprobatur iuxta ordinem Sacerdotij Melchisedech fuisse, id est, proferendo panem & vinum; neque enim alibi legitur id fecisse. Quod autem in mensa fuerit, & sedendo & cœnando, nihil de ratione Sacrificij diminuit, quia Christus tunc substantiam Sacrificij instituebat, non cæremonias, quarum dispositionem commisit Ecclesiæ. Conueniebat autem tunc ita offerre in Cœna, vt vmbra Agni Paschalis, veritati quam significabat, coniungeretur; &

C sic in ipsa Cœna Agni, vetus Pascha nouo excluderetur Sacrificio: Et in ipsa vltima Cœna, & hora qua transiturus erat ad Patrem illud instituit, quia per modum Testamenti, quod ante mortem fit, illud condebat. Nec repugnat eandem rem secundùm diuersas considerationes & Sacramentum esse, quatenus ordinatur ad sanctificandum nos, & Testamentum Nouum, quo Christus seipsum nobis relinquebat, & Sacrificium quod in cultum Dei proponebat: Nam, vt inquit Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 14. *Quid tam gratè offerri & suscipi posset, quàm Caro Sacrificij nostri, corpus effecta Sacerdotis nostri?*

Ad replicam autem, Quia Christus dicendo

D *Hoc facite*, non significabat se Sacrificium offerre, iam diximus id significasse ipso exercitio, quatenus exercebat illam oblationem panis & vini secundùm nouum Sacerdotium, & secundùm ordinem Melchisedech; quem ordinem non legimus alibi exercuisse. Nec obstat quod præcipiebat vt facerent hoc in sui commemorationem; bene enim stat, quod illud factum sit secundùm ordinem Melchisedech, & tamen sit in memoriam Christi. Sicut antiqua Sacrificia erant repræsentatiua Passionis Christi, *quia omnia in figura contingebant illis*; & tamen vera & propria Sacrificia erant; ergo bene stat, quod Eucharistia offeratur in memoriam Sacrificij Crucis iam transacti, & tamen in se sit Sacrificium secundùm or-

E dinem Melchisedech. Et similiter dicitur immolatio, non quidem cruenta & realis, sed mystica, quatenus Sanguis ponitur seorsum in speciebus vini, & Corpus seorsum à Sanguine in speciebus panis; Nec oportet omnia Sacrificia esse mactationes, aut immolationes cruentas; Nam etiam etiam panes propositionis, alijque fructus & liquores, offerri poterant in Sacrificium, non tamen per modum immolationis aut mactationis. Et quando Apostolus dicit, Christum non posse pluries offerri, loquitur de oblatione cruenta in cruce, quia fuit consummatiua redemptionis; Sacrificium autem Eucharistiæ, non est consummatiuum redemptionis, sed applicatiuum eius con-

summatæ; & sic multiplicari potest quantum ad A applicationem, propter multitudinem offerentium & communicantium: est tamen vnum quantum ad valorem, quia ex parte rei oblatæ est idem cum Sacrificio Crucis.

Ad confirmationem Respondetur, negando potuisse consummari redemptionem nostram in illa oblatione Eucharistiæ facta à Christo, licèt esset eiusdem valoris & efficaciæ cum Sacrificio crucis; Tum quia eadem ratio poterat currere de omnibus aliis operibus Christi, quia cùm essent à Persona infinita, & valde meritoria & satisfactoria, bene poterat Christus, si vellet, in quolibet illorum consummare nostram redemptionem. Cæterum de facto noluit illam consummare nisi in B Cruce; vt copiosa esset redemptio, & magnum patientiæ præberet exemplum. Oblatio ergo Eucharistiæ, quoad sufficientiam consummare posset redemptionem; de facto tamen non consummauit, quia id reseruatum erat Sacrificio Crucis; Tum etiam quia illa oblatio Eucharistiæ facta à Christo Domino, habebat rationem Testamenti, dicente ipso, *Calix Nouum Testamentum est, &c.* Testamentum autem non potest valere nisi interueniente morte testatoris; ergo neque illa oblatio Eucharistiæ valorem consummatum habere poterat, nisi per mortem Christi; Tum etiam quia illa oblatio fiebat à Christo, & præcipiebatur fieri in commemorationem Sanguinis sui realiter effusi in cruce; ergo ex ipso modo instituendi de- C pendebat à Sacrificio Crucis, & ordinabatur ad illud; & sic non poterat sine illo consummare nostram redemptionem.

Sacrificiũ Eucharisticum, ipsum non consummatiuũ nostræ salutis, sed Crucis.

Vltimò inquires in hoc articulo, In qua actione consistit Sacrificium Eucharistiæ, in quantum Sacrificium?

Respondetur, plures actiones ad istud Sacrificium concurrere, sed non ex æquo, aut in eodem gradu; Nam quædam actiones sunt præparatoriæ, quibus præparantur animi audientium & Sacerdotis ad tale Sacrificium deuotè peragendum & consecrandum; Aliæ sunt consecratiuæ ipsarum specierum, sub quibus ponunt Christum Domi- D num, separando mysticè Sanguinem à Corpore, qui realiter in cruce separatus est; Aliæ sunt consecutæ ad consecrationem, vt communicatio Sacrificij & sumptio illius à Sacerdote pro se, participatiuè autem ab assistentibus; & tandem gratiarum actio pro Sacrificio oblato.

De primo genere actionum, certum est non posse in illis consistere essentialiter Sacrificium; quia illæ actiones solùm sunt præparatiuæ ipsius materiæ remotæ, quæ est panis & vinum; hæc autem non est ipsa materia, seu res oblata in Sacrificio, quia res oblata & immolata est ipsummet Corpus Christi Domini, iuxta quod definit Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. *Quod in hoc di-* E *uino Sacrificio idem ille Christus continetur & immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit.* Et infra, Vna eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa; ergo ipsa substantia panis & vini, & quæcumque actiones circa illam ante consecrationem, non possunt constituere essentialiter hoc sacrificium: Cùm autem dicimus Corpus Christi esse rem oblatam, non excludimus species ipsas sacramentales, sub quibus continetur, & quibus mediantibus hoc Sacrificium redditur visibile, & fit secundùm ordinem Melchisedech in specie panis & vini; pertinent ergo ad Sacrificium, non tanquam substantia ipsa & res oblata, sed tanquam contentiuum externum & visibile rei oblatæ.

Circa alias actiones, quæ vel sunt ipsa consecratio, vel post consecrationem fiunt, variæ sunt Theologorum sententiæ; quæ tamen reduci possunt ad tres præcipuas. Prima affirmat rationem Sacrificij Eucharistiæ essentialiter consistere in consecratione panis & vini, licèt respectum & connotationem dicat ad ipsam sumptionem; quia Sacrificium ita Deo offertur, quod consumi debet & communicari ipsi Sacerdoti & populo, iuxta quod dicit Paulus 1. ad Cor. 10. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Pro hac sententia Suarez hîc disput. 75. citat sanctum Thomam hac quæst. 83. art. 4. Gabrielem, Soto, Cano, Bellarminum, & Alios. Secunda sententia existimat consistere essentialiter rationem Sacrificij in ipsa sumptione facta à Sacerdote, licèt præsupponat essentialiter consecrationem factam; quia sine ipsa non potest res consecrata sumi; pro qua sententia citantur plures Thomistæ, vt Soto, Cano, Ledesma, & Alij apud Suarez ibidem sect. 5.

Eucharistiæ Sacrificiũ, esse eius cõsecrationẽ, opinio.

Esse sumptionem à Sacerdote, alia.

Tertia sententia existimat in quacumque actione, ex his quæ sequuntur post consecrationem, posse consistere essentiam Sacrificij, quia quælibet est actio religiosa circa Corpus Christi facta in cultum Dei: non tamen requiritur determinatè & in singulari ista vel illa, sed quælibet sufficit; sicut in numero quælibet vnitas potest esse vltima, & in loco quælibet superficies potest continere locatum. Ita Magister Nuño hîc quæst. 83. art. 1. in 2. p. dub. 1. difficultat. 2 & Magist. Cano lib. 12. de Locis cap. 13. dicit quatuor actiones principales, quæ fiunt in hoc Sacrificio (scilicet Consecrationem, Oblationem vocalem, Fractionem hostiæ & Sumptionem) pertinere ad integritatem huius Sacrificij. Et non dixit Pertinere ad essentiam: Vnde tandem posset aliquis existimare, hoc Sacrificium non consistere in vnica indiuisibili actione, sed in aggregato ex pluribus, quia omnes istæ ad integritatem Sacrificij concurrunt.

Quamlibet actionem religiosam circa Corpus Christi, alia.

Vt autem quod probabilius est in hac parte tradamus, Aduertendum est, Quod cùm tota essentia huius Sacrificij pendeat ex institutione Christi, neque eius institutio constet aliunde quàm ex eius facto, non licèt nobis aliam actionem designare pro essentiali ratione huius Sacrificij, quàm illam qua Christus Dominus sacrificauit; quia non est dubium Christum Dominum obtulisse tunc essentiale & verum Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech, vt testatur & definit Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. Immò in tantum nunc offertur Deo Sacrificium verum & essentiale, inquantum facimus idem quod Christus fecit; quia ipse præcepit, *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo in eadem actione essentialiter debet consistere Sacrificium, in qua Christus Dominus illud obtulit & perfecit; aliàs non faceremus nunc id quod ipse fecit sacrificando.

Ex quo principio, in hac parte certo, manent exclusæ ab essentiali ratione Sacrificij plures actiones, quæ nunc fiunt post consecrationem, & non constat eas fecisse Christum Dominum; sicut est verbalis oblatio quæ fit post consecratio-

Essentia Sacrificij Eucharistiæ in nullis ceremo-

piis quæ fiunt post consecrationem.

nem, eleuatio hostiæ & calicis cùm proponuntur populo adoranda, benedictiones quæ super ipsum Sacramentum fiunt, & aliæ similes actiones; Nam sine illis factum est hoc Sacrificium à Christo, & modò si omittantur ex aliquo accidenti, non propterea desinet esse verum Sacrificium, & ipsa verbalis oblatio post consecrationem fit in persona Ecclesiæ, vt patet in illis verbis Canonis, *Vnde & memores Domine nos serui tui*, &c. *offerimus præclaræ Maiestati tuæ*, &c. Sacrificium autem debet offerri in persona Christi, qui est principalis Sacerdos. Vnde etiam colligitur, Non posse hoc Sacrificium constitui in quacumque actione quæ fiat post consecrationẽ circa Corpus Christi; Tum quia non est verisimile quod Christus Dñs in designando Sacrificio Nouæ Legis, quod excellentissimum est, non determinauerit actionem per quam fieret, cùm tamen in antiquis Sacrificiis designandis ita minutim explicauerit Scriptura quomodo & quibus actionibus essent facienda, vt patet in toto Leuitico.

Tum etiam, Quia multæ ex istis actionibus fiunt in persona Ecclesiæ, non Christi, vt oblatio verbalis, eleuatio hostiæ & calicis, &c. Multæ etiam se habent per modum cæremoniæ accidentalis. Tum denique quia multæ ex istis actionibus non repræsentant mysticè oblationem factam in Cruce; oportet autem hoc Sacrificium esse idem quod in cruce oblatum est, sola ratione sacrificandi diuersum, vt inquit Concil. vbi supra; vnde incongruenter affertur exemplum de vltima vnitate numeri, aut de superficie ambiente in loco; quia ibi quælibet vnitas, & quælibet superficies eodem modo se habent, & per accidens est quod sit ista vel illa; in præsenti autem actiones quæ fiunt post consecrationem, non eodem modo versantur circa Corpus Christi: Aliter enim se habet fractio hostiæ, aliter oblatio vocalis, aliter eleuatio calicis & hostiæ; ergo non æquè potest quæcumque illarum hanc immolationem consummare.

Benedictio, nisi fuit ipsa consecratio, extra rationẽ Sacrificij Eucharistici, & fractio & distributio.

Inter actiones ergo quas exercuit Christus Dominus, constat de tribus, scilicet benedictione, fractione & sumptione sua, & communicatione ad alios, iuxta quod narrant Euangelistæ; & Paul. dicit 1. ad Cor. 11. 23. *Quod accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, &c* illa autem benedictio si antecessit consecrationem, vt aliqui sentiunt, non potuit esse sacrificatiua actio, quia nondum versabatur circa Corpus & Sanguinem Christi, tanquam circa rem oblatam; si autem fuit ipsa consecratio, vt sanctus Thomas & plures sentiunt, idem erit dicere talem benedictionem esse actionem sacrificatiuam, atque ipsam consecrationem, de quo statim; sicut etiam dicemus de sumptione, quam constat Christum Dominum exercuisse: De fractione non possumus dicere quod in illa consistat sacrificatio; Tum quia fractio ista solùm fit circa panem, actio autem sacrificatiua debet complecti vtramque speciem, quia facit Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech, quod consistit in prolatione panis & vini; Tum quia fractio solùm est quædam præparatio ad sumptionem; frangitur enim vt possit conuenienter sumi, & distribui panis; Tum quia si fractio omittatur, non manebit imperfectum sacrificium quantum ad valorem, vt docet sanctus Thomas quæst. 83. art. 6. ad 6. & constat si casu hostia ante fractionem caderet in calicem: tunc enim conuenienter non posset frangi, & sic deberet relinqui vsque ad sumptionem, ergo fractio non est essentialiter ipsa sacrificatio: & eodem modo distributio ad alios, quam mediante fractione Christus fecit, non pertinet ad essentialem rationem Sacrificij, quia potest saluari Sacrificium Missæ verè & licitè, sine hoc quod populus communicet, vt docet Concil. Trident. sess. 22. cap. 6. & can. 8. Tum quia distributio ista supponit Sacrificium iam peractum, & rem oblatam, siquidem illa communicatio est participatio de ipso Sacrificio, iuxta quod dicit Paulus 1 ad Cor. 10. 18. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* ergo. Item illa distributio potest fieri à non Sacerdote (scilicet à Diacono pro aliquo casu, saltem distributio Sanguinis) distributio autem solius Panis fit quidem à Sacerdote, sed non tangit vtramque speciem, sicut requiritur ad Sacrificium.

Restat ergo tota controuersia inter consecrationem vtriusque speciei, & sumptionem prout fit à Sacerdote, quæ etiam vtramque speciem includit; & in consecratione est difficultas; Quomodo per illam fiat Sacrificium, cùm potius fiat materia sacrificanda, scilicet ipsum Corpus Christi; oblatio autem sacrificatiua supponit materiam sacrificandam, non constituit, quia illam immutat, & immolat Deo; res autem quæ hîc offertur, est ipsum Corpus Christi, vt sæpè dictum est: In sumptione autem est difficultas, Quia id quod sumitur est participatio rei oblatæ Deo & sacrificatæ, iuxta dictum Pauli citatum, *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?* Nomine altaris intelligendo rem oblatam in altari. Similiter sumptio non est actio facta in persona Christi, sed in persona ipsius sumentis, & pro suo beneficio; Sacrificium autem hoc fit in persona Christi, qui est ipse principalis offerens & Sacerdos.

Ex his ergo concludo resolutionem nostram, & dico, Essentialem rationem Sacrificij consistere in consecratione, non absolutè, sed prout separatiua Sanguinis à Corpore sacramentaliter & mysticè; & ita essentialiter requirit consecrationem vtriusque speciei: aliæ verò actiones (præsertim sumptio) possunt pertinere de connotato & in obliquo; vel saltem ad integritatem Sacrificij, quia ad hoc ordinatur Sacrificium, vt participetur & sumatur. Declaratur conclusio sic, Quia cùm hoc Sacrificium sit idem quod in cruce oblatum est, sola ratione seu modo sacrificandi differens, vt ex Tridentino dictum est, & similiter hoc Sacrificium fiat à Sacerdote in persona Christi, ita quod Christus sit principalis offerens, Sacerdotes autem solùm sunt ministri & instrumentales causæ ipsius; illa actio essentialiter constituit Sacrificium, in qua per se & essentialiter concurrunt istæ conditiones; ita quod maximè & propriissimè repræsentet effusionem Sanguinis Christi, quæ cruentè facta est in cruce, sacramentaliter autem & mysticè in hac sacramentali separatione, & similiter per se & essentialiter fit in persona Christi; hoc autem non reperitur in alia actione quàm in consecratione sic considerata; non enim in sumptione, ergo, &c.

Essentia sacrificij Eucharistici, consecratio vtriusque speciei seorsũ: sumptio, quid connotatum.

De aliis actionibus constat, vt iam diximus; de sumptione probatur ex dictis; Tum quia sumptio vtriusque speciei supponit factam istam separationem mysticam & sacramentalem, quia supponit consecratam vtramque speciem, & consequenter Sanguinem separatum à Corpore ex vi verborum & sacramentaliter; ergo antecedenter ad sumptionem inuenitur totum quod requiritur, vt hoc Sa-

crificium sit idem quod oblatum est in cruce, sola A ratione sacrificandi diuersum; Nam in cruce oblatum est Sacrificium per separationem realem Sanguinis Christi à Corpore; ergo illa actio quæ separat mysticè & sacramentaliter istum Sanguinem, est idem Sacrificium quod in cruce, solùm differens in modo; quia hîc sacramentaliter, ibi realiter. Nihil autem amplius requirit Concilium ad rationem huius Sacrificij. Similiter sumptio non fit in persona Christi, quia sumptio est participatio de fructu Sacrificij, & in proprium beneficium ordinata; per illam enim Sacerdos & populus conjunguntur ipsi Christo, & participant ipsum; ergo talis actio non fit in persona ipsius Christi, B sed ipsorum communicantium; Actio autem sacrificandi fit in persona Christi, quia ipse est principalis offerens, Sacerdos autem solum ministerialis: consecratio autem fit in persona Christi, quia illa verba *Hoc est Corpus meum*, non possunt verificari in persona Sacerdotis, sed Christi: fit etiam consecratio ista in vtraque specie, panis & vini, & consequenter secundùm ordinem Melchisedech; ergo ex omni parte concurrit in consecratione sic considerata tota essentia Sacrificij Eucharistici, prout est idem quod in cruce oblatum est. Denique sumptio, etiam vtriusque speciei, potest fieri à non Sacerdote, vt quando laïci communicabant sub vtraque specie; quod etiam nunc C possent, si Ecclesia concederet; ergo illa actio sumendi præcisè non est sacrificario; quia hæc actio debet esse talis, quod à solo Sacerdote fieri possit, cùm sint reciproca, vt sæpè diximus, Sacerdotium & Sacrificium, seu relatiua.

Ex quibus constat, Actionem istam vt separatiuam Sanguinis à Corpore, per se & essentialiter habere omnia, quæ ad hoc Sacrificium componendum concurrunt; & esse immolationem Christi mysticam, quatenus modo sacramentali seorsum ponit Sanguinem à Corpore, sicut in cruce realiter separatus est; similiter supponit materiam sacrificabilem (scilicet ipsum Corpus Christi) quia prius ponitur Corpus sub specie panis, deinde Sanguis sub specie vini; & prius intelligitur actio illa D vt conuersiua absolutè in Corpus & Sanguinem Christi, quàm separatiua Sanguinis ex vi verborum; ergo sufficienter saluatur positio Corporis Christi, vt super ipsum cadat effusio mystica Sanguinis, id est, separatio Sanguinis sacramentalis ex vi verborum; ergo ipsa consecratio vt immolatiua, & separatiua Sanguinis, supponit Corpus. Quod si inuerteretur ordo, & priùs aliquis consecraret calicem quàm panem, esset nihilominus verum Sacrificium, quia semper esset separatio Sanguinis à Corpore, si prius consecraretur panis; vel Corporis à Sanguine, si prius Sanguis consecraretur; Et sic semper supponeretur res & materia oblata ex parte Christi, separando vnum ab alio; licèt magis ordinato modo fiat consecrando E prius panem, & deinde calicem, vt videatur separari Sanguis à Corpore, quàm è conuerso, separando Corpus à Sanguine; licèt vtroque modo fiat substantialiter Sacrificium.

Mens S. Thomæ; Essentiam Sacrificij Eucharistici consistere in consecratione.

De mente sancti Thomæ paucis dicimus. Existimo ipsum planè sentire Sacrificium hoc essentialiter perfici consecratione. Nam supra quæst. 82. art. 4. ad 1. inquit, *Quod consecratio Chrismatis, vel cuiuscumque alterius materiæ, non est Sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ*. Et in art. 10. dicit, *Sacerdotes teneri ad sacrificandum, non solùm propter ministranda Sacramenta populo, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui in consecratione huius Sacramenti Sacrificium offertur*. Et solut. ad 1. inquit. *Hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua Sacrificium Deo offertur*. Deinde in hac quæst. 83. art. 1. dicit, *Quod celebratio huius Sacramenti est imago quædam repræsentatiua Passionis, quæ est vera eius immolatio: & ideo celebratio huius Sacramenti dicitur Christi immolatio*; constat autem hoc Sacramentum celebrari quando consecratur, non quando sumitur, ergo. Ac denique art 4. singulas actiones Missæ commemorans, inquit; *Deinde accedit Sacerdos ad ipsam consecrationem, in qua primò petit consecrationis effectum, cùm dicit*, Quam oblationem, &c. *secundò consecrationem peragit per verba Saluatoris. Tertiò excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cùm dicit*; Vnde & memores, &c. *Quartò petit hoc Sacrificium peractum esse Deo acceptum, cùm dicit*, Supra quæ propitio, &c. Sentit ergo sanctus Thomas, quod cùm Sacerdos dicit illa verba, iam Sacrificium est peractum, quod vtique ante sumptionem dicit, immediatè post calicis eleuationem verbalem, qua dicit, *Offerimus præclaræ Majestati tuæ, &c.* sed constat in eleuatione calicis, & in illa verbali oblatione non fieri Sacrificium, quia non sunt actiones factæ à Christo, nec fiunt in eius persona, sed in persona Ecclesiæ, tanquam cæremonia accidentalis; ergo intelligit in consecratione peractum esse Sacrificium.

Omitto plures auctoritates Patrum, quia licèt frequenter dicant immolari Sacrificium in altari, non tamen ita minutim explicant qua actione in particulari peragatur essentialiter ipsum Sacrificium; vnde non facimus in illis multam vim.

Soluuntur Argumenta.

Obiicies (quod iam supra tetigimus) Quia immolatio Sacrificij debet præsupponere victimam, seu hostiam sacrificandam; ita quod semper distinguitur præparatio seu productio victimæ, ab eius immolatione; Corpus autem Christi est res immolata in hoc Sacrificio; consecratio autem ponit & constituit Corpus Christi in hoc Sacramento; ergo non est immolatio ipsius; & sic differunt specificè consecrare & offerre rem consecratam; actio autem sacrificatiua essentialiter est oblatio.

Confirmatur primò, Quia consecratio est inuisibilis, cùm ponat hîc Christum inuisibiliter, non autem immutet eum modo sensibili; Sacrificium autem debet esse visibile, ergo fit per oblationem visibilem; ergo non consistit in ipsa consecratione. Vnde Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. & can. 1. dicit, Tradi in Sacerdotio potestatem consecrandi, & offerendi Corpus & Sanguinem Christi; ergo alia est actio consecrare, alia offerre; aliàs frustra eas distingueret Concilium.

Confirmatur secundò, Quia in vna sola specie potest fieri Sacrificium, vt patet in die Parasceues, in quo non consecratur calix, & tamen offertur Deo Sacrificium, & fit Missa; tenentur enim Fideles illam audire, si dies festus in tali die venerit; ergo falsò dicimus in oblatione vtriusque speciei consistere Sacrificium. Quo Argumento vtitur Magister Nuño vbi supra; & generaliter tam illa actio, quæ tunc fit, quàm etiam aliæ actiones, quæ nunc fiunt post consecrationem, sunt actiones religiosæ; ergo falsò dicimus in oblatione

vtriusque speciei consistere Sacrificium. Denique confirmatur, Quia si in consecratione fieret Sacrificium, cùm ipsa consecratione applicantur fructus illius, cùm tamen constet post consecrationem applicari Defunctis in secundo Memento; ergo signum est post illud fieri Sacrificium; nullus enim Sacerdos intendit in ipsa consecratione applicare fructum Sacrificij, vel offerre illud.

Eadem consecratione fit victima Christus in Euristia, & immolatur; non vna formalitate.

Ad primum Respondetur ex dictis, Nullum esse inconueniens eandem actionem secundùm diuersas formalitates esse consecrationem & oblationem, cùm ipse sanctus Thomas dicat, verbis supra relatis, In ipsa consecratione offerri Deo Sacrificium, & in ipsa celebratione Sacramenti fieri immolationem Christi, quatenus fit repræsentatio Passionis eius; sic ergo eadem actio est præparatiua & factiua victimæ, quatenus est physica & realis conuersio substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi. Est autem oblatio & sacrificatio, quatenus est talis actio sacramentalis, separans ex vi verborum mysticè Sanguinem à Corpore, vt repræsentet effusionem cruentam crucis, quæ sunt formalitates valde distinctæ & de potentia absoluta possent separari, quia bene posset conuerti panis in Corpus Christi, sine conuersione Sanguinis seorsum à Corpore. Immò de facto potest Sacerdos solùm consecrare panem, & non calicem; quo casu non offerret Sacrificium, vt supra diximus. Quando ergo vtrumque fit eadem actione, non repugnat simul esse consecrationem, quæ præparet & faciat victimam, constituendo hîc Corpus Christi & simul sit immolatiua & oblatiua ipsius, separando mysticè Sanguinem à Corpore.

Gemina potestas, consecrãdi, & offerendi vna actione explenda.

Ad primam confirmationem Respondetur, Consecrationem esse inuisibilem, ratione virtutis & effectus, quem facit physicè; sacramentaliter tamen esse visibilem, ratione verborum quibus fit, & specierum in quibus fit, sicut aliæ actiones quæ fiunt circa Corpus Christi inuisibile, & in quibus constituitur ratio Sacrificij, redduntur sensibiles ratione specierum. Ad locum Concilij Trident. dicitur dari potestatem Sacerdotibus ad consecrandum & offerendum, non tamen vt id faciant distinctis actionibus, sed vna habente omnes illas formalitates. Et prætereà non repugnat à Sacerdote separari istas actiones, vt si consecraret vnam tantùm speciem; tunc enim validè consecrat illam, & tamen non offert Sacrificium, quia hoc requirit vtramque speciem, vt sit Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.

Ad secundam confirmationem, Negatur in die Parasceues fieri Sacrificium, autve illam cæremoniam, quæ tunc fit, esse Missam, vt suprà disput. 2. ostendimus; nec tenentur Fideles audire illam, si sit dies festus, vt constat ex declaratione Congregationis Cardinalium sacrorum Rituum, quam ibi retulimus; & Magister Nuño non potuit illam videre, quia post eius mortem facta est. Immò inde nos confirmamur in nostra sententia, quia illa cæremonia non est Missa, & tamen sumitur ibi vna species; ergo Sacrificium non consistit in oblatione, vel sumptione vnius speciei. Fit autem illa cæremonia à solo Sacerdote; Tum propter repræsentationem ipsius Christi patientis; Tum quia debet tangere immediatè ipsum Corpus Christi, quod solùm pertinet ad Sacerdotem. Quod autem sit cæremonia religiosa, illa vel aliæ quæ fiunt post consecrationem, non sequitur quod sint Sacrificium; quia hoc solùm potest constitui in ea actione, quam Christus instituit, vt repræsentaret suam Passionem, non in alia actione, etiamsi religiosa sit.

Ad vltimum Respondetur, Non esse necessarium quod effectus Sacrificij conferatur, quando fit, sed toto tempore quo durat Sacrificium est locus applicandi fructum illius. Et vt aduertit sanctus Thomas hîc quæst. 83. art. 4. post consecrationem petit Sacerdos ipsius Sacrificij & Sacramenti effectum quantum ad ipsos sumentes & quantum ad Mortuos, & quantum ad ipsos Sacerdotes offerentes; & similiter pro Viuis offert Sacerdos ante consecrationem, & tamen non applicatur fructus Sacrificij nisi post consecrationem ex priori intentione. Fructus ergo Sacrificij non confertur solùm in illo instanti, quo fit Sacrificium, sed iuxta applicationem Sacerdotis toto tempore quo durat.

Articvlvs Tertivs.

De Valore & Applicatione Sacrificij huius.

Primò quæritur, An Sacrificium istud habeat Valorem Impetratiuum & Propitiatorium pro peccatis?

Sacrificiũ Eucharisticum, impetratoriũ & propitiatorium.

RESpondetur affirmatiuè. Est de fide definita in Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3. vbi definitur Offerri & prodesse hoc Sacrificium pro Fidelium peccatis, pœnis & satisfactionibus, & aliis necessitatibus; & pro defunctis nondum in Christo plenè purgatis. Et ratio sumitur ex eo, Quia hoc Sacrificium non est minoris efficaciæ, quàm Sacrificia Antiquæ Legis; siquidem Sacerdotium antiquum erat imperfectius, & ad illius consummationem necesse fuit surgere Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, vt argumentatur Apostolus ad Hebr. 7. 11. ergo etiam Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech est perfectius; sed Sacrificia antiqua proderant pro peccatis viuorum & mortuorum; Nam pro Viuis constat præcipuè ex cap. 4. & 5. Leuitici, vbi ponitur ritus Sacrificiorum, pro quibus dicitur dimitti hominibus peccata, vel propitiari Deum: pro Defunctis autem constat ex 2. Machab. 12. 43. vbi dicitur Iudam misisse Hierosolymam offerri pro peccatis Mortuorum Sacrificium; ergo à fortiori nostrum Sacrificium valet pro Viuis & Defunctis.

Constat secundò ex traditione Ecclesiæ, in qua Sacerdotibus datur potestas in eorum ordinatione ad offerendum Sacrificium pro Viuis & Defunctis; & ex communi vsu Fidelium, qui hoc Sacrificium offerri faciunt pro Viuis & Defunctis; & ex ipsis orationibus Ecclesiæ, quas recitat in Missis pro quibuscumque necessitatibus tam Viuorum, quàm Defunctorum.

Secundò inquires, Vtrum hoc Sacrificium habeat aliquem effectum ex opere operato, vel solùm ex opere operantis?

Valet Sacrificium Eucharisticũ ex opere operato.

Respondetur, Vtroque modo habere effectum. Distinguitur autem effectus ex opere operato ab effectu ex opere operantis, quod ille datur intuitu meritorum Christi, & ex institutione ipsius, quia merita sua applicuit tali vel tali operi;

effectus autem ex opere operantis datur intuitu proprij meriti facientis opus; & talis valor crescit vel minuitur iuxta dispositionem aut valorē ipsius merentis. Dicimus ergo, Quod hoc Sacrificium, non solùm inquantum Sacramentum (quod solum prodest ipsi sumenti) sed etiam inquantum Sacrificium, quod offertur pro aliis, habet valorem ex opere operato, seu intuitu meritorum Christi; & etiam ex opere operantis, tam in persona Ecclesiæ, quàm Sacerdotis. Quod valeat ex opere operato, deducitur ex Concilio Tridentino cit. sess. 22. cap. 1. vbi inquit, *Reliquisse Christum Ecclesiæ visibile Sacrificium, quo cruentum illud in cruce semel peragendum repræsentaretur, eiusque memoria in finem vsque sæculi permaneret, eiusque salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur*: sed virtus illa salutaris, quæ in hac oblatione applicatur, est virtus meritorum & satisfactionis Christi; ergo habet valorem ex opere operato.

Et confirmatur ex perpetua traditione Ecclesiæ, intelligentis Sacrificium hoc nulla Sacerdotis indignitate coinquinari, sed semper sortiri suum principalem effectum; aliàs semper Fideles essent incerti, & anxij de fructu Sacrificij, præsertim pro Defunctis, si non haberet valorem ex opere operato Christi, sed ex opere operantis tantùm; tunc enim si Sacerdos non esset in gratia, periret ille valor fundatus in merito ipsius.

Valet & ex opere operantis.

Quod etiam habeat effectum ex opere operantis, est communis sententia, & docetur Catechismo Pij V. sub finem tractatus de Sacrificio. Et constat, Quia est actus maximè meritorius & satisfactiuus, cùm sit actus religionis excellentissimus, & imperatus à fide, quæ maximè in hoc Mysterio resplendet; ergo habet valorem fundatum in merito ipsius operantis. Item quia sic valebant Sacrificia antiqua, vt colligitur ex illo Daniel. 3. 40. *Sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi*, &c. ergo etiam nostrum Sacrificium valet ex opere operantis. Vbi discernendum est, Quod Sacrificium prout procedit à Christo vt à principali offerente, non est modò actio meritoria aut satisfactoria, quia modò Christus non est in statu merendi & satisfaciendi, sed prout procedit à Ministro in persona Ecclesiæ militantis. Similiter quantum ad meritum de condigno pro gratia, non valet pro aliis, sed pro ipso operante tantùm; quoad satisfactionem autem & meritum de congruo, etiam pro aliis valere potest.

Tertiò inquires, Ad quid valeat Sacrificium, tam ex opere operato, quàm ex opere operantis; An pro remissione culpæ, vel pœnæ.

Sacrificiū Eucharisticum vt impetratoriū ad omnem se extendit gratiæ effectum.

Respondetur distingui debere Sacrificium inquantum propitiatorium, & impetratorium; Nam loquendo de ipso vt impetratorio, non solùm ad pœnam relaxandam, sed etiam ad remissionem peccatorum obtinendam, & ad augmentum gratiæ, & ad quamcumque necessitatem se extendit; etsi non semper infallibiliter. Dicit enim Trident. sess. 22. cit. cap 2. ex August. 10. de Ciuit. cap. 20. *Quod huius oblatione placatus Deus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina etiam ingentia dimittit.* Et concludit generalibus verbis, *Quod non solùm pro Fidelium Viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus: sed etiam pro Defunctis, nondum ad plenum purgatis, ritè offertur.* Quibus verbis, omnia genera bonorum, siue temporalium siue spiritualium, includuntur. Nec tamen ex indignitate Ministri offerentis hæc impetratio effectu caret, quia habet vim impetrandi ratione rei oblatæ, quæ gratissima est Deo, & ratione Christi principalis offerentis; qui licèt non sit in statu merendi, bene tamen in statu orandi & impetrandi: Ac denique in persona Ecclesiæ, quæ semper est grata Deo, & virtutem habet impetrandi; & ratione huius Sacerdos qui celebrat in peccato, non priuat Fideles fructu Sacrificij, nec tenetur aliam Missam celebrare pro eo qui dedit stipendium; quia illa Missa satisfacit, etiam dicta in peccato mortali. Quod verò non habeat impetrationem hanc infallibilem, ex eo colligitur, quod ista impetratio non fundatur in aliqua speciali promissione facta ipsi Sacrificio infallibiliter, sed solùm in ipsa natura Sacrificij, & generalibus promissionibus impetrandi per orationem quod à Deo petimus; quod tamen aliquando propter occulta Dei iudicia, vel manifesta peccata impediri potest.

Impetratio ipsa non infallibilis.

Loquendo verò de Sacrificio inquantum propitiatorio, sic habet effectum infallibilem ex opere operato quantum ad remissionem pœnæ, non quantum ad infusionem gratiæ, & remissionem peccati. Sumitur ex sancto Thoma supra, quæst. 79. art. 5. vbi distinguit de Eucharistia vt est Sacramentum, & vt est Sacrificium; & dicit, Quod vt est Sacramentum, habet directè illum effectum ad quem est institutum, scilicet nutrire nos in charitate & vnione ad Christum, quod vtique pertinet ad gratiam; inquantum verò est Sacrificium, habet vim satisfactiuam, & sufficit ad satisfaciendum pro omni pœna. Et potest deduci fundamentum ex verbis Concil. sess. 22. cit. cap. 1. vbi inquit, *Quod per hoc Sacrificium illud cruentum repræsentatur, atque eius virtus salutaris in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicatur*: sed virtus crucis applicata facit effectum ex opere operato, quia intuitu ipsius satisfactionis, & meriti crucis datur; ergo per hoc Sacrificium datur aliquis effectus ex opere operato, qui pertinet ad remissionem peccatorum. Rursus remissio peccatorum solùm est duplex, scilicet quoad culpam, vel quoad pœnam; Sacrificium autem inquantum Sacrificium non tollit culpam, quia ista solùm tollitur per gratiam; dare autem gratiam pertinet ad Sacramentum inquantum Sacramentum, quia est signum rei sanctificantis nos; distinguitur autem ratio Sacrificij in Eucharistia à ratione Sacramenti, quia inquantū Sacramentum solùm prodest sumentibus, inquantum autem Sacrificium etiam non sumentibus prodest; ergo debet intelligi Concilium de remissione peccatorum quoad pœnam, præsertim cùm postea cap. 2. satisfactiones & pœnas numeret inter effectus Sacrificij.

Pœnæ remissio, infallibilis effectus Sacrificij Eucharistici; non remissio peccati, aut infusio gratiæ.

Dices Valere posse Sacrificium ex opere operato pro peccatis venialibus, quia Concilium dicit valere in remissionem quotidianorum peccatorum, quo nomine peccata venialia designari solent. Distinguit etiam in effectibus, quos numerat cap. 2. quod valeat pro Fidelium peccatis, pœnis & satisfactionibus; ergo non solùm valet pro remissione pœnæ, sed etiam culpæ; cum dicat *pro peccatis & pœnis*.

Respondetur

Remissio Venialium eius effectum ex opere operato, Cani opinio.

Respondetur aliquos ita sentire, inter quos est Canus lib. 12. de Locis cap. 19. ad 9. habetque fundamentum in citatis verbis Concilij; & quia Sacramentalia, vt Aqua benedicta, tunsio pectoris, benedictio Episcopalis, & alia similia valent ad remissionem peccati Venialis; & probabile est, quod ex opere operato; Nam inter ista sacramentalia numeratur auditio Missæ. Alij tamen oppositum tenent, quia non extat promissio facta pro remissione venialis per hoc Sacrificium. Quidquid tamen sit de hoc, dicimus ex ipsa natura Sacrificij directè & per se solum habere vim satisfactiuam, vt diximus ex sancto Thoma, quæ respicit ablationem pœnæ, & constat; Quia hoc Sacrificium æquè offertur pro Viuis & Defunctis; in Defunctis autem solùm tollit pœnam, non culpam; hæc enim supponitur remissa in hac vita: Vel si aliqua venialia tolluntur in alia vita; per primum actum charitatis elicitum ab Anima separata remittuntur. Ex quibus omnibus colligitur, hoc Sacrificium non prodesse ex opere operato, nisi existentibus in gratia, quia non potest remitti pœna, nisi prius sit remissa culpa.

Aliorum, non esse: per se ad id non ordinari, certum.

Quartò inquires, An Valor huius Sacrificij sit infinitus, præsertim ex opere operato?

Et non loquimur de valore ex opere operantis, quia iste fundatur in meritis Ministri & Ecclesiæ offerentis, quæ merita sunt finiti valoris. Actio autem qua Christus modò offert hoc Sacrificium vt principalis Sacerdos, non est meritoria vel satisfactoria, quia est extra statum viæ, licèt sit infinitæ dignitatis vt est à Persona. Loquendo autem de valore ex opere operato (scilicet intuitu Passionis Christi) & de vi impetratiua ratione rei oblatæ, dicimus Hoc Sacrificium habere valorem infinitum quoad sufficientiam, & quantum est ex se; quoad efficaciam autem, seu ex parte effectus, semper esse aliquid finitum. Vnde oportet hìc valde distinguere, Valorem Sacrificij & effectum. Valor pertinet ad æstimationem & pretium rei, effectus verò ad fructum quem in nobis consequimur. Sicut valor Sacramentorum est ex parte virtutis meritorum Christi sufficiens ad quamcumque gratiam dandam, effectus verò est illa gratia quam de facto consequimur; & hæc semper in nobis finita est, sicut etiam fructus Sacrificij, qui est remissæ pœnæ.

Valor Sacrificij Eucharistici infinitus, sed non effectus.

Valor autem ipsius Sacrificij & sufficientia, infinita est, quia est valor sacrificij crucis, vt dicit Trident. sess. 22. cap. 1. Hic autem valor est infinitus; sicut etiam valor Sacramentorum, quoad sufficientiam infinitus est, quia ad quamcumque gratiam deseruire potest ex meritis Christi. Et thesaurus Indulgentiarum infinitus est, quia innititur satisfactioni Christi, quæ est infiniti valoris; ergo similiter valor huius Sacrificij ex sua sufficientia infinitus est: ideoque sanctus Thomas dicit quæst. 79. cit. art. 5. *Quod hæc oblatio ex sui quantitate sufficit ad satisfaciendum pro omni pœna.*

Quintò inquires, An effectus proueniens ex valore huius Sacrificij, determinetur & mensuretur iuxta dispositionem recipientis, an iuxta intentionem Ministri offerentis?

Respondetur, Duplicem esse opinionem; Quidam enim tenent fructum Sacrificij taxari & A mensurari iuxta intentionem applicantis; alij verò tenent mensurari iuxta dispositionem recipientis. Et hæc sine dubio est sententia sancti Thomæ, quæst. 79. cit. art. 5. dicentis, *Quod quamuis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen solùm fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.* Offerentes autem qui sint, infra dicetur. Vbi Adnotandum, quod remissio pœnæ ex meritis Christi dupliciter datur in Ecclesia, primò per Indulgentiam ex thesauro Ecclesiæ, secundò per Sacrificium Missæ, quatenus habet vim ex opere operato fundatam in valore B Passionis Christi, vt diximus. Primo modo determinatur remissio pœnæ iuxta intentionem applicantis, non iuxta deuotionem recipientis. Vnde in concessione Indulgentiarum ipsi Pontifices determinant quantitatem huius remissionis, quia aliquando concedunt Plenariam Indulgentiam, quæ remittit totam pœnam, aliquando verò concedunt tot annos, vel tot dies; & tunc illam partem pœnæ tollunt, quæ correspondet satisfactioni soluendæ in illis diebus, vel annis, si imponeretur à Sacerdote, sicut in re debetur: per Sacrificium autem non isto modo determinat Sacerdos quantitatem pœnæ relaxandæ, in his, pro quibus offert, C sed relinquitur taxanda iuxta deuotionem & dispositionem recipientium. Hoc enim est consentaneum ipsi naturæ Sacramentorum, & cuiuscumque rei habentis valorem ex opere operato; semper fructus, seu effectus eius determinatur iuxta determinationem dantis.

Determinatio effectus Sacrificij Eucharistici, ex dispositione eius pro quo offertur, non ex Ministri voluntate.

Vnde etiam in praxi Ecclesiæ, & communi vsu hoc habetur, quod Sacerdos offerens non determinat quantitatem pœnæ, quæ per hoc Sacrificium remittenda est. Si enim id posset facere, in arbitrio Sacerdotis esset vnico Sacrificio tantam quantitatem pœnæ tollere & non plus, quantum necesse esset illis Animabus, pro quibus offertur; Quod si hoc non est in eius arbitrio, sed solùm D in qualibet Missa Deus posuit determinatam quantitatem pœnæ, quam posset tollere, & non plus, iuxta applicationem Sacerdotis, hoc erit retrocedere & negare quod hoc Sacrificium habeat infinitum valorem ex se, & ex opere operato; quod tamen ex Concil. Trident. & sancto Thoma, supra probauimus. Restat ergo quod taxetur & determinetur ista quantitas iuxta deuotionem recipientis; & non potest id determinari iuxta dispositionem ipsius Ministri celebrantis, quia aliàs Missa facta à Sacerdote in peccato nihil valeret, quod est absurdum, & contra communem praxim Ecclesiæ.

Obiicies ex sancto Thoma, qui in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. & 4. videtur dicere, Quod suffragium E quod prodest alicui ex applicatione alterius, totum pendet ex intentione applicantis; ita vt remoto impedimento tantum applicetur, quantum ipse vult; ergo non dependet id ex dispositione recipientis suffragium. Item, Quia si hoc Sacrificium prodest iuxta dispositionem recipientis, & aliàs est infiniti valoris, posset Sacerdos offerre pro quibuscumque vellet, & omnibus prodesset. Immò vnica Missa posset satisfacere pro multis petentibus illam, quia omnibus prodesset iuxta dispositionem recipientium.

Respondetur illa verba non eo modo reperiri apud sanctum Thomam; sed solùm ponit generalem doctrinam, Quod suffragia prosunt illis, pro

quibus fiunt; & eis solis pro quibus applicantur; ex intentione facientis suffragium; non tamen dicit quod quantitas fructus ex suffragio prouenientis mensuratur penes voluntatem applicantis, & non penes deuotionem suscipientis. Et licèt hoc diceretur de suffragio, quod est præcisè ex opere operantis, & ita iuxta voluntatem ipsius determinatur, vt in eleemosyna, ieiunio, &c. tamen in Sacrificio Missæ hoc non habet locum, quia nititur meritis Christi infinitis, & applicatio determinata eorum ex dispositione recipientis dependet.

Ad secundum dico, Valere Sacrificium pro omnibus pro quibus offertur, licèt non eodem modo; vel quia non offertur specialiter pro illis, sed generali ratione qua offertur pro tota Ecclesia, vel quia non eodem modo omnes sunt dispositi; Non tenetur autem Sacerdos pro omnibus offerre specialiter, sed solùm pro illis quibus obligatur ex aliquo debito, vel pro quibus gratiosè vult. Quomodo autem non possit vnica Missa pro multis debitis, seu stipendiis satisfacere, dicemus art. seq.

Vltimò inquires, Quibus personis prosit hoc Sacrificium, & pro quibus debeat offerri?

Respondetur generaliter includi omnes istas Personas in duplici genere. Quia vel sunt offerentes, vel illi pro quibus offertur, vt patet in illis verbis Canonis, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Et sanctus Thomas, quæst. 79. art. 5. dicit, *Prodesse Sacrificium his, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus.* Inter offerentes diuersæ numerantur personæ. Primò qui faciunt pro se celebrari Missam; secundò qui assistunt, & cooperantur illi. Tertiò ipse Sacerdos, cuius ministerio fit Sacrificium. Qui offerri faciunt adhuc dupliciter se habent, Quidam nimis remotè, & quasi in habitu offerunt (scilicet omnes Fideles, qui constituunt corpus Ecclesiæ; siquidem Sacrificium nomine Ecclesiæ offertur, cùm sit publica eius actio.) Alij verò proximè & in actu cooperantur, & faciunt offerri, vt qui dant eleemosynam pro stipendio, aut qui instituit aliquam fundationem cum onere Missarum. Qui offerunt solùm remotè, & quasi in habitu, dicuntur accipere fructum Sacrificij ex intentione generali Sacerdotis; quæ dicitur generalis, quia ad omnem Ecclesiam se extendit, & specialiter ad Prælatos, & explicatur in illis verbis Canonis. *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta*, &c.

Vnde Aliqui suspicantur, Ex ista generali applicatione, seu intentione non prouenire omnibus Fidelibus, effectum aliquem ex opere operato, quia nec illis applicatur per specialem intentionem, nec aliqua sensibili actione communicant Sacrificio, sicut assistentes & facientes offerri; nec in ipso Canone petitur pro illis remissio pœnæ, quæ est effectus ex opere operato, sed effectus aliquis impetrationis; vt pacificare, custodire, & regere dignetur. Quia verò specialiter pro Papa, pro Antistite, id est, pro Episcopo illius Diœcesis, pro Rege, &c. illis particularibus personis aliquem fructum ex opere operato prouenire verisimilius est.

Secundò inter offerentes computantur qui Missæ assistunt, vel illi ministrant. Vnde etiam pro illis orat Sacerdos in Canone, dum dicit, *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio.* Vbi rursum confirmatur dispositionem, seu deuotionem recipientium attendi pro fructu Sacrificij determinando.

Tertiò ipse Sacerdos, qui est Minister offerens, participat de fructu Sacrificij duplici titulo. Primò vt Minister publicus Ecclesiæ in persona Christi; secundò vt priuata persona, quatenus est vnus de circunstantibus. Et his omnibus applicatur de fructu Sacrificij, tam ex opere operato, quàm ex opere operantis, iuxta dispositionem suam, & maiorem vel minorem cooperationem ad tale Sacrificium. Sicut qui dat eleemosynam & stipendium, magis cooperatur, quàm qui gratiosè petit Sacrificium; & qui dat abundantiorem eleemosynam, magis cooperatur & melius disponitur ad fructum Sacrificij, cæteris paribus.

Inter eos autem pro quibus offertur hoc Sacrificium, computantur omnes illi pro quibus specialiter Sacerdos applicat fructum Sacrificij, vel ex obligatione stipendij, vel ex gratiosa voluntate, vel ex alio debito, & pro quibus erat in vtroque *Memento*, siue sint Viui, siue Defuncti. Ex ista siquidem applicatione, dirigitur ad illos fructus Sacrificij, tam ex opere operato, quàm ex opere operantis; licèt quantitas illius iuxta fidem & deuotionem eorum determinetur.

Qui verò sint capaces huius fructus, tam ex opere operantis, quàm ex opere operato?

Respondetur inter Defunctos solùm prodesse Animabus Purgatorij; quibus prodesse est de fide, vt constat ex Trident. sess. 22. cap. 2. & sess. 25. in principio. Et certum est illis prouenire effectum ex opere operato, quidquid Aliqui senserint in contrarium; quia dicunt non esse membra Ecclesiæ, quæ est in hac vita. Sed oppositum est certum, Quia fructus qui prouenit illis, non dependet ex meritis Sacerdotis; quia etiam si sit in peccato, prodest illis Sacrificium; ergo ex meritis Christi tantùm dependet; ergo ex opere operato. Et licèt illæ Animæ non sint Ecclesiæ membra visibilia, sunt tamen inuisibilia, mediante fide, in qua nobiscum communicant. Vnde damnati, qui nec habent fidem, nec sunt in statu redemptionis, nihil participant de fructu huius Sacrificij. Beati autem illo non indigent, licèt magnum gaudium accidentale ex oblatione Sacrificij participent. *Defuncti in Purgatorio capaces fructus Sacrificij Eucharistici.*

Inter Viuentes autem sunt capaces huius Sacrificij, quantum ad fructum ex opere operato, omnes Fideles baptizati qui sunt in gratia, & non sunt excommunicati. Nam infideles qui non sunt baptizati, nondum sunt capaces Sacramentorum, neque Sacrificij, & cuiuscumque alterius communicationis rei sacræ, ex opere operato. Similiter qui non sunt in gratia, non possunt accipere remissionem pœnæ, quia hæc supponit culpam remissam. Excommunicati etiam priuantur suffragiis Ecclesiæ, & communione fidelium, & ideo pro illis orari non potest publica oratione, qualis est Missa, nec illis applicari fructus Sacrificij. Et idem est de Hæreticis & Schismaticis, quia ex communicati sunt. Per modum autem impetrationis potest prodesse omnibus istis Sacrificium, etiam non baptizatis, sicut etiam pro omnibus illis orat Ecclesia in die Parasceues. Directè tamen non potest orari pro excommunicatis oratione publica, licèt indirectè etiam pro illis oretur, quatenùs petitur etiam à Deo pro Hæreticis vt *Viuentes Baptizati, non excõmunicati, & qui existũt in gratia.* *Prodest & reliquis, per modũ impetrationis.*

resipiscant, & pro omnibus errantibus vt reducantur a via sua mala: bene tamen potest aliquis in oratione priuata commendare Deo Excommunicatos. Pro Catechumenis autem qui in fide decesserunt ante Baptismum, prodest Sacrificium hoc per modum impetrationis, vel ex opere operantis; quia fructus ex opere operato, siue per Sacramenta, siue per Sacrificium non potest illis communicari, nec aliquis est capax illius nisi post Baptismum.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Stipendio Missarum, & de obligatione circa illas, & de reductione Missarum.

Primò quæritur, Quomodo Stipendium recipitur pro Missa sine peccato simoniæ, cùm videatur dari pro re sacra?

Communiter respondetur, Hoc stipendium non dari pro ipsa Missa; sed pro sustentatione Ministri, quæ aliquid temporale est; quæ est solutio sancti Thomæ 2. 2. quæst. 100. art. 2. Sed contra hoc est instantia, Primò, Quia idem possemus dicere de ministratione aliorum Sacramentorũ vel collatione Beneficiorum. Posset enim quis dicere, Quod pro conferendis Ordinibus, vel Beneficiis accepit pecuniam, non pro ipsa re C sacra, sed pro sustentatione sua; cur ergo ista solutio admittitur in stipendio Sacrificij, & non in collatione alterius Sacramenti, vel Beneficij? Secundò, Quia in Sacerdote accipiente stipendium nascitur obligatio ex iustitia, dicendi illam Missam pro tali obligatione; ergo pactum directè cadit super ipsam rem sacram, quia ipsam tenetur applicare alteri; si autem solùm ad sustentationem Ministri datur, non ex iustitia, sed ex religione vel gratitudine tenebitur illam Missam dicere; sicut Ecclesiastici eo quod recipiunt decimas à Fidelibus non tenentur ex iustitia pro illis orare, vel Sacramenta ministrare, sed solùm ex religione. Neque enim tenentur restituere, si oppositum faciant. Tertiò, Quia stipendium Missæ non D datur pro integra sustentatione Ministri, aliàs abundantius stipendium deberet tribui, quam communiter datur; aut posset Sacerdos pro pluribus stipendiis vnam tantùm Missam dicere, vt integram sustentationem haberet; ergo signum est tale stipendium non dari pro sustentatione, sed pro illa actione.

Non est simonia, accipere pro sustentatione ex ordinatione Ecclesiæ.

Respondetur, quod vt bene notat sanctus Thomas loco citato, Accipere aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramenta Christi ministrant secundùm ordinem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est Simonia, neque peccatum. Non enim sumitur tanquam pretium, sed tanquam stipendium necessitatis. Quare vt huiusmodi stipendium quod datur, & pactum quod intercedit liberetur à simonia in oblatione Sacrificij, & non in collatione aliorum Sacramentorum & Beneficiorum, recurrendum est ad ordinationem Ecclesiæ, quæ hoc modo designat sustentationem Ministri in Missarum oblatione, non autem in aliis ministeriis sacris. Nam de ministratione altaris dicit Apostolus 1. ad Cor. 9. 13. *Quod qui altari deseruiunt, de altari participant.* Vnde quidquid ad altare offertur (vulgo el pie de altar) iurè accipitur à Ministris pro sustentatione; & A ista donaria, seu oblationes altaris computantur etiam stipendia Missarum, & ideo ex ordinatione Ecclesiæ pro sustentatione Ministri accipiuntur.

At vero in collatione Beneficij sufficienter Ecclesia prouidit pro sustentatione Ministri in reditibus, & aliis bonis, quæ assignantur Episcopis, vel collatoribus Beneficiorum; Vnde non potest titulo sustentationis aliquid accipi pro Beneficio, quia hoc non ordinauit Ecclesia. Similiter pro ministrandis aliis Sacramentis sufficienter prouisum est Ministris per decimas & primitias, aliosque reditus Ecclesiasticos, vel per generales eleemosynas, quæ dantur Regularibus; ideoque non ordinauit Ecclesia vt titulo sustentationis aliquid B amplius recipiatur pro ministratione Sacramentorum; quin potius in nouo Rituali Romano Pauli V. in Rubricis de Sacramentis in genere statuitur, quod non possit aliquis recipere quidquam in ministratione Sacramentorum, nisi in casu quod aliquid gratis detur post administrationem factam, & sit in vsu, & non prohibeatur ab Episcopo.

Ad secundum Respondetur, Obligationem istam esse ex iustitia, non ex parte commutationis rerum, sed ex parte oneris personarum; quia non fit commutatio inter ipsas res, quasi pro stipendio temporali, tanquam pro pretio detur applicatio Sacrificij (hoc enim simoniacum est) sed quia persona Ministri recipit sustentationem à plebe, cum illo onere dicendi Missam; & tale onus facit debitum iustitiæ ex parte personæ, ad implendum illud; quia fundatur in contractu, vel quasi contractu. Quando autem onus istud etiam ex pacto admittitur ob sustentationem Ministri, non est simonia; quia non est ex pretio rei, sed ob necessitatem Ministri, iuxta ordinationem Ecclesiæ; quod tamen in collatione Beneficiorum, vel Ordinis non currit, quia Ecclesia non ordinauit quod ibi detur aliquid ob sustentationem Ministri; vnde si datur, erit ratione pretij, & consequenter simoniacum.

Obligatio vt ex iustitia.

Ad tertium dicitur, Illud stipendium Missæ dari pro sustentatione Ministri, sed non integra & totali, quia non est occupatio totius diei, sed quantum illi labori & occupationi correspondet; & ratione illius potest imponi illis onus dicendi Missam.

Secundò inquires, An etiam Sacerdos diues, & qui non indiget sustentari ab aliis, possit accipere stipendium pro Missa?

Etiam Sacerdos diues, stipendium potest recipere.

Respondetur affirmatiuè, quia illud stipendium non datur titulo paupertatis aut eleemosynæ gratuitæ, sed titulo ministerij & laboris; ratione cuius habet ius qui altari deseruit, vt de altari viuat & participet, quo iure non priuatur quia sit diues. Vnde licet non indigeat sustentatione ab- E solutè & in se, tamen in quantum operarius & Minister, vtitur iure suo, & potest sustentationem petere, quæ ratione talis iuris debetur, licèt ipse alias habeat vnde sustentetur; hoc enim per accidens est.

Tertiò inquires, An possit quis accipere plura stipendia pro Missis, & postea distribuere aliis, retenta sibi aliqua parte, dummodò iustum stipendium tribuat?

Verbi gratia, Recipit quis trignita argenteos

pro vna Missa, & postea iubet alteri illam dicere dando illi duos argenteos iuxta taxam Diœcesis illius, An possit hoc fieri? Aliqui affirmant vt Suarez hic disput. 86. sect. 3. & citantur Soto, Sa, & Alij; eo quod nulli fit iniuria in hoc, nec danti stipendium, quia iam assignatur ei vna Missa, sicut eam petiuit, nec Sacerdoti illam dicenti; quia iam datur ei iusta eleemosyna & stipendium; ergo.

Non potest majori accepto stipendio, partem retinere, &c.

Oppositum tamen dicendum est; Neque illa sententia est probabilis, neque tuta; præsertim post decisionem sacræ Congregationis Rituum. 21. Iulij 1625. & in Decretis de Celebratione Missarum §. 4. vbi dicitur, Qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, non potest eandem Missam alteri celebrandam committere parte eiusdem sibi retenta. Et idem habetur in eisdem Decretis dub. 5. Ratio est, Quia non habet titulum, neque ius retinendi illam partem, nec titulo gratuito, quia illi non fit donatio talis partis à vero domino, neque titulo oneroso, quia ipse non subijt onus dicendi Missam; neque ratione ministerij in quærendo Sacerdotem, quia sua voluntate id facit, eo quod non vult dicere illas Missas; neque ille labor est tanti momenti, vt debeat retinere illam partem; quare facit iniuriam vero domino, & Sacerdoti dicenti illas Missas, quia sine consensu illorum retinet sibi partem destinatam stipendio Missæ.

Beneficiarius potest; ratione tituli, & quia dominus fructuum.

Est tamen Aduertendum, Quod qui habet Beneficium, cui est annexum onus Missarum, si commendat alteri Sacerdoti illas Missas, non tenetur dare stipendium ad rationem redituum Beneficij, sed sufficit quod tribuat eleemosynam congruam secundùm morem illius loci, nisi aliud in fundatione caueatur. Ita resoluit dicta sacra Congregatio in eisdem Decretis dub. 8 Iudicauit enim Congregatio Beneficiarium habere ius titulo Beneficij ad retinendum aliquid de illis redditibus, etiam vltra satisfactionem pro Missis; & sic non currit ratio facta, quod ille non habebat titulum ad retinendum illam partem; habet enim titulum, scilicet Beneficium, cui aliàs est annexum onus recitandi diuinum Officium, & alia similia onera. Vnde quando commendat Missas aliis, vt satisfaciat dicto oneri, tanquàm proprius dominus id facit, & sic non tenetur nisi consuetam eleemosynam dare.

At quid vbi vnus aut alter Sacerdos, quotidie onus offerendi habentis nec pro suo defuncto, nec pro aliis offerre possit? Vide Synod. Rom Eugenij II. cap 17. & cum illo compone quæ istis declar. & Vrb. VIII. decreto sancita sunt. Confirmat & altera Leon. IV.

Quartò inquires, An qui obligatur celebrare ratione Beneficij, Cappellaniæ, legati aut salarij: si pro alijs Missis eleemosynam receperit, possit eadem Missa vtrique obligationi satisfacere?

Sacra Congregatio respondit Non posse, in dictis Decretis dub. 4. cui annectenda est alia Declaratio Cardinalium 1. Septembris anno 1629. Quod Parrochi pro diebus quibus tenentur Missam celebrare, non possunt pro ea manualem & ordinariam eleemosynam recipere; intellige ly *pro ea*, id est, pro eadem Missa; Nam si ipse Parrochus commendat alteri (vt potest per alterum satisfacere illi Missæ, quam ratione Beneficij tenetur dicere) jam manebit liber, vt possit pro illa manuali eleemosyna celebrare. Item alia Declaratio notanda est 28 Aprilis 1629. quod Sacerdos duplicem eleemosynam recipiens non potest vnica Missa satisfacere duabus obligationibus, nisi in ipsa fundatione expressè cautum sit, quod non teneatur Sacrificium applicare.

Quintò inquires. An possit aliquis anticipatè dicere Missas pro his, qui sibi offerent postea stipendia, & ita quando dantur eleemosynæ satisfacere applicando Missas jam dictas illa intentione?

Sacra Congregatio 10. Nouembris 1605. censuit esse praxim omninò tollendam.

Sextò inquires, An possit Sacerdos accipiens stipendium minus congruum pro aliquibus Missis, satisfacere minuendo numerum Missarum; An teneatur tot dicere, quot præscriptæ sunt ab offerente, etsi stipendium minus congruum sit?

Respondetur circa hoc varias fuisse praxes, Tum ratione Priuilegiorum; Tum ratione necessitatum. Ratione Priuilegiorum Iulius II. concessit Generali Ordinis Minorum, qui tunc erat, vt in sua Visitatione posset in multitudine Missarum dispensare, vt in qualibet Missa possent poni nouem orationes seu collectæ, & quælibet collecta valeret pro vna Missa; quam concessionem extendit Leo X. anno 1613. vt quilibet Generalis futurus idem facere posset. Quas Constitutiones refert Pararillus in lib. Priuilegiorum fol. 45. & 58. Et super valore istarum Concessionum consultus Nauarrus, Respondit lib. 5. Conciliorum tit. de Priuilegiis, Valere eam concessionem, licèt ea vtendum esset cum magna consideratione; nec posse sine magna necessitate recipi talem numerum Missarum, cum proposito decipiendi eos qui pro tali numero Missarum eleemosynas offerunt.

Patribus S. Francisci de Paula Minimis, ad ab olim concessum, ab iisdem Pontificibus. Diplomata refert Laur. Perrin. Vide d. & Confect.

Et simile Priuilegium refertur concessum à Leone X. pro Fratribus Minoribus, Quod si eleemosyna non æquiualeret vni regali, possent vnica Missa satisfacere, etiam si duas, vel tres aut quatuor celebraturi essent, occasione plurium eleemosynarum, vt refertur in Compendio Priuilegiorum Fratrum Minorum, verbo *Missa*, licèt talis concessio ab illo Authore pro surreptitia habeatur. Modò autem omnia ista Priuilegia reuocata sunt, & ordinatum à sacra Congregatione in dictis Decretis supra citatis anno 1625. dub. 3. teneri Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum celebrare Missas ab offerente præscriptas; & Priuilegia omnia abrogata sunt. Quæ Constitutio in Hispania publicata fuit & in vsu; immò vt ad notitiam omnium perueniret, in hac Toletana Diœcesi in librariis apponi iussa est.

In Italia summo rigore seruatur.

At verò ratione necessitatis in praxi multorum est, quando stipendium taxatum in aliquo Episcopatu est maximè tenue, aut eleemosynæ manuales minus congruæ sunt, minuere numerum Missarum, illasque reducere ad iustum stipendium; & sic celebrare tot Missas, quot correspondeant illis eleemosynis ad iustum stipendium redactis. Alij verò iuxta necessitatem suam tantum sumunt de stipendiis, quantum pro congrua sustentatione vnius Sacerdotis necessarium est.

Alij etiam extendunt ad congruam sustentationem non solùm ipsius Sacerdotis, sed etiam patris & matris eius, aut sororum pauperum, quia omnes istæ sunt personæ coniunctæ, ad quas naturali obligatione tenemur Quibus fauere videtur illa concessio Trident. sess. 25. de Reformatione cap. 4. qua conceditur, vt Episcopi & Generales Ordinum in suis Capitulis, possint reducere ad

minorem numerum Missas, quæ ob tenuitatem non facilè inueniant, qui onus celebrandi eas suscipiant.

Cæterum quod attinet ad facultatem Concil. Trident. constat illam pro isto casu non fauere; quia ibi solùm datur ista facultas Episcopis in sua Synodo Diœcesana, & Generalibus Ordinum in suis Capitulis Generalibus. Vnde non potest extendi facultas ista ad priuatas personas, neč ad aliquos Prælatos sine Capituli vel Synodi celebratione. Item illa facultas intellecta est a sacra Congregatione Cardinalium, de oneribus Missarum impositis ante Concilium, non pòst, vt ex Sorbo, Confectio, & aliis Auctoribus refert Barbosa in lib. de Officio & Potestate Episcopi p. 2. allegat. 29. num. 2. Et tandem in Decretis de Celebratione Missarum §. 2. sacra Congregatio resoluit 21. Iulij 1625. pro his oneribus impositis post Concilium Tridentinum moderandis, reducendis aut commutandis, concurrendum esse ad Sedem Apostolicam; quod valde his temporibus notandum est. Nec denique facultas illa Concilij intellecta est fuisse concessa pro moderatione stipendij Missarum manualium, quæ solent quotidie offerri, sed pro impositione onerum in aliquibus fundationibus impositorum.

Quod verò ratione necessitatis reductio ista iustificari solet à priuatis personis vel communitatibus, res est valde perplexa; nec nisi in extrema, vel graui necessitate consulenda. Quapropter à Sede Apostolica multis Decretis sancitum est, Ne Conuentus aliquis plures Religiosos habeat, quam quos ex certis redditibus & consuetis eleemosynis sustentare commodè potest, vt constat ex Decretis in Tom. 4. Bullarij in Bullis Vrbani VIII. Immò in supradictis Decretis de Celebratione Mis-

A sarum dub. 7. determinauit sacra Congregatio Cardinalium, quod Ecclesiæ & loca pia, seu illorum administratores, Nullam portionem ex eleemosynis Missarum retinere possint ratione expensarum quas subeunt in Missarum celebrationibus, scilicet in vino, candelis, &c. nisi cùm Ecclesiæ aut loca pia non habent reditus, quos in vsu earundem expensarum erogare licitè possint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debet excedere valorem expensarum, quæ pro ipso met tantum Sacrificio necessariò sunt subeundæ. Et
B nihilominus eo etiam casu curandum est, vt ex pecuniis quæ supersunt (expensis vt supra deductis) tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. Ita sacra Congregatio, cuius decisio magnum pondus in hac parte facit; ne de facili ratione necessitatis Sacerdotum Missarum numerus minuatur, sed semper tot dicantur, quot fuerint præscriptæ; cùm etiam in casu quo Ecclesia non possit expensas pro celebratione Missarum aliunde habere (quod vtique maximæ necessitatis est) permittatur ex eisdem eleemosy-
C nis eas deducere, quoad id, quod necessarium est, dicendo alias quæ ex residuo computandæ sunt. Quomodo ergo pro sustentatione Sacerdotum permitti potest quod numerus Missarum minuatur, præsertim cùm multoties non pro ipsa præcisè necessitate, sed etiam pro aliis non multum necessariis expensis istæ eleemosynæ extrahantur. Sed tamen quia necessitas caret lege, pro extrema vel graui necessitate non audeo reprobare hunc stylum, si moderatè id fiat, eo verò modo quo passim à multis fit, omninò reprobandum est.

Hæc sufficiant de hac Materia.

QVÆSTIO LXXXIV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

ORDINEM D. Thomæ in Sacramentis explicandis, & ordinanda hac Materia de Sacramento Pœnitentiæ, non est necesse hîc à nobis explicari, cùm exactè sit traditum 1. tom. 1. partis, Tractatu de Connexione omnium partium Theologiæ: Sufficit in præsenti solùm aduertere, Quod D. Thomas acturus de Sacramento Pœnitentiæ, ad duo respexit, Ad Pœnitentiam scilicet vt Sacramentum, & ad Pœnitentiam Virtutem; sine cuius actibus Sacramentum ipsum non fit. Et quidem Pœnitentia, quæ est Sacramentum, explicatur quantum ad essentiam, substantiam & quidditatem in communi sumpta, in hac quæstione 84. Eius verò partes, ex quibus integratur & constat Materia Sacramenti, incipit tractare quæstione 90. Nec vltra progressus est morte præuentus. Pœnitentiam verò virtutem, eiusque effectus tractauit per quinque quæstiones; a quæstione scilicet 85. vsque ad 90. exclusiuè.

In hac ergo quæstione 84. in qua agit de Sa-

D cramento Pœnitentiæ secundum se, tria præcipuè tractat D. Thom. Primo id quod pertinet ad essentiam huius Sacramenti, tribus prioribus articulis; Nempe ostendendo articulo 1. quod sit Sacramentum; deinde quæ sit eius materia, & quæ forma articulo 2. & 3. Et quia Nonnulli putabant requiri ad constitutionem huius Sacramenti manuum impositionem, quæ fit à Ministro, remouit hoc D. Thomas, tanquam ad essentiam huius Sacramenti nullatenus requisitum. Secundo loco considerat necessitatem huius Sacramenti ad
E salutem, non absolutè, sed ex suppositione peccati post Baptismum commissi, ratione cuius dicitur conuenienter *Secunda tabula post naufragium*: indeque dependet scire quem locum habeat Pœnitentia inter reliqua Sacramenta; nempe post Baptismum, Confirmationem & Eucharistiam. Et de his agit duobus articulis, scilicet 5 & 6. Tandem tertio loco considerat accidentia quædam huius Sacramenti per reliquos articulos; Nempe institutionem eius quando facta fuerit. Secundò durationem illius, quod scilicet durare

debet per totam vitam, quantum ad interiorem dolorem, & abominationem peccati, non quantum ad exteriorem confessionem & satisfactionem. Tertio continuitatem eius; debet enim continuari Pœnitentia, si non actu, saltem in habitu. Quarto iterationem eius, Quia constat posse hominem pluries Pœnitentiæ Sacramentum repetere.

DISPVTATIO XXXIII.

De Essentia, Necessitate & Institutione huius Sacramenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit de fide dari Sacramentum Pœnitentiæ distinctum à reliquis Sacramentis?

NEgauerunt hoc Hæretici antiqui; negant & recentiores Nouatores, ex diuersis principiis Ex Antiquis Nouatianus Affirmauit post Baptismum nullam lapsis dandam Pœnitentiam, nec pro eorum reparatione dari aliquod Sacramentum. Alij autem Hæretici apud S. Aug. libro de Pœnitentia, Affirmarunt esse quidem vtilem Pœnitentiam post Baptismum, sed non posse dari nisi semel. Verè non agnoscebant Sacramentum Pœnitentiæ, quale nunc habemus, cùm multoties iteretur. At verò Hæretici nostri temporis, non ex difficultate veniæ in lapsis post Baptismum, negant Sacramentum Pœnitentiæ, sed ex nimia facilitate; Quia non putant esse necessariam peccatorum confessionem ad eorum remissionem; sed solam fidem sufficere affirmant, qua quis credit sibi peccata esse remissa. Verè asserunt Pœnitentiam solùm ea ratione esse Sacramentum, quatenus Baptismus in memoriam reuocatus cum fide remissionis peccatorum, sufficit ad peccata delenda.

Certa nihilominus & de fide est nostra conclusio; scilicet dari vnum ex septem Sacramentis à reliquis distinctum, quod Pœnitentia appellatur. Quæ conclusio, quantum ad Catholicos, facilis probationis est, cùm sit definita in Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere; & sess. 14. can. 1. Et in Concilio Florentino in Decreto pro Armenis; & cap. Ad abolendam de Hæreticis. Quoad Hæreticos autem, qui definitiones istas non admittunt, neque traditiones Ecclesiæ, sed nudum verbum Dei, difficilioris probationis est. Potest tamen probari quoad duo. Primò quoad hoc, quod Pœnitentia est pro lapsis post Baptismum; quod proponitur in Scriptura contra Nouatianos. Secundò quod aliquid distinctum à Baptismo ponitur pro Pœnitentia, & ritus distinctus ac ceremonia ad conferendam gratiam, & remittenda peccata, contra huius temporis Nouatores.

Primum quidem, ex variis locis Scripturæ, quibus & baptizatis datur Pœnitentia, & ad eam exhortantur: Nam Actuum 8. 22. dixit Petrus ad Simonem Magum, qui (vt ibi dicitur) iam crediderat, & baptizatus erat, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Item Act. 19. 18. *Multi credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.* Et 1. Cor. 5. 5 Paulus tradidit fornicarium Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus esset in die Domini; cui postea pepercit & indulsit. Et

Pœnitentia Sacramentum a Baptismo distinctum

A 2. Cor. 2. 6. *Sufficit*, inquit, *illi, qui huiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis, & consolemini.* Item 1. ad Cor. 11. 28. dicit, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat:* quam probationem perpetuò in Ecclesia intellectam esse de Pœnitentia, quæ fit per Sacramentum Confessionis, decreuit Concilium Tridentinum, sess. 13. cap. 7. Similiter Apoc. 3. 3. dicitur ad Angelum Ecclesiæ Sardis, *In mente habe qualiter acceperis & audieris: & serua, & pœnitentiam age.* Et tamen ille Angelus, seu Episcopus baptizatus erat; alioquin non esset Episcopus Ecclesiæ; ergo datur Pœnitentia post Sacramentum Baptismi.

B Secundum verò, scilicet quod Pœnitentia quæ baptizatis datur in Ecclesia sit distincta à Baptismo & ab eius memoria, probatur, Non quidem ex eo quod tantùm vnicus Baptismus est, vt fides docet; hoc enim non negant Hæretici; neque enim ipsi docent Baptismum iterandum esse à peccantibus, postquam illud receperunt; sed dicunt Baptismum illum memoria repetitum, non re, cum fide remissionis peccatorum, esse Pœnitentiam. Probandum est ergo esse diuersum Sacramentum, & in ritu, & in ceremonia exteriori, ex aliis Scripturæ locis. Probatur ergo ex illo Ioan. 20. 22. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Matth. 16. 19. *Et tibi dabo clauis regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Et Matth. 18. 18. *Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo*, &c. Ex quibus testimoniis fit Argumentum, Remissio peccatorum promittitur & proponitur hic mediante potestate iudiciali & clauibus, quibus peccata possunt retineri aut solui; hoc autem non potest exerceri sola memoria Baptismi, & fide remissionis, sed iudicio & manifestatione peccatorum facta Sacerdotibus; nec potest exerceri supra non baptizatos, sed supra fideles, ergo Pœnitentia pro baptizatis est distinctus ritus à Sacramento Baptismi, & aliis. Maior constat ex locis allatis Scripturæ; Minor probatur, Quia memoria Baptismi cum fide remissionis, nihil importat de iudicio & potestate clauium, quæ possit soluere aut retinere; hoc enim fieri non potest nisi cum cognitione causæ, & iurisdictione iudicis legitimi, qui pro meritis causæ aut retineat, aut soluat; Nemo autem in sua causa potest esse iudex, vt seipsum soluat aut retineat, vel seipsum condemnet, ergo non potest absolutio, aut retentio peccatorum consistere in sola memoria Baptismi cum fide remissionis.

Pœnitentia, aliud quàm Baptismus memoria repetitus.

C D E Confirmatur, Quia in potestate Clauium, & in Spiritu sancto Apostolis dato, designatur actus; scilicet soluendi & retinendi peccata; non sua, sed aliorum. Dicit enim, *Quorum remiseritis, remittuntur: quorum retinueritis, retenta sunt. Quodcumque solueris super terram, & quæcumque ligaueritis*, &c. vbi ly *quorum & quodcumque*, non propria, sed aliorum peccata designat. Licèt autem per Baptismum & alia Sacramenta detur gratia & remissio peccatorum; tamen retentio non potest cadere nisi super peccata manifestata & dicta; alioquin indiscretè procederet Sacerdos aut Minister, si sine manifestatione culparum, illud retineret, & nollet impertiri remissionem, seu Sacramentum ipsum remissiuum impendere. Et

multo minus potest ista retentio peccatorum alienorum fieri per memoriam Baptismi & per fidem remissionis; quia licèt ista memoria teneat se ex parte Ministri, sicut ex parte habentis potestatem Clauium, vel ex parte ipsius peccatoris, non tamen perficit Sacramentum: Nam ex parte Ministri, memoria Baptismi, neque sui, neque alterius, quidquam operatur erga alterum, magis quàm memoria alterius Sacramenti, vel alterius actus ad iustificationem ordinati; Neque apparet quomodo per talem memoriam & fidem de remissione peccatorum fieri potest retentio illorum, non exercendo actum aliquem iurisdictionis externæ circa ea peccata, quæ retinentur; ergo sola memoria Baptismi cum fide resurrectionis Christi non potest instituere absolutionem istam, vel retentionem peccatorum, neque potestatem explicate in soluendo & ligando quæcumque ligari, vel solui possunt super terram.

Conuenientia autem instituendi hoc Sacramentum tanquam à reliquis distinctum, pro Fidelibus baptizatis, deducitur ex duabus rationibus, quas proponit D. Thomas hîc articulo 1. tum in Argumento *Sed contra*, tum in corpore articuli. In Argumento *Sed contra* ratio ad hanc formā reducitur; Non minus debuit prouideri peccatis Fidelium, ne post Baptismum peccantes sine remedio manerent, & in desperationem inciderent, quàm peccatis Gentilium & Infidelium, vt tolli possint per Baptismum. Vnde & Actuum 8. 22. dicit Petrus Simoni jam baptizato, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*: Si ergo pro Infidelibus instituit Christus Dominus Sacramentum remissiuum peccatorum, tam originalis quàm actualis, quod est Baptismus; conuenientissimum etiam fuit pro lapsis post Baptismum, Sacramentum aliud instituere, in quo peccata ipsa remitterentur. Quod verò hæc remissio fiat in baptizatis per nouum ac distinctum Sacramentum, patet, Quia Sacramentum Baptismi non potest iterari, ergo oportuit aliud Sacramentum institui. Neque sufficit memoria Baptismi, quia hæc est aliquid internum & inuisibile; Sacramentum autem visibile signum esse debet.

Congruentiæ S. Thomæ.

Secunda congruentia est in corpore articuli, ad explicandam naturam huius Sacramenti, & formatur in hunc modum. Sacramentum consistit in aliqua significatione rei sacræ, siue eius quod sanctè accipiendum est; sed in Pœnitentia significatur aliquod sanctum, tam ex parte Pœnitentis, quàm ex parte Sacerdotis absoluentis; ergo Pœnitentia, quæ in Ecclesia agitur, est Sacramentum. Minor probatur, Quia actus Pœnitentis, quibus dolorem suum significat, & peccatum suum confitetur, cor eius significant à peccato recessisse; actus autem Sacerdotis significant per id quod ipse agit & dicitur, Deum remittere peccata; ergo actus ex parte Pœnitentis & Sacerdotis absoluentis aliquod sanctum significant, prout sanctum, seu prout sanctificans nos (scilicet remissionem peccatorum) & hoc est esse Sacramentum.

Soluuntur Argumenta.

Obiicies contra dicta, & 1. contra rationem Diui Thomæ, quæ inconuenienter probat ex significatione istorum actuum significationem sacramentalem; Nam quod actus Pœnitentis ostendant Pœnitentem habere dolorem, est ex sua naturali significatione. Vel si id verbis significetur, erit

A ex institutione Reipublicæ; significatio autem sacramentalis est ex peculiari institutione Christi vt Authoris gratiæ, ergo inconuenienter probat D. Thomas ex significatione actuum Pœnitentis & Absoluentis, rationem Sacramenti; quia supponit quod est probandum. Vnde enim constat has res sic significantes remissionem peccati esse ex Christi institutione? Hoc enim negant Hæretici; Nempe quod Sacerdotis absolutio requiratur ad significandam Dei acceptationem. Deinde instatur eadem ratio, Quia probatio illa applicari potest cuicumque cæremoniæ, seu actioni quæ versatur circa rem sacram, quam significat. Neque ta-

B men inde probatur esse Sacramentum, ergo neque hîc. Major probatur, Nam in sacrificiis, in decimis & primitiis soluendis, & in aliis pertinentibus ad Dei cultum, per actum externum ostendit homo cultum & venerationem suam & animum erga Deum; & similiter in actu externo charitatis ostendit amorem suum erga Deum; & Sacerdos acceptans decimas & primitias, & sacrificia offerens, ostendit ea placere Deo, ab eoque acceptari; ergo illæ actiones erunt Sacramenta; consequentia autem non valet, ergo neque ea quam conficit D. Thomas.

Secundò obiicies contra rationem, qua probamus ex sacra Scriptura contra Hæreticos hanc veritatē;

C Quia vel ista probatio nititur solis testimoniis Scripturæ ad conuincendos Hæreticos; vel etiam intelligentia & traditionibus Ecclesiæ; si hoc secundum, nihil conuincimus contra Hæreticos, quia isti non admittunt Ecclesiæ auctoritatem in his veritatibus tradendis; si primum, non conuincunt testimonia Scripturæ; quia potestas illa clauium, solutio ac retentio, seu ligatio est communis ad absolutionem & retentionem censurarum & peccatorum, ergo non est de ratione constitutiua Sacramenti. Antecedens est certum, cùm potestas clauium etiam ad forum iudiciale se extendat, & in illo ligare possit & soluere. Consequentia verò probatur, Quia Sacramentum petit specialem materiam & formam, ac significatio-

D nem rei sacræ vt sanctificantis nos; ergo non potest tradi illis verbis speciale Sacramentum, quibus generalis potestas traditur, non solùm ad remissionem peccatorum, sed etiam ad causas externas & forenses, in quibus non potest Sacramenti ratio consistere & tradi, quæ est potestas ad rem sacram prout sanctificantem nos.

Item illa verba, *Quorum remiseritis peccata*, &c. non explicant specialem formam, aut modum Sacramenti, vel eius materiam determinarè; verbi gratia, Confessionem, seu manifestationem peccatorum; hanc enim non exprimunt: poterunt ergo intelligi etiam illa de remissione & retentione pœnarum; Ministrare & non ministrare Sacramentā, quibus fiat remissio peccatorum, vt est

E Baptismus, Eucharistia, & reliqua. Si enim hæc ministrantur, remittuntur peccata; si non ministrantur, sed suspenduntur, peccata non remittuntur, sed retinentur. Cùm ergo hoc pertineat ad ministerium generale omnium Sacramentorum, & sufficienter possint ita intelligi prædicta verba, non bene probamus loqui Scripturam in illo testimonio de speciali quodam Sacramento, quod in Confessione & Absolutione consistit. Itaque hæc est difficultas, Vnde probemus ibi loqui Christum de speciali Sacramento, non de generali administratione aliorum Sacramentorum & prædicationis Euangelij, ex quibus excitetur fides in nobis.

Et hoc vrgent Caluinus & alij Hæretici. Denique faciunt vim in hoc, quod Baptismus operatur remissionem peccatorum excitando fidem, ergo & Pœnitentiam. Ad hoc autem sufficit memoria Baptismi suscepti; per hoc enim excitatur rursus in nobis fides remissiua peccatorum, ergo non requiritur speciale Sacramentum.

Vindicatur ratio sancti Thomæ.

Respondetur ad primum, D. Thomam sine dubio loqui de significatione ex institutione Christi, cùm expresse loquatur de Pœnitentia, quæ in Ecclesia fit. Et in maiori apponit illa verba, *Sacramentum consistit in aliqua significatione rei sacræ:* hæc enim significatio sacramentalis esse non potest ex natura rei, sed ex diuina institutione; Deinde subdit, Quod in Pœnitentia concurrunt actus Pœnitentis & actus Sacerdotis vice Dei; & quod illi significant recessum Pœnitentis à peccatis, isti ipsam remissionem ex parte Dei; quæ significationes non possunt esse nisi ex institutione, Quia Sacerdotis actus non potest hìc adhiberi nisi ex institutione Christi, non ex natura rei. Loquitur ergo D. Thomas de sacramentali significatione, quæ est ex diuina institutione. Ad instantiam ergo (scilicet quod supponit probandum, hanc scilicet dari institutionem) Respondeo non supponere, Quia hæc ratio D. Thomæ non est ad probandum quod Christus hoc instituerit, seu ipsum, An est; huius institutionis; sed supponendo institutionem quoad An est, solùm ostendit ei conuenire definitionem Sacramenti, quod est explicare quidditatem Sacramenti Pœnitentiæ, non ipsum An est talis Sacramenti & eius institutionem. Quod autem hanc materiam & hanc formam & hos Ministros Christus instituerit, & quod ex ipsa institutione habeat efficaciam Sacramentum Pœnitentiæ, probat D. Thomas infra articul. 7. vbi ostendit institutionem huius Sacramenti factam esse à Christo, & quomodo ex eius institutione determinata sit materia & forma, vt habeat vim & efficaciam Sacramenti. Et sic ratio D. Thomæ stat inconcussa, ostendens definitionem Sacramenti conuenire illi ritui; quia tunc solùm explicabat quidditatem & naturam; Nempe quod sit Sacramentum; supponebat verò ibi institutionem factam à Christo, vt ritus iste Sacramentum esset; quia illud probandum erat infra, cùm non pertineret ad quidditatem, de qua sola in hoc articulo loquebatur, sed ad ipsum An est talis institutionis. Ad aliam verò probationem, dicimus, In aliis actibus exterioris cultus posse interuenire illam significationem talium actuum, quos ibi numerauimus; sed non significationem rei sanctificantis nos prout talis, quod requiritur ad Sacramentum; licèt reperiri possit significatio alterius rei sacræ, pertinentis ad diuinum cultum.

Ratio S. Thomæ, congruentia seu declaratio; supponens institutionem.

Ad secundam obiectionem, Respondetur, Nunquam excludendam esse traditionem Ecclesiæ, quæ maximam vim habet ad intelligentiam sacræ Scripturæ. Ipsa enim obseruantia & antiquissima consuetudo in quacumque Republica, est quæ maximè ostendit quomodo in tali Republica accepta sit legum intelligentia, & modus earum legum, quibus disponitur & gubernatur. Constat autem perpetua Ecclesiæ traditione, sic intellectam esse Scripturam, vt Pœnitentia specialis Sacramenti rationem haberet; neque eodem modo & ministerio peragitur sicut Baptismus, sed ministerio Sacerdotum, & confessione Pœnitentis. De quo videri possunt Tertullianus, lib. de Pœnit. Ambr.

A lib. 1. de Pœnit. cap 6. & lib. 2. c. 25. Chrysost. hom. 3. de Sacerdotio. Hieron. Dialog. 2. contra Pelagium. August. lib. 1. de Adulter. coniug. cap. vltimo, & lib. 2. cap. 6. Cyrillus, lib. 12. in Ioan. cap. 36. & Alij veteres passim, quotquot Pœnitentiam vocant *Secundam tabulam post naufragium*. Addimus etiam, Probasse nos contra Hæreticos non admittentes Ecclesiæ traditiones, ex ipsa proprietate Scripturæ, vt vidimus.

Et ad impugnationem dicitur, Quod illa potestas clauium extenditur ad omnem absolutionem & ligationem; tam pro peccatis quam pro censuris; sed pro capacitate quâ peccata soluit & ligat, Sacra-
B mentum constituit, quia gratiam causare potest, dum causat remissionem peccati. Alio modo etiam causat quàm Baptismus, quia peccata ligare potest, quod Baptismus non facit; quia non procedit Baptismus in vi potestatis clauium, & per modum iudicij, sicut procedit Pœnitentia. Et cùm dicitur, Quod Sacramentum traditur per specialem materiam & formam, & significationem gratiæ. Respondetur, Hoc ipso quod traditur per modum iudicij & absolutionis, tradi per specialem materiam & formam (scilicet per illam quæ absolutiua est) & consequenter supponit cognitionem causæ & peccatorum; quæ vtique haberi non potest nisi ex confessione rei, seu ipsius Pœ-
C nitentis; cùm debeat esse voluntaria, siue spontanea confessio; aliàs non posset ordinari ad remissionem peccati: quia hæc fieri non potest nisi voluntate mutata, & recognoscente suum peccatum, iuxta illud Psal. 50. 11. & 5. *Dele iniquitatem meam: quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Et iuxta illud Psal. 31. 5. *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*

Ad instantiam contra testimonium ex cap. 20. Ioannis. Respondeo, Quod licèt ibi non exprimatur materia huius Sacramenti nomine Confessionis, æquiualenter tamen proponitur, dum Dominus loquitur de peccatis expositis ordina-
D tioni remittentis, vel retinentis peccata; cùm hic ordo remittendi ac retinendi nequaquam exerceri possit, nisi manifestato delicto, & confessione ipsius delinquentis, quia debet esse voluntaria & libera confessio, non coacta, & per alios comprobata; ergo in ipsa peccatorum exhibitione per subiectionem ad retinendum & remittendum, implicitè & æquiualenter explicatur materia huius Sacramenti, quæ consistit in actibus Pœnitentis, quibus sua peccata subijcit retentioni & remissioni, quod sine confessione stare non potest. Ecce materiam. Forma autem significatur per ipsum remittere cum potestate retinendi, quod vtique est Absolutio per modum iudicij, quia vbi fit absolutio seu remissio cum potestate condem-
E nandi, seu retinendi; talis absolutio procul dubio iudicialis est; quia potestatem habet retinendi, & non tantùm remittendi; quod in alio loco per Claues explicatur, quæ potestas significat iudicium ad introducendum & expellendum à Regno cœlorum. Quare non possunt illa verba intelligi de administratione aliorum Sacramentorum, vel retentione eorum, aut de potestate prædicandi Verbum Dei; quia hæc omnia non fiunt cum iudicio & cognitione causæ, exponendo ipsa merita & demerita, sine quo retineri non possunt delicta aut absolui. Verba autẽ Domini loquuntur non de retentione aut administratione Sacramentorum, sed de retentione & de remissione ipsorum peccatorum.

Ioannis locus, de Sacramento Pœnitentiæ vindicatus.

peccatorum. Non possunt autem delicta retineri & absolui, absque cognitione eorum, & sic exigunt confessionem peccatorum; quia solùm per confessionem ab ipso rei factam possunt peccata notificari. Hoc autem non contingit in aliis Sacramentis, quæ perfici non possunt tali peccatorum cognitione & confessione, neque per prædicationem Euangelij, nec per memoriam Baptismi; quia hæc neque conducunt ad cognitionem causæ, ob quam remitti possunt peccata aut retineri, neque ad ipsam remissionem vel retentionem peccatorum; ergo frustra de illis intelliguntur, in sensu plano & vero ipsius literæ.

Et sic manet responsum ad instantiam, quæ exposcit, vnde probemus Christum loqui de speciali Sacramento, non de generali omnium administratione. Dicimus enim id constare ex ipsa litera Scripturæ; Quia Christus dedit potestatem ibi super ipsa delicta & hominum peccata, ad retinenda illa vel soluenda; non possunt autem retineri & remitti, nisi præmissa cognitione causæ; Remittere autem peccata cum cognitione causæ & potestate retinendi aut absoluendi, est specialis modus collatiuus gratiæ, & remissionis culpæ, & significandi illam sensibilibus actibus iudicij & confessionis ipsius rei; ergo est speciale Sacramentum. Ad id verò quod dicitur de excitatione ad fidem per Baptismum, Respondetur, Excitationem fidei non sufficere sine aliis dispositionibus præparatiuis ad gratiam, quæ requiruntur ad iustificationem, & absque participatione Passionis & Sanguinis Christi, quæ fit per Sacramenta; specialiter per Pœnitentiam.

Instant Hæretici, generali illa promissione facta à Christo pro Baptismo, Marci vltimo 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et Apostolus ad Ephes. 5. 26. habet, *Christum mundare Ecclesiam lauacro aquæ, in verbo vitæ:* ergo omnis iustificatio fit ratione Baptismatis; ergo etiam qui iustificatur post Baptisma, per memoriam illius rursus excitabitur ad fidem, & reparabitur à peccato. Vnde Aug. lib. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 33. locum citatum Apostoli explicat sic, *Quod lauacro regenerationis non tantùm peccata præterita, sed etiam posterius admissa remittuntur:* ergo operatur memoria Baptismi ad remissionem peccati. Et sanctus Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 30. vocat Baptismum Sacramentum fidei & Pœnitentiæ, iuxta quod in Euangelio scribitur de Ioanne, Luc. 3. 3. *Quod venit prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Denique suffragatur Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. circa finem, vbi docet, locum istum exponens, Discipulos Christi duobus modis peccata remittere, primò per Baptismum; secundò per Pœnitentiam. *Nam aut credentes, & vitæ sanctimonia probatos homines ad Baptismum inducunt, ac deinde indignos diligenter expellunt: aut Ecclesiæ filijs, peccantibus quidem increpationem adhibent; pœnitentibus autem, indulgent:* ergo ille locus iuxta Cyrillum de Sacramento Baptismi loquitur.

Respondetur, Promissionem Christi pro Baptismo factam esse, quantum ad primam hominis regenerationem & iustificationem, ac aggregationem ad Ecclesiam, non de ea sanctificatione quæ fit in lapsis post Baptismum; hoc enim docet Apostolus ad Hebræos 6. 4. dum ait, *Impossibile esse rursus renouari ad Pœnitentiam:* id est rursus ipsa renouatione Baptismi sanctificari, vt exponit Diu. Thomas lect. 1. vbi refert Nouatum Caput Nouatianorum, quem expugnat; atque adeò memoriam Baptismi hîc excludit, quæ omnino impertinenter se habet ad reparationem post lapsum, cùm nihil in Scriptura positum sit de memoria Baptismi post lapsum. Vnde ergo id colligunt Hæretici, qui tantopere in Scripturis gloriantur? Nam assignent nobis locum, quo promittitur reparatio peccatorum per memoriam Baptismi. Quod enim per iterationem Baptismi non possint peccata remitti, ipsi etiam fatentur, cùm constet vnum tantùm esse Baptismum. Apostolus etiam dum dicit, *Mundari Ecclesiam lauacro aquæ*, de prima mundatione loquitur, non de secunda reparatione; neque ibi quidquam loquitur de memoria Baptismi. Diuus autem August. tribuit Baptismo, non solùm præterita, sed etiam post eius susceptionem admissa peccata tollere, non proximè, sed remotè & radicaliter, quatenus per Baptismum capaces reddimur Sacramenti Pœnitentiæ recipiendæ, si peccauerimus. Et hoc in eo testimonio assignat Augustinus, subiungens, *Quod non prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur: vel postea, nisi præcesserit.* Vnde in Epist. 23. inquit August. *Si paruulus baptizatus grandæuus factus propria inceperit habere peccata, per quam gratiam remittentur? Non regeneratione, sed alia curatione resarciri posse.* Diuus Fulgentius loquitur de Pœnitentia, quæ agi debet ante Baptismum, quæ est dispositio ad illum; in se autem non est Sacramentum; Nos verò loquimur de Pœnitentia post Baptismum. Sanctus Cyrillus expressè distinguit duos modos religionis, alterum per Baptismum, alterum per Pœnitentiam; Et licèt Christus Dominus in illo testimonio dederit Apostolis Spiritum sanctum pro remissione facienda per Pœnitentiam, voluit tamen Cyrillus omnes modos numerare, quibus Apostolis concedebatur facere remissionem; non tamen intendit hinc negare quod per Sacramentum Pœnitentiæ fit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quo tempore Christus Dominus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ?

OMni tempore fuisse Sacramentum Pœnitentiæ, & in omni statu testatur D. Thomas in 4. dist. 22. quæst. 2. art 3. quæst. 2. scilicet in Lege Naturæ, Veteri ac in Lege Gratiæ, in remedium peccati actualis præteriti. Et rationem reddit; Nam omni tempore, statu ac lege fuere plura Sacramenta in remedium peccati, ne deficeret medicina contra morbum. Et ideo omni tempore oportebat contra peccatum originale medicinam esse; ita & contra peccata actualia indiguit homo Sacramento Pœnitentiæ in remedium quotidiani morbi. Et in hoc conuenit vniuersa Theologorum corona: Idque etiam intendit Glossa, *de Pœnitentia* dist. 4. dum asserit, Sacramentum institutum à Deo Genes. 3. & 4. vbi expostulat Deus ab Adam & Eua confessionem criminis perpetrati. Id etiam intendit Vbaldensis tomo 2. de Sacramentis cap. 135. & sequentibus, dum habet institutum fuisse in Lege Veteri, Leuitici 26. 39. vbi habetur, *Propter peccata Patrum suorum affligentur, donec confiteantur iniquitates suas.* Et

Pœnitentiæ Sacramentum, in omni statu & lege, post peccatum.

Psal. 31. 5. *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et Marc. 1. 5. Iudæi accedebant ad Baptismum Ioannis, *confitentes peccata sua.* In hoc ergo omnes consentiunt. Discrimen verò Sacramenti Pœnitentiæ in his statibus, perspicuum est, cùm in Lege Noua præcellat ex Authore, & ex gratia quam confert, & ex modo conferendi; In aliis namque statibus deficit maximè à perfectione, qua eminet in Lege Euangelica. Et hoc solùm intendit Mag. Soto in 4. distinct. 11. quæst. 2. art. 3. & dist. 14. quæst. 1. art. 7. vbi asserit, In Lege Naturæ & in Lege Scripta non fuisse Sacramentum Pœnitentiæ; id est, eiusdem Speciei atomæ cum Pœnitentia Legis Gratiæ; quod est verum, cùm specie subalterna differat Sacramentum Pœnitentiæ nostrum, à Pœnitentia Legis Naturæ & Veteris Legis.

Pœnitentia Nouæ Legis præstantior, nec eiusdē speciei atomæ.

A

Cuius rationem perpulchrè attigit D. Thomas hîc art. 7. ad 1. & 2. & in 4. loco citato; Nam variato aliquo quod est essentia rei, res transit ad aliam essentiam; cùm essentiæ rerum in indiuisibili consistant, & sint sicut numeri. Modus autem in Pœnitentiæ Sacramento Nouæ Legis, & in eo obseruatus tanquam quid essentiale conueniens, vtpotè ex Christi instituto, in eo consistit, Quod Pœnitens conteratur cum proposito confitendi in speciali sua peccata, & satisfaciendi pro eis; & hoc coram Sacerdote habente potestatem clauium; ligandi scilicet ac soluendi ad arbitrium suum, cui etiam subijcitur satisfactio. Pœnitentia autem Legis Naturæ ab his cadit, quia in ea nihil erat determinatum, sed vnusquisque quod sibi ad illum finem conueniens iudicabat, id faciebat. Vnde teste Hugone lib. de Sacramentis, p. 11. cap. 3. *Omnia Sacramenta Legis Naturæ voto celebrantur, siue beneplacito celebrantis.* Pœnitentia etiam Legis Veteris cadit à Pœnitentia nostra, quia contritio non ordinabatur ad confessionem & satisfactionem, nec confessio fiebat habenti potestatem clauium, nec satisfactio subdebatur arbitrio Sacerdotis; & consequenter Sacramentum Pœnitentiæ non sumpsit originem vsque ad aduentum Christi.

Pœnitentia Nouæ Legis in quo posita.

Pœnitentia Legis Naturæ & Veteris.

Inquires, Cur Sacramentum Pœnitentiæ non sumpserit originem à Lege Naturæ aut Veteri, & ante Legem Gratiæ? Respondetur, Quod nulla à priori potest assignari ratio, nisi voluntas Christi, quæ est adæquata ratio, à qua desumitur essentia omnium Sacramentorum; materia ac forma, ac reliquæ circunstantiæ temporis, &c. Ratio enim signi ad placitum, ex mera constituentis voluntate adæquatè desumitur. Nihilominus supposita institutione adaptari potest congruentia cum graui fundamento, quæ stat in eo, quod efficacia Sacramentorum fluit ex plenitudine redundantis Passionis (& loquor de Sacramentis Nouæ Legis) & meritorum Christi, ante cuius aduentum omnia Sacramenta erant vacua, elementa infirma & egena, vt restatur Apostolus ad Galat. 4. 9. Et ita ante aduentum Christi non debuerunt Sacramenta vbertate gratiæ plena esse; sufficiebat quod præstarentur in vmbra & figura veritatis, immediatè exequendæ post Christum. Ex ordine etiam quem seruauit ipse, constat; Nam Pœnitentiæ Sacramentum ordinatur ad delenda peccata post Baptismum commissa, & consequenter supponere debet Baptismi institutionem, quæ nullatenus fuit ante Christi aduentum.

Sacramenti Pœnitētiç origo in Lege Gratiæ.

His suppositis, solùm restat in præsenti duo resoluere. Primum est, Quis sit Author & institutor huius Sacramenti post aduentum Christi; Secundò, Quo tempore celebrata sit eius institutio. Circa primum Hæretici nostri temporis absolutè negant Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuisse à Christo Domino. Petrus quidem Oxomensis Salmanticæ primarius Professor, Efficaciam remittendi peccata, quæ est in hoc Sacramento, non ex Christi institutione, sed ex naturali iure & virtute propria prouenire. Erasmus, quem refert Petrus de Soto lect. 3. de Confessione, Affirmat hoc Sacramentum institutum esse ab Ecclesia vel ab Apostolis, quam sententiam sequitur S. Bonauentura in 4. dist. 17. p. 2. art. 1. quæst. 3. quatenus ait Pœnitentiam tantum fuisse insinuatam à Christo Domino; ab Ecclesia & Apostolis institutam, & à Iacobo promulgatam; cui subscribit Marsil. in 4. quæst. 2. art. 2.

Sacramenti Pœnitentiæ institutio ab Ecclesia & Apostolis, opinio.

B

Cuius sententiæ fundamentum est, Quia in Lege Gratiæ non fit expressa mentio Confessionis sacramentalis, nisi illis verbis Iacobi 5. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra*; nec Christus vsus est potestate clauium, quod manifestum est indicium non fuisse tunc Sacramentum institutum, cùm Christus Sacramentis omnibus institutis sit vsus, quæ non afferunt repugnantiam aut indecentiam; vtpote in Eucharistia, qua seipsum cibauit in Cœna, & in Sacramento Ordinis, quod administrauit ordinando Apostolos in Sacerdotes; Nullam autem repugnantiam aut indecentiam inuoluit administratio Pœnitentiæ; imo excellentiam præ se fert maximam, scilicet omnipotentiam, quæ in remissione peccatorum fulget, prout fit Sacramento Pœnitentiæ.

C

Nihilominus dico 1. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est à Christo Domino immediatè. Ab hac conclusione nemo recedere potest salua fide, cùm expressè definiatur in Trident. generaliter quidem sess. 7. can. 1. in quo anathematizatur qui dixerit *Sacramenta Nouæ Legis non fuisse à Christo Domino instituta*: & specialiter de Sacramento Pœnitentiæ sess. 17. cap. 1. & can. 1. definitum sit, *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, Anathema sit.* Idem dicitur in Bulla Sixti IV. qua approbat acta Congregationis Complutensis, & sententiam contra Petrum Oxomensem, quæ habetur immediatè ante Concilium Lateranense in Summa Conciliorum; non autem diceretur Christus institutor huius Sacramenti per solam insinuationem aut consilium, vel tacitam voluntatem; neque esset institutor absolutè; si Ecclesia immediatè illud instituisset. Ideo enim Christus non est institutor rituum & ceremoniarum Ecclesiæ, etiamsi ab eo deriuetur ad Ecclesiam potestas condendi leges, instituendi ritus & ceremonias, vt testatur Concilium Tridentinum citato can. 13. appellans ea omnia ritus & ceremonias Ecclesiæ, non Christi, cum contraponat eis quæ habent esse ex Christi institutione. Et sess. 21. cap. 2. determinat posse Ecclesiam mutare ritus Sacramentorum, non substantiam. Vnde sentit Concilium, substantiam Sacramentorum (vtpote à Christo immediatè institutam) ab ipso solo pendere. Ex quibus constat Christum immediatè instituere hoc Sacramentum; id enim intendit Trident. definire, quod negabant Hæretici; Christum scilicet non immediatè instituisse Pœnitentiæ Sacramentum.

Certum de fide institutū à Christo Sacramentum Pœnitentiæ.

D

E

Ratione etiam fulcitur nostra conclusio; Nam

ad eum spectat instituere Sacramentum, apud quem residet potestas excellentiæ ad fundandam Ecclesiam supra tales bases & fundamenta, & ad fulciendum munimine necessario ad salutem Fidelium; Vnde & instituit Christus Baptismum contra originale, & reliqua peccata ante ipsius susceptionem commissa; ergo post ingressum ad Ecclesiam post Baptisma, ad fundatorem spectat superaddere Pœnitentiam, in cuius institutione splendet potestatis excellentia, vtpote peccatorum remissiua. Item, Quia humanitas Christi est instrumentum excellentiæ physicum remissionis peccatorum, & causa principalis moralis meritoria ac satisfactoria, ergo non debuit committere Ecclesiæ (etiamsi posset) institutionem Pœnitentiæ, in qua specialiter viget omnipotentia instrumenti physici, & excellentia causæ principalis meritoriæ & satisfactoriæ.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ, Respondetur, Non solùm in testimonio Iacobi, sed alibi sæpius fieri mentionem huius Sacramenti in sacra Scriptura, vt constat ex testimoniis allatis art. præcedenti, & afferendis statim conclusione sequenti. Ad id quod obiicitur, Christum non vsum fuisse Sacramento Pœnitentiæ, Respondetur cum D. Thoma art. 7. ad 4. & in 4. dist. 22. citata, Quod aliud est instituere Sacramentum, aliud ministrare. Instituit ergo Christus Sacramenta, non tamen omnia administrauit, sed aliqua. Propter commendandum Sacramentum, in quo ipse est Sacerdos & hostia, vsus est Eucharistia; & ipse ordinauit Apostolos propter eundem finem, cùm eis conferat potestatem supra suum Corpus verum. Deinde potestatem tribuit administrandi omnia Sacramenta; vnde non fuit necesse ipsum administrasse Baptismum & Pœnitentiam, & reliqua, quæ non constat administrasse; quia non deerant Ministri qui administrarent; & quia Auctor Sacramentorũ non ligabatur instrumentis à se institutis ad conferendum eorum effectus. Cùm enim non haberet peccatum, non potuit pœnitere; & quoad alios non administrauit Pœnitentiam, vt ostenderetur Sacramentorum Dominus, qui absque sacramentalibus effectus præbebat Sacramentorum.

Quantum ad secundum, scilicet quoad determinatum tempus in quo celebrata fuit Sacramenti huius institutio, non conueniunt Catholici; Nam Armacanus lib. 11. de quæstionibus Armenorum cap. 14. & 15. ait fuisse institutum Matth. 12. & Luc 6. dum Christus misit Apostolos prædicare Euangelium; ne diminuta potestate incederent. Auctor de Operibus Cardin. apud Cyprianum, Sermone de Ablutione pedum, insinuat fuisse institutum in nocte Cœnæ. Alij existimant fuisse institutum dum præcipitur à Christo Matthæi 4. 17. Alij quando declaratur medium necessarium ad salutem Luc. 13. 5. *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* D. Thomas subindicat hîc, & in 4. distinct. 22 citata. Institutum fuisse per partes; Nam Math. 4. instituitur materiæ vtilitas; Lucæ 13. necessitas; Matthæi 16. potestas clauium; & eadem instituitur Matthæi 18. & Ioannis 20. Modus tamen instituitur Iacobi 5. iam allato: Sed post defensionem Trident. nulli iam licet opinari in hac re.

Tempus institutionis variè variis assignatum.

Dico secundò, Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit à Christo post resurrectionem, in illis verbis Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* Hæc conclusio expressè definitur in Trident. sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 3. sic definit. *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus insufflauit in discipulos suos, dicens, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* Ratio conclusionis est, Nam hoc Sacramentum tunc verè instituitur, & non antea, cùm erigitur tribunal iudicij pœnitentialis, & consequenter cùm iudicibus tribuitur iudiciaria potestas, id est, absolutiua & retentiua virtute clauium, vt iuxta merita delinquentis liget aut soluat; Nam etiam si detur causa vt cognoscantur delinquentium peccata, nequit ferri sententia deficiente potestate iudiciaria; vnde tunc verè erigitur tribunal, cùm à superiori tribuitur potestas ad cognoscendum causas delinquentium, & ad soluendum vel condemnandum iuxta merita; ergo cùm Sacramentum Pœnitentiæ sit spirituale iudicij tribunal, tunc verè instituitur, cùm Sacerdotibus confertur potestas clauium ad cognoscendum forum Animæ, & discernendas causas; & facta accusatione à Pœnitente, iuxta illius dispositionem & merita Sacerdos absoluat, aut condemnet; potestas verò clauium traditur Ioannis 20. verbis allegatis; ergo tunc instituitur Sacramentum Pœnitentiæ, & non antea.

Institutio Pœnitentiæ post resurrectionem.

Inquires causam dilationis in instituendo hoc Sacramentum post resurrectionem? Respondetur causam à priori esse voluntatem Christi instituentis Pœnitentiam quoad substantiam & circunstantias omnes. Aliqualis etiam assignari potest congruentia ex sancto Thoma supra quæst. 66. art. 2. quam affert de Baptismo; Quia scilicet potestas clauium conferenda erat Sacerdotibus, qui ordinati non fuere vsque ad vltimam Cœnam. Ideo autem tunc non fuit institutum, quia oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertio, & prædicari in nomine eius Pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, vt testatur sanctus Lucas citatus à sancto Thoma hîc art. 7. in argumento *sed contra.* Nam ex virtute nominis Iesu Christi patientis & resurgentis, habet Pœnitentia efficaciam remittendi peccata; Et propter mysterium designandum, Quia scilicet per Pœnitentiam resurgit homo à morte peccati, & ita resurgit, vt quantum est ex vi gratiæ sanantis & resuscitantis Animam, vt iterum non moriatur, sicut Christus, teste Apostolo Rom. 6. 9.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ, Respondetur sanctum Thomam ibi citatum concordasse omnia testimonia allata, quatenus docet Sacramentum Pœnitentiæ fuisse commendatum Matth. 9. eiusque vtilitatem, sicut & necessitatem declaratam Lucæ 13. Potestatem Apostolorum promissam Matth. 16. & 18. Nondum tamen adest institutio vsque ad resurrectionem, dum Ioan. 20. totaliter instituitur, cùm potestas clauium Apostolis confertur, ex qua recipit Sacramentum totam efficaciam, & originem virtutis in remissionem peccatorum.

Obijcies contra dicta, Nam potestas clauium collata fuit Apostolis ante Christi resurrectionem Matth. 18. 18. vbi eodem tenore verborum dicitur sic, *Amen dico vobis, Quæcumque alligaueritis super terram*, &c. In quo implet Christus quod Petro promiserat de futuro Matth. 16. 19. *Tibi dabo claues regni cælorum*: ergo tunc fuit peractum Sacramentum; & saltem tunc fuit in-

Argumenta probantia institutum Sacramentum Pœnitentiæ ante resurrectionem.

stitutum, cùm cessauit Vetus Lex. Oportebat A enim quod cessantibus legalibus, vtpotè vmbris & figuris, adueniret veritas Legis Gratiæ, quæ præcipuè constat ex Sacramentis. Lex autem vetus cessauit in morte Christi, id enim non obscurè indicant vltima Christi verba *Consummatum est*, Ioan. 19. 30. communiterque id censent Theologi cum sancto Thoma 1. 2. quæst. 103. ergo ante resurrectionem oportebat institui Pœnitentiæ Sacramentum, ne homines absque lege & absque remedio degerent; specialiterque cùm sit præparatorium ad Eucharistiam institutam in nocte Cœnæ, vt definit Trident. sess. 22.

Solutio. Respondetur, Quod in testimonio Matthæi B promittitur potestas clauium ad forum Animæ interius, nec fuit collata vsque ad aduentum Spiritus sancti, quem per insufflationem Apostolis tribuit Christus Dominus, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis*, &c. Nam vt expendit sanctus Thomas Ioan. 20. ante Pentecosten datus fuit Spiritus sanctus ad hunc effectum (scilicet remittendi peccata) licèt non communiter ad omnes effectus collatos in communi aduentu. Remissio enim peccatorum, cùm fiat media charitate, & Spiritus sanctus sit charitas, debuit aduenire ad tribuendam potestatem remittendi peccata. Et ideo cùm Matthæi 18. nondum venerit Spiritus sanctus, non fuisset conueniens institui hoc C Sacramentum de præsenti: tunc igitur tantùm promittitur de futuro, & confertur post resurrectionem. Sic communiter respondent Doctores.

Potestas forensis Ecclesiastica collata Matthæi 18. Vel secundò Respondetur, Quod si ibi tribuitur de præsenti potestas, vt sonant verba, tantùm est potestas iudicialis forensis & contentiosa, scilicet potestas ad separandos fideles contumaces per excommunicationem propter peccatum inobedientiæ à consortio Ecclesiæ, & ad puniendos rebelles pœnis & censuris Ecclesiasticis, vt ex contextu colligit sanctus Thomas Matthæi 18. in quo posito præcepto ordinis seruandi in correctione fraterna, addit Christus, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*: id est, separatus & excommunicatus, per sententiam excommunicationis latam ab Ecclesia. Vt autem appareat efficacia potestatis Ecclesiasticæ ad hanc pœnam exequendam & inferendam, immediatè subiungit Christus, *Amen dico vobis. Quæcumque alligaueritis super terram, &c.* Et subdit sanctus Thomas, *Sic dicitur alligare, quia non soluit, vel quia excommunicat.* Vnde habemus in illo testimonio non fieri sermonem de potestate clauium in foro interiori, sed de potestate ferendi sententiam in foro exteriori. Ad cessationem Legalium, & inceptionem Legis Gratiæ in morte Christi. Respondetur cum sancto Thoma 1. 2. quæst. 106. art. 3. Quod Lex Vetus cessauit consummata hominis redemptione per Christum, qua peracta incœpit Lex Noua; sed à morte Christi vsque ad Ascensionem tempus fuit moraliter quasi instans inceptionis ac desitionis vtriusque Legis, constans ex pluribus actionibus ordinatis ad eundem finem; vnde etiam non obligabatur aliquis ad vsum Baptismi iam instituti in baptismate Christi, nec peccabat vtens Circuncisione vsque ad præceptum Baptismi promulgatum Matthæi vltimo, 19. *Euntes baptizate eos*, &c. Itaque toto illo tempore omnia requisita ad firmandam Ecclesiam sunt præuisa. Et inter præcipua fuit Sacramentum Pœnitentiæ, quod institutum inuenitur Ioan. 20. & non antea.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quæ sit forma Sacramenti Pœnitentiæ, & quem sensum faciat?

IN Concilio Florentino in Decreto Eugenij, & in Trident. sess. 14. cap. 3. forma Sacramenti Pœnitentiæ præscribitur, quæ consistit in illis verbis, *Ego te absoluo*, &c. Ad istum ergo actum tria spectant determinanda. Primum, An sufficiat aliquid æquiualens verbis ad valorem Sacramenti, scilicet nutus, scriptura, aut alia signa quibus innotescat absolutio? Et, An possit Sacramentum perfici absque verbis? Secundum, An omnia verba, quæ à Sacerdote absoluente proferuntur, sint essentialia? &, An aliqua? & quæ illa sint? Tertium, Quem sensum faciant?

An Absolutio possit impendi sine verbis?

Circa primum, Medina Complutensis Codice de Confessione 9. de modo confitendi. Paludanus in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 2. num. 7. Petrus de Soto lect. 18. de Confessione, & Nauarrus in Summa cap. 21. num. 36. existimant formam præfatam sufficere ad valorem Sacramenti in aliquo casu, scripto missam ad pœnitentem. Fundamentum huius sententiæ est, Nam hoc Sacramentum institutum est per modum iudicij; ergo ad illud perficiendum sufficit ea apponere, quæ in foro iudiciali & forensi necessaria sunt, in quo sufficit sententia iudicis in scriptis apposita; Neque ex ratione Sacramenti excludit scripturam in forma, & aliis concomitantibus. Potest enim Sacerdos nutibus aut scripto imponere pœnitentiam sacramentalem, vt dum imponitur surdis & mutis, & absoluere à censuris, vt Aliqui satis probabiliter existimant. Similiter ex parte formæ, vt constat in Matrimonio, cuius forma (scilicet consensus coniugum) scriptura & nutibus facta sufficit ad valorem Sacramenti, vt determinat Florent. citatum, dum præcipit regulariter debere verbis perfici Matrimonium; vnde datur locus aliquando nutibus & scripturæ in supplementum vocum, ne surdi & absentes priuentur Sacramento Matrimonij. Confirmatur, Nam multi possunt comparere in foro Pœnitentiæ vt rei & pœnitentes, qui tamen nutibus solum ostendunt cor suum à peccatis recessisse. Immò quilibet potest interprete aut scriptura vti in præsentia Sacerdotis, & in absentia per internuntium & scripturam confiteri; ergo & Sacerdos potest nutibus præsentem absoluere, specialiter si absoluens sit mutus; & absentem absoluere poterit per literas, aut per internuntium.

Scripto valere absolutionem, vetus quorumdam opinio.

Sed his non obstantibus dicendum est, Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ necessariò exigitur externa prolatio & sensibilis illorum verborum, quæ spectant ad essentiam formæ. Hæc conclusio est communis, quam tradit sanctus Thomas hîc art. 3. Caietanus verbo Confess. 11. Expressèque definitur ab Eugenio in generali definitione omnium Sacramentorum; & in particulari Florent. definit sic, *Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm dicit, Ego te absoluo, &c.* Omnes autem isti termini, *verba, profert, dicit*, manifestè declarant

Forma necessaria & essentialis in verbis posita.

proprietatem locutionis humanæ. Neque addit A *regulariter* (vt in Sacramento Matrimonij) neque admittit supplementum loco vocis. Idem definit Trident. sess. 14. cap. 3. dum docet Formam huius Sacramenti consistere in illis Ministri verbis, *Ego te absoluo*, &c. nec dicit in illis *nutibus*, aut *scripturis*. Idem habetur in Concilio Coloniensi & Moguntino cap. 1. in fine. Ratio conclusionis desumitur ex institutione Christi adiuncta Ecclesiæ traditione, & vetusta Fidelium consuetudine, & praxi tot sæculis inuariata; & exemplo aliorum Sacramentorum, quorum forma verbis perficitur, quia absolutè forma verborum præscribitur. Illa enim nunquam perficiuntur nutibus, aut scripto, vt patet in Sacramento Baptismi & Ordinis. Et cùm possit baptizans & ordi- B nans, si sit mutus, formam illorum Sacramentorum scripto aut nutibus applicare; quia tamen traditio Ecclesiæ essentialiter exigit verba, nunquam illa Sacramenta absque verbis perfici possunt; ergo Pœnitentia valida non erit si forma illius verbis non exprimatur.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ Respondetur, Hoc Sacramentum institutum fuisse per modum iudicij, non tamen propterea obseruari debent omnes conditiones iudicij communis, in quo etiam non est idem reus & accusator, nec reo creditur contra se, & pro se, vt contingit in Sacramento & iudicio pœnitentiali. In aliis etiam iudiciis ex præcepto Legislatoris aliqua potest superaddi solemnitas, vt sententia ibi lata valida C sit & exequenda, vt quod detur in scriptis, quod non feratur diebus feriatis, &c. Sic etiam in sacramentali iudicio, præfigi potest ritus & forma ferendi sententiam ad eius valorem, sine quo Sacramentum non perficitur. Et istud est forma verbis expressa, quæ ab eius institutione à cunctis obseruatur. Ad id quod obiicitur de absolutione à censuris & pœnitentia in scriptis imposita, Respondetur, Transeat totum, quidquid sit de probabilitate absolutionis à censuris; Non enim illa sunt intrinseca Sacramento Pœnitentiæ, sed tantùm concomitantia, antecedenter & consequenter; ad Sacramentorum verò exigitur viua significatio ex Christi institutione perpetuò obseruata. D

Ad illud quod de forma Matrimonij obijcitur, Respondetur, Christum non instituisse contractum matrimonialem, sed iam præexistentem, ac sæpius celebratum, eleuasse ad hoc vt esset Sacramentum: Vnde id sufficit ad rationem Sacramenti, quod ad contractum, ad quem sufficit si quomodolibet innotescat contrahentibus Matrimonium mutuus consensus. Et sic sufficiunt nutus aut scriptura: At in Sacramento Pœnitentiæ, Sacerdos non profert verba vt à pœnitente audiatur, cùm plures sint surdi; nec absolutè requiritur vt eleuata voce verba proferantur, sed ita summissè ab aliquibus proferuntur, vt iux audiri possint, & nihilominus perficitur Sacramentum; & semper lingua Latina, quæ ab ignaris non percipitur. Solùm igitur proferuntur, vt ostendatur E Sacerdos Minister viuus Dei, qui vtitur ministerio sic instituto, sicque in perpetuum obseruato.

Confessio in absentia, reprobata per Clem. VIII.

Ad confirmationem Respondetur, Posse multos sua peccata nutibus explicare, & alios scripto posse, si aliter non possint confiteri; in præsentia tamen Sacerdotis: in absentia verò non licet per internuntium, nec per literas absenti Sacerdoti confiteri, neque absolutio per literas missa aliquem habet valorem, vt sub Anathemate decernit Clemens VIII. cuius meminit index librorum prohibitorum anno 1640. in regulis generalibus.

Quæ verba sint essentialia Formæ?

Verba antecedentia & subsequentia, absolutioni congrua, non necessaria.

Circa secundum, Quæ scilicet verba huius Sacramenti sint essentialia formæ, & ad valorem necessaria? Certum est apud omnes verba antecedentia, scilicet, *Misereatur tui*, &c. Et, *Dominus noster Iesus Christus te absoluat*, &c. non esse essentialia formæ, nec ad valorem Sacramenti necessaria. Similiter & illa verba, *Passio Domini nostri Iesu Christi*, &c. Quæ tamen omnia congruentissimè adduntur, vt testatur Trident. sess. 14. cap. 3. licèt Coloniense Concilium in Enchiridio, sub titulo de Sacramento Pœnitentiæ, ea verba inutilia reputet, immò & omittenda. Licet verò eorum omissio non sit mortalis, nec fortè venialis, quia est consuetudo consiliatiua & libera, vt tradit Nauarro de Pœnitentia disput. 6. cap. 1. num. 31. nihilominus vtiles ac congruentissimæ sunt illæ preces, tum ad exorandam antecedenter diuinam misericordiam, tum consequenter ad applicandam Christi satisfactionem nostris debilibus satisfactionibus.

Spectantia ad valorem formæ, variæ sententiæ.

His omissis, circa verba *Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, quæ à Conciliis assignantur pro forma huius Sacramenti, conueniunt omnes primò, in eo quod in omnibus verbis explicatur congruentissima forma Sacramenti Pœnitentiæ, propter definitionem expressam Trident. sess. 14. cap. 3. & Florent. in Decreto Eugenij, & propter definitionem Leonis 10. contra art. 11. & 12. Lutheri. Ita etiam expressè traditur Matth. 16. & 18. *Quodcumque solueris*: Et *Quæcumque solueritis, erunt soluta*, &c. Conueniunt secundò in eo, quod ly *Ego* non spectat ad essentiam formæ; quod desumitur ex sancto Thoma supra, quæst. 66. art. 5. ad 1. vbi idem verbum *Ego*, ad valorem Baptismi docet non exigi, cùm ablato illo pronomine adhuc maneat idem sensus formæ. Circa alia verba dissentiunt Doctores, Aliis existimantibus omnia esse de essentia formæ; Aliis, vnum aut alterum verbum. Durandus in 4. dist. 22. quæst. 2. Asserit omnia illa verba nullo prætermisso esse essentialia, & ad valorem Sacramenti requisita; & saltem inuocationem Dei, aut Christi. Gabriel distinct. 14. quæst. 2. ait, Essentialia esse illa verba, *Absoluo te ab omnibus peccatis tuis*: cui fauet Concilium Moguntinum cap. 24 concedens illud verbum *Ab omnibus*. Paludanus in 4. distinct. 22. quæst. 3. Petrus de Soto lect. 4 de Confessione, Asserunt essentialia esse *Absoluo te à peccatis tuis*. In alio extremo Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. §. *Postremum tandem dubium*, Affirmat sufficere ad valorem Sacramenti illud verbum *Absoluo*, solitariè prolatum; quatenus affirmat in articulo mortis, in quo adest periculum ne quis decedat absque beneficio absolutionis, posse Sacerdotem proferre illud verbum *absoluo*, animo absoluendi à peccatis & censuris; & tunc validè fieret.

Absoluo te, sola necessaria & sufficientia.

Sed his omissis, dicendum est, Ea verba *Absoluo te*, omisso omni alio, esse essentialia formæ, & ad valorem huius Sacramenti necessaria & sufficientia. Ita sanctus Thomas hìc art. 3. sanctus Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 21. § 1. Cajetanus in Summa verbo *Absolutio*: Siluester verbo *Absolutio* 6. quæst. 4. Soto citatus, & plures Alij. Ratio conclusionis est, Nam hæc verba *Absoluo te*,

aliis omissis, significant determinatè remissionem peccatorum, præsupposita iam confessione Pœnitentis. In absolutione enim completur vltima ratio iudicij pœnitentialis, scilicet sententia absolutiua à peccatis; Nam sententia quæ supponit cognitionem huius, & non alterius causæ, cadit determinatè super causam cognitam, & ita determinatè significat absolutionem à vinculis in iudicio probatis. Sic etiam contingit in iudicio humano, in quo forma seu sententia iudicis, sufficienter exprimitur sine determinatione causæ in particulari; solaque facta mentione meritorum & causæ, absoluimus aut condemnamus personam talem, in subiecta materia cognita & probata; ergo & hæc verba *Absoluo te*, sufficienter explicant in exercitio solutionem à peccatis, quæ fuerunt explicata, & de quibus fuere actus pœnitentis supra quos cadit forma Sacramenti.

Alia ex sufflatæ sententiæ.

Secundò probatur, ostendendo falsitatem aliarum sententiarum; Nam quod fiat inuocatio Trinitatis per illa verba *In nomine Patris*, &c. non habet fundamentum, cùm in institutione Pœnitentiæ tantùm dicatur, *Quorum remiseritis peccata:* Neque in traditione Ecclesiæ vt essentialia declarantur, vt communiter censent omnes. Item ly *omnibus* reformatur in Rituali Romano, & congruenter, cùm propter connexionem peccatorum mortalium, nunquam fiat absolutio ab vno, quin ab omnibus fiat; Et de venialibus sæpius non fit absolutio, cùm pœnitens de illis non pœniteat, nec teneatur. Item quod ly *à peccatis tuis* non sit de essentia formæ huius Sacramenti, patet; Nam eundem retinent sensum verba illa *Absoluo te*, accum illo addito. Et quod non mutet sensum ly *Tuis*, patet etiam, cùm nullus absoluatur à peccatis alienis. Vnde idem est dicere, *Absoluo te à peccatis*, ac, *à peccatis tuis*. Quod etiam non mutet sensum ly *à peccatis*, patet; Nam absolutio cadit hîc & nunc supra hanc numero materiam; ergo cùm præcesserint peccata, absolutio cadit supra illa, vt dictum est; quod non obscurè etiam iudicat ly *Te: Absoluo te;* vt indicetur absolutionem cadere supra talem personam delinquentem accusatam, conuictam, pœnitentem & confessam talia singularia peccata. Vnde in solo verbo *Absoluo* non exprimitur forma absolutiua, cùm ex propria significatione non sit determinata ad præsentem vel absentem personam, nec ad peccata vel censuras; ergo hæc verba *Absoluo te* sunt essentialiter necessaria & sufficientia ad formam huius Sacramenti, & eius valorem.

Fundamentum oppositæ sententiæ est; Nam in forma huius Sacramenti exprimere debet Sacerdos se absoluere à peccatis vt Ministrum; Deum autem esse causam principalem, vt verè contingit; & ideo in Sacramento Baptismi & Confirmationis, ly *In nomine Patris*, &c. spectant ad essentiam & valorem illorum Sacramentorum; ergo & in hoc. Item, Nam illa verba *Absoluo te* indifferentia sunt ad peccata & censuras; ergo debent determinari per ly *à peccatis*, vt talis absolutio, quod & Christus Ioan. 20. expressit. *Quorum remiseritis peccata*, vbi & personam designat, & peccata manifestata à Pœnitente præsente, & subiecto clauibus Ecclesiæ, sicut diximus de peccatis. Et tandem probatur omnia verba esse de essentia, & ad valorem Sacramenti requisita. Nam Trident. sess. 14. cap. 3. & Florent. in Decreto Eugenij, præscribit formam Sacramenti Pœnitentiæ in illis verbis à Ministro prolatis, *Ego absoluo te, &c.* In quo innuitur omnia esse essentialia, aliàs minus aptè adderetur illa particula, &c. Et vrgentius Concilium Moguntinum cap. 24. in quo omnia verba exprimuntur; ergo forma Sacramenti huius non tantùm consistit essentialiter in his verbis *Absoluo te*.

Inuocatio Trinitatis vt necessaria in Baptismo & Confirmatione, non in Pœnitentia.

Respondetur negando causalem; Non enim inuocatio Trinitatis spectat ad formam Baptismi & Confirmationis essentialiter, vt ministrans illi Sacramenta exprimat se esse Ministrum, & non principalem causam; sed quia Baptismus inducit hominem ad fidem Trinitatis, quæ est præcipuum mysterium fidei, & obiectum principalitatis, & Confirmatio roborat ad eius confessionem; & ideo ex institutione Christi Baptismus, & ex traditione Ecclesiæ Confirmatio, essentialiter exigunt inuocationem Trinitatis. Et licèt causalis esset vera in prædictis Sacramentis, propter institutionem eorum sic peractam, in aliis tamen Sacramentis (vt in Eucharistia & reliquis eiusmodi) inuocatio nullatenus affertur; si autem esset necessaria ad ostensionem ministerij, à qua penderet essentia Sacramenti, in omnibus deberet exprimi, cùm in omnibus æqua sit necessitas Ministri & causæ principalis. In Pœnitentia verò relinquitur arbitrio Sacerdotis, vt docet sanctus Thomas hîc art. 3. Et per hoc patet ad Durandum. Ad id quod sequitur de indifferentia verborum ad peccata & censuras, constat ex dictis, scilicet verba significare determinatam absolutionem à peccatis, quia practicè significant, & iuxta subiectam materiam; per verbum autem *Absoluo* omnimoda apparet indifferentia si solitariè proferatur, cùm ex modo suæ significationis solitariæ non determinetur practicè ad personam, nec ad peccata, vt dictum est. Ad testimonium Trident. & Florent. Respondetur, Quod ibi assignatur congruentissima forma, in qua scilicet declarantur tum essentialia, tum alia in confuso sub illo verbo, &c. vt congruenter perficiatur Pœnitentia. Ad Moguntinum Respondetur, Quod intendit monere Sacerdotes ad consuetam absolutionem; vt scilicet vniformiter fiat absolutio ab omnibus. Quod & in Ritualibus obseruatur, in quibus omnia præscribuntur, etiam antecedentia formam & subsequentia.

Quæ mutatio in forma Absolutionis peccatum sit, & quale.

Inquires, An omissio verborum quæ non sunt essentialia formæ huius Sacramenti sit culpabilis; & quod peccatum? Respondetur sub distinctione, Nam præcepto Ecclesiastico tenetur quilibet ad omnia ea verba apponenda, quæ formam veluti integrant, vel ad eam amplius declarandam spectant; ad alia verò non ita: In omnibus tamen verbis non mutantibus substantialiter sensum formæ, seruatur præceptum diuinum (vt si quis absoluat per hæc verba, Condono tibi beneficium absolutionis à peccatis; & per hæc, Remitto tibi peccata) licèt frangatur Ecclesiasticum, & Sacramentum validè perficiatur, etiam si illicitè contra præceptum Ecclesiæ. Vnde existimo ex genere suo esse mortale, omittere verbum de pertinentibus ad formam absolutiuam, nisi ex paruitate materiæ non perueniat ad mortale. Censeo etiam omittentem *à peccatis tuis* mortaliter peccare contra præceptum Conciliorum, & generalem vsum Ecclesiæ, in re graui. Existimo etiam omittentem inuocationem Trinitatis non peccare mortaliter, immò nec venialiter; Quod non obscurè indicat sanctus Thomas hîc art. 3. ad 3., dum docet *Relinqui inuocationem Trinitatis ar-*

bitrio Sacerdotis: vnde licitè potest Sacerdos omittere; Quod autem est malum, etiam venialiter, est malum, saltem quia prohibitum, vnde & illicitum, & sic non posset arbitrio relinqui Sacerdotis. Cùm autem a sancto Thoma relinquatur arbitrio nostro, possumus apponere vel omittere, id autem possumus, quod licitè possumus. Vnde scrupulosus nimis censendus est Magister Nuño hîc art. 3. dub 2. conclus. 2 asserens mortaliter peccare omittentem inuocationem Trinitatis.

Quis sit sensus formæ?

Non valere formam per verba deprecatiua. Vidend. hoc argument. Morinus de Pœniten tia, eiusque antiquo ritu.

Circa tertium, Quem scilicet sensum faciat forma Sacramenti Pœnitentiæ? In primis referendi sunt Aliqui, quorum meminit sanctus Thomas Opusc. 22. cap. 1. qui substantialiter mutant formam huius Sacramenti, quatenus verba absolutiua, deprecatiuo & optatiuo modo aiunt esse proferenda à Sacerdote; quam sententiam *præsumptuosam* appellat, *ne dicam* (inquit sanctus Thomas) *erroneam*. Ecce modestiam sancti Thomæ, Qui sententiam planè erroneam, non absolutè erroris censurat. Sic communiter censent Doctores, sic vniuersalis vsus, & perpetua traditio Ecclesiæ: sic & Concilia citata assignant formam indicatiuam, & de præsenti. Et Trident. sess. 14. cap. 3. distinguens preces à forma, docet sic; *De Ecclesiæ autem more preces quædam laudabiliter adiunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant*: ex Concilio ergo habetur, ea quæ modo deprecatiuo proferuntur, non spectare ad formam huius Sacramenti. Vnde debet forma proferri indicatiuo modo, & de præsenti, per hæc verba *Absoluo te*, cùm proferatur in iudicio per modum sententiæ, in qua iudex non vtitur verbis deprecatiuis, sed iudicatiuis.

Abulensis impropria & explicata loquendi forma.

His omissis, & Abulensi, qui 11. part. sui Defensorij cap. 5. & 6. Asserit formam huius Sacramenti impropriè & abusiuè significare absolutionem, cùm peccata non sint vincula, nec Deus nec Sacerdos propriè à culpa, nec à pœna absoluat; sed quia ipse Abulensis cap. 7. vt in margine indicatur, declarauit sensum Catholicum, quæ declaratio fertur in alio originali haberi, & facta apud Eugenium Papam; quod scilicet loqueretur de absolutione propriissimè dicta, & de culpa actuali, non de habituali, & de reatu ad pœnam, ideo ab eius impugnatione libenter abstinemus, & etiam à modo loquendi, corrigendo; constabit tamen impugnatio ex dicendis. Posita ergo significatione propriissima & rigorosa verborum, & modo indicatiuo, adhuc Doctores diuersos adhibent sensus illius formæ.

Sensus verborum formæ, declaro absolutum, opinio.

Alij enim aiunt sensum illorum verborum *Absoluo te*, esse; Ego te ostendo & declaro absolutum à peccatis suis per contritionem præcedentem. Ita Magist. in 4. dist. 18. §. *Non autem*; & §. *Ligant quoque*. Magistrum sequuntur plures Antiqui; sed hanc sententiam errorem sapere constat ex Trident. sess 14. c. 9. infra referendo.

Eximo ab obligatione noua clauium; altera opinio.

Alii aiunt sensum esse, *Ego te absoluo*, id est, libero ab obligatione subiiciendi hæc peccata clauibus Ecclesiæ. Ita Gabriel in 4. dist 18 quæst. 1. & plures Nominales, quos refert sanctus Bonauent. dist. citata quæst. 1. art. 2. quatenus asserunt liberari hominem à culpa & pœna per actus præcedentes, cum voto seu proposito confitendi; per absolutionem verò cunctam obligationem tolli; ita quod Pœnitens per confessionem & absolutionem omnino liber maneat à culpa, & pœna. Hæc sententia est affinis præcedenti. Alensis 4. p. qu. 80. mem. 1. art. 1. & sanctus Bonauentura proximè citatus, censent sensum formæ esse *Absoluo te*, id est remitto tibi pœnam temporalem; non tamen significare solutionem ex opere operato à culpa & pœna æterna; aliquando tamen addunt Sacerdotem impetrare de congruo primam gratiam Pœnitenti per preces antecedentes absolutionem. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. p. 14. cap. 8. Ricardus lib. de Potestate ligandi & soluendi 1. p. cap. 12 aiunt sensum esse, *Absoluo*, id est remitto tibi pœnam æternam pro culpa debitam; quatenus aiunt, solum Deum remittere antecedenter ad Sacramentum totam culpam.

Remitto pœnam temporalem vel æternã; aliorũ opinio.

Tandem Medina Codice de Pœnitentia tract. 2. quæst. 38. paragr. *videtur ergo*, Asserit per contritionem absolui peccatorem à culpa & pœna æterna, non tamen ab exilio patriæ cœlestis, quam aperit Sacerdos, quatenus habet claues regni cœlorum. Vnde sensus erit, *Absoluo te*, id est, Aperio ianuas cœlorum. Sed inquisitus à Corduba, vt ipse refert 1. p. Quæstionarij quæst. 1. Quid intelligat nomine exilij, An scilicet id quod Victorini affirmabant? Respondet Medina, Primò ab illis differre per hoc, quod illi absolutè tribuebant remissionem pœnæ damni & sensus, ipse verò solùm pœnam damni; Sed si attentè perpendatur Medina, sentit hanc pœnam prius etiam remissam fuisse per contritionem, non absolutè, sed sub conditione (si scilicet culpabiliter non omittant absolutionem) quod si pœnitens omittat accedere ad Sacramentum, subibit pœam damni propter peccata priora. Sed omnes hi Auctores restringunt nimis potestatem clauium Sacerdotibus collatam, quam Hæretici absolutè negant. Difficilè tamen saluatur in his sententiis potestas remittendi peccata, expressè à Christo Sacerdotibus commissa loco citato articulo præcedenti.

Absoluo ab exilio cœlestis patriæ, alia sententia.

Quibus non obstantibus, Dicendum est formam huius Sacramenti reddere hunc sensum, *Ego te Absoluo*, id est, Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo, seu Sacramentum absolutiuum à vinculis, remissiuum peccatorum & collatiuum gratiæ. Ita sanctus Thomas hîc art. 3. ad 5. quem sequuntur vniuersi eius Discipuli, constatque ex Trident. sess. 14. can. 9. definiente sic, *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata, Anathema sit*. In actu autem iudicandi iudex verè absoluit sua sententia; & in absolutione, eo quod sacramentalis; significatur quod efficitur. Cùm ergo prius cap. 1. declaret Trident. veram potestatem Sacerdotibus collatam ad reconciliandum Deo Fideles lapsos, & cap. 2. per hoc Sacramentum cor liberari à peccatis, sicut per Baptismum à commissis ante ipsum, & can. 1. *Effectum huius Sacramenti esse reconciliationem cum Deo*. & can. 2. Pœnitentiam esse *secundam tabulam post naufragium*: absque dubio relinquitur sensum illius formæ esse absolutionem rigorosam à vinculis peccati, quæ fit per gratiam remissiuam & sanatiuam.

Sacramentum absolutionis impendo; sententia S. Thomæ.

Cui oportet addere doctrinam cap. 4. In quo Concilium docet, *Attritionem cum hoc Sacramento disponere ad primam gratiam, & remissionem peccati obtinendam ex absolutione Sacerdotis*; ergo sensus illius formæ est, quem verba ipsa præ se ferunt; id est, conferri solutionem, cùm pec-

cata sint vincula moralia, vt habetur Prou. 5. 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Idem passim habetur in Scriptura. Ex quibus omnibus formatur ratio sancti Thomæ, sic; Nam Sacramenta Nouæ Legis efficiunt quòd significant; ergo forma huius Sacramenti significat quod in eo agitur. Consequentia patet; Nam perfectio rei attribuitur formæ, secundum quod proportionatur materiæ; hîc autem forma remouet peccata, soluendo illa, vt fiat reconciliatio, quæ intenditur per Sacramentum; ergo sensus intentus est legitimus, quod scilicet Sacerdos impendit beneficium solutionis à vinculis, &c.

Explosæ aliæ sententiæ.

Secundò probatur, aperiendo falsitatem aliarum sententiarum; Omnes enim eneruant virtutem efficacem Sacerdotibus collatam Ioan. 20. ad remittenda peccata. Et quidem formam non significare declarationem præcedentis remissionis peccati præhabitæ per contritionem, probatur ex sancto Thoma citato, *Quia ad talem declarationem desideraretur reuelatio Dei specialis, superaddita generali reuelationi Petro factæ.* Deinde, Quia tollit è medio potestatem remittendi peccata, quæ salua fide negari non potest, vt constat ex can. 9. cit. Vnde reijciendi sunt Auctores oppositæ sententiæ, quatenus in eo conspirant. Ex quo etiam ruit Gabriel, quia Sacerdos te ipsa non absolueret à peccatis, sed à sola obligatione iterum confitendi illa, quod est negare claues Ecclesiæ. Immò non exigeretur absolutio Sacerdotis, cùm per solam Confessionem auferatur obligatio iteratæ confessionis. Neque ad hoc vtilis est gratia conferenda ex opere operato, nec verificatur forma in confessione de solis venialibus, cùm non extiterit obligatio confitendi illa.

Tandem non amplius conduceret confessio & absolutio ad delenda peccata, quàm cuiuslibet alterius præcepti obseruantia, cùm contritio sit omnium præceptorum votum. Vnde indiscriminatim verificaretur, quod remitterentur peccata per solutionem decimarum in voto, vel obseruantiam festorum in voto, &c. ac per confessionem in voto. Alensis etiam reijciendus ab omnibus censetur; Nam ad solam pœnam temporalem tollendam suppetunt plura & peruia remedia, vt Sacrificium Missæ, Indulgentiæ, & similia; ad quid ergo noua Sacramenti institutio, & gratiæ infusio, & tot angustiæ Pœnitentis. Hæc ergo sententia præcipuam efficaciam huius Sacramenti tollit.

Hugo & Richardus errant in assignando sensu absolutionis à sola pœna æterna, & non à culpa; Quia vt definit Trident. sess. 6. cap. 14. Pœna æterna simul cum culpa remittitur; & consequenter quando culpa ante confessionem remissa est (in hac scilicet sententia) hoc Sacramentum nihil remitteret; tum etiam quia culpa mortalis tantùm remitti potest per gratiæ infusionem, cum qua (vtpote quæ est semen gloriæ, & confert ius ad hæreditatem diuinam) nequit compati reatus pœnæ æternæ. Tum etiam quia contritio ex natura sua, in omni statu (etiam sine ordine ad Sacramentum) habebat remittere culpam & pœnam æternam, vt constat in Iustis Legis Naturæ & Legis Veteris; ordo autem ad Sacramentum non tollit eius efficaciam intrinsecam, immò auget.

Ex his efficaciter expugnatur Medina; Nam pœna æterna coalescit ex pœna damni & sensus; si ergo contritio antecedens absolutionem tollit cul-

A pam & pœnam æternam, vt constat ex dictis, vtramque pœnam damni & sensus tollit. Quatenus verò addit, Per contritionem sub conditione (si scilicet exequatur alia ad quæ tenetur, vt confiteri & similia) remitti pœnam æternam damni; etiam abertat à veritate, cùm hoc non sit remitti absolutè pœnam; nec remissio illa confert absolutè ius ad gloriam, contra sacram Scripturam, & definitiones Conciliorum. Tum etiam, Nam absolutio non esset forma & causa talis remissionis, sed mera conditio, sub qua contritio remisit antea pœnam, sicut & subsequens adimpletio præceptorum, quæ est sola conditio sub qua fuit remissa culpa, non verò causa influens. Licèt in hoc sensu nescio cur neget Medina per contritionem sub conditione futuræ confessionis remitti

B etiam pœnam æternam sensus. Immò ipse teneretur asserere, Per contritionem præcedentem Baptisma remitti pœnam æternam, non absolutè, sed sub conditione Baptismi non omittendi. Ex quibus omnibus relinquitur, Sensum formæ huius Sacramenti esse quem astruimus in nostra resolutione, cùm verba hîc significent quod efficiunt; efficiunt autem remissionem peccatorum, & absolutionem à vinculis, vt ex sacra Scriptura & Conciliis habemus, vnde & id significant.

Aduersus nostram resolutionem sese statim offert duplex casus satis difficilis, in quo non apparet verificatio sensus à sancto Thoma assignati;

C Primus est in Sacramento informi Pœnitentiæ, quod est verum Sacramentum, vt est communis sententia Auctorum; nihilominus nec soluuntur peccata, nec confertur gratia iustificans & remittens peccata; tunc ergo nequit verificari forma in sensu sancti Thomæ. Secundus casus est, Quando Pœnitens accedit ad hoc Sacramentum iustificatus per contritionem, vel per præcedentem confessionem sacramentalem; tunc enim non sunt vincula moralia peccatorum, à quibus Pœnitens absolui possit, nec adest debitum quod condonari possit, quomodo ergo tunc verificabitur forma?

Pro solutione & intelligentia formæ huius Sacramenti, Notandum, Sensum intentum à sancto

D Thoma non esse nugatorium, vt falsò existimant Aliqui, imponentes ipsi quod affirmat sensum istum, Ego tibi impendo sacramentum absolutionis, id est, Ego exerceo circa te Sacramentum istud, Ego confero tibi, vel applico hoc Sacramentum; sed hæc expositio friuola est, cùm non explicet actum iudicialem, nec effectum aliquem; sed idem per idem significetur, immò obscurior relinquatur sensus: Clarus tamen manet, vt meditatur Cajetanus, ex eo quod impendere Sacramentum absolutionis, est sacramentaliter absoluere; ac si diceret, Quantum est ex me, verè te absoluo à vinculis; Peccata tibi remitto auctori-

Verus sensus S. Thomæ.

E tatiuè, vt instrumentalis minister Sacramenti, & tibi confero Sacramentum collatiuum gratiæ, quam ex se infallibiliter inferet, nisi obicem ponas; Nam quantum est ex me, titulum confero vt peccatum remittatur, & vt ius ex peccato ortum sit ablatum.

Ex quo patet solutio ad primum casum; Nam in Sacramento informi, in quo propter indispositionem Pœnitentis Sacramentum non confert gratiam, verificatur forma; non quia re ipsa detur gratia, sed quantum est ex vi & efficacia verborum; id intendit quantum est de se, licèt per accidens non detur. Est exemplum in Sacramento Ordinis, cuius forma ab Episcopo profertur sic;

In Sacramento Pœnitentię informi vera absolutio.

Accipe

Accipe Spiritum sanctum, &c. Quæ verba verum habent, etiam dum ordinatus existit peccato mortali irretitus, quia faciunt hunc sensum; Impendo tibi quantum est ex me Spiritum sanctum; cum quo tamen stat non dari gratiam Spiritus sancti habenti obicem. Cuius ratio est, Quia cùm Minister Sacramentorum procedat limitata virtute, & Sacramentis ligata, non operatur nisi adsint omnia requisita, præsertim si resistat passum; sicuti & Iudex forensis, dum absoluit innocentem, sententia non est omninò absoluta, sed determinata & limitata, ad merita allegata & proposita: Sic & sensus formæ huius Sacramenti, non absolutè significat absolutionem, sed quantum est ex parte sui, & per habitudinem ad passum non irretitum obice peccati, & non resistentem efficaciæ gratiæ.

Suarez & Coninch. reiectæ expositiones verborum formæ

Ex his constat falsitas sensus quem adhibent Suarez & Coninch. Suarez enim disput. 19. sect. 3. num. 19. asserit sensum formæ esse, Ego tibi gratiam sanctificantem confero, quantum est ex se, remissiuam peccati; Nam reuera in Sacramento informi non confert Sacramentum gratiam sanctificantem, quam si conferret, non remaneret informe, cùm gratia sit incompossibilis cum omni peccato; forma autem sacramentorum essentialiter & substantialiter inuariata verificari debet in omni casu. Coninch. disput. 4. dub. 8. num. 55. asserit verificari hæc verba, quia faciunt hunc sensum, Ego tibi peccata remitto quantum ex confessione potui cognoscere te esse eorum reum, & esse bene dispositum ad eorum remissionem. Displicet autem, Quia in Sacramento informi Sacerdos absoluit prauia illa cognitione, nec tamen remittit peccata, & fallitur in iudicando bonam dispositionem esse; ergo sensus iste falsus est; tum etiam, Quia licèt non aduertisset Sacerdos dispositionem Pœnitentis, ipsa tamen esset sufficiens dispositio vt absolutio esset valida; quinimò etiamsi Sacerdos existimeret Pœnitentem non esse sufficienter dispositum, cùm re ipsa esset dispositus, validè absolueret, si id intenderet dum apponit formam.

Remisso iam peccato, vt vera forma, Absoluo.

Ad secundum casum de iustificato, accedente postea ad Sacramentum Pœnitentiæ, Respondetur verificari formam inuariato sensu. Absoluit enim Sacerdos quantum est ex se, & remittit peccata, etiam si actu non sint; Non enim mentitur, qui offensam aut debitum dimissum dicit se dimittere iterum, quantum est ex se; Et est aliquale exemplum in voto, quo quis se ad aliquid obligauit, quod potest iterum atque iterum repetere, & nouiter obligari; Sic & in forma huius Sacramenti, quæ quantum est ex se, remittere millies potest idem peccatum postquam est dimissum.

Objicies contra dicta, Si Pœnitens nullum commisisset peccatum, vel confiteretur peccatum dubium, quod re ipsa non est, vt existimatum tale, & doleret de illo, verificaretur forma in sensu à nobis explicato, nec tamen efficeretur verum Sacramentum; ergo dum quis accedit iustificatus per contritionem, aut præcedentem confessionem, non efficitur Sacramentum. Vterque enim reuera non habet vinculum à quo soluatur; vnde neque efficietur Sacramentum, & sic non debet forma verificari in sensu intento à sancto Thoma: Sicuti ad veritatem huius loquutionis, Ego te soluo à vinculis corporeis, non sufficit habere voluntatem soluendi, quantum est ex se, & ex parte desiderantis soluere, si ligatus non esset, sed si re ipsa solutus sit; ergo neque in Sacramento sufficiet solutio intenta, quantum est ex parte Sacerdotis, vt verificentur verba.

Confirmatur duplici instantia; In forma Extremæ Vnctionis & Matrimonij; Nam forma Vnctionis verificaretur in sensu assignato, etiam respectu hominis qui nullum vnquam commisit peccatum, & in perpetuò amentibus & infantibus. Hæc enim verba *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, &c.* quantum est ex Deo, & ex me significant intentionem indulgendi, si essent peccata; Constat autem quod si nunquam extite unt, non efficitur Sacramentum. Et in Matrimonio, posset Sacramentum iterari millies inter eosdem conjuges, si super eadem peccata iam remissa quantum ad culpam & pœnam, potest iterari Pœnitentia; Nam cōtrahere matrimonium non est aliud quàm obligatio & traditio mutua corporum; constat autem posse coniugem iterum atq; iterum se obligare, & tradere nouo vinculo obligationis ad idipsum, cui antea erat coniux obligatus; vnde fieri potest nouus contractus Matrimonij, & consequenter nouum Sacramentum; Contractus enim Matrimonij inter baptizatos Sacramentum est.

Vera forma, modo præcesserit culpa, etiam remissa; non si non præcessit.

Respondetur ad Argumentum, negando majorem; Esset enim forma prolata à Sacerdote propositio affirmatiua de subiecto non supponente, propter materiam non supponentem; absolueret enim à vinculo quod nunquam fuit tale. Vt si absolueret Pœnitentem à sola occisione exteriori Animæ rationalis, vel Angeli in se, absolutio non verificaretur, cùm non renunciet iuri, quod Deus acquisierit in tali culpa. Cùm enim peccatum nunquam extiterit, nec verum ius; & sic verba sunt affirmatiua de subiecto non supponente, defectu materiæ. Idem contingit in solutione à vinculis corporeis; Materia enim & obiectum proprium illius loquutionis, est vinculum corporeum soluendum, quod affirmat propositio; quod cùm à parte rei non sit, nec loquutio vera erit; nequit enim actum agere. At in solutione à vinculis spiritualibus Animæ, materia remouenda & obiectum propositionis non est exterior ablatio vinculi, sed actus interior, quo Sacerdos nomine Dei cedit iuri ex offensa acquisito; quæ si semel præcessit, etiam si sit remissa, etiam quoad omnem reatum pœnæ, potest repetita obligatio superuenire ad non vtendum eo iure. Potest enim offensus & creditor iteratò se obligare ad non exigendum debitum, quod propriè est cedere iuri non exigendi; quod si non sit ius aut vinculum, non verificatur propositio. Sic etiam contingit in reconciliatione hominum, in qua iterum atque iterum potest offensus iniuriam remittere, & amplexibus repetitis confirmare amicitiam.

Vnctio infirmorum, Pœnitentiæ quasi appendix, iisdemque vtrimque capax.

Ad confirmationem Respondetur; & quidem ad Sacramentum Vnctionis ex sancto Thoma in Additionibus quæst. 22. art. 4. ad 1. & 2. quem sequitur Magist. Nuño ibi art. 2. definit. 2. Quod Sacramentum Vnctionis est Pœnitentiæ confirmatiuum, vt testatur Trident. sess. 14. ante caput secundum de Extrema-Vnctione; & consequenter tantùm sunt capaces recipiendi Vnctionem, qui possunt Pœnitentiam recipere; & confirmat vsus Ecclesiæ communis, quæ non elargitur Vnctionem eis, quos iudicat nunquam peccasse; vnde etiam negatur infantibus ante vsum rationis, & perpetuò amentibus eadem ratione, etiam si concedatur cadentibus in amentiam post vsum rationis, in quibus sufficienter verificatur

forma propter peccata commiſſa ante amentiam; A & congruenter id conceditur, cùm Vnctio ſit medicina, quæ applicari non poteſt niſi poſt morbum & vulnera. Vnde Anima quæ nunquam fuit vulnerata, non habet debilitatem ex vulneribus procedentem, vnde nec vngi poteſt oleo ſancto à Chriſto inſtituto ad vltimum agonem viriliter peragendum; Sic etiam Pœnitentiæ forma verificari non poteſt dum non præceſſerit peccatum.

Ad inſtantiam de Matrimonio, Reſpondetur, concedendo poſſe coniuges iterata obligatione ſe mutuò obligare poſt contractum ſemel Matrimonium, non tamen peragere nouum Matrimonij Sacramentum, qnod tunc peragitur, cùm verè fit B actualis traditio, qua ſe coniux tradit, & introducit in actualem coniugis poſſeſſionem. Hæc autem introductio inceptionem deſignat; inceptio autem actualis iterari non poteſt. Vnde niſi diſſoluatur Matrimonium, quod eſt impoſſibile, repeti non poteſt. Si autem diſſolueretur, iterum celebrari poſſet inter eoſdem. Et ſic poſt peractum Matrimonium poſſunt coniuges de nouo ſe obligare nouo titulo & vinculo ad adimplendum promiſſum, non tamen perficiunt nouum Matrimonij Sacramentum ratione tradita: In Pœnitentia autem poteſt eſſe noua ceſſio iuris, & ſic nouum Sacramentum circa eandem materiam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Pro quo ſupponat Sacramentum Pœnitentiæ, & quæ ſit illius Materia?

SVpponendum eſt ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. Quatuor præcipua reperiri in Sacramento Pœnitentiæ, ex quibus integratur ratio Sacramenti (ſcilicet Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem ex parte Pœnitentis, & Abſolutionem ex parte Sacerdotis) ex quibus reſultat integrum compoſitum ſacramentale & artificiale, cauſatiuum gratiæ; in quo duplex compoſitio, ad noſtrum intentum, inuenitur, ſicuti in quolibet D Sacramento. Prima eſt ex materia ſeu ſubiecto ſignificationis & inſtitutionis, & ex ipſa ſignificatione vt ex forma; quam compoſitionem fatetur ſanctus Thomas hîc art. 1. dum aſſumit generalem propoſitionem, Rationem ſcilicet Sacramenti conſiſtere in ſignificatione rei ſacræ; & ſubſumit, *In Sacramento Pœnitentiæ, actus Pœnitentis, & abſolutio Sacerdotis ſignificant aliquid ſanctum.*

Ex quo conſtat hanc compoſitionem fieri ex actibus Pœnitentis & abſolutione Sacerdotis tanquam ex materia, & ex ſignificatione prouenien-te ex Chriſti inſtituto, tanquam ex forma; Nam Contritio, Confeſſio & Satisfactio Pœnitentis, ſimul & Abſolutio Sacerdotis, inſtituitur & aſſu- E mitur tanquam vnicum inſtrumentum adæquatè ſignificatiuum gratiæ ſanantis. Secunda compoſitio reperitur in ipſa materia & ſubiecto ſignificationis; Componitur enim compoſitione alterius concreti ex materia & forma; ex actibus ſcilicet Pœnitentis, tanquam ex materia determinabili & contrahibili, & ex abſolutione Sacerdotis tanquam ex forma; vt pote determinante & contrahente actus Pœnitentis.

In hoc ergo Sacramento, ſicuti in reliquis, aſſignari poteſt, & debet, quid ex his ſit Sacramentum tantùm, quid res tantùm, quid res & Sacramentum; Quod breuiter tradit ſanctus Thomas hîc art. 1. docetque Materiam remotam eſſe peccata, quæ non ingrediuntur compoſitionem Sacramenti; Materiam verò proximam eſſe actus Pœnitentis; formam verò Sacramenti eſſe abſolutionem Sacerdotis, & compoſitum ex his, tanquam ex materia & forma, eſſe Sacramentum tantum; id eſt, quod taliter ſignificat gratiam, quod nullo modo ſignificatur. Deinde rem tantum huius Sacramenti, docet eſſe gratiam ſanatiuam & iuſtificatiuam; quia taliter ſignificatur gratia, quod nihil ſignificat: Rem vero & Sacramentum ſimul, docet eſſe Contritionem; de quo nos art. ſequent. Hæc tamen modò accipimus oſtendenda in hoc art. Hîc ergo difficultas præcipua ad tria capita reduci poteſt; Prima, An omnia enumerata, quæ integrant Sacramentum, concurrant ad conſtituendum illud tanquam eſſentialiter pertinentia ad eius ſubſtantiam? Ex quo conſtabit pro quo ſupponat directè & in recto hoc Sacramentum. Secunda, Quæ ſit materia remota, An ſcilicet peccata? An vniuerſa, & quæ? Tertia, Quæ ſit materia proxima? Nam de forma ſatis conſtat eſſe Abſolutionem Sacerdotis, vt oſtendimus articulo præcedenti.

Materia remota Pœnitentiæ, peccata; proxima, actus Pœnitentis, &c.

C

An Abſolutio & Confeſſio ſint totum Sacramentum, & ſupponat pro illis?

Circa primum, Scotus diſtinct. 16. quæſt. 1. ait, Solam Abſolutionem Sacerdotis eſſe adæquatam & integram eſſentiam huius Sacramenti; Non quia exiſtimet actus Pœnitentis nullatenus requiri ad hoc Sacramentum, vt errarunt Caluinus & Melancton teſte Decano art. 11. pag. 20. Excludit tamen illos Scotus à ratione partis eſſentialis Sacramenti, & ſi non à ratione diſpoſitionis. Durandus in 4. diſt. 14. quæſt. 5. & diſtinct. 16. quæſt. 1. cenſet ſolam Confeſſionem & Satisfactionem componere eſſentiam Sacramenti. Alij aiunt integram eſſentiam eſſe actus Pœnitentis, non verò Abſolutionem. Hæc ſententia tribuitur Soto in 4. diſt. 14. quæſt. 1. cuius mens aperietur in calce huius difficultatis. Alij affirmant Confeſſionem & Satisfactionem eſſe partes Pœnitentiæ, & nihil amplius. Ita Gabriel in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 1. & Antiſidiorenſis relatus à Cartuſiano diſtinct. 14. quæſt. 1. Sed omnes iſti Auctores in eo conueniunt, quod ſubſtractum ſignificationis huius Sacramenti non componitur ex materia & forma, quas cum Concilio & ſancto Thoma aſſignauimus.

Quid Sacramentũ ipſum Pœnitentiæ eiuſque eſſentia, variæ ſententiæ.

Et contra omnes dicendum eſt, Sacramentum Pœnitentiæ eſſentialiter conſtare ex actibus Pœnitentis, tanquam ex materia, & ex Abſolutione Sacerdotis, tanquam ex forma. Ita communiter Doctores hîc cum ſancto Thoma art. 1. expreſſéque habetur in Trident in initio articuli citato. Ratioque eſt, Nam hoc Sacramentum eſt quoddam compoſitum artificiale & morale; ergo eſſentialiter conſtat ex partibus (ſcilicet ex materia & forma) quæ vnitæ integrant adæquatam ſignificationem huius ſigni ſacramentalis. Et quod non ſaluetur integra ſignificatio in altera parte, patet; Nam deficiente Abſolutione, etiamſi actus Pœnitentis ſint à parte rei, non ſubſiſtit Sacramentum, vt per ſe notum eſt; cùm forma ſit ratio qua totum conſtituitur, & qua Pœnitentia ſignificat & cauſat gratiam diſtinctam ab aliis Sacramentis, ſcilicet remiſſiuam, & non aliam; & vniuerſaliter

Sacramentum Pœnitentiæ, cõpoſitum ex actibus Pœnitentis, vt ex materia, & Abſolutione Sacerdotis, vt forma.

in quolibet composito naturali & artificiali forma est præcipua pars; intrinseca quidem, quia informat compartem, & cum ea componit; ergo forma seu absolutio est pars intrinseca huius Sacramenti.

Et quod in forma sola non saluetur integra significatio huius Sacramenti, sed quod actus Pœnitentis sint partes intrinsecæ componentes Sacramentum, constat ex Trident. citato, & probatur eadem ratione; Nam posita Absolutione Sacerdotis, si desint actus Pœnitentis, nihil Sacramenti subsistit; sicuti in vniuersum nullum compositum subsistere potest deficiente parte materiali, quæ actuatur à forma, & cum qua vnitur. Quapropter dissoluta vnione, dissoluitur & compositum. Vnde sententiam Scoti grauiter reprehendunt Doctores. Caietanus infr. quæst. 90. art. 1. censet erroneam esse; Alij temerariam; Alij plusquam temerariam. Et ex his falsitas aliarum sententiarum comprobatur, ex eo quod integra essentia huius Sacramenti est essentia totius & compositi, & consequenter constantis ex materia & forma tanquam ex partibus intrinsecis.

Scoti sententia, quod sola Absolutio sit Sacramentum Pœnitentiæ, Caietano erronea.

Obiicies contra; Nam existentibus actibus Pœnitentis & Absolutione Sacerdotis, si non sint re ipsa peccata, Sacramentum non subsistit, vt diximus in calce art. præcedentis; Confessio enim de occisione Agni, & aliorum quæ reuera non sunt peccata, nulla est; ergo & ipsa peccata componunt intrinsecè hoc Sacramentum, vel ratio allata non probat; Tum etiam, Nam deficiente intentione Pœnitentis vel Sacerdotis non subsistit Sacramentum, ergo etiam intentio est pars intrinseca componens Pœnitentiam. Tum etiam, Nam actus suscipientis alia Sacramenta non componunt intrinsecè illa, vt patet in Eucharistia; sumptio enim passiua non est pars intrinseca illius Sacramenti, vt diximus supra quæst. 73. disp. 1. art. 2. Patet etiam in Sacramento Ordinis; Nam acceptio libri, quem Ordinando tradit Episcopus, non componit intrinsecè Sacramentum Ordinis; ergo nec actus Pœnitentis sunt pars essentialis Pœnitentiæ, & materia illius.

Respondetur negando consequentiam; Peccata enim sunt materia remota, & destruenda per Pœnitentiam; vnde essentialiter exigitur vt non componant Sacramentum, quod non fit, nisi vt illa destruat; verumtamen est connotari peccata ab essentiali ratione Sacramenti; connotatum autem extra illius essentiam est. Intentio etiam recipiendi Sacramentum, & concedendi absolutionem, in recto ingreditur in constitutione illius; non tamen per modum partis distinctæ à Confessione & Absolutione, quæ sunt actus voluntarij, ideoque imbibunt intentionem perficiendi, quod est de essentia Sacramenti; sicuti contingit in quocumque actu humano. Ad id quod obiicitur de Sacramento Eucharistiæ; concedimus totum; Actus enim recipientis supponit Sacramentum iam completè constitutum, cùm consistat in consecratione materiæ, quæ præcedit ante vsum; vnde non possunt componere præexistens Sacramentum: In Sacramento autem Ordinis, actus Ordinandi etiam ingrediuntur ad componendum Sacramentum, cùm necessariò requirantur vt Sacramentum fiat; Neque enim actiua sola traditio libri, sed & passiua exigitur, vt Sacramentum fiat; & idem contingit in aliis Sacramentis, & in Sacramento Pœnitentiæ.

Peccata de connotato & extrinsecè pertinet ad Pœnitentiam.

In Sacramento Ord. actus Ordinandi de essentia.

Pro quo supponat Sacramentum Pœnitentiæ?

Ex his facilis erit resolutio ad consequentam difficultatem; Pro quo scilicet supponat in recto hoc Sacramentum. In qua re Auctores relati asserunt supponere pro partibus, quas putant constituere hoc Sacramentum, vt vidimus. A quibus discedimus, Asserentes hoc Sacramentum supponere in recto pro actibus Pœnitentis, & Absolutione Sacerdotis; ex quibus consurgit Sacramentum tantùm. Qui autem actus Pœnitentis sint materia essentialis, & qui integralis? constabit ex dicendis ad tertiam difficultatem.

Pro quo supponat Pœnitentiæ Sacramentum.

Ratio huius Corrolarij est; Nam ex his partibus fit sensibile signum gratiæ sanantis, & remissiuæ peccatorum; ergo hoc Sacramentum supponit in recto pro actibus Pœnitentis, & Absolutione Sacerdotis. Ex quibus tandem deducitur duplex definitio huius Sacramenti. Physica definitio sic est, *Sacramentum Pœnitentiæ est Confessio dolorosa oris exterior facta sub præscripta verborum forma, &c.* In qua definitione materia habet rationem generis, & ponitur in recto, & forma (Absolutio scilicet, quæ est veluti differentia) ponitur in obliquo; non quia non ingrediatur directè ad componendum, sed quia non prædicatur in recto; & hoc intendit Soto citatus. Definitio metaphysica huius Sacramenti est; *Pœnitentia est Sacramentum Nouæ Legis à Christo Domino institutum, ad significandam & conferendam gratiam sanantem, & ad remittenda peccata post Baptismum commissa.* In qua definitione constituitur proprium genus, scilicet *Sacramentum Nouæ Legis*, quod est ratio conuenientiæ cum omnibus Sacramentis; & apponitur propria differentia in linea signi. Circa peccata verò in definitione contenta, iam procedit secunda difficultas.

Sacramenti Pœnitentiæ definitiones.

Materia remota huius Sacramenti.

Circa secundum, Quænam scilicet sit Materia remota huius Sacramenti; Supponendum est, Quod Materia Sacramentorum est duplex, alia remota, alia proxima; Et in Pœnitentia, peccata sunt materia remota; proxima verò, actus Pœnitentis; & idem est in aliis Sacramentis; vt Materia remota Baptismi, est aqua, & Eucharistiæ, est substantia panis; proxima est ablutio & species panis. De Materia remota Pœnitentiæ dicendum est, *Esse peccata actualia post Baptismum commissa.* Ita Diuus Thomas hîc art. 2. Soto. in 4. dist. 14. quæst. 1 art. 2. Petrus de Soto de Pœnitentia lect. 2. & 3. Non autem dicuntur materia remota Sacramenti *ex qua*, vel *in qua*; vt aqua in Baptismo, lignum in cathedra; sed materia *circa quam*, & *contra quam* operatur Sacramentum; quam scilicet destruit, delendo peccata; vt & panis substantia in Eucharistia. Estque materia propria, quia peccata sunt circa quæ versantur actus Pœnitentis, qui sunt materia proxima; Nam Contritio & Confessio sunt peccatorum; Satisfactio, est vindicta ipsorum; Absolutio etiam cadit super confessionem peccatorum.

Peccata post Baptismum commissa, materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, & circa quã.

Et probatur ex definitione nuper tradita, & ex institutione facta Ioan. 20 22. *Quorum remiseritis peccata*; quod testimonium applicat Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. ad potestatem Sacerdotibus collatam ad remittenda omnia lethalia; &

definit sic; *Christus è terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam præsides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint*: Hæc ibi, & cap. 1. docet, *Dedisse illis potestatem ad reconciliandum Fideles post Baptismum lapsos.*

Ex qua doctrina primò habetur, Omnia peccata præcedentia Baptismum non esse materiam Pœnitentiæ; & sic nec Originale, nec actualia ante Baptismum commissa, sunt materia remota huius Sacramenti, quia in remedium eorum institutum est Sacramentum Baptismi, vt ex sancto Thoma ostendimus art. 1. Vnde hoc Sacramentum, vtpote institutum per modum iudicij, nequit exercere potestatem clauium & actus iudiciales nisi circa personas sui iuris, cadentes scilicet sub Ecclesiastica iurisdictione, & sic tantùm circa Fideles: Infidelis enim non est iuris Ecclesiastici, dum non ingreditur per fidem in Ecclesiam, & per Baptismum; & consequenter peccata omnia quæ præcesserunt receptionem Baptismi, non subduntur foro Ecclesiastico & pœnitentiali.

Quæ autem peccata sint Materia remota huius Sacramenti, determinatur à Concilio citato; Omnia scilicet mortalia esse materiam remotam; Vnde certa fide id est tenendum, *Omnia scilicet & singula peccata mortalia esse materiam necessariam Pœnitentiæ.* Non quia non possit esse validum Sacramentum sine confessione mortalium, cùm sit validum in confessione venialium (vt statim dicam) sed quia peccatum mortale re ipsa commissum, & nunquam confessum, necessariò exigit ad sui remissionem, vt ad confessionem deferatur. Vnde sciendum est materiam Pœnitentiæ, aliam esse necessariam (scilicet mortale nunquam confessum) aliam voluntariam, sed sufficientem (scilicet peccata venialia) vt definit Trident. citatum; quæ ideo dicuntur materia non necessaria, quia pluribus aliis modis & mediis remitti possunt, etiam absque ordine ad Sacramentum, & absque eius voto; & quia validè fit Sacramentum sine eorum confessione, etiamsi adsit aduertentia commissionis & voluntarius affectus ad venialia; Nihilominus sunt materia sufficiens Sacramenti, vt communiter tradunt Doctores. Idem iudicium ferendum est de mortalibus semel confessis, ac de venialibus etiam confessis; omnia enim hæc sunt materia sufficiens Sacramenti, licèt non necessaria, vt docet Benedictus II. in Extrauaganti 1. de Priuilegiis; vbi ait, *Salubrem esse eiusmodi confessionem*; & confirmat vsus vniuersalis Fidelium.

Materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ & libera.

Et ratio est; Nam potestas Sacerdotibus collata non est limitata ad vnum actum remissiuum; Pœnitens etiam potest iterum atque iterum eadem detestari peccata, & inde accrescit maxima vtilitas Animarum. Vnde non est audiendus Richardus in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 4. & Rubion disp. 15. quæst. 1. asserens Non licere huiusmodi peccata apponere tanquam solam & adæquatam materiam confessionis, propter rationes prædictas, vt exactè ostendit Caietanus tom. 1. Opusculorum, tract. 5. de Confessione, quæst. 4. Quomodo verò verificetur forma in confessione horum peccatorum, tradidimus art. præcedenti.

De peccato dubio.

Inquires, An peccatum dubium sit Materia necessaria Pœnitentiæ? Respondetur sub distinctione, Quia dubium contingit dupliciter, Primò enim oriri potest ex motiuo positiuo, secundò ex negatiuo. Quando enim quis dubitat se commisisse tale peccatum, possunt adesse rationes & motiua suadentia casum, & aliæ rationes suadentes oppositum; vel tandem sunt rationes mouentes ad dubitandum pro altera tantùm parte. Si ergo sit iudicium probabile suadens homini se non fecisse peccatum, vel si fecit non peccasse mortaliter, vel si sit mortale, se iam confessum esse, non est obligatio ad confitendum huiusmodi peccatum dubium. Hoc enim commune est in qualibet materia; Nam potest quis sequi iudicium probabile. Si verò iudicium suadet se fecisse peccatum mortale, & non præcessisse illius confessionem, neque adsit motiuum suadens oppositum, tunc est obligatio confitendi peccatum dubium, cùm nullum sit probabile iudicium liberans à tali obligatione.

Dubium peccatum, quando necessariò cōfitendum, aut non.

Secundò contingit dubium negatiuum, id est, ex nullo motiuo suadente peccatum commissum esse, vel non, ita vt pro neutra parte adsint rationes probabiles ad assensum alterius partis, vnde vt pendulus manet animus; sicuti circa hanc propositionem, *Astra sunt paria*, quam negare vel affirmare nequit homo, cùm non suppetat fundamentum ad affirmationem vel negationem illius. Et quidem si sit certus homo se commisisse peccatum mortale, dubiusque sit de confessione, ita vt non inueniat motiuum ad assensum probabilem alterius partis, tenetur confiteri illud. Ita communiter Doctores; Ratio est, Nam obligatio confitendi mortalia est omnino certa ex Tridenr. citato, sicuti & peccatum commissum; sed non constat de confessione, ergo tenetur confiteri.

Grauiorem ingerit difficultatem peccatum, de quo est dubium An fuerit commissum? & An fuerit mortale? In qua re communis sententia affirmat, Peccata mortalia sic dubia, esse materiam necessariam confessionis, siue dubitetur An commissum sit? seu An sit mortale? vel An sit sacramentaliter confessum. Ita sanctus Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. & dist. 22. quæst. 2. art. 5. ad 3. Soto dist. 18. quæst. 2. art. 4. Siluester verbo Confessio 2. quæst. 2. Ratio potissima huius veritatis est, vniuersalis praxis totius Ecclesiæ, quam ab Apostolis emanasse credunt cuncti, propterea quod tradiderunt obligationem quam affert Pœnitentia ex sui institutione; ex qua non leue sumitur fundamentum pro hac veritate. Institutio enim huius Sacramenti est per modum tribunalis, ad quod recurrere tenentur Fideles pro obtinenda remissione suorum peccatorum, eadem omnino obligatione, qua tenebantur recurrere ad Deum per contritionem, ante institutionem huius Sacramenti; tunc autem tenebantur ad conterendum de peccatis dubiis, ne se exponerent periculo damnationis æternæ, præsertim in articulo mortis; ergo post institutionem Pœnitentiæ ad id tenentur; Nam Sacerdotes, vtpote Vicarij Christi, absque restrictione gaudent ita ampla potestate ac Christus Dominus, qui tam excelsam potestatem illis contulit, vt diceret, *Quodcumque ligaueris, Quæcumque ligaueritis super terram*, &c. Hoc fundamento nititur Trident. sess. 14. cap. 5. cit. ad stabiliendam necessitatem huius Sacramenti, *Ex eo scilicet, quod Christus reliquit Sacerdotes Vicarios, ad quos recurrere tenentur Fideles, sicut recurrere tenerentur ad Christum.*

Verè dubius An cōmiserit, vel An sit mortale, vel An sit illud cōfessus, tenetur confiteri.

Probat etiam Suarez hanc veritatem disput. 22.

Suarez ratio explosa.

quod pars tutior est eligenda. sect. 9. ex eo quod in dubiis tutior pars est eligenda; si autem quis omitteret in confessione peccatum dubium, non euaderet periculum omittendi aliquod peccatum, si re ipsa illud commisit; ex confessione autem illius nulli se exponit periculo; sed hæc ratio multum probat; Nam etiam in voto dubio quis teneretur ad eius obseruantiam, cùm sit tutior pars, ita vt ex eius omissione immineat periculum non implendi promissum, si re ipsa promissum est; hoc autem est falsum, vt fatetur ipse Suarez, tom. 2. de Religione, lib. 4. cap. 5. num 1. Alij probant, Quia non obligatur Pœnitens vltra id quod debet; Non ad confitendum peccatum dubium, vt certum; sic enim obligaretur vltra limites debiti; vt si quis obligaretur soluere debitum aut votum dubium, obligaretur ad certam solutionem debiti dubij, & sic vltra limites debiti; Pœnitens autem solùm obligatur ad confessionem dubij per modum dubij. Sed hæc ratio seipsam destruit; Quia licet confessio sit de re dubia, onus tamen & obligatio confitendi est certa, & de facto acceditur ad confessionem, licèt non cum tanto rubore, sicut in peccato certo; sicut ergo pro debito dubio non tenetur quis ad integram solutionem, ita neque pro peccato dubio tenebitur ad confessionem certam & integram.

Dubium facti obligans, non dubiũ Legis. Quare resolutoriè dicendum est, Quod licèt principalis ratio huius obligationis sit ipsa institutio Christi, qui sicut potuit obligare ad manifestandum occultissima peccata cordis, ita etiam dubia; cum maximo tamen fundamento, & connaturaliter ad ipsam naturam & remedium peccati; quia aliud est dubium de *Lege*, aliud de *facto*. Quando est solùm dubium de *lege*, verbi gratia de emissione voti, vel de impositione Legis, tale votum non obligat, quia quamdiu non constat mihi esse impositum onus, gaudeo & possideo meam libertatem, qua spoliari non possum ex causa dubia. Vnde ex eo quod non obseruem tale votum, nullum periculum incurritur; at verò dubium de ipso facto, quando exinde potest nasci periculum pro se, vel pro proximo, licèt factum sit dubium, tamen periculum est certum, quia ad periculum sufficit dubium; obligatio autem certa non solùm regulatur penes ipsum factum, sed penes periculum, quod est certum. Sicut si quis est dubius de febre, vel de morbo, tenetur procurare remedium; & si quis est dubius An aliquid sit homo vel fera, tenetur non iaculari; ergo ex natura rei, etiam citra institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, tenerentur homines pro istis peccatis dubiis procurare remedium, & recurrere ad Deum, iuxta quod dicit Propheta Psal. 18. 13. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo:* vbi etiam includuntur dubia, quia ex parte sunt occulta. Oportuit etiam quod pro talibus dubiis recurreremus ad Sanguinem Christi, qui pro Pœnitentibus alligatus est Sacramento Pœnitentiæ.

Peccatum fictionis. Plura quæ occurrere possunt circa materiam istam remotam, quæ sunt peccata, omittimus hîc, quia pertinent ad materiam Confessionis infra tractandam. De peccato autem quod committitur in ipso Baptismo, quando quis fictè accedit, & impedit effectum Baptismi, dubium difficile est quomodo tollatur per Sacramentum Pœnitentiæ; quia Sacramentum Pœnitentiæ solùm dat gratiam sanatiuam, Baptismus autem regeneratiuam; implicat autem prius aliquem sanari, quàm generari; ergo illud peccatum quod impedit generationem gratiæ, non videtur pertinere & tolli

A per Sacramentum sanatiuum, quod est Pœnitentia.

Sed de hac difficultate tractatum est supra, & in materia de Baptismo; sed certum est quod illa fictio quatenus durat, & impedit Baptismum susceptum, pertinet ad claues Ecclesiæ; quia inquantum fictio supponit susceptum baptismum, & cadit super illum, quia impedit eius effectum; ergo est peccatum hominis Baptizati; ergo pertinet ad iurisdictionem Ecclesiæ. Licèt autem gratia illius Sacramenti sit sanatiua, & sic præsupponat regeneratiuam in aliquo genere causæ (nempe effectiuæ) tamen non repugnat, quod in alia prioritate naturæ, & in genere causæ materialis gratia sanatiua antecedat, quatenus sanitas est etiam dispositio; quia sicut in animali sanitas resultat ex temperamento qualitatum, quæ sunt dispositiones ad animal, & sub ratione dispositionis possunt antecedere in aliquo priori introductionem formæ animalis, ita gratia sanatiua potest habere rationem dispositionis ad tollendum impedimentum pro introductione gratiæ vt regeneratiuæ, & sub hac consideratione antecedere ipsam in aliquo priori naturæ. Peccatum fictionis in Baptismo cõmissum, per Pœnitentiæ Sacramento expiandum.

B

Quæ sit Materia proxima essentialis huius Sacramenti?

C

Communis & certa resolutio est, Materiam proximam huius Sacramenti esse actus Pœnitentis, quibus peccata sua accusat, & subjicit clauibus Ecclesiæ; Quod perspicuè definitur à Concilio Trident. sess. 14. cap. 3. dum explicans formam huius Sacramenti, subiicit sic de Materia; *Sunt* (inquit) *quasi materia huius Sacramenti ipsius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio: qui quatenus in Pœnitente, ad integritatem Sacramenti, plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur*; & can. 4. *Si quis negauerit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, scilicet Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, & tres Pœnitentiæ partes dicuntur, Anathema sit.* Materia proxima Sacramenti, Pœnitentiæ, actus Pœnitentis.

D

Qua definitione supposita, Restat inquirere Quales esse debeant isti actus? & quibus conditionibus præditi, vt possint esse materia Sacramenti? Etenim non agimus modo de satisfactione, quam constat non esse partem essentialem in executione, cùm ante exhibitionem satisfactionis Sacramentum perficiatur, & conferatur gratia; sed sufficit satisfactio in proposito, quæ in ipsa confessione & acceptatione Pœnitentis includitur, sed agimus solùm de materia essentialiter requisita ex parte Pœnitentis (scilicet Contritione & Confessione.) Et reducitur difficultas ad duo, Alterum circa substantiam istius materiæ, An tales actus debeant esse supernaturales, & veram speciem Attritionis habere, vt sint materia sacramenti? Alterum circa conditionem Confessionis, An debeat esse facta in præsentia Sacerdotis, ita vt in absentia sit nulla?

E

Contritio debet esse supernaturalis.

Circa primum oportet præ oculis habere, quod licèt Contritio simul habeat rationem dispositionis ad effectum Sacramenti, qui est sanctificatio, Contritio vt dispositio ad effectum Sa-

cramenti, & vt eius pars.

& rationem partis, seu materiæ componentis ipsum Sacramentum antecedenter ad eius effectum, longè tamen diuersa formalitas & consideratio est, inquantum materia Sacramenti, & inquantum dispositio ad effectum illius; Nam ad hoc vt sit dispositio ad iustificationem, est certum dolorem debere esse supernaturalem in se, id est donum & impulsum Spiritus sancti, vt docet Concilium Trident. sess. 14. cap. 4. Et vlterius debet habere alias duas conditiones, vt sit sufficiens dispositio (scilicet respectu peccatorum antecedentium) vt vniuersaliter sit detestatio de omnibus; & respectu peccatorum futurorum, vt sit voluntas efficax & propositum euitandi omnia, non velleitas tantùm & inefficax voluntas. Ad hoc autem vt B sit materia & pars Sacramenti, non est certum omnia ista requiri; sed videtur sufficere quod peccata manifestentur, & subjiciantur clauibus Ecclesiæ, vt Sacramentum sit validum, & liberetur quis ab obligatione confitendi peccata.

Idcirco vt dicemus art. vltimo, Potest dari Sacramentum informe, id est, carens effectu gratiæ, quæ est forma iustificans, & tamen in se esse verum & validum sacramentum; quia potest componi ex Attritione, sub ea ratione, qua sufficit vt sit materia Sacramenti, & carere illa sub ea ratione, quæ requiritur vt sit dispositio ad gratiam; quod vtique difficillimum est explicatu. In præsenti autem omissa ratione dispositionis in Contritione, de quo dicemus articulo vltimo, solùm C inquirimus quid requiratur & sufficiat in Contritione vt sit materia & pars Sacramenti, ita vt Sacramentum validum constituat? quidquid sit An habeat effectum iustificationis, vel non habeat? An necesse sit quod sit supernaturalis dolor, & habeat reliquas conditiones dictas, vel non?

Diuiduntur Auctores in hac parte; Quidam tenent sufficere ad materiam Sacramenti displicentiam peccatorum naturalem, & ex naturali motiuo ortam, etiam si cognita sit vt talis. Alij dicunt, Per se requiri dolorem supernaturalem; per accidens tamen sufficere naturalem, si existimetur esse supernaturalis. Alij requirunt supernaturalem dolorem cum reliquis conditionibus attritionis, ita vt si in re non sit talis, quantumcumque D existimetur talis esse, Sacramentum sit nullum. Prima sententia patronos habet aliquos graues Doctores, qui dupliciter illam explicant. Quidam, Quod sufficit quælibet displicentia peccatorum, etiam sine efficaci proposito non peccandi. Quam sententiam aut significant, aut tenent Caietanus tom. 1. tract. 5. quæst. 5. Victoria, Cano, Ledesma & Alij. Temperant tamen hanc sententiam Soto in 4. dist 18. quæst. 3. art. 3. Nauarrus & Alij, Quod sufficit quidem ad materiam Sacramenti naturalis dolor, seu ex motiuo humano, cum efficaci tamen & absoluto proposito non peccandi.

Qui secundam sententiam sequuntur, etiam E differenter procedunt; Nam quidam dicunt per se requiri dolorem supernaturalem, per accidens autem posse naturalem sufficere, dummodo existimetur supernaturalis, etiamsi talis existimatio procedat ex ignorantia vincibili & culpabili; Alij verò in hoc vltimo puncto disconueniunt, & dicunt sufficere quidem aliquando dolorem naturalem existimatum supernaturalem, dummodo illa existimatio proueniat ex inculpabili ignorantia; & consequenter sufficiens diligentia sit adhibita vt supernaturalis attritio eliciatur. Priorem modum dicendi attribuunt Aliqui Soto, Siluestro, Cano, Nauarro, præter Alios antiquiores, qui non satis rem explicant. Secundum sequitur Petrus de Soto. Tertiam sententiam sequitur Suarez, hîc disput. 10. sect. 4. num. 6. citatque pro se omnes Auctores, qui sentiunt non dari Sacramentum Pœnitentiæ informe, cùm tamen ipse oppositum sentiat; quod quàm consequenter dicatur, postea videbimus.

Attritio ex solo motiuo naturali, insufficiens ad Sacramentũ Pœnitentiæ.

In hoc puncto existimo non eodem modo loquendum esse de supernaturalitate, atque de aliis conditionibus, quæ inueniuntur in Attritione efficaci; sed supernaturalitatem existimo requiri ex parte materiæ in dolore & confessione; *ita vt sine supernaturalitate verè & in re posita in illo actu, Sacramentum sit nullum*: vt quando quis accedit ex solo motiuo naturali; alias verò conditiones ad attritionem efficacem requisitas pertinere ad attritionem vt dispositio est, & poterit aliquando sine aliqua illarum Sacramentum esse validum, licèt non fructuosum. In quo oportet Ministrum esse valde vigilantem in inquirendo motiuo ex quo Pœnitens mouetur ad dolorem, præsertim cum hominibus rudibus & ignorantibus, quos debent exhortari vt accedant cum dolore & motiuo supernaturali; hoc est, regulato per fidem, seu concepto ex motiuis quæ docet fides, vt ex timore inferni, turpitudine peccati, amore ipsius Dei & virtutis, &c. Sicut enim in aliis Sacramentis Minister debet attendere diligenter vt vera materia sibi adhibeatur ad perficiendum Sacramentum, vt (verbi gratia) vera aqua naturalis, vel oleum verum, verus panis, &c. Ita in hoc Sacramento Pœnitentiæ debet procurare quod Pœnitens debitam & proportionatam materiam apponat, scilicet supernaturalem dolorem; quod si noluerit nisi tantùm ex naturali motiuo accedere, non potest Sacramentum perficere.

Vt fundamentum & ratio huius conclusionis tradatur, oportet aduertere, Inter actus supernaturales, & ad aliquam virtutem infusam pertinentes, esse magnam latitudinem; & aliquos esse imperfectos in genere supernaturali, alios perfectos & efficaces, sicut etiam in reliquis virtutibus inueniuntur; Nam aliquando in materia alicuius virtutis, habemus aliquos actus inefficaces, qui quidẽ tale obiectum & materiam virtutis attingunt, sed non habent efficaciã ad executionẽ, neque firmiter in voluntate adhærent, sicut sunt multa pia desideria & proposita rectè viuendi, aut operandi in aliqua virtute; verbi gratia in Temperantia vel Iustitia, quæ desideria bona sunt, & ad tales virtutes reducuntur & pertinent, non tamen ad effectum perducunt, quia vel ex praua consuetudine, vel ex aliis occupationibus languescit animus circa opera virtutis, nec habet imperium efficax ad talem executionem.

Et idem prorsus contingit in actibus supernaturalibus; Vnde auxilia sufficientia, etiam in genere supernaturali, actus quidam sunt pertinentes ad aliquas virtutes; verbi gratia aliquis timor Dei, aliquod desiderium beatitudinis, & aliquæ aliæ bonæ inspirationes, siue ex parte intellectus, siue voluntatis; qui tamen actus & auxilia carent effectu, & aliis conditionibus requisitis, vt efficaciter moueant voluntatem, siue motione morali, siue physica, & tamen in se supernaturales actus sunt; Eodem modo in virtute Pœnitentiæ possunt dari aliqui actus imperfecti, sed supernaturales,

quia co[m]piuntur ex motiuo supernaturali; verbi A gratia ex timore condemnationis æternæ; & respiciunt ipsam institutionem Christi in hoc Sacramento, cuius Passione & Sanguine desiderat quis sua peccata deleri; & tamen nondum perfectè & efficaciter mouetur voluntas ad relinquendum omnia peccata & occasiones. Alij verò sunt actus perfecti, qui non solùm hoc desiderant & intendunt, sed etiam efficiunt.

Dicimus ergo, Quod vt actus Pœnitentis sint materia huius Sacramenti, indispensabiliter & essentialiter requiritur quod sint actus supernaturales, modo inferius explicando; & ita neque per se, neque per accidens fit Sacramentum, nisi verè & in re ille dolor sit supernaturalis, quia hoc requiritur ex institutione Christi: reliquæ verò conditiones, quæ requiruntur ad hoc quod attritio sit efficax & perfecta, magis pertinent ad rationem dispositionis vt Sacramentum ipsum habeat effectum; vnde non repugnabit aliquando sine ipsis Sacramentum validum fieri.

Prima pars conclusionis insinuatur à sancto Thoma in hac quæst. 84. art. 1. ad 2. vbi inquit, *Quod in hoc Sacramento actus humani sunt pro materia, qui proueniunt ab inspiratione interna: vnde materia non adhibetur à Ministro, sed à Deo intus operante;* ergo sanctus Thomas requirit pro ratione materiæ actus ex inspiratione interna, & à Deo operante procedentes, quo nomine supernaturales actus solent designari. Eadem etiam pars significatur in Concilio Trident. sess. 14. cap. 3. C verbis supra relatis, dum inquit, *Quod sunt quasi materia actus Pœnitentis, qui quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.*

Vnde fit Argumentum, Ea ratione isti actus sunt materia Sacramenti, qua sunt partes illius cùm non sint partes tanquam forma, sed tanquam materia, sed ratio qua Conciliũ dicit esse partes est ratio supernaturalis, ergo ratio qua sunt materia, & non solùm dispositio, debet esse supernaturalis. Minor probatur, Quia ea ratione docet Concilium esse partes, *quatenùs ex diuina institutione* D *ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem requiruntur;* hoc autem totum est supernaturale, quia institutio Christi, & integritas Sacramenti non est ordinis naturalis, sed supernaturalis, cùm fundetur in redemptione Christi, quæ est aliquid supernaturale. Similiter plena & perfecta remissio peccatorum, omninò supernaturalis est; ergo tota ratio & formalitas, qua isti actus dicuntur materia & partes Sacramenti, supernaturalis est, vtpotè ad res istas supernaturales ordinata.

Quomodo autem hoc Argumentum non probet omnem materiam Sacramenti esse etiam dispositionem sufficientem, & consequenter non dari Sacramentum informe, articulo vltimo ostendemus; Nunc autem sufficit, quod efficaciter pro- E bet rationem illam materiæ esse supernaturalem. Omitto quod dicit Concilium cap. 4. *Attritionem hanc esse donum Dei, & impulsum Spiritus sancti;* posset enim quis effugere, dicendo quòd loquitur de Attritione dispositionis, non præcisè in ratione materiæ.

Et hinc sumitur fundamentum ex ratione, Quia actus Pœnitentis non possunt induere rationem materiæ, nisi quatenus subjiciuntur formæ, & habilitantur ad illam; sed non possunt subjici nisi sint actus supernaturales, & non solùm ex motiuo naturali; ergo vt reddantur materia Sacramenti debent esse supernaturales ex ipsa relatione & habitudine ad formam. Maior est per se nota, & minor probatur, Quia forma huius Sacramenti est per modum sententiæ absolutiuæ à peccatis; ergo materia quæ est accusatio rei, talis esse debet, quod forma possit operari in illa, & subjicere ipsi remissioni peccati talem materiam; qui autem ex motiuo naturali sujicit peccata tali iudicio & sententiæ, non verè subiicit ea clauibus Ecclesiæ & Passionis Christi, quia Sanguis Christi non est medicina naturalis, neque Christus mortuus est pro rebus temporalibus acquirendis, neque ad B tollenda peccata vt sunt contra salutem, vel honorem, aut aliquod temporale; neque claues Ecclesiæ aperiunt nisi regnum cœlorum; qui autem ex voluntate accedit ad Sacramentum, quia peccatum est contra salutem, &c. non quærit regnum cœlorum, neque medicinam Sanguinis Christi; & sic non subiicit propriè & verè peccata sua clauibus regni cœlorum, neque Sanguini Christi.

Dices, Etiam forma Baptismi informat materiam, neque operatur in illa nisi supernaturaliter; & forma consecrationis non consecrat panem nisi supernaturaliter, & tamen panis est aliquid naturale, & ablutio aquæ aliquid naturale est; ergo illa consequentia non est bona, Forma Sacramenti est supernaturalis, verbi gratia absolutio, & modo supernaturali operatur; ergo materia, quæ ad illam ordinatur, & est habilis ad illam, supernaturalis est. Respondetur, Esse longè disparem rationem, Quia alia Sacramenta habent pro materia aliquod inanime, quod sola extrinseca denominatione subiicitur, & ordinatur ad formam, quæ tali materiæ adhibetur: Et illa ordinatio aliquid supernaturale est extrinsecè; sed non supponitur ex parte ipsius materiæ, sed resultat ex ordinatione Ministri, qui eam adhibet, & ordinat ad formam, & ad componendum Sacramentum.

Materia Sacramenti Pœnitentiæ, vt necessariò supernaturalis, & eiusdem rationis cum forma.

At verò in Sacramento Pœnitentiæ, Materia est actus humanus, non ab ipso Ministro elicitus, sed à Pœnitente; vnde per se Sacerdos non ordinat materiam ad formam, quia non subiicit peccata clauibus, sed supponit ordinatam à Pœnitente. Imò cùm forma Sacramenti sit Absolutio per modum sententiæ & iudicij, non debet proferri nisi iuxta allegata & confessa à reo; vnde si absolutio est supernaturalis, ipsa confessio rei, quâ se subiicit tali sententiæ, debet procedere à voluntate supernaturali, & detestatione peccatorum ordinata ad claues Ecclesiæ & ad Sanguinem Christi; quæ ordinatio non potest conuenire actui illi humano per denominationem extrinsecam, sed per ordinem & tendentiam ad objectum, & mediante aliquo motiuo; quod non potest esse ordinis naturalis.

Ex quo fundamento sequitur, Quod si ille dolor, & confessio inde sequuta non habeant istam supernaturalitatem, siue scienter, siue ignoranter, Sacramentum est inualidum. Et ratio est manifesta; Quia materia Sacramenti, quæ requiritur ex diuina institutione, ita debet poni verè & in re, quod non potest suppleri per ignorantiam, vel existimationem quantumcumque inuincibilem; quia materia existimata non est materia instituta à Christo; Sacramentum autem essentialiter componitur ex materia instituta, non ex materia existimata, vt constat in omnibus aliis Sacramentis.

A Si quis enim in pane aut vino existimato, sed non vero, consecret, nihil facit; & similiter si baptizet in aqua existimata naturali, sed non vera; aut si contrahat cum consensu existimato, sed non vero, nihil facit; ergo cùm materia Pœnitentiæ ex institutione Christi iuxta Concilium Trident. sit actus Pœnitentis, qua ratione ordinantur ad integritatem Sacramenti, & ad plenam remissionem peccatorum, quæ ordinatio supernaturalis est, manifestum relinquitur quod remota supernaturalitate in re, non manet materia instituta à Christo pro isto Sacramento; ergo quantumcumque existimetur esse talis, non conficitur Sacramentum; sicut si aliquid panis non est in re, quan- B tumcumque existimetur esse, non fit consecratio.

Secunda pars conclusionis, licèt multum dependeat ex tractandis articulo vltimo, vbi ostendemus posse dari Sacramentum informe, licèt validum, quod non posset esse si contritio requisita ad materiam & constitutionem Sacramenti haberet omnia requisita vt esset dispositio ad effectum Sacramenti, tamen hìc breuiter explicatur, Quia supernaturalitas, quæ requiritur in contritione ex institutione Christi, est supernaturalitas qua aliquis se ordinat ad claues Ecclesiæ, & ad Passionem Christi, implicitè vel explicitè; efficacia autem propositi, & aliæ conditiones requisitæ in contri- C tione, ex ipsa natura rei requiruntur, quatenus est virtus operans & disponens ad expulsionem peccati.

Actuum consideratio, vt sunt pars Sacramenti, in ratione virtutis.

Vnde istæ conditiones magis pertinent ad rationem dispositionis in contritione, quàm ad rationem materiæ; Nec otiosè Concil. Trident. sed cum magno pondere, dixit, *Ipsos actus ea ratione esse partes Sacramenti, quatenùs ad integritatem Sacramenti, & ad plenam remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur*; Notetur valde illud verbum, *Ex Dei institutione*. Neque enim sunt partes, nec materia Sacramenti quatenus D solùm ex natura rei, & in ratione virtutis ad remissionem peccatorum requiruntur (sic enim potius sunt dispositio, quàm materia) sed quatenùs *ex institutione Dei requiruntur*, quæ institutio consistit in hoc, quod actus Pœnitentis non solùm sint dolor de offensa Dei (id enim etiam ante institutionem huius Sacramenti ex ipsa natura virtutis Pœnitentiæ habebant) sed quod sint dolor cum subiectione ad claues Ecclesiæ, intendendo per modum iudicij sacramentalis expiare peccata. Hæc est supernaturalitas illorum actuum, ex institutione Christi requisita: & ista si deficiat, deficit materia Sacramenti, & Sacramentum est nullum, quantumcumque ex motiuo naturali aliquis accedat, vel potius fingat se accedere ad E claues Ecclesiæ.

Cui doctrinæ mirabiliter concordat doctrina S. Thomæ in 4. dist. 17. qu. 3. art. 4. vbi distinguit confessionem, vt est actus virtutis, & vt est pars Sacramenti; Vt est actus virtutis, dicit *Quod est actus meritorius: vt autem est pars Sacramenti, ordinat confitentem ad Sacerdotem qui habet claues Ecclesiæ; & tamen hæc confessio potest esse in eo qui non est contritus.* Ita sanctus Thomas, vbi explicat rationem partis Sacramenti seu materiæ, per illam ordinationem Pœnitentis ad Sacerdotem, quæ vtique ordinatio est aliquid supernaturale; quia si verè & propriè aliquis subijcitur clauibus Ecclesiæ, vtique verè & propriè debet quærere regnum cœlorum, quia solum istud aperitur per illas claues; Si autem non verè, sed fictè illis subijcitur, non mirum quod non conficiatur Sacramentum. Constat autem quod beatitudo & regnum cœlorum aliquid supernaturale est; ergo non potest verè ordinari ad illud, nisi subordinatione supernaturali; præsertim cùm ex institutione Christi hoc superadditum sit, vt non possit quæri regnum cœlorum à peccatore, nisi per claues Ecclesiæ & operationem Sanguinis Christi in hoc Sacramento, quod totum supernaturale est; ergo qui solo motiuo naturali mouetur, non pro regno cœlorum verè mouetur, neque verè subijcitur clauibus & Sanguini Christi.

Sed obijcies, Nam si id quod solùm requiritur ex parte dispositionis, & non in ratione materiæ, etiamsi scienter omittatur, dummodo habeat quis intentionem perficiendi Sacramentum, & adhibeatur materia, & forma requisita, Sacramentum validum est, vt patet, quando fit Baptismus à legitimo Ministro in materia debita, & tamen Baptizatus scienter nullam habet attritionem; Baptismus est validus. E contra verò, si id quod se tenet ex parte materiæ; non solùm scienter, sed etiam ignoranter omittatur, Sacramentum est nullum: Sed si quis scienter confitetur sine efficaci proposito, aut sine debito examine, & aliis requisitis ad attritionem in ratione dispositionis, Sacramentum est nullum; ergo quoad hoc pari passu currunt, seu requiruntur supernaturalitas actuum, & alia requisita in ratione dispositionis; & hoc quod nos dicimus dispositionem, debet esse materia; quia si solùm esset dispositio, etiamsi scienter omitteretur, Sacramentum teneret.

Confirmatur, Quia non est maior ratio cur ille qui ignoranter caret efficaci proposito, putans se illud habere, faciat Sacramentum validum, licèt non fructuosum, & tamen qui sine dolore supernaturali accedit, etiam ignoranter, existimans tamen se habere supernaturalem dolorem, non faciat validum Sacramentum; siquidem tam occultum nobis est, quod aliquis actus sit supernaturalis, quàm quod sit efficax, immò magis occultum, quia supernaturalitas est magis remota à nobis, vtpotè alterius ordinis. Vnde si haberetur pro intolerabili onere quod requireretur pro materia Sacramenti attritio efficax in re, ita quod si illa in re deficeret, de facto non esset Sacramentum; quia sic non possent quietari conscientiæ, sed ferè semper tenerentur repetere confessiones, quia nunquam ferè constat dari in re hoc propositum efficax, cum cæteris conditionibus requisitis; sic enim constaret nos esse in gratia suscepto Sacramento. Si autem in re non est attritio efficax, non est validum Sacramentum; & si non est validum, tenetur repetere confessionem, quod esset intolerabile onus in Ecclesia.

Idem autem inconueniens currit in nostra sententia; quia dicimus, Quod si in re non sit supernaturalis dolor, Sacramentum est inualidum, etiamsi ignoranter omittatur; & de illa supernaturalitate non possumus esse certi, magis quàm de efficacia propositi & de aliis conditionibus requisitis; ergo semper teneremur repetere confessiones propter incertitudinem supernaturalitatis, cuius defectus inualidat Sacramentum.

Respondetur ad principale Argumentum, Verum esse, quod siue scienter, siue ignoranter omittatur id, quod se habet vt materia Sacramenti, Sacramentum est nullum; ideoque si dolor & confessio careant omni supernaturalitate, & solùm

ex

ex motiuo naturali ducantur, Sacramentum est nullum; quia talis verè & propriè non subijcitur clauibus Ecclesiæ, neque quærit regnum cœlorum, & medicinam peccati in Sanguine Christi; quia totum hoc extra motiuum naturale est.

Similiter admittimus, Quod si scienter accedatur sine dispositione, dummodò subsistat materia & forma Sacramenti, validum sacramentum conficitur; sed negamus hîc posse scienter tolli dispositionem, quin tollatur materia, & non fiat inualidum Sacramentum; non quia scienter relinquit dispositionem requisitam ad ipsum effectum Sacramenti, sed quia existente hac scientia, habet voluntatem persistendi in peccato; & sic non quærit remedium illius, & consequenter verè non se subijcit clauibus regni cœlorum, quatenus regnum cœlorum est. Regnum enim cœlorum, vt inquit Christus, intra nos est; ille autem solùm extrinsecus clauibus Ecclesiæ se fingit subijcere. Vnde non quia deest dispositio ad effectum Sacramenti, sed quia in illo actu deest ordinatio & subiectio vera & interna ad claues Ecclesiæ, non est ille actus materia Sacramenti, quia deest illi id quod ex institutione Christi requiritur in actu Pœnitentis ad integritatem Sacramenti, & ad plenam remissionem peccatorum; scilicet ordinatio ad claues Ecclesiæ vera & interna, & non solùm in ratione dispositionis, sed etiam in ratione materiæ deficit.

Ad confirmationem, Negamus paritatem inter supernaturalitatem actus & efficaciam propositi, & sufficientiam examinis; & dicimus supernaturalitatem actus non ita posse humano modo occultari, vt inde conscientiæ fidelium possint inquietari, sicut si illæ conditiones ad dispositionem & effectum Sacramenti requisitæ, requirerentur in re, & non possent quoad valorem Sacramenti per ignorantiam suppleri; Nam supernaturalitas requisita ad materiam Sacramenti dupliciter potest cognosci, vno modo in se immediatè, alio modo in suis motiuis, quæ non possunt homini occultari, cùm proponantur per intellectum; sicut etiam materiæ aliorum Sacramentorum dupliciter possunt cognosci, vno modo in se, videndo ipsam substantiam (verbi gratia substantiam aquæ, aut panis aut vini) alio modo in suis accidentibus, quibus sensibiliter cognoscimus hoc esse panem, & illud vinum & illud aquam; & hoc ipso quod mediantibus accidentibus communiter notis res istæ cognoscuntur, conscientiæ Ministrorum non manent scrupulosæ, sed quietæ, licèt aliquando per accidens possit contingere quod aliquis fallatur, & existimet hoc esse vinum vel aquam, quod in re non est; & tunc non conficietur Sacramentum, quantumuis bona fide Minister procedat.

Similiter in Sacramento Pœnitentiæ, actus contritionis & confessionis non possunt immediatè in se videri, An habeant supernaturalitatem, sed motiua supernaturalitatis, quibus tangitur obiectum talium actuum, non possunt latere, cùm sint aliquid fixum & determinatum, & per intellectum propositum; & sic videt An moueatur ex motiuo ordinis naturalis, an ex tendentia & ordine ad claues Ecclesiæ, ad quærendum remedium pro suis peccatis? Vnde si interrogetur à Confessario, quo motiuo accedat? facilè respondet, quia motiuum nunquam latet; & hoc sufficit tam ex parte Ministri vt cognoscat materiam Sacramenti, quàm ex parte Pœnitentis, vt illam exhibeat; quia in motiuis perpendit supernaturalitatem, non in se. Si autem aliquando per accidens aliquis in hoc fallatur, reputando pro motiuo supernaturali id quod solùm naturale est, non mirum quod nullum conficiat Sacramentum, sicut in aliis materiis Sacramentorum.

Vnde quando quis cognoscit se nihil supernaturalitatis habuisse in dolore; tenetur confessionem repetere, quod tamen rarissimè continget; quia semper iudicandum est de supernaturalitate penes motiua, sicut iudicamus nos habere fidem supernaturalem ex motiuis credendi; neque est vnde timeatur aut inquietentur conscientiæ, An habeant vel non habeant fidem supernaturalem, cùm tamen sit certissimum, quod si in re non detur fides supernaturalis, non saluabitur: Quare ergo admiramur hoc ipsum in supernaturalitate attritionis?

At verò de efficacia propositi, & de sufficientia examinis aliisque conditionibus ex parte voluntatis requisitis, alia est ratio; quia istæ non dependent solùm ex motiuo & obiecto actus, quod ab intellectu cognoscitur & proponitur, sed ex conatu & diligentia nostra, quam adhibemus, quod est valde contingens, & difficile cognitu; quia obiectum & motiuum actus est aliquid fixum & determinatum, & per intellectum propositum; vnde non potest ita latere humano modo; at verò diligentia & conatus voluntatis est valde mutabilis, & frequenter putamus nos adhibere in aliquo negotio sufficientem diligentiam, & fallimur, quia plus possemus facere, & non facimus. Est enim valde difficile, hominem semper esse vigilantem, & non remissè se habere; & cùm res ista sit interna, & coram Deo in veritate agatur, non possumus perfectè cognoscere, cùm in aliquo deficiamus, & non apponamus omnia requisita ex parte diligentiæ & conatus & determinationis voluntatis. Vnde si istæ conditiones requirerentur ex parte materiæ, ita vt sine illis Sacramentum esset inualidum, semper conscientiæ manerent dubiæ de valore Sacramenti, & tenerentur repetere confessiones.

Si instes, Integritas Confessionis non est minus essentialis quàm supernaturalitas doloris; & tamen per ignorantiam aut coarctationem temporis, vel ex aliis causis potest suppleri, & sufficit integritas formalis; ergo similiter requiretur essentialiter dolor supernaturalis, & aliæ conditiones attritionis; & tamen supposita ignorantia sufficiet dolor non in re & entitatiuè supernaturalis, sed existimatus talis.

Respondetur falsum esse, quod integritas materialis confessionis sit de essentia Sacramenti absolutè loquendo, sed solum integritas possibilis moraliter, quæcumque illa sit. Aliquando enim potest fieri de omnibus absolutè, aliquando solùm de aliquibus; & illa sunt omnia tunc possibilia. Vnde quando ex aliquo accidenti non dicuntur omnia peccata absolutè, sed quæ possunt dici pro tunc, non mutatur materia essentialiter requisita & formaliter, sed ponuntur res in alio statu, in quo totalis integritas reducitur ad pauciora peccata quàm sint in re, quia humano modo & moraliter non sunt plura; subiectio autem ad claues Ecclesiæ vera & interna, quæ supernaturalis est, requiritur ex institutione Christi, & ordinatur ad plenam & perfectam remissionem peccatorum; & sub ea ratione actus Pœnitentis sunt partes & materia Sacramenti, vt dicit Concilium; & ita re-

quiritur quod ponatur in re; & secundum institutionem Christi, non secundum nostram existimationem.

Nulla est Confessio facta Sacerdoti absenti.

Confessio in absentia & per internuntium reprobata.

Ita dicendum est omnino in hoc tempore, post decretum Sedis Apostolicæ. Fuit quidem apud Aliquos ex veteribus opposita opinio in vsu, licèt multi citari soleant pro illa, qui aut parum dicunt, aut valde obscurè loquuntur. Nostra tamen ætate superioribus annis non solùm in disputationibus publicis defensata fuit, etiam in hac Academia Complutensi, sed etiam practicata, & in vsu Fidelium posita; Vnde oportuit rem hanc ad Sedem Apostolicam remitti, & eius auctoritate terminari. Et proposita fuit quæstio ac definita a Clemente VIII. anno 1602. Cuius decreti tenor talis est. *Sanctissimus Dominus noster auditis votis,&c. & re maturè ac diligenter considerata, Hanc propositionem (scilicet licere per literas, seu internuntios Confessario absenti sacramentaliter confiteri. & ab eodem absente absolutionem obtinere) ad minus vti temerariam & scandalosam damnauit, atque prohibuit, præcepitque ne ista quæstio publicis priuatisue lectionibus, concionibus aut congressibus doceatur, neue vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur.*

Ex natura rei & Christi ipsa institutione, nulla absolutio in absentia.

Qua definitione stante, Dicendum est hoc ipsum ex institutione Christi dimanare, & ex ea necessariò consequi; ita vt Confessio, aut Absolutio in absentia facta, reddat inualidum Sacramentum. Neque enim hoc fundatur in aliquo speciali præcepto Ecclesiæ, vel Christi Domini, præter institutionem ipsius Sacramenti; Neque enim de hac re datur præceptum, eo modo quo in Sacramento Eucharistiæ est præceptum de infundenda aqua in calicem, & tamen sine aqua validè consecratur vinum. Cùm autem hîc tale præceptum de confitendo in præsentia non inueniatur seorsum datum à Christo vel Ecclesia, sine dubio ex ipsa institutione Sacramenti, eiusque natura consequi & dimanare credendum est. Vt autem res ista exactius cognoscatur, & tradatur fundamentum quo Ecclesia ad hanc definitionem adducta est.

Soluuntur Argumenta.

Arguitur contra conclusionem, Nam in primis Pontifex non dicit, nisi *Non licere*: non tamen dicit factum non tenere, si fiat; ergo sine fundamento nos ampliamus istam definitionem, dicendo, Quod ex vi illius non solùm non est licitum sic ministrare, sed neque factum tenet.

Arguitur secundò, Quia Pontifex solum damnat propositionem copulatiuam, non diuisiuam (scilicet licere absenti Confessario sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere) ita quod vtrumque simul non liceat; non autem inferri potest, quod saltem alterum non licebit; verbi gratia absenti Confessario literas peccatorum mittere, vt postea ipse veniens in præsentia absoluat.

Arguitur tertiò, Quia in extrema necessitate hoc licèt; ergo absolutè est validùm Sacramentum etiam in absentia Sacerdotis. Antecedens patet, Quia ita post Clementem VIII. videtur determinari in Rituali Romano Pauli V. in Rubricis de Sacramento Pœnitentiæ, vbi dicitur, *Quod quando infirmus amittit loquelam, & Confessarius accedit, procuret eius aliquod peccatum cognoscere; & quocumque modo, siue in genere siue in specie, siue per se, siue per alium peccata cognoscat, absoluat eum*: sed hoc quod est peccata per alium cognoscere, non contingit nisi quando Pœnitens non potest in præsentia Sacerdotis manifestare peccata, sed aliqui testificantur dedisse signa Pœnitentiæ ante amissum sensum; ergo in aliquo casu valere potest confessio facta in absentia Sacerdotis. Nec sufficit dicere, Quod ipse Sacerdos in illo casu est præsens Pœnitenti, quando dat absolutionem, & perficit Sacramentum; & hoc solum Pontifex vult. Nam illa præsentia Pœnitentis sine sensu, non est præsentia ipsius confessionis, sed est præsentia physica illius corporis, seu hominis moribundi, quæ nihil magis conducit ad Sacramentum Pœnitentiæ, quàm præsentia lapidis, vel ligni. Si enim ipsa confessio non est præsens Sacerdoti, quid refert illum hominem esse physicè præsentem; alias posset etiam dici, quod si quis mitteret literas de peccatis Sacerdoti, posset postea superueniens homini illi, etiam dormienti, impendere absolutionem, quod est absurdum; ergo requiritur præsentia moralis & humana, & non solùm physica.

Arguitur quartò, Integritas Confessionis est per se & essentialiter requisita ad Sacramentum, & tamen in extrema necessitate sufficit aliquod peccatum confiteri, quia solùm illud est possibile; ergo similiter, licèt per se requiratur confessionem fieri in præsentia Sacerdotis, tamen si pro aliquo casu illa non est possibilis (verbi gratia propter infirmitatem, aut clausuram Pœnitentis vel Sacerdotis) sufficiet præsentia moralis per literas, quia illa solùm est possibilis. Vltimò arguitur, Quia non apparet in quo fundetur hæc necessitas præsentiæ Pœnitentis & Confessarij; Non in expressa Christi institutione seu præcepto, quia non extat; Non in consecutione necessaria ad institutionem Christi, siue ex parte materiæ, siue ex parte formæ; Nam hoc Sacramentum institutum est per modum iudicij, quod ex natura sua potest fieri in absentem; sicut Matrimonium, quia ex natura sua est contractus, qui potest inter absentes celebrari, etiam inquantum Sacramentum potest inter absentes fieri; ergo similiter cùm iudicium ex natura sua possit fieri in absentem, & reus in iudicio possit suam confessionem vel defensionem tradere per scriptum, in absentia iudicis, etiam id poterit fieri in hoc iudicio quatenus Sacramentum est.

Ad primum Respondetur, Quæstionem hanc nunquam fuisse circa ipsam Confessionem quoad rationem liciti tantùm, sed etiam quoad rationem validi, An scilicet factum teneret, si quis in absentia confiteretur? Et sic fuit proposita quæstio Pontifici, & hoc modo res est intellecta ab omnibus Doctoribus & Fidelibus; immò non potest hîc separari ratio liciti à ratione validi; quia si est illicitum Pœnitenti confiteri in absentia, ergo sic confitendo peccat; & cùm scienter id faciat, nullum Sacramentum facit, quia scienter in peccato accedit; nec potest excusari ignorantia, quia videt oppositum esse vniuersalem praxim Ecclesiæ. Constat autem quod hoc præceptum, si datur, Pœnitenti est impositum, cui non licet absenti Confessario confiteri; onus autem confitendi ipsi Pœnitenti incumbit; ergo si Pœnitens in absentia

Illicita cōfessio in absentia, in nulla.

confitetur, illicitè facit, & cum peccato accedit. Denique hoc præceptum neque inuenitur expressè positum à Christo Domino, neque seorsum ab Ecclesia, sicut præceptum de miscenda aqua in Calice, & de aliis ceremoniis Sacramentorum; ergo si non licet sic confiteri, ideo est, quia ex natura talis Sacramenti id postulatur, & sic si non fiat, factum non tenebit.

Ad secundum Respondetur, Non solùm damnari copulatiuam, sed etiam diuisiuam propositionem; ita quod confessioni in absentia factæ nunquam liceat absolutionem impendere, neque mittendo illam absenti, neque veniendo, & in præsentia illam impendendo; Non mittendo illam, quia iam hoc esset vtrumque copulare, scilicet confiteri in absentia, & absoluere; Non veniendo ad præsentiam Pœnitentis post literas peccatorum missas, & ibi absoluendo; Quia vel in præsentia Sacerdotis Pœnitens ratificat confessionem, petitque absolutionem, vel non, sed tantùm Sacerdos in præsentia absoluit eum virtute scripti ad se missi; si primum, iam fit confessio in præsentia Sacerdotis, quia idem est scriptum illud ratificare in præsentia & absolutionem petere, atque confiteri; certificatur enim in præsentia Sacerdos de statu Pœnitentis; si secundum, est perinde atque absoluere in absentia, & eadem inconuenientia sequuntur, quia per talem præsentiam non magis certificatur Sacerdos de statu Pœnitentis quando profert absolutionem, quàm per scriptum certificabatur; & potest contingere quod Pœnitens mutauerit voluntatem, & actu nunc peccet quando Sacerdos profert absolutionem; vnde de præsenti non habet materiam quam tali absolutioni subijciat, quia ignorat illam de præsenti.

De Moribundo.

Moribundi absolutio valida, cùm petijsse eũ Pœnitentiam præsentes testantur.

Ad tertium Respondetur, In primis verba Rubricæ in Rituali Pauli V. non omnino esse clara; Quia quando dicit, *Quod siue peccata per se, siue per alium cognoscat, eum absoluat*; ly *per alium* potest intelligi per interpretem, quando ille infirmus taliter est impeditus, quod licèt habeat sensum, non tamen potest intelligi à Sacerdote, etiam per nutum, vel quia est alterius linguæ, vel ex alio impedimento: Verè tamen non existimo sic esse restringendam illam Rubricam, sed loqui Pontificem simpliciter, quando infirmus petiuit confessionem Sacerdote non præsente, & postea superueniens Sacerdos inuenit ipsum sine sensu, & per alios cognoscit statum Pœnitentis; in tali enim casu non confitetur ille Sacerdoti absenti, sed præsenti, ea præsentia quæ sufficit vt certificetur Sacerdos de statu Pœnitentis, quando profert absolutionem; quia illi qui dant testimonium de signis contritionis & pœnitentiæ infirmi, se habent quasi interpretes illius vsque ad illud instans, quo amittit sensum; exinde verò jam non vtitur sensu neque discursu; & de hoc certificatur Sacerdos in præsentia, quando videt nullo modo neque in genere, neque in specie posse infirmum se explicare, & tamen constat adhuc viuere ex pulsu, vel palpitatione cordis; & aliunde illi qui se habent vt interpretes explicant pœnitentiam, quam petiuit infirmus: hoc autem semper Ecclesia judicauit pro sufficienti præsentia ad hoc iudicium Sacramentale, quia semper præcipit vt talis absoluatur, vt constat ex Concil. Carthagin. 4. cap. 76. & ex Concil. Arauf. 1. cap. 12. & ex sancto Leone Papa in epist. 91. vbi sic inquit, *Quod si aliqua ægritudine fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia his Fidelibus circumstantium prodesse debebunt, vt sic & Pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.* Et eodem prorsus tenore citata Concilia loquuntur.

Neque dictæ auctoritates explicari possunt de sola absolutione Ecclesiastica à Censuris, (vt aliqui dicunt) sed etiam de sacramentali: Nam loquuntur generaliter de omnibus, qui in talem casum inciderint, non distinguendo de excommunicatis, & non excommunicatis: Constat enim non omnes qui in talem ægritudinem incidunt excommunicatos esse, & tamen de omnibus generaliter citata iura loquuntur; & præsertim quia illa Pœnitentia & reconciliatio conceditur propter summam necessitatem tunc vrgentem ad euitandum damnationem æternam; ad hoc autem Pœnitentia Sacramentalis necessaria est, non sola absolutio a censuris, quæ etiam in iure non solet vocari Pœnitentia absolutè. Hoc ergo semper fuit in vsu in Ecclesia, vt talibus infirmis confessionem petentibus possit ex aliorum testimonio dari absolutio; neque hoc damnatum est, vel prohibitum in Decreto Clementis, sed confirmatum in Rituali Pauli. Qui enim sic confitetur, quasi per Interpretem confitetur (quod semper licitum est) scilicet per testimonium eorum qui audierunt; & aliàs est sufficienter præsens vt certificetur Sacerdos quod ipse non mutauit voluntatem, cùm videat carere sensu ex quo petiuit confessionem; & ad hoc seruit illa præsentia hominis moribundi, non vt ipse aliquid operetur modo humano, sed vt constet illum non mutasse priorem voluntatem; & sic securè absoluitur, & ad minus sub conditione omninò debet absolui.

Et ad instantiam Argumenti, Quod si ita est, posset etiam Sacerdos absoluere dormientem, cuius peccata per literas cognouit, & ipse incœpit dormire post literas missas, & sic non mutauit voluntatem. Respondetur enim, Quod non est eadem ratio; Quia illum potest facilè excitare à somno, vel paululum expectare, & sic ab ipsomet accipere confessionem; quod nullo modo potest fieri cum infirmo, qui omnino sensum amisit. Debet tamen aduertere Confessarius, quod illi qui dant testimonium, non sufficit solùm dicere ostendisse signa deuotionis, vel doloris quomodocumque, sed talis, quæ sit petitio confessionis, vel ad illam ordinetur; quia solùm hoc modo est materia Sacramenti.

Ad quartum dicitur, Quod integritas quæ essentialiter requiritur ad Confessionem, est integritas quæ hîc & nunc est possibilis humano modo; & hæc quæ est possibilis, semper est necessaria, ita vt si omittatur, Sacramentum sit nullum. Similiter præsentia quæ requiritur essentialiter ad Confessionem, est illa quæ potest notificare & certificare Sacerdotem de statu Pœnitentis tunc, quando absoluit, quod solùm potest fieri duobus modis, aut quia confessio fit in eius præsentia, quia ea quæ facta est in absentia, relinquit hominem in statu in quo iam non potest mutare voluntatem; quandiu autem est in statu mutandi illam, absolutio est nulla; quia quantum est de se datur absolutio, etiam si alter peccet de facto, & nolit se subijcere clauibus; quod est mutare materiam Sacramenti, & non certificare de illa Sacerdotem.

Ad vltimum Respondetur, Hanc præsentiam A Sacerdotis non postulare diuersam institutionem ab ea, qua institutum est hoc Sacramentum per modum iudicij sacramentalis; quod in hoc differt à iudicio forensi & externo, quod hoc non tollit culpam provt est in animo & voluntate peccantis, sed provt est in allegatis & probatis, seu in ipsa opinione & fama hominum; iudicium autem sacramentale tollit culpam provt est in ipsa anima & voluntate, vnde debet tollere omnem culpam, quæ est vsque ad illud instans in quo profertur ab solutio, quia vna culpa sine alia tolli non potest; ergo vsque ad illud instans debet certificari Sacerdos de statu Pœnitentis, & quod non mutet voluntatem conuersionis, aliàs proferret formam absolutionis, quæ de se compateretur cum actuali peccato. Quare sicut in iudicio forensi certificatur Iudex per processum & acta de statu ipsius causæ, non tamen hæc certificatio dependet à dispositione interiori, quam habeat ipse reus hic & nunc, sed ab allegatis & probatis; & sic dummodò ista sint præsentia, non requiritur alia præsentia ipsius rei; ita in iudicio sacramentali, debet certificari iudex de statu ipsius causæ, non provt est in allegatis & probatis extrinsecis, sed provt est in animo & voluntate ipsius rei, vsque ad instans quo profertur absolutio; quæ etiam manifestatur per allegationem; & hæc debet esse confessio præsens, quia alia non sufficit certificare de tali animo.

Discrimen sententiæ sacramentalis & forensis, vt hæc ferri in absentem possit, illa non possit.

Quod attinet ad Matrimonium, Certum est quod etiamsi celebretur in actuali peccato, validum est; non autem Sacramentum Pœnitentiæ, si fiat in actuali peccato cognito; Neque enim ordinatur Matrimonium ad remissionem peccatorum, nec requirit eorum cognitionem, sicut Pœnitentia. Cæterùm non est in hoc vis argumenti; sed paritas stat in hoc, quod etiam necesse est contrahentem certificari de consensu alterius coniugis, tunc, quando celebratur contractus; sicut Sacerdos debet certificari de statu Pœnitentis, tunc, quando profert absolutionem; & tamen D potest contrahens certificari per scriptum, & per procuratorem de voluntate alterius; ergo etiam Sacerdos poterit certificari sic de statu Pœnitentis, & de voluntate illius per internuntium, seu per literas.

Sed Respondetur, Esse latam differentiam inter certificari per modum contractus de voluntate alterius contrahentis, & certificari per modum iudicij de voluntate ipsius Pœnitentis; Nam ille qui certificatur de voluntate alterius provt requiritur ad contractum, non pertinet ad ipsum disquirere & iudicare de alterius voluntate, An sit bona vel mala; neque si datur vel non datur talis voluntas in animo interiori, sed sufficit cognoscere expressionem consensus alterius partis quomodocumque manifestetur, siue in præsentia siue in absentia; quod autem alter possit tunc mutare voluntatem, non pertinet ad ipsum contrahentem id scire, nisi exteriùs manifestetur; Nam etiam quando coniuges sunt præsentes, potest vnus negare consensum interi, non manifestando exteriùs, eritque nullum Matrimonium; at verò quando certificatio fit per modum iudicij de voluntate alterius, habet ius Sacerdos ad inquirendum de ipsa voluntate interiori, quousque proferat formam; quia potest etiam retinere & negare absolutionem, si viderit mutari voluntatem; quo iure priuatur, si in absentia Pœnitentis

Matrimoniū in absentia validum, quia per modū contractus; absolutio invalida, quia per modum iudicij de ipso statuanimi.

absoluat, quia hoc ipso profert absolutionem super indebitam materiam.

Alij etiam sumunt necessitatem huius præsentiæ ex verbis formæ, *Absoluo te*; & illud verbum *Te* dicit præsentiam physicam; sicut in consecratione panis ly *hoc*, dicit panem præsentem, nec potest Sacerdos absentem panem consecrare, sicut nec designare. Non tamen apparet tanta vis designatiua rei præsentis in pronomine *Te*, sicut in ly *Hoc*. Nam *tu* & *ego* correlatiuè se habent; potest autem pronomen *Ego* dirigi ad absentes, sicut & pronomen *Te*, vt patet, quando aliquis absens absoluitur à censuris, & Paulus 1. ad Cor. 5. 3. dicit, B *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui*, &c. At verò ly *hoc*, provt est designatiuum rei, solùm ad præsentem dirigi potest.

Non satis colligi ex voce, te.

In calce huius difficultatis Aduerto, Quod quia Aliqui dicunt Clementem VIII. viuæ vocis oraculo declarasse, Etiam infirmum in absentia non posse absolutionem percipere, quando priuatur sensibus, & Sacerdos superuenit, iussisseque deleri ex quodam libro; dicimus hoc non esse verum; quin potius, cùm id postularetur, vt in Expurgatorio sanctæ Inquisitionis deleretur à prædicto libro, ostensum est Decretum Romæ quo iussum est non deleri; sicque permissum, nec ille liber est notatus in Expurgatorio.

Moribundi absolutio sic confessi in absentia, nūquam vetita à Clemēte VIII.

C

Articvlvs Qvintvs.

Quid sit Res & Sacramentum simul in Pœnitentia?

Svpponimus vulgarem distinctionem in quolibet Sacramento repertam, quod aliud est *Sacramentum tantum*, aliud *Res tantum*, aliud *Res & Sacramentum simul*. Sacramentum tantùm est illud, quod solum habet rationem signi, & non significat, quod solùm conuenit rei illi sensibili, quam in Sacramentis videmus, vt ablutio externa in Baptismo, Vnctio in Confirmatione, species in Eucharistia; Res tantùm, est res significata, & nullo modo significans, sicut gratia in Sacramentis, quæ non datur ad significandum, sed ad sanctificandum; Res & Sacramentum simul est illud, quod est effectus Sacramenti, qui de vtroque participat: Est enim res significata respectu Sacramenti exterioris, à quo efficitur; & est significatiua gratiæ modo inuisibili & interiori, quia ad hoc ipsum datur; sicut Character in Baptismo, qui est signum Christi & Gratiæ; significatur autem & efficitur per Baptismum.

Supponimus secundò, In omnibus Sacramentis ista tria inueniri, licèt aliqui ex Antiquis, vt refert Paludanus in 4. dist. 14. quæst. 4. art. 2. E negauerint reperiri in omnibus Sacramentis, id quod est Res & Sacramentum simul, scilicet in Matrimonio, Pœnitentia & Extrema-Vnctione; sed constans est Theologorum sententia, In omnibus Sacramentis id reperiri; Nec enim est ratio, Cur aliquod ex Sacramentis priuemus tali effectu & perfectione, cùm in aliis pluribus ponamus. Constat enim in Confirmatione, Baptismo & Ordine hunc effectum reperiri, sc. Characterem, qui per ista Sacramenta imprimitur. In Eucharistia ipsum Corpus Christi vt sacramentatum & contentum in speciebus, est effectus ipsius Sacramenti, seu verborum formæ, & vlterius est cibus efficiens & significans gratiam cibantem: In Matri-

In omnibus Sacramētis, Res & Sacramentum.

monio, ipsum vinculum coniugale vt significatiuum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, atque ipsius gratiæ matrimonialis: In Extrema-Vnctione est quædam interior deuotio, seu lætitia, aut roboratio spei in Deum, vt tradit sanctus Thomas in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2 quæstiunc. 3. ad 3. vt infra magis explicabimus; cur ergo similis effectus negandus est Pœnitentiæ? Et inquiritur quid illud sit, & in quo consistat?

Res & Sacramētum in Pœnitētia, Contritio.

Communis & vera sententia est, quam explicat sanctus Thomas in hac quæst. 84. art. 1. ad 3. & in 4. distinct. 22. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. *Quod interior Pœnitentia, seu Contritio est Res & Sacramentum simul*: additque loco citato dist. 22. *Quod est Res & Sacramentum simul, quatenus illa contritio ex absolutione Sacerdotis ordinatur & disponit ad ipsam gratiam.* Omittimus enim hic illam sententiam, quæ attribuitur Paludano & Capreolo, quod scilicet Res & Sacramentum simul est quidam ornatus spiritualis, qui disponit ad gratiam; quæ sententia communiter reiicitur, quia non explicat quid sit iste ornatus, & quomodo ad gratiam disponat. Esse enim ornatum est aliquid generale, & commune omni qualitati, & accidenti perficienti subiectum; vnde etiam ipsi contritioni conuenit esse ornatum spiritualem sub hac generali ratione; & sic dicendo quod est quidam ornatus, non explicatur aliquid distinctum à contritione, sed commune illi: Si autem est aliquid distinctum, oporet explicari quid sit, cùm non sit habitus, vel actus virtutis; hoc enim conuenit Pœnitentiæ. Similiter disponere ad gratiam sufficienter fit per auxilia diuina, & per actus & habitus supernaturales, quomodo ergo disponit ille ornatus, cùm non sit actus, vel habitus virtutis (id enim etiam habet Pœnitentia) neque est auxilium diuinum.

Ornatus Animæ, malè assignatus & insufficiēter.

Multiplex ratio, Contritionem non esse Rem & Sacramētum.

Quare sententia hac omissa, circa sententiam sancti Thomæ, Quod interior Pœnitentia sit Res & Sacramentum simul, plures difficultates se offerunt, ex quarum solutione explicabitur, qua ratione Contritio possit esse effectus Sacramenti, & consequenter Res & Sacramentum simul. Et difficultates ad hoc punctum reducuntur. Quia Contritio, seu Pœnitentia interior, habet conditiones repugnantes vt sit Res & Sacramentum simul; ergo Antecedens probatur, discurrendo per conditiones requisitas ad hoc, vt aliquid sit Res & Sacramentum simul; Nam in primis debet esse effectus causatus ab eo, quod est Sacramentum tantùm; sicut Character causatur à Baptismo. Vnde supponit, quod id quod est Sacramentum tantùm, sit in se constitutum & compositum, vt possit causare talem effectum; at verò Contritio non supponit constitutum Sacramentum, à quo causetur, quia est pars constitutiua illius vt dictum est; ergo non est effectus eius.

Secunda conditio est, Quod Res & Sacramentum non sit causa, neque antecedat ipsum Sacramentum; id enim sequitur, ex eo quod est effectus illius; at Contritio est causa Confessionis sensibilis & externæ, quia Confessio est expressio quædam doloris interni de peccatis; ergo si Contritio antecedit Confessionem, & causat illam, antecedit & causat ipsum Sacramentum; quia Confessio est Sacramentum Pœnitentiæ; ergo non potest Contritio esse Res & Sacramentum simul.

Tertia conditio est, Vt id quod est Res & Sacramentum non causetur à gratia, sed causet & antecedat illam, eamque significet; Quia gratia est id quod est Res tantùm, & sic est significata ab eo quod est Res & Sacramentum; sicut Gratia Baptismi significatur & subsequitur ad Characterem: At verò Contritio, quando est perfecta & formata charitate, causatur à gratia, siquidem formatur & perficitur ab illa; ergo gratia antecedit Contritionem; ergo in tali casu Contritio non poterit esse Res & Sacramentum Pœnitentiæ.

Quod si dicatur, Contritionem perfectam non esse Rem & Sacramentum, sed solùm Attritionem, quæ non est formata per gratiam, neque est causata ab illa, sed antecedit illam. Contra est, Quia sic sequeretur, quod solùm Sacramentum Pœnitentiæ constans ex Attritione habebit Rem & Sacramentum simul, non autem quando constat ex Contritione; & sic ex eo quod Sacramentum est perfectius, vtpotè Contritione constans, redderetur deficiens, id est carens effectu, quo cætera Sacramenta non carent, quod est absurdum.

Quarta conditio est, Quod id quod est Res & Sacramentum simul, non solùm causetur & inueniatur in Sacramento formato, sed etiam in informi; sicut Character causatur à Baptismo & Ordine, & Vinculum à Matrimonio, etiamsi ab impio recipiantur; at Sacramentum informe Pœnitentiæ caret Attritione & Contritione, quæ sit vera dispositio significatiua gratiæ; ergo tale Sacramentum caret isto effectu, qui est Res & Sacramentum simul; aliàs si veram Attritionem haberet, causaret gratiam, & non esset informe.

Nihilominus sententia sancti Thomæ, fundamento opposito probatur; Quia Contritio, seu Pœnitentia interior habet omnes conditiones requisitas, vt sit Res & Sacramentum simul; ergo. Antecedens probatur, Nam in primis est aliquid interius, non sensibile in se, vt de se manifestum est. Similiter est aliquid significatiuum gratiæ, quia ordinatur ad remissionem peccatorum, quæ vtique fit per gratiam. Vt enim diximus ex Trident. requiritur ex institutione Christi *ad plenam & perfectam remissionem peccatorum*: ergo maximè ordinatur ad illam, vt est apta ad significandum & causandum illam.

Asserta opinio S. Thomæ, ex rei conditionibus.

Denique est aliquid causatum à Sacramento, Quia licet Attritio ex natura sua disponat ad gratiam, vel etiam causetur ab ea, si sit Contritio perfecta; tamen quod causet gratiam ex opere operato, & quod causet gratiam sacramentalem, vt sacramentalis est, non habet ex natura sua antecedenter ad Sacramentum, sed ex ipso Sacramento id participat, quatenùs est instrumentum Passionis Christi, quæ est opus operatum, in cuius virtute causatur gratia Sacramentorum; ergo quod Contritio tali modo causet gratiam sacramentalem, non habet ex sua natura, & independenter à Sacramento, sed ex aliqua deriuatione ab ipso; & sic Attritio, vt deriuata & perfecta à Sacramento vt possit tali modo causare gratiam, est effectus Sacramenti; nec subsequitur gratiam illam, sed antecedit; quod melius ex responsione ad argumenta constabit.

Ad fundamentum ergo oppositum Respondetur, Nego Antecedens. Et ad primam instantiam dicendum, Quod illa prima conditio intelligenda est in sensu formali; scilicet quod Res & Sacramentum debet esse effectus Sacramenti, sub aliqua formalitate, non sub omni; sicut in Matrimonio, vinculum inter virum & vxorem non est Res & Sacramentum, prout præcisè oritur ex con-

Contritio vt subordinata Absolutioni, & ex opere operato significans dandam gratiam, Res & Sacramentū.

tractu naturali, sed quatenus eleuatur ex Sacramento ad significandum conjunctionem Christi & Ecclesiæ; & Corpus Christi non absolutè in se, sed quatenus sacramentatum & coniunctum verbis & speciebus, est Res & Sacramentum Eucharistiæ, & effectus ipsorum verborum & Sacramenti: Sic ergo, si dolor internus consideretur vt præcisè est actus virtutis, & ex institutione Christi ordinat & subiicit Pœnitentem clauibus Ecclesiæ, & sic efficit Confessionem, hoc modo & est causa illius, & pars informans ipsam Confessionem & Sacramentum constituens; si verò consideretur non solùm provt efficit Confessionem, sed provt conjungitur & subordinatur Absolutioni, sic accipit vim specialem ad causandam ex opere operato gratiam sacramentalem Pœnitentiæ, vt talis est; & hoc modo est effectus Sacramenti seu Absolutionis, potestque esse Res & Sacramentum simul, licèt in alia consideratione ipse dolor sit pars Sacramenti, & causa Confessionis, non Absolutionis; Quid sit autem illa vis, & ordinatio ad causandum gratiam ex opere operato? statim dicemus.

Ad secundam instantiam, Respondetur ex dictis, Quod dolor Pœnitentiæ non est Res & Sacramentum provt causat Confessionem, sed provt eleuatur ab Absolutione ad significandũ & causandum ex opere operato gratiam sacramentalem Pœnitentiæ, nisi indispositio aliqua obstet. Et talis eleuatio posterior est, & consequura ex absolutione; & provt sic est effectus Sacramenti, non autem antecedens ipsum. Instabis, Hac ratione non rectè dicitur ipsa Attritio Res & Sacramentum simul, seu effectus illius, sed illa eleuatio prouemens ab Absolutione, quæ vel est aliquid morale, & solùm pertinens ad extrinsecam denominationem; & tunc non potest esse Res & Sacramentum simul, quia hoc realis effectus debet esse; vel est aliquid physicum, siue qualitas sit, siue modus superadditus Attritioni; & non ipsa Attritio, sed modus ille superadditus erit Res & Sacramentum; Et tunc restat difficultas, quando ipsum Sacramentum est informe, & non causat gratiam; Neque etiam eleuabit Attritionem ad causandum ex opere operato illam, ergo tunc non dabitur modus superadditus, neque Sacramentum habebit illum effectum, qui est Res & Sacramentum simul.

Confirmatur, Quia hoc modo etiam Satisfactio & Confessio; & in Baptismo ipsa Ablutio poterunt dici Res & Sacramentum; Nam etiam Satisfactio eleuatur ad causandum gratiam, & Confessio ipsa & Ablutio in Baptismo eleuantur à forma ad causandum gratiam; ergo dici poterunt Res & Sacramentum: non absolutè in se, sed provt sic eleuata, quia sub hac formalitate sunt effectus Sacramenti, & subsequuntur ipsum; ergo nihil prohibet quin sub hac formalitate dicentur Res & Sacramentum.

Respondetur, Illum modum eleuationis, siue sit physicus siue moralis, non posse habere rationem signi sacramentalis interni per se solum, sicut neque impositio ipsa dicitur signum, sed vox ex impositione; neque in signis naturalibus ipsa relatio est signum, sed est ratio significandi, sicut dicitur signum fumus, aut character: sicque eleuatio illa superaddita Attritioni, se habet quasi determinatio quædam ipsius ad significandum ex opere operato gratiam; & sic non est ipsum signum internum, sed ratio seu determinatio, qua ipsa Attritio redditur signum, non solùm gratiæ communiter dictæ, sed gratiæ sacramentalis ex opere operato, quod non habet ex natura sua. Id autem quod se habet vt Res & Sacramentum, non sufficit quod sit ipsa impositio, vel determinatio aut relatio significandi, sed necesse est quod sit ipsum signum internum; sicut patet in Charactere, in Corpore Christi sacramento, &c. Quando autem Sacramentum de facto non causat gratiam, tamen adhuc ille interior dolor manet ex vi absolutionis ordinatus ad habendum gratiam sacramentalem, & cum iure ad illam recedente fictione, & hoc sufficit vt sit causatiua, effectiua & significatiua gratiæ, quantum est de se, vt magis declarabitur solutione ad quartum. Ad confirmationem Respondetur, Confessionem, Satisfactionem & Absolutionem non recipere illam eleuationem à toto Sacramento, quia solùm se habent tanquam partes Sacramenti, cum præcisè teneant se ex parte materiæ; id autem quod se habet vt Res & Sacramentum, non debet solùm eleuari vt pars Sacramenti, sed vt effectus subsecutus ad totum Sacramentum; Et sic etiam probat Argumentum, quod dolor ille inquantum pars præcisè non est Res & Sacramentum.

Res & Sacramentũ, signũ externum, non modus aliquis.

Ad tertiam instantiam Respondetur, Quod quando Contritio est formata per gratiam ante susceptionem Sacramenti, causatur & formatur ab ipsa gratia, non provt sacramentalis est, & collata ex opere operato, sed à gratia communiter sumpta; id est, secundùm quod causat communes effectus independentes à Sacramentis, qui etiam dabantur ante instituta Sacramenta; sicut est facere sanctum, dare ius ad gloriam, remittere peccata, &c. Sunt tamen alij effectus speciales gratiæ, qui vocantur sacramentales; & diuersi effectus dantur per diuersa Sacramenta; sicut per Baptismum datur Gratia regeneratiua, per Eucharistiam cibatiua, per Pœnitentiam sanatiua; & sic per alia Sacramenta: Quæ Gratiæ sacramentales entitatiuè non distinguuntur à Gratia sanctificante communi omnibus Sacramentis, sed secundùm diuersos respectus, quibus homo in vita Christiana configuratur & assimilatur Christo, & secundùm alias participationes gratiæ, & auxilia quæ recipiuntur per Sacramenta, vt explicari solet supra quæst. 62. agendo de Sacramentis in communi.

Contritio formata ante absolutionẽ, non ipsa formata gratia sacramentali.

Insuper, Etiam habet Contritio coniuncta Sacramento operari, & causare gratiam ex opere operato, præter illam quam causat ex opere operantis, provt procedit ex charitate; sic ergo dicimus; Quod Contritio procedens à gratia non procedit ab illa gratia, quæ est Res Sacramenti, quin potius habet illam in voto, & tanquam rem futuram eam respicit; sed procedit à gratia communiter dicta; & respectu illius, à qua procedit, non est Res & Sacramentum, sed respectu gratiæ quæ datur ex opere operato, quæ est aliquid vltra gratiam illam, quæ datur ex opere operantis; id est, aliquis diuersus gradus; & similiter respectu gratiæ, provt sacramentalis est: Hanc enim etiam causat & significat ipsa Contritio ex coniunctione ad Sacramentum, non ex natura sua, neque provt datur ex opere operantis præcisè.

Ad vltimam instantiam Respondetur, Etiam in Sacramento informi dolorem interiorem esse Rem & Sacramentum simul, quia licèt de facto non causet ex opere operato gratiam, propter indispo-

Etiam in Pœnitentia informi Res & Sacramentum.

fictionem subiecti, tamen ex se participat ex forma absolutionis vim, seu ius ad illam gratiam ex opere operato dandam, & quæ dabitur recedente fictione; Nec enim id quod est Res & Sacramentum semper actualiter causat gratiam; sufficit quod sit causatiuum illius, & ad illam præbent ius; sicut quando imprimitur Character in Baptismo informi, aut vinculum in Matrimonio.

Cæterum, Quia dolor ille internus non est aliquid permanens, sed actus transiens, meritò dubitari potest; quomodo transeunte dolore remaneat Res & Sacramentum Pœnitentiæ, & quomodo dicatur virtualiter manere, vt recedente fictione sortiatur effectum? Sed Respondetur, Quod non oportet quod id quod est Res & Sacramentum eodem modo sit Res permanens in omnibus Sacramentis, sed in aliquibus permanet indelebiliter, vt Character, in aliquibus certo tempore, vt vinculum durante Matrimonio, & donec alter coniugum moriatur; Corpus Christi in Eucharistia, quandiu durant species sacramentales: in aliis saltem permanet, dum ipsum Sacramentum fit, aut etiam paulò pòst, vt in Sacramento Extremæ-Vnctionis & Pœnitentiæ. Nam in Extrema-Vnctione Res & Sacramentum est quædam interior deuotio, seu roboratio spei, quæ est spiritualis vnctio, vt docet sanctus Thomas in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 3. Quæ deuotio solùm potest se habere per modum transeuntis, cùm sit actus, vel excitatio ad illam; & in infirmis qui sunt sine sensu, non potest Extrema-Vnctio habere istum effectum per actum intrinsecum in ipso infirmo, sed solùm per aliquam gratiam extrinsecam, quæ æquiualet deuotioni, inquantum reprimit insultus dæmonum per protectionem extrinsecam Dei. Immo in aliquibus, ipsam non operari & infirmos carere sensibus, tunc magis conducit ad eorum salutem; quia fortasse valde turbarentur si tunc liberè operarentur: & sic illa deuotio quasi negatiua vel extrinseca, erit tunc effectus Extremæ-Vnctionis.

Dolor virtualiter manens, transacto Sacramento.

In Sacramento autem Pœnitentiæ, ipse dolor interior vt subordinatus absolutioni, & ab ea participans vim ad significandum & causandum gratiam ex opere operato, est Res & Sacramentum simul: cessante verò isto dolore, & non existente actu, sufficit illa determinatio, quæ manet in homine ex præcedenti dolore, & subordinatione eius ad absolutionem: hæc enim determinatio, seu respectus ad dolorem præcedentem, sufficit vt dicatur ille dolor virtualiter manere.

Et Aliqui dicunt, Illam determinationem esse aliquid physicum; scilicet aliquem modum manentem in Anima ex dolore præterito; Alij dicunt, Esse aliquid morale, scilicet respectum ad Sacramentum susceptum & dolorem habitum, qui est respectus rationis, cùm sit ad terminum non existentem (scilicet ad dolorem, & absolutionem præteritam) ideoque dicitur aliquid morale; sicut videtur sufficere in aliis Sacramentis: Vt vinculum in Matrimonio non est aliquis effectus physicus, remanens post contractum Matrimonium, sed quoddam ius, seu potestas ad vtendum corpore coniugis, quæ est aliquid morale. Sed certius est quod Sacramenta semel præterita causant gratiam recedente fictione tanquam instrumenta physica, vt in Tractatu de Sacramentis in Genere dicitur, q. 62. art. 1. dub. 6. ad 3.

Sacramenta recedente fictione causant physicè.

Tandem inquires, Quomodo soluemus id quod dicit sanctus Thomas, Quod Pœnitentia interior est Res & Sacramentum, cùm in Sacramento informi non detur talis interior Pœnitentia, seu dispositio ad gratiam; & tamen in illa ponimus Rem & Sacramentum?

Respondetur, Quod sanctus Thomas nomine Pœnitentiæ interioris, non intelligit solum dolorem illum prout antecedit confessionem, & est actus virtutis disponens ad gratiam; sed loquitur de illo dolore vt subsequitur Sacramentum, & causatur ab illo. Dicit enim sanctus Thomas in hac quæst. art. 1. ad 3. *Quod totum illud simul (id est, Confessio & Absolutio) est causa secundi, id est, Pœnitentiæ interioris, quæ est Res & Sacramentum simul.* Est autem causata illa Pœnitentia, seu dolor ab Absolutione, non vt præcisè disponit ad gratiam, ex ipsa natura virtutis; sic enim nihil recipit a Sacramento, sed antecedit ipsum, & causat confessionem; causatur autem ab Absolutione & Sacramento, quatenus accipit vim & eleuationem ad operandum gratiam sacramentalem, & causandum ex opere operato; quod maximè conuenit illi dolori inquantum ordinat hominem ad claues Ecclesiæ, & detestatur peccatum cum subiectione ad illas; quæ subiectio & ordinatio etiam in Sacramento informi manet, & sic accipit eleuationem ad causandum gratiam ex opere operato: de facto quidem & in actu secundo, si nulla obstat indispositio: si autem sit aliquod impedimentum, tantùm in actu primo.

Quæ Pœnitentia interior, Res & Sacramentum.

Quod totum expressit sanctus Thomas, in 4. dist. 22. quæst. art. 1. quæstiunc. 2. ad 1. vbi inquit, *Quod Pœnitentia interior potest considerari dupliciter: vno modo prout est quidam actus virtutis: & sic interior Pœnitentia est causa exterioris, sicut in aliis virtutibus actus interiores sunt causæ exteriorum. Alio modo prout est actus operans ad sanationem peccati (scilicet modo sacramentali) & non solùm dispositiuè; & sic pertinet ad Pœnitentiæ Sacramentum; & ita interior Pœnitentia non est causa exterioris, sed effectus vel signatum ipsius. Non enim habet efficaciam operandi contra morbum peccati, nisi ex suppositione propositi exterioris Pœnitentiæ, & desiderio absolutionis.* Ecce quomodo ipsa Pœnitentia, seu dolor interior, non vt præcisè est actus virtutis, sed vt operans ad sanationem peccati (vtique ex opere operato) est effectus Sacramenti; atque adeo est Res & Sacramentum (de hoc enim in illa quæstiunc. loquitur sanctus Thomas) & hanc efficaciam sic operandi ex opere operato contra morbum peccati (quæ est gratia sacramentalis sanatiua) ex Christo habet ex desiderio absolutionis, quod pertinet ad illum dolorem, prout ordinatur & subiicitur clauibus Ecclesiæ.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum detur Sacramentum Pœnitentiæ informe?

QVid intelligamus nomine Sacramenti informis art. 4 declaratum est; videlicet non quod caret forma sacramentali absolutionis, (hoc enim non est Sacramentum) sed quod caret forma sanctificante subiectum, id est, ipsa gratia, quæ est effectus Sacramenti: Et sic inquirimus, An possit dari Sacramentum Pœnitentiæ, quod in re verum Sacramentum sit constans sua materia &

Sacramentum informe, quod ipsum verè est, sed caret effectu.

forma, careat tamen effectu gratiæ iustificantis? A

Et sumitur ferè tota ratio dubitandi ex eo, quod in hoc Sacramento eadem Attritio est materia, seu pars Sacramenti, & dispositio; nec potest vnum ab alio separari; ergo nunquam stat hoc Sacramentum esse validum, quin sit formatum. Patet consequentia, Quia non potest esse validum Sacramentum, quin constet materia & forma; ergo si materia, qua constat Sacramentum, est dispositio ipsa ad gratiam, repugnat quod Sacramentum habeat materiam, & non habeat dispositionem ad gratiam; vel si istam non habet, neque materiam habet, & consequenter non subsistit Sacramentum. Antecedens verò probatur.

Difficultas in Pœnitentia, quod idem dolor sit dispositio & pars Sacramenti.

Tum quia Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. & 4. B non distinguit inter Attritionem, quæ est dispositio, & quæ est pars Sacramenti; ergo neque nos distinguere debemus; docet enim Concilium, *Quod ea ratione actus Pœnitentis sunt partes Sacramenti, quatenus ad integritatem Sacramenti, & ad plenam & perfectam remissionem peccatorum ex institutione Christi requiruntur*; Non requiruntur autem ad plenam remissionem peccatorum, nisi quatenus sunt dispositio perfecta ad ipsam, ergo ea ratione sunt materia, qua sunt dispositio.

Tum etiam, Quia vt Attritio sit materia Sacramenti, debet esse talis, quod super illam possit verificari forma; Absolutio autem à peccatis non C potest verificari super Attritionem, quæ non est dispositio, quia remota dispositione, non potest de tali subiecto verificari quod absoluitur à peccatis, licèt verificetur quod Sacramentum absolutionis illi impenditur, vel quod absoluitur ab obligatione iterum confitendi (hoc enim non est absolui à peccatis, quia hoc non est remitti peccata) idem autem est absolui, quod remitti.

Tum denique, Quia vt Attritio sit materia Sacramenti debet esse supernaturalis, & detestatiua peccati cum ordine ad claues Ecclesiæ, vt art 4. diximus; sed non amplius requiritur vt Attritio sit vera dispositio ad gratiam, quàm quod sit detestatio peccatorum ex motiuo supernaturali (verbi D gratia ex metu inferni) cum subiectione ad claues Ecclesiæ, vt sumitur ex Concilio cap 4. citato; ergo idem dolor est dispositio ad gratiam & materia Sacramenti.

Propter has rationes Aliqui ex Antiquis tenuerunt non posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe; pro qua sententia aliquos Canonistas refert Siluester verbo Confessio 1. §. 26. idque sequuntur Maior in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 9. Gabriel ibidem quæst 2. Adrianus quæst. 5. de Confessione dub. 5. & Aliqui Recentiores probabilem reputant; videturque etiam succurri posse ex sancto Thoma in 4 distinct. 23. quæst. 1. art. 2. quæst. 2. in corpore, vbi ponit pro effectu Pœnitentiæ *remissionem peccati existente Contritione, quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ*; ergo sentit sine contritione non saluari essentiam Sacramenti; posita autem contritione certum est poni remissionem peccati; quem locum affert pro ista sententia Suarez hîc disput. 20. sect. 5. num 2.

Non dari Sacramentum Pœnitentiæ informe, opinio.

Alij oppositam sententiam tenent; & est sine dubio sancti Thomæ, qui de hoc facit expressum articulum, & resoluit Posse dari Confessionem informem, in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4 quæst. 1. Qui locus correspondet in Additionibus ad 3. p. quæst. 9. art. 1. Sequuntur sanctum Thomam eius Discipuli, & communiter omnes Doctores, Paludanus & Ricardus eadem dist. 17. quæst. 8 Capreolus ibi quæst 2. Soto in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 2. & 3. Caiet. tom. 1. Opuscul. tract. 5. quæst. 5. Cano Relect. de Pœnitentia quæst. 5. Ledesma, Siluester, Nauarrus, Couarruuias, quos citat & sequitur Suarez loco citato, & Nuño, tom. 2. de Sacramentis, quæst. 9. de Confessione art. 1. dub. 1. vbi sentit oppositam sententiam esse improbabilem. Et præter istos Auctores Antiquos & classicos, plures ex Recentioribus eam communiter sequuntur, & in praxi seruatur, quia non iterantur omnes Confessiones, de quibus postea cognoscitur aut dubitatur fuisse informes. Vnde hanc sententiam nota aliqua vel censura inurere, intolerabilis præcipitatio est.

Posse dari, opinio sancti Thomæ & communis.

Vt rem istam explicemus, Suppono ex duplici capite prouenire posse quod aliqua confessio sit informis, licèt sit valida; scilicet ex defectu examinis, vel ex defectu doloris, qui dolor (vt supra diximus) requirit respectu præteritorum vniuersalem detestationem de peccatis, respectu autem futurorum propositum efficax euitandi illa. Ex defectu examinis facilius multi credunt & intelligunt Sacramentum informe, quia licèt examen requiratur ad integram confessionem faciendam, tamen ista integritas regulatur penes diligentiam & curam quam ponimus circa recordationem peccatorum, & vix potest sciri in particulari quanta diligentia & cura sufficiat, vt quis satisfaciat huic obligationi; & sic relinquitur arbitrio, prudenti & morali modo facienda.

Pœnitentia informis de fectu integritatis & examinis.

Res autem istæ arbitrariæ magnam habent latitudinem; potestque aliquando aliquis persuaderi iuxta arbitrium suum quod sufficientem fecerit diligentiam, & tamen quod non sit sufficiens coram Deo, & secundùm prudentiam; vnde cùm semper ferè possit aliquis esse dubius de sufficientia iuxta arbitrium suum facta, si confessio non esset valida, nisi quando in re esset sufficiens, nunquam possent conscientiæ esse quietæ; quia stante dubio de validitate Sacramenti, tenerentur homines repetere illas confessiones, quod esset onus intolerabile; & in tanta hominum multitudine, moraliter impossibile: Quare hoc ipso quod Christus Dominus instituit pro isto Sacramento materiam dependentem ex arbitrio & diligentia humana, oportuit non regulare illam iuxta id quod est in re, & vix potest cognosci, sed iuxta id quod modo humano & morali fieri potest, etiamsi aliquando deficiat id quod requiritur ad effectum Sacramenti. Quare tota difficultas est circa defectum ex parte doloris, propter rationem datam à principio; quia reuera dolor est materia & pars Sacramenti, vt sæpè dictum est ex Concil. Trident. nec alius dolor institutus est pro materia, quàm qui requiritur vt dispositio.

E Nihilominus respondemus, Etiam ex parte doloris posse dari Sacramentum informe, & assignari debere aliquem dolorem supernaturalem ex motiuo, qui sit sufficiens vt sit materia Sacramenti, non verò vt sit dispositio ad gratiam. Et fundamentum præcipuum, & quasi à priori est, in assignando tali dolore. Potest tamen etiam quasi à posteriori sumi fundamentum conclusionis; tum ex conuenientia cum aliis Sacramentis; tum ex inconuenienti quod sequitur de obligatione sæpius iterandi confessiones.

Informis defectu doloris.

Ex conuenientia cum aliis Sacramentis, constat, Quia conueniens fuit Christum Dominum instituere alia Sacramenta ex materia & forma, quæ

posset

posset esse omnibus nota, & non relinqueret Sacramenta sub dubio communiter & ordinariè (quod à fortiori currit in hoc Sacramento, propter grauissimam obligationem de iteranda confessione, si Sacramentum validum non sit) nihil autem est nobis occultius quàm cognoscere & perpendere efficaciam & valorem actuum interiorum, secundùm quod requiritur pro dispositione ad gratiam; vnde si ex vna parte Christus Dominus institueret pro materia huius Sacramenti actus humanos dependentes ex cura & diligentia humana, & ex alia parte vellet quod solùm essent materia Sacramenti quando re ipsa haberent omnes conditiones requisitas pro dispositione ad gratiam, esset relinquere hoc Sacramentum in magna perplexitate; & cùm alias sit omninò necessarium ad salutem pro his qui peccant post Baptismum, esset tota salus nostra dependens ex magna incertitudine, cùm ferè nunquam possemus esse certi de Sacramento isto Pœnitentiæ validè suscepto; quod non solùm pareret scrupulos & inquietudinem, sed etiam ad desperationem videtur cogere.

B

Et ex hoc noscitur illudmet inconueniens quod proposuimus, agendo de defectu ex parte examinis; & sanctus Thomas proponit loco supra citato in Argumento *Sed contra*, Quia quilibet tenetur ad iterandam Confessionem inualidam, siquidem tenetur confiteri peccata non confessa; quæ autem inualidè confitemur, confessa non sunt, sed si requiritur pro materia Confessionis illa Attritio quæ in te disponit ad gratiam, & non alio modo, idem est Confessionem esse validam & hominem esse in gratia; ergo tantum potest quilibet dubitare de valore Confessionis, sicut potest dubitare An sit in gratia; ergo non poterunt assecurari conscientiæ nisi repetendo & iterando confessiones, quia quoties prudenter dubitatur de validitate confessionis, tenetur quis illam repetere, quia illa peccata reputantur pro dubiis, id est, inualidè confessis; hoc autem est grauissimum & intolerabile onus, præsertim in tanta hominum multitudine: Vnde si in aliis Sacramentis conueniens fuit quod possent dari Sacramenta valida & informia, multò magis in hoc Sacramento id necessarium fuit, propter præceptum confitendi peccata, quod toties vrget, quoties inualidè sunt confessa, vel prudenter de eo dubitatur; est autem magnum inconueniens, & scrupulis atque anxietatibus plenum, nunquam posse Fideles reddi securos de liberatione ab illo præcepto repetendi confessionem.

C

D

Veniamus ad præcipuam probationem (scilicet, ad assignandum quomodo & quando possit reperiri dolor sufficiens pro materia Sacramenti, licèt non sit sufficiens pro dispositione ad gratiam) potest autem assignari ex triplici capite, quæ supra diximus requiri ad Attritionem formatam. Primò enim requiritur quod sit dolor supernaturalis; Secundò quod sit vniuersaliter de omnibus peccatis præteritis; Tertiò quod sit cum efficaci proposito excludendi peccata de cætero, & cum spe veniæ. Ex primo capite assignant Sacramentum validum, sed informe, Auctores qui sentiunt non requiri ad valorem Sacramenti supernaturalem dolorem, sed naturalem sufficere, licèt requiratur supernaturalis vt infundatur gratia; quam opinionem art. 4. exclusimus, & diuersos modos illam explicandi, vt quod sufficiat dolor existimatus supernaturalis, siue id proueniat ex ignorantia

E

A culpabili, siue inuincibili; Nam si semel requiritur supernaturalitas doloris ex parte materiæ & institutionis Christi, nihil suffragatur ignorantia; quia materia Sacramentorum non regulatur existimatione nostra, sed institutione ipsa prout seruatur in re. Quare pro certo relinquimus, Non solùm ad rationem dispositionis, sed etiam ad materiam huius Sacramenti requiri dolorem supernaturalem, id est, ortum ex motiuo supernaturali, & cum ordine & subiectione ad claues Ecclesiæ, qui ordo etiam supernaturalis, & cum ordine & subiectione ad claues Ecclesiæ, qui ordo etiam supernaturalis est.

Non dari Pœnitentię Sacramentum informe, quod dolor sit naturalis.

Ex secundo ergo capite voluit assignare hunc casum, in quo Sacramentum sit validum & informe Pater Suarez hîc disput. 20. sect. 9. num. 7. vbi docet, Posse hoc Sacramentum esse informe ex defectu Attritionis, non intensiuo, sed extensiuo, proueniente ex inculpabili ignorantia; quod est reducere hunc defectum ad defectum integritatis potius, quàm qualitatis ipsius Attritionis, quia videlicet potest Pœnitens inculpabiliter confiteri cum Attritione aliquorum peccatorum, sed non omnium quæ commisit; & tunc erit validum Sacramentum, sed informe; quia vt sit validum sufficit confessio & attritio de omnibus quæ occurrunt memoriæ inculpabiliter; vt autem quis consequatur gratiam, debet attritio esse de omnibus peccatis mortalibus, quæ quis commisit; Nam sine Pœnitentia interiori, nullum mortale peccatum (etiam in Sacramento) potest remitti, quantumcumque ex ignorantia inculpabili aliquis non habeat dolorem de tali peccato.

Dari ex defectu extensiuo doloris, Suarez opinio.

Hæc sententia Suarez valde difficilis est, & contra illam statim se offert difficultas, Quia peccata inculpabiliter oblita (id est, quæ diligenter cogitanti non occurrunt) in vniuersum inclusa intelliguntur in confessione, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, *Ab occultis meis munda me, Domine*, vt inquit Concil. Trident. sess. 14. c. 5. ergo etiam manent inclusa talia peccata oblita in ipsa attritione, qua fit talis confessio. Antecedens est expressum in Concilio; consequentia verò probatur, Quia impossibile est aliqua peccata manere inclusa in confessione, & non manere inclusa in attritione, quia illa confessio informatur tali dolore seu attritione; ergo idem est manere inclusa in confessione, & manere inclusa in attritione, cum qua fit talis confessio; sed cum illis peccatis oblitis iustificatur homo in tali confessione, quia pro illis dicit Propheta, *Ab occultis meis munda me, Domine*, quæ mundatio non fit sine remissione peccatorum; ergo etiam cum tali attritione non extendente se ad peccata oblita nisi virtualiter, iustificatur homo.

Contrà, peccata inuincibiliter oblita includi in vniuersali dolore.

Nec valet differentia quam Suarez conatur ponere inter integritatem confessionis & integritatem attritionis, Quod integritas confessionis solùm est de præcepto, non de necessitate medij; vnde quomodocumque satisfiat illi præcepto, confessio manet integra formaliter; Pœnitentia autem interior est medium per se requisitum ad remissionem peccati; ergo si respectu alicuius peccati hæc attritio non extenditur, illud non manet remissum, quia non applicatur ei medium per se necessarium. Cæterum hæc solutio nullo modo stare potest cum verbis Concilij, siquidem Concilium non solùm admittit quod stante tali peccato oblito post diligentem discussionem manet confessio integra, sed etiam quod habet

Suarez discrimen inter confessionem & dolorem, exclusum.

effectum; siquidem dicit, quod pro illis peccatis oblitis fideliter cum Propheta dicimus, *Ab occultis meis munda me, Domine*: illa autem mundatio de occultis siue oblitis, est peccatorum remissio & iustificatio; ergo talia occulta seu oblita manent mundata; vel ergo ad illa extenditur attritio seu dolor, vel non; si non extenditur, ergo sine extensione attritionis non solùm datur Sacramentum validum, sed etiam formatum, quod negat Suarez, & ruit eius sententia; si extenditur non formaliter & expressè, quia illa peccata sunt oblita; ergo virtualiter; ergo ad peccata inculpabiliter oblita extenditur virtualiter attritio. Neque est maior ratio quod vna attritio extendatur & non alia; Nam Concil. vniuersaliter loquitur de omni peccato oblito, quod manet inclusum in confessione & remissum, ergo quæcumque attritio virtualiter extenditur ad omnia peccata oblita; ergo sufficiens est ad remissionem illorum; ergo nunquam ex defectu extensionis confessio est informis.

Nec potest dici, Quod Concilium loquitur solùm in casu, quo confessio fit cum contritione, & non solùm cum attritione; eo quod contritio cum sit formata charitate, extenditur virtualiter ad omnia peccata, quia amat Deum super omnia; attritio autem non extenditur sic, & ideo indiget formaliter applicari cuicumque peccato.

Etiam Attritio virtualis extensiuè & in generali sufficiens.

Sed hæc non est expositio Concilij, sed additio; siquidem Concilium loquitur generaliter de omni confessione (scilicet de illa, &c. de qua dixerat præcedenti capite, *Quod Attritio ad Dei gratiam impetrandam in hoc Sacramento disponit*) & statim in cap. 5. loquitur de eadem confessione, quando fit cum sufficienti examine; ergo sine fundamento restringitur ad solam confessionem factam cum contritione. Sanè cùm in confessionibus ordinariis longi temporis, in quibus plura sunt peccata mortalia, communiter aliqua maneant oblita, præsertim peccata cogitationum, si ad obtinendam gratiam in talibus, requireretur vel contritio formata charitate, vel attritio sine vlla obliuione peccati, vix possemus aliquid sperare de talibus confessionibus; quod maximè retraheret homines ab isto Sacramento, & scrupulis ac desperatione circa suam salutem repleret; Nec putandum est ita coarctasse Christum Dominum viam salutis, vt stante obliuione inuincibili de aliquo peccato, non posset per attritionem cum Sacramento quis iustificari.

Defectu efficacis propositi & spei veniæ, sacramentum informe.

Quapropter alia via assignamus defectum attritionis; cum quo stat Sacramentum esse validum, sed informe; Nempe quando attritio est supernaturalis tam ex parte motiui, quàm ex parte ordinis ad claues Ecclesiæ, sed tamen verè & realiter non habet efficax propositum excludendi peccata, aut veram spem veniæ, licèt ipse id ignoret. Supponimus enim talem hominem adhibuisse sufficientem diligentiam in examine, tum ad recordandum de peccatis, tum ad excitandum dolorem, & omninò esse oblitum naturaliter de efficacia propositi, & spe vera concipienda; tunc enim in re illa voluntas non est sufficiens ad excludendum peccatum, seu disponendum ad illius remissionem, quia efficaciter non vult recedere ab illo, licèt ipse id putet ex ignorantia, cùm tamen ad talem dispositionem expressè Concilium requirat illas duas conditiones attritionis; Nempe quod habeat voluntatem excludendi peccata cum spe veniæ.

Insinuata Tridentino distinctio doloris vt est pars Sacramenti, & vt dispositio ad gratiam.

Itaque oportet bene notare, quanta subtilitate & discretione loquutum sit Concilium de dolore, quatenus est pars Sacramenti, & consequenter sufficiens ad validitatem illius (quia quod sufficit vt sit pars Sacramenti, sufficit vt Sacramentum sit validè constitutum) & de ipsamet attritione quatenus est dispositio ad impetrandum effectum Sacramenti, qui est remissio peccatorum, Nam cùm loquitur de attritione, seu dolore vt est pars & materia Sacramenti, solùm dicit sess. 14. cap. 3. *Quod isti actus Pœnitentis hac ratione dicuntur partes Sacramenti, quatenus ex institutione Christi requiruntur ad integritatem Sacramenti, & ad plenam perfectamque peccatorum remissionem*: vbi ly *quatenus*, & ly *hac ratione*, significant Concilium loqui de partibus Sacramenti in sensu formali, id est, sub ea ratione qua sunt partes; Ad hoc autem vt sint partes, seu materia Sacramenti, non explicat Concilium aliquas particulares conditiones attritionis seu doloris, sed solùm quatenus ex institutione Christi requiruntur ad plenam & perfectam remissionem peccatorum; id est, ad illam quæ datur in hoc Sacramento per claues Ecclesiæ; hæc enim est plena & perfecta remissio. Ad hanc autem requiritur dolor ex institutione Christi, & quatenus est sub illa institutione, est pars. Institutio autem Christi hoc addidit supra dolorem consideratum ex sua natura & motiuo, quod ordinetur & subijciatur clauibus Ecclesiæ; ergo sub isto respectu & ordine habet ille dolor esse pars & materia Sacramenti: At verò quando Concilium loquitur in cap. 4. de Attritione quatenus est dispositio ad effectum Sacramenti, sic ait. *Illam verò Contritionem imperfectam (quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur) si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum*, &c. *Et per hanc Attritionem* dicit *disponi hominem in Sacramento ad impetrandam Dei gratiam*, vbi Concilium quia loquitur de Attritione vt dispositio est, & non solùm vt pars Sacramenti, expressit illas duas conditiones: Nempè, *quod excludat voluntatem peccandi cum spe veniæ*, quas non expressit quando loquutum est de Attritione vt est pars Sacramenti.

Sic ergo dicimus, Quod si Attritio sit supernaturalis ex motiuo, ex quo concipitur, & dicat ordinem & subiectionem ad claues Ecclesiæ, quod ex institutione Christi requiritur, sufficienter est pars, seu materia Sacramenti, atque adeo constituit validum Sacramentum, etiamsi ex aliqua ignorantia non habeat illam efficacem voluntatem excludendi peccatum, aut efficacem spem veniæ; quia istæ sunt conditiones requisitæ vt Attritio sit dispositio ad effectum Sacramenti; & in illis habendis potest homo facillimè decipi, & sibi persuadere quod habeat efficacem voluntatem relinquendi peccata, & tamen in re & de facto non habeat, sicut oportet ad consequendam remissionem peccatorum.

Et huic doctrinæ Concilij concordat doctrina sancti Thomæ in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. vbi docet, *Quod Confessio vt est pars Sacramenti ordinat hominem ad claues Ecclesiæ, & secundùm hoc confessio potest esse, etiam in eo qui non est contritus; quia potest peccata sua Sacerdoti in-*

notescere, & clauibus Ecclesiæ subiicere: & hoc modo admittit posse dari Confessionem: Saluari ergo potest in contritione, seu dolore ratione partis, & materia Sacramenti sufficientis ad constituendum Sacramentum, sine aliis requisitis ad efficaciam attritionis, non quidem defectu motiui, & specificationis actus (quia supernaturalis est) neque ex defectu extensionis ad omnia peccata oblita (quia virtualiter ad omnia illa se extendit) sed ex defectu conditionum requisitarum & concomitantium; vt (verbi gratia) ex defectu efficacis exclusionis voluntatis peccandi, aut ex defectu veræ spei requisitæ ad veniam.

Dices, Bene potest aliquis subiicere se clauibus, & confiteri Sacerdoti sine aliquo dolore supernaturali, sed solùm ex naturali motiuo; ergo sola voluntas subiiciendi se clauibus non sufficit ad constituendum verum Sacramentum; ergo falsò sanctus Thomas saluat Sacramentum informe ex hac parte, quia potest habere voluntatem subjiciendi se clauibus sine contritione, Si enim non habet dolorem, eumque supernaturalem, quantumcumque velit confiteri, non facit Sacramentum. Et confirmatur, Quia potest aliquis velle confiteri cognoscendo euidenter se non habere voluntatem efficacem excludendi peccatum, vel eius occasionem, & tamen tunc non facit Sacramentum validum; ergo falsò dicit sanctus Thomas, Quod potest se subiicere clauibus, sine hoc quod sit contritus, & faciendo Sacramentum informe, cùm in casu posito Sacramentum sit nullum, etiamsi subiiciat se confessioni. Imò contradicit sibi sanctus Thomas, Quia in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 1 quæstiunc. 2. inquit, *Quod contritio est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ*: cum tamen in hac dist. 17. dicat, *Quod potest aliquis subiici clauibus Ecclesiæ, sine hoc quod sit contritus; & tunc erit Sacramentum informe*: Quomodo possunt hæc componi; si enim contritio est de essentia Sacramenti, non potest sine contritione Sacramentum dari, quantumcumque se subiiciat confessioni.

Subiectio ad claues Ecclesiæ ex motiuo naturali, non vera subjectio.

Respondetur nihilominus, Solidam stare consequentiam S. Thomæ; solùm aduertendo, quod in illo loco loquitur de ordinatione ad claues, vera & interna, id est, quæ prouenit ex animo quærente medicinam & remedium peccatorum, non de externa & ficta; hæc enim ad nihilum valet. Et similiter cùm dicit, Posse esse hanc subiectionem sine contritione, loquitur de contritione habente conditiones requisitas vt sit dispositio, & non solùm habente rationem partis & materiæ Sacramenti.

Sic ergo Respondemus in forma ad Argumentum, Bene potest aliquis subiici clauibus Ecclesiæ sine aliquo dolore supernaturali; distinguo, subiectione ficta & solùm externa, transeat; subjectione vera & orta ex animo quærendi remedium peccatorum, nego; Non enim stat quod aliquis se subiiciat clauibus Ecclesiæ ex animo quærendi remedium peccatorum, & tamen sine vllo dolore supernaturali accedat ad Sacramentum; quia animus quærendi remedium peccatorum per Sanguinem Christi, est animus excludendi peccata ex aliquo motiuo supernaturali; qui enim propter solum motiuum temporale (verbi gratia, propter amissionem salutis, vel honoris) detestatur peccatum, non quærit remedium in clauibus Ecclesiæ & Sanguine Christi, quia non est effusus propter ista commoda temporalia, sed propter salutem æternam, & liberationem à gehenna; quare si intendit subiici clauibus verè, & non fictè, oportet quod sit ex aliquo motiuo, propter quod Sanguis Christi effusus est, & per claues Ecclesiæ communicatur.

Non contritum subjici clauibus, & Sacramentum perficere.

Ad confirmationem Respondetur, Quod sanctus Thomas dicit, *Quod potest velle se subiicere clauibus Ecclesiæ, sine hoc quod sit contritus*; loquendo de contritione vt est actus virtutis, & dispositio cum omnibus conditionibus requisitis ad iustificationem, non vt præcisè est pars Sacramenti. Vtrumque enim membrum distinguit sanctus Thomas, & loquitur in prima acceptione, quando dicit Posse sine cõtritione confiteri. Quando autem in alio loco dicit, *Quod contritio est de essentia Sacramenti*, loquitur de contritione vt est pars Sacramenti, non vt est dispositio ad eius effectum. In casu autem Argumenti, Quod aliquis accederet cum voluntate inefficaci scienter; jam supra diximus, Quod confessio erit nulla, non ex præciso defectu dispositionis, sed quia non stat talem verè subiici clauibus Ecclesiæ, hoc ipso quod scienter accedit cum illa voluntate inefficaci; quia sic accedit cum voluntate perseuerandi in peccato scienter, & sic destruit omne motiuum subiiciendi se verè clauibus, & quærendi remedium peccatorum in Sanguine Christi.

Indispositio cognita nullũ reddit Sacramentum.

Sed inquires duo, An fiat Sacramentum validum, etiamsi quis accedat cum ignorantia culpabili huius inefficacis propositi vel examinis, licèt non scienter, ita quod peccet noua culpa in tali confessione & tamen verum Sacramentum perficiat? An verò requiratur ignorantia inuincibilis talis defectus voluntatis, vt Sacramentum sit validum?

Secundò, An recedente fictione Sacramentum hoc informe habeat suum effectum, & quomodo, An physicè vel moraliter? & An talis fictio debeat tolli per nouam confessionem, vel contritionem? An verò sufficiat attritionem illam supplere, quæ deficit in Sacramento?

Reddit & ignorantia supina seu affectata.

Ad primum Respondetur, Supponendo quod ignorantia culpabilis seu vincibilis, est quidem vera ignorantia ex parte intellectus, ita quod non cognoscit illud obiectum de quo est ignorantia, sed ex parte voluntatis supponit negligentiam, id est, defectum applicationis ad inquirendum & cognoscendum (deberet enim adhibere media, & diligentiam ad vincendam illam ignorantiam) sunt autem diuersi gradus & latitudo in ista negligentia, sicut in opposita diligentia; Nam aliquando negligentia est tanta, quod redditur ignorantia affectata & crassa, ita quod etiam rudissimi homines possent illam aduertere; & talis negligentia culpabilis reputatur in ordine ad operandum, perinde ac si scienter id fieret; vnde talis negligentia & ignorántia reddit Sacramentum nullum.

Aliquando verò negligentia non est tanta, sed adhibetur aliqua diligentia, licèt non sufficiens; & in hoc est magna varietas, nec potest vna & eadem mensura quodlibet negotium regulari; quod enim vni negotio est sufficiens, non est sufficiens alteri; & in vna confessione plus diligentiæ requiritur, quàm in alia; aut quia intricatior, aut quia longioris temporis, &c. Vnde vix potest nisi ad prudens arbitrium relinqui, quanta diligentia sit sufficiens, vel non sit: Et aliquando potest esse negligentia culpabilis mortaliter propter grauem defectum in materia graui, aliquando solùm ve-

nialiter; quando adhibetur quidem diligentia, sed A cum aliquo defectu leui, vt ex aliqua inaduertentia seu digressione, aut aliquo simili motiuo veniali; & tamen super his omnibus potest formare iudicium & dictamen, quod fecerit sufficientem diligentiam. & quidquid amplius adhibeatur, non esse de necessitate, sed de superabundanti.

Nullum Sacramentum cum negligentia, quæ sit mortale peccatum.

Inter has ergo duas negligentias seu ignorantias, vincibilem & inuincibilem, existimo quod in praxi vix potest dari casus, quod aliquis accedat ad confessionem cum ignorantia culpabili mortali, ita quod tunc peccet de nouo, & tamen quod validum conficiat Sacramentum. Ideoque resolutè colligo, Sacramentum informe solùm contingere, B quando quis accedit cum ignorantia inuincibili, aut vincibili veniali, non mortali.

Ratio est; Quia vt negligentia sit culpa mortalis, requiritur plena aduertentia de illius grauitate & exercitio, ita quod aduertat se habere negligentiam, eamque esse grauem. Licèt enim sufficiat ad peccatum mortale quod aliquis teneatur aduertere & non aduertat, cùm debet; tamen oportet quod hæc ipsa obligatio, & illius omissio sit in materia graui, & aduertatur; aut saltem cognoscat se periculo exponi non tractandi rem illam grauem ea attentione qua debet; Nam peccatum mortale vtrumque requirit, & materiæ grauitatem, & plenam aduertentiam; & C si fiat per omissionem, quod aduertat se omittere seu negligere; si per commissionem, aduertat se velle, & in consensum ruere: impossibile ergo videtur quod aliquis in ipsa confessione nouum peccatum mortale negligentiæ, seu ignorantiæ committat, quin negligentiam illam eiusque grauitatem aduertat, vel saltem periculum cui se exponit, cum tali negligentia confitendo: Si autem aduertit se peccare grauiter illo peccato negligentiæ, vel periculi, hoc ipso ex alio capite redditur nullum Sacramentum, quia cum aduertentia noui peccati, vel periculi eius, facit confessionem, nec de illo pœnitet; quia continuat negligentiam, & facit Sacramentum informe in sententia opposita. Si tamen illa ignorantia seu D negligentia sit solùm venialis, etiamsi sit cognita, non impedit valorem Sacramenti, neque eius fructum.

Sed instabis, Quia, vt nos fatemur, potest dari Sacramentum informe ex defectu examinis, & non solùm ex defectu doloris; si autem aliquis obliuiscitur aliquod peccatum ignorantia inuincibili, tale peccatum manet remissum, vt supra docuimus ex Concil. Trident. & idem est si ignorantia, seu negligentia solùm sit venialis, quia veniale peccatum non impedit gratiam; ergo vt confessio sit informis defectu examinis, requiritur ignorantia culpabilis mortalis; ergo falsò dicimus, quod cum tali negligentia, seu ignorantia nunquam Sacramentum est validum & informe. E

Respondetur, Quod quando Sacramentum confessionis est informe ex defectu examinis, non datur in re diligens aduertentia & examen, & sic peccata illa non sunt propriè oblita inuincibiliter, & diligenter cogitanti non occurrentia, de quibus loquitur Concil. sed in re sunt neglecta; solùm autem datur inuincibilis ignorantia de ipsa sufficientia examinis, aut vincibilis venialiter; verbi gratia. Si quis incipit cum aliqua diligentia facere examen, & nondum absoluto & consummato, vocatur, seu diuertitur ad aliquod ministerium necessarium, verbi gratia ad assistendum infirmo, vel aliquid simile, & postea omnino obliuiscitur de absoluendo examine, sed cum illo facto existimat se satisfecisse, quia res ista est arbitraria, nec certis regulis definitur, talis cum inuincibili ignorantia defectus examinis accedit, & tamen quia in re non fecit diligentiam, non consequitur fructum confessionis; nec illa peccata oblita includuntur in confessione, quia non verificatur quod diligenter cogitanti non occurrerunt, vt dicit Concilium.

Negligentia examinis venialis, cũ qua stat Sacramentum informe.

Ad secundum Respondetur, Affirmatiuè, Quod recedente fictione remittuntur peccata confessa beneficio & virtute confessionis factæ; & quantum ad hoc parificatur illa confessio Baptismo remittenti peccata recedente fictione. Ratio efficax est, Quia illa peccata semel confessa confessione illa informi, non possũt remitti nisi virtute & beneficio clauium Ecclesiæ, sine ordine ad quas nullum peccatũ mortale remittitur, sed non in ordine ad nouam confessionem; quia non tenetur quis amplius confiteri illa peccata (solùm enim obligatur ad hoc quando Sacramentum est nullum, non quando solùm est informe) ergo per ordinem ad confessionem præteritam; ergo beneficio illius remittuntur peccata in ea confessa recedente fictione. Quare sicut peccata ante Baptismum commissa non possunt tolli nisi ipso Baptismo, ideoque recedente fictione Baptismus operatur ad remissionem illorum; ita peccata confessa per confessionem informem, per se non possunt tolli nisi per eandem confessionem, quia alteri confessioni per se non subijciuntur, cùm sit sublata obligatio confitendi illa; & tamen per se remittuntur in vi alicuius confessionis, quia non nisi per claues Ecclesiæ remitti possunt.

Sacramentum Pœnitētiæ ipsum efficax remota fictione.

Nec obstat, Quod hoc Sacramentum est iterabile, & non Baptismus; Quia respectu peccatorum, quæ confessa sunt, non est per se iterabile (id est, ex obligatione) sed solùm ex voluntate Pœnitentis, quam ipse potest non habere; & tamen peccata illa per se remitti debent in ordine ad confessionem. Solùm differentia est, Quod in Baptismo, etiam si quis accedat scienter indispositus & fictus, tamen facit validum Sacramentum, si apponatur materia & forma; in Sacramento autem Pœnitentiæ si quis scienter accedat indispositus, aut scienter negligens negligentia mortali, facit Sacramentum nullum, quia accedit cum conscientia noui peccati, de quo non habet Pœnitentiam.

Baptismus validus, cũ quis etiam scienter accedit indispositus.

Ad aliud quod dicitur, Si physicè, vel moraliter habeat effectum recedente fictione: Pro nunc sufficit dicere, Quod quamuis Aliqui opinentur quod solum moraliter, probabilius tamen est quod physicè: Quia iam art. anteced. ad vltimam instantiam de hoc diximus, & latius loco ibidem citato, scilicet quæst. 62. art. 1. dub. 6. ad 3.

Quomodo debeat tolli illa fictio, quando quis facit confessionem informem, An sufficiat attritionem illam apponere, quæ defuit? An verò requiratur contritio, vel noua confessio de tali fictione? Respondetur, Quod per solam attritionem, quæ tunc defuit, si de nouo apponatur, tollitur illa fictio, quando fuit posita cum ignorantia inuincibili; quia tunc non est nouum peccatum mortale in illa fictione, & de iam confessis non tenetur amplius confiteri: Si autem illa fictio esset cum peccato mortali, tunc de nouo commisso, teneretur illud confiteri de nouo, quia non est subiectum clauibus Ecclesiæ. Vel potius, in nostra

Fictio ex defectu doloris veniali, noua attritione tollitur extra Sacramentum.

ſententia, tenebitur reiterare totam confeſſionem, A ſi cum illo peccato mortali fuit nulla ex defectu integritatis. Quando autem ex defectu examinis fit confeſſio informis, tenebitur quis illud peccatum oblitum, ſi in memoriam venerit, confiteri; & non ſufficit nouum examen facere, cum ſola noua attritione, quia illud peccatum oblitum nunquam fuit ſubiectum clauibus Eccleſiæ; ergo hoc ipſo quod recordatur illius, tenetur illud confiteri, quia in clauibus Eccleſiæ eſt ius & poteſtas ad cognoſcendum de omni peccato poſt Baptiſmum commiſſo, & iudicandum de illo; ergo qui renuit iudicari per claues Eccleſiæ, occultando illud, iudicabitur à Deo.

Ad rationes dubitandi à principio, Reſpondetur; Ad primam dicimus, Quod attritio, quæ eſt diſpoſitio, & quæ eſt pars Sacramẽti, coincidunt in hoc Sacramento inadæquatè, non adæquatè; id eſt, non mutuò ſe conſequuntur; quia ſi eſt diſpoſitio ſufficiens, etiam eſt pars Sacramenti, ſed non è conuerſo; poteſt enim eſſe pars Sacramenti, & non eſſe ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, ex defectu inuincibili earum conditionum, quas requirit Concilium ad diſpoſitionem, & non exprimit requiri ad materiam, vt ſupra ponderatum eſt; ſicut homo & animal identificantur, non tamen adæquatè & mutuò; quia ſi homo eſt, animal eſt, ſed non è contra.

Et ad primam probationem contra hoc, Reſpondetur Concilium Tridentinum ſufficienter diſtinguere quid requiratur in Attritione vt ſit pars Sacramenti, quid verò requiratur vt ſit diſpoſitio ad effectum Sacramenti; Nam in cap. 3. dicit, *Actus Pœnitentis ea ratione eſſe partes & materiam Sacramenti, quatenus ex inſtitutione Chriſti requiruntur ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam remiſſionem peccatorum* (*ſcilicet quæ datur in Sacramento;*) vbi Concilium cautiſſimè & formaliſſimè loquitur, non abſolutè pronuntians eſſe partem quatenus requiruntur ad plenam remiſſionem peccatorum, ſed *quatenus requiruntur ex inſtitutione Chriſti:* Ex D inſtitutione autem Chriſti hoc additum eſt Attritioni, vt ordinet Pœnitentem ad claues Eccleſiæ, in quibus eſt plena & perfecta remiſſio peccatorum, id eſt, remiſſio ex opere operato, & ex Sanguine Chriſti. Ad hanc plenam & perfectam remiſſionem peccatorum non ordinatur Attritio ex natura ſua, vt præciſè eſt actus virtutis, ſed ex Chriſti inſtitutione, qui eleuauit illam ad hoc, vt componeret Sacramentum, & eſſet pars eius.

Quando autem in cap. 4. explicat Concilium rationem diſpoſitionis in Attritione ad impetrandam gratiam in Sacramento, explicat alias conditiones, quas non explicauit quando dicit eſſe partem, ſeu materiam Sacramenti, ſcilicet quod non ſolùm ſit ex metu gehennæ, vel ex turpitudine E peccati, ſed etiam cum voluntate excludendi peccata, & cum ſpe veniæ, &c. Alio ergo modo explicuit Concilium in Attritione rationem partis, & rationem diſpoſitionis.

Nec dici poteſt, Quod Concilium ſupponit illum dolorem, qui eſt pars, eſſe diſpoſitionem, & habere conditiones ad illam requiſitas; & talis dolor ex inſtitutione Chriſti requiritur ad integritatem Sacramenti, & ad plenam remiſſionem peccatorum. Reſpondetur enim, Id ex Concilio non conſtare; & ſic argumentum non conuincit, ſtando in vi authoritatis Concilij: potius autem nobis fauet, cùm diuerſo modo loquatur, quando explicat quomodo Attritio eſt pars Sacramenti, & quando explicat quomodo ſit diſpoſitio; ſiquidem hoc ſecundo loco exprimit illas conditiones ad diſpoſitionem requiſitas (ſcilicet quod ſit cum B voluntate efficaci excludendi peccata, & cum ſpe veniæ) quas non exprimit quando dicit eſſe partem. Quod verò eas ſupponat, non conſtat ex textu; vnde oportet id reducere ad id quod eſt magis conueniens, & congruum ipſi naturæ & inſtitutioni Sacramenti, in quo (vt ſupra ponderatum eſt) non debuit pro materia neceſſaria aſſignari id, quod tam incertum & occultum eſt, ſicut Attritio cum omni conditione requiſita ex parte voluntatis efficacis ad diſponendum ad gratiam, & propter morale periculum faciendi confeſſiones inualidas, cum prudenti dubio de illarum inualiditate, quod magnum inconueniens eſt in hoc Sacramento.

C Ad ſecundam inſtantiam Reſpondetur, Etiam in Sacramento informi verificari formam abſolutionis; in primis in illo ſenſu, quem ſanctus Thomas admittit, & ſupra poſuimus, *Ego Abſoluo te*, id eſt, Sacramentum abſolutionis tibi impendo; quidquid ſit de effectu ſecuto, qui poteſt impediri ex aliquo defectu ſuſcipientis. Atque ita verificatur forma, non de abſolutione paſſiua & recepta in Pœnitente in actu ſecundo, ſed de abſolutione actiua, & quaſi in actu primo; cuius tamen effectus poteſt impediri. Vnde ſecundò dicimus, Quod illa verba *Abſoluo te*, non ſignificant abſolutionem cum effectu infallibili ex parte Pœnitentis, ſed ex vi Sacramenti; per quod datur infallibiliter abſolutio in Sacramento; de facto quidem, ſi non inueniat impedimentum ex parte diſpoſitionis; ſi autem inueniat illud, non dat abſolutionem de facto, ſed de iure; quia ex vi Sacramenti habet Pœnitens ius infallibile, vt recedente fictione illa, præterita remittantur.

Verba formæ vera, cum Sacramentum Pœnitentiæ eſt informe.

Ad tertiam inſtantiam Reſpondetur, Non ſufficere Attritionem eſſe ſupernaturalem ex parte ſui motiui (quia videlicet procedit ex timore inferni, & amiſſionis beatitudinis) & quod etiam ſupernaturaliter ordinetur ad claues Eccleſiæ, & ad perfectam remiſſionem in Sanguine Chriſti; ſed vlterius requiritur quod iſte dolor ſit cum voluntate efficaci excludendi peccatum, & cum ſpe veniæ; & in his conditionibus poteſt deficere Attritio, inquantum diſpoſitio eſt, quia (vt diximus) poteſt illa voluntas, ſeu propoſitum non peccandi eſſe inefficax; & illa ſpes veniæ non eſſe ſufficiens, ſed declinare vel in nimiam timiditatem, vel in ſuperfluam præſumptionem.

QVÆSTIO LXXXV.

De Pœnitentia secundùm quod est Virtus.

De habitu Virtutis Pœnitentiæ agit sanctus Thomas in hac quæst. & explicat naturā huius Virtutis, Tum per ea quæ intrinseca sunt, in tribus prioribus articulis; Tum per ea quæ extrinseca sunt, in aliis tribus. Per intrinseca considerat primò genus Pœnitentiæ, scilicet, quod sit virtus, in art. 1. Secundò speciem illius, ostendendo quod est virtus specialis, in art. 2. Tertiò determinando quod pertineat ad speciem iustitiæ, quatenus reddit debitum alteri, licèt non ad æqualitatem, in art. 3. Per ordinem ad extrinseca, considerat sanctus Thomas, naturam huius Virtutis per ordinem ad suum subiectum, in quo est; per ordinem ad alias Virtutes, cum quibus est. Per ordinem ad subiectum ostendit art. 4. Esse in voluntate; Tum quia eius actus est dolor, seu tristitia; Tum quia habet modum iustitiæ ad alterum; & totum hoc pertinet ad voluntatem. Per ordinem ad principium, à quo originatur Pœnitentia, ostendit art. 5. Pœnitentiam oriri ex timore; proximè quidem à timore filiali, quatenus ex reuerentia Dei mouetur ad illum vt ad Patrem pro emendatione; remotè autem à timore seruili, quatenus incipit pœnitere ex timore supplicij. Denique per ordinem ad reliquas Virtutes, ostendit art. 6. Pœnitentiam non esse primam simpliciter inter cæteras Virtutes, neque in executione, quia sic prior est Fides & Spes, neque ordine dignitatis, quia sic prior est Charitas: est tamen prima quantum ad aliquid, quatenus supposito peccato operatur ad restaurandam gratiam & virtutes, & sic præcedit eas vt restaurandas, non absolutè.

DISPVTATIO XXXIV.

De Virtute Pœnitentiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Pœnitentia sit virtus, & in qua specie virtutis?

Totam Pœnitentiæ quidditatem, seu naturam in hoc art. explicabimus, tam ex parte generis, quàm ex parte speciei, seu differentiæ. Incipiendo ergo à genere, Dico primò, Pœnitentia verè & propriè est virtus. Non disputo modò An sit virtus distincta ab aliis, vel non; de quo est difficultas apud Auctores; sed solùm affirmo esse virtutem. Probatur à sancto Thoma in art. 1. Tum in argument. *Sed contra.* Quia de Pœnitentia datur diuinum præceptum; sed præcepta sunt de actibus virtutum, ergo Pœnitentia est virtus. Minor (Pœnitentia, virtus.)

A probatur, Quia præceptum Legis non potest esse nisi de actibus bonis; Nam finis legis est homines facere virtuosos; ergo præceptum legis debet esse de actu bono morali, seu de actu virtutis. Maior verò constat ex Scriptura Matth. 4. 17. & Act. 2. 38. *Pœnitentiam agite.* Lucæ 13. 3. *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Act. 17. 30. *Nunc annuntiat hominibus, vt omnes vbique Pœnitentiam agant.* Tum secundò probatur in corpore, Quia Pœnitentia, licèt prout dicit tristitiam in appetitu sensitiuo, sit passio; tamen prout

B est in voluntate, dicit tristitiam seu dolorem cum libera electione; electio autem libera, si est recta, est actus virtutis; ergo tristitia seu dolor Pœnitentiæ ex recta electione procedens, est actus virtutis; quia virtus est habitus rectè electiuus: sed sic est, quod pertinet ad rationem rectam vt aliquis doleat de eo, de quo dolendum est, & eo fine quo dolendum est; quod quidem seruatur in Pœnitentia, siquidem dolet de peccato præterito cum intentione remouendi illud, & satisfaciendi Deo, quod est motiuum honestum; ergo Pœnitentia

C est virtus.

Argumenta.

Contra hanc conclusionem & probationem eius, difficultas se offert; Supponendo, quod sanctus Thomas non solum intendit probare, quod Pœnitentia est virtus laudabilis quomodocumque, sed vera & propria virtus in toto rigore; potest enim aliquid esse laudabile per modum passionis, sicut verecundia, quæ tamen non est virtus, quia virtus procedit ex electione, non ex passione. Lo- (Argumenta probantia Pœnitentiam non esse virtutem.)

D quendo ergo de virtute rigorosè sumpta, difficultas est; tum de ipsa re; tum de ratione sancti Thomæ. De ipsa re; Quia Pœnitentia ex natura sua supponit imperfectionem repugnantem virtuti; ergo non est virtus. Antecedens probatur primò, Quia supponit peccatum ab ipsomet homine commissum; est autem contra rationem virtutis quod essentialiter supponat suum contrarium in subiecto in quo est. Secundò, Quia non supponit peccatum exclusum à subiecto, siquidem antecedit gratiam, per quam tollitur peccatum; ergo prout antecedit gratiam non est virtus. Tertiò, Quia

E non est in Christo, quia Pœnitentia supponit hominem imperfectum, scilicet, peccatorem. Vnde sequitur, quod Pœnitentia non est dispositio perfecti, sed imperfecti (scilicet subiecti peccantis) virtus autem est dispositio perfecti ad optimum, vt dicitur in 7. Phys. Quia est dispositio seu habitus hominis perfecti (id est, iusti) ad optimum; id est, ad finem bonum. Et similiter sequitur, quod Pœnitentia directè & per se non sit appetibilis, sed solùm ex suppositione peccati; imò ex suppositione non habendi virtutes; quia Pœnitentia operatur ad restaurandum illas; ergo non est propriè & per se virtus, sed solùm dispositio ad virtutes, antecedens illas; siquidem caret conditio-

nibus virtutum, vt quod sit per se appetibilis, & dispositio perfecti ad optimum.

Confirmatur, Quia Verecundia non est virtus, licèt sit passio quædam laudabilis, vt ex Arist. 4. Ethic. docet sanctus Thomas hîc art. 1. ad 2. & in 2. 2. quæst. 144. art. 1. Et similiter Continentia non est perfecta virtus, vt docet ibidem quæst. 155. art. 1. ergo nec Pœnitentia est virtus. Consequentia probatur, Quia sicut Verecundia est timor exprobrationis de turpi facto, ita Pœnitentia est dolor de turpi facto, seu de peccato. Nec est sufficiens disparitas, Quod Verecundia est de turpi facto præsenti; Pœnitentia autem de præterito. Nam contra est, Quia etiam verecundamur de turpi facto iam transacto, si nobis exprobretur, & memoriæ occurrat, sicut per Pœnitentiam tristamur de peccato præterito, prout redditur præsens memoriæ, & adhuc existit præsens in voluntate in non iustificato, ergo sicut verecundia non est virtus, quia virtuosus nihil habet exprobrabile, sic & Pœnitentia non erit virtus, quia virtuosus non supponit crimen à se commissum de quo tristetur.

Contra discursum autem sancti Thomæ fit argumentum, Quia ex eo probat sanctus Thomas Pœnitentiam esse virtutem, quia pertinet ad rectam rationem vt doleat de eo, de quo dolendum est, & eo fine quo dolendum est; contra quod fit instantia, Quia contrariorum eadem est ratio; Sicut enim pertinet ad rectam rationem dolere de quo dolendum est, ita pertinet vt gaudeat de quo gaudendum est, quia gaudium opponitur dolori, seu tristitiæ; sed gaudium (etiam ex recta ratione procedens) non constituit virtutem, vt docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 28. art. 4. ergo neque dolor constituit virtutem, loquendo propriè & rigorosè de virtute. Secundò, Quia sicut potest secundùm rectam rationem dolere quis de peccatis, ita potest dolere de miseriis, de infortuniis, de infirmitatibus; quia hæc secundùm rectam rationem sunt obiectum doloris & tristitiæ, & tamen non ponitur aliqua virtus ad dolendum de istis calamitatibus, ergo neque ad dolendum de peccatis. Postremò, Quia hæc virtus Pœnitentiæ non est Moralis, neque Theologica, neque Intellectualis; ergo nulla. Non Intellectualis, Quia est in voluntate, non in intellectu, cùm eius actus sit dolor & tristitia, qui est actus voluntatis; Non Theologica, Quia solùm dantur tres virtutes Theologicæ Fides, Spes, & Charitas, quarum nulla est Pœnitentia; Non Moralis, Quia virtus Moralis potest esse acquisita per prudentiam naturalem; at prudentia naturalis, seu ratio, nihil dictat de Pœnitentia, quia nihil dictat de gratia & remissione peccatorum, ad quam ordinatur Pœnitentia, & ratione cuius est virtus; ergo nullo modo pertinet ad virtutem propriè dictam.

Soluuntur.

Pœnitentia, virtus supponens imperfectionem vt destruendam.

Ad primam difficultatem Respondetur, Pœnitentiam supponere imperfectionem, Distinguo, vt materiam reijciendam & remouendam, concedo; vt retinendam, nego. Non est autem contra rationem virtutis supponere aliquam imperfectionem vt remouendam, & connotare illam. Nam virtutes moderantur passiones, licèt præcesserint immoderatæ in subiecto, quia remouent vitiosa extrinseca, & ad medium rationis reducunt: Habere autem de præsenti immoderatas passiones in- A surgentes, non est perfectæ virtutis, qua ratione neque Verecundia neque Continentia sunt perfectæ virtutes; habuisse autem illas de præterito, & remouere de præsenti, non est contra perfectam virtutem.

Pœnitentia virtus, & habitus infusus, simul cum gratia.

Ad secundam probationem, Quod Pœnitentia antecedit gratiam, per quam tollitur peccatum, dicitur, Quod Pœnitentia sumpta pro habitu virtutis simul infunditur cum gratia, & ante illam solùm antecedit auxilium mouens ad attritionem, & ad alias dispositiones remotas; habitus autem ipse Pœnitentiæ, quæ est virtus infusa, non infunditur ante gratiam, sed cum reliquis virtutibus B moralibus, quæ comitantur ipsam gratiam; & licèt antecederet gratiam duratione & tempore, adhuc non tolleretur quin esset vera virtus quantum ad substantiam, licèt sine gratia & charitate non haberet statum virtutis, sicut Fides & Spes. Veritas tamen est, quod Pœnitentia non remanet in peccatore, sicut Fides & Spes, sed infunditur cum gratia; ideoque in instanti quo infunditur gratia, infunditur habitus Pœnitentiæ, potestque ab illo procedere contritio.

Pœnitentia repugnat in Christo; quod imperfecta ex parte subjecti.

Ad tertiam probationem dicitur, Pœnitentiam non esse in Christo; hoc tamen non tollit esse veram virtutem, licèt non ita perfectam ex parte subiecti; sicut etiam Fides & Spes non sunt in C Christo, neque in Beatis, & tamen veræ virtutes sunt; bene enim potest aliqua virtus esse vera & perfecta ex parte obiecti & specificationis, licèt sit imperfecta ex aliqua conditione subiecti, veritas autem & perfectio virtutis, regulatur penes obiectum; erit tamen minus perfecta, si ex parte subiecti supponat aliquem statum imperfectum, sicut Fides & Spes supponunt non videri Deum, neque possideri beatitudinem; & Pœnitentia supponit peccabilitatem in subiecto, & peccatum ab ipso esse commissum.

Dispositio perfecti ad optimum.

Ad id quod obijcitur contra conditiones virtutis, quæ repugnant Pœnitentiæ; Respondetur Pœnitentiam esse dispositionem perfecti ad optimum, D quia subiectum Pœnitentiæ non est peccator quomodocumque, sed peccator vt remouens & relinquens peccatum; remotio autem peccati non est dispositio imperfecta, siquidem est dispositio conuertens ad Deum; & sic est dispositio perfecti, id est, subiecti relinquentis peccatum; ad optimum, id est, ad Deum. Ad id verò quod dicitur, Pœnitentiam non esse per se appetibilem; distinguo, Ex parte sui præsuppositi, quod est esse peccatorem, concedo; ex parte suæ rationis formalis, quod est à peccato corrigi & conuerti, nego. Hoc enim non solùm ipsi peccatori, sed etiam Deo & Angelis est valde amabile, *Quia gaudium est in cælo super vno peccatore Pœnitentiam agente*, Luc. 15. 7. Est ergo appetibilis Pœnitentia pec- E catoribus propter necessitatem, innocentibus propter bonitatem suam absolutam; quia hoc quod est conuerti à peccato, ex sua specie bonum est, licèt exerceri non possit nisi in subiecto quod habuit peccatum. Quod verò ipsa Pœnitentia restaurat virtutes, non tollit quod etiam sit virtus, quia non desinit, sed permanet cum virtutibus restauratis, sicut etiam Fides & Spes operantur ad restaurationem gratiæ & virtutum, & tamen sunt virtutes.

Ad confirmationem Respondetur ex sancto Thom. hîc art. 1. ad 2. Quod Verecundia est de turpi facto præsenti, quatenus ex illo timet exprobrationem & confusionem, vt etiam docet 2.

Discrimen à Verecundia & Continentia, quæ non sunt veræ virtutes.

2. quæst. 144. art. 1. vnde Verecundia propriè non operatur ad excludendam turpitudinem peccati propter se, sed propter exprobrationem, quam timet; Et cùm dicitur, Quod etiam potest quis verecundari de facto præterito, distinguo; præterito quantum ad executionem, transeat; præterito quantum ad exprobrationem, nego; semper enim manet exprobrabilis de præsenti, & de illa turpitudine vt exprobrabili de præsenti confundimur, quia timemus exprobrationem; at verò Pœnitentia tristatur de peccato, non propter exprobrationem præsentem, sed propter offensam Dei; & ideo operatur ad exclusionem peccati, quatenus malum culpæ est; & hoc maximè pertinet ad virtutem, quia oppositum virtutis excludit inquantum tale. Et saltem Pœnitentia nunquam potest esse de peccato præsenti, quia si peccatum est præsens, voluntarium est, & sic non habetur de illo dolor; Verecundia autem saluatur etiam in facto turpi præsenti, immò tunc maximè est verecundia, quod est manifestum signum ipsam non operari contra peccatum vt peccatum est, sed vt timet exprobrationem; Continentia autem non est perfecta virtus, quia non moderatur ipsas passiones, quod pertinet ad Temperantiam perfectam, sed contra insurgentes passiones, easque vehementes detinet voluntatem, ne ducatur, quod non est tam perfectum opus virtutis, licèt sit maioris laboris & difficultatis ex parte operantis, non ex parte operis; hoc enim maius est, si quis non solùm detineat voluntatem ne ducatur, sed etiam coërceat passiones ne insurgant.

Ad ea quæ obijciuntur contra discursum sancti Thomæ, Respondetur, Quod gaudium & dolor possunt considerari dupliciter; Vno modo, vt sunt simplices affectus, consequuti ad amorem alicuius obiecti; Ex eo enim quod aliquod obiectum ametur, sequitur quod gaudeamus de illo præsenti, & doleamus de illius absentia, & odio habeamus eius contrarium; & sic odium de peccatis, & tristitia seu dolor de ipsis, non constituit virtutem distinctam à charitate, sicut neque gaudium de Deo; Alio modo potest accipi dolor secundum modum specialem, scilicet prout operatur ad expiationem & vindictam peccati, vt est offensiuum Dei; & hac ratione induit aliud speciale motiuum, præter simplicem affectum charitatis, scilicet motiuum iustitiæ, vt satisfacientis iniuriam, saltem imperfectè; & sic pertinet ad Pœnitentiam: in gaudio autem non inuenimus talem specialem ordinem & motiuum, præter ipsum simplicem affectum dilectionis ortum ex amore; & sic non assignatur gaudio specialis virtus; potest tamen aliquid altius virtute assignari, scilicet Donum Spiritus sancti, quod est Sapientia: Hæc enim tendit ad cognoscendas res diuinas ex quadam experientia, & sapore rerum diuinarum, qui sapor & gustus fit ex delectatione & gaudio, quod de diuinis habetur: Et hoc modo tale gaudium charitatis spectat ad Donum Sapientiæ, de quo videatur sanctus Thomas 2. 2. quæst. 45. art. 2.

Dolor de peccato, vt Pœnitentiæ proprius.

Ad secundum Respondetur, Quod dolere de infortuniis & miseriis moderatè, etiam est actus virtutis, & pertinet ad illas virtutes, ad quas pertinet has calamitates & infortunia remouere, verbi gratia ad misericordiam, qua quis mouetur ad subleuandum defectus proximorum; & ad charitatem, qua quis remouet à proximis & à se mala; vel etiam ad iustitiam vindicatiuam, qua quis procurat per viam iustitiæ se defendere, & vindicare à malis; Non autem est specialis virtus, sicut in dolore de peccatis; quia dolor de peccatis non est specialis virtus, vt est simplex affectus (sic enim pertinet ad charitatem) sed inquantum est expiatiuus, & satisfactorius diuinæ offensæ; quod motiuum non inuenitur in dolore de propriis, vel alienis calamitatibus; Nam si per illas satisfacimus Deo, non est dolendo de illis, sed acceptando.

Ad vltimum Respondetur, Pœnitentiam esse virtutem moralem, vt docet sanctus Thomas hîc art. 3. & in 4. distinct. 14. quæst. 1. art. 1. quæst. 4. sicut Religio quæ reddit cultum Deo tanquam supremo principio est virtus moralis, sic Pœnitentia, quæ expiat offensam Dei, quod pertinere videtur ad quendam cultum & honorem redditum Deo, in tantum quod Aliqui existimant Pœnitentiam non distingui à Religione: Quod autem dicitur, Non dari Pœnitentiam acquisitam & naturalem, id videtur falsum, Quia etiam in pura natura posset aliquis dolere de peccato, quatenus est offensa Dei, siquidem in illo statu cognoscitur peccatum esse contra legem ipsius; & licèt non posset sperare veniam peccatorum, quia hæc sine gratia non datur, quæ in illo statu non dabatur, quia erat status puræ naturæ; tamen posset sperare aliquam condonationem pœnæ, saltem temporalis, & pro hac vita, & aliquam Dei placationem; & sic haberet propositum non peccandi de cætero, sed diligendi Deum auctorem naturæ super omnia: Et hoc modo potest dari Pœnitentia imperfecta in statu puræ naturæ, sicut & charitas ordinis naturalis & religio. Vnde Gentiles naturali lumine ducti sacrificiis & cæremoniis exterioribus Deum placandum existimabant, quod vtique ad aliquod genus Pœnitentiæ pertinebat; non enim potest quis intendere placare Deum, nisi iratum & offensum.

Pœnitentia virtus moralis.

Pœnitentia etiam acquisita.

Pœnitentia est Virtus à reliquis distincta.

Dico secundò, Pœnitentia est virtus specialis distincta à reliquis omnibus virtutibus. Hæc conclusio est expressa S. Thomæ hic art. 2. & in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæst. 5. Et sequuntur S. Thomam communiter Doctores, præsertim ex Discipulis sancti Thomæ, & ex Recentioribus; non tamen desunt (præsertim ex Antiquis) qui Pœnitentiam non distinguant ab aliis virtutibus. Aliqui enim absolutè sentiunt non esse ponendam specialem virtutem Pœnitentiæ, sed communiter conuenire omnibus virtutibus pœnitere, seu dolere de peccatis sibi oppositis; sicut Temperantia dolet, seu detestatur intemperantiam; Iustitia, injustitiam; & sic de reliquis. Neque enim datur specialis virtus pro fugiendo malo opposito ipsi virtuti, sed fuga de malo sequitur prosequutionem alicuius boni; ad fugiendum autem malum in communi non requiritur specialis virtus, quia neque datur ad appetendum bonum proprium in communi, vt docet sanctus Thomas 1. 2. quæst. 56. art. 6. Alij existimant Pœnitentiam non distingui à charitate, quia actus eius præcipuus, qui est contritio, est actus elicitus à charitate, siquidem detestatur peccatum propter Deum summè dilectum, tanquam propter motiuum; ergo non requiritur alia virtus ad Pœnitentiam, quàm virtus charitatis. Et istæ sententiæ considerauerunt in Pœnitentia solùm id, quod est de dolore & detestatione peccati. Qui verò vlterius considerauerunt in ipsa Pœnitentia rationem iustitiæ, & recompensationis

Pœnitentiam non esse virtutē distinctam, variæ sententiæ.

compensationis erga offensam Dei, diuisi sunt in duas sententias; Quidam dixerunt Pœnitentiam non distingui à iustitia commutatiua, quæ reddit satisfactionem pro iniuria, vt sentit Durandus in 4. dist. 14. quæst. 2. Scotus vero ibidem quæst. 2. reducit Pœnitentiam ad iustitiam vindicatiuam, quia eius finis est punire culpam. Nec obstat, Quod Pœnitentia non possit reddere Deo totum debitum, sed partem; Nam hoc etiam pertinet ad iustitiam commutatiuam; Nam qui debet centum, & solùm habet quinquaginta, reddit illam partem ex iustitia commutatiua, quia non est alia virtus per quam reddat; Alij verò considerantes in hac satisfactione Pœnitentiæ reddi Deo honorem, quia satisfit iniuriæ, dixerunt Pœnitentiam non distingui a Religione, quæ dat cultum & honorem Deo siue offenso, siue non offenso.

Asserta Sententia S. Thomæ, de virtutem distinctam.

Nihilominus nostra conclusio probatur & fundatur, tum in ratione generali, quam ponit sanctus Thomas; Tum specialiter ex solutione oppositarum rationum. Et prima ratio deducitur sic, Quia formale objectum Pœnitentiæ est distinctum à reliquis virtutibus; ergo & ipsa Pœnitentia, eiusque specificatio distincta est. Consequentia patet Quia ex distincto specificatiuo sequitur species distincta; obiectum autem formale est specificatiuum; ergo ex distincto obiecto formali, sequitur distincta species virtutis. Antecedens autem probatur, Quia in Pœnitentia inuenitur specialis ratio formalis, quæ ad nullam aliam virtutem pertinere potest, scilicet operari ad destructionem peccati, vt est offensiuum Dei; hoc enim est valde honestum & laudabile. Si enim honestum est operari ad reparandum damnum, & ius proximi læsum quanto magis ad reparandum honorem ipsius Dei, & ius illius læsum?

Quod verò hoc non possit pertinere ad aliam virtutem, probatur discurrendo per omnia genera virtutum; Nam quædam virtutes sunt Theologicæ, aliæ Morales; & ex istis quædam versantur circa passiones moderando illas, quædam se habent ad alterum, adæquando aliquod debitum per modum iustitiæ; Et omittimus virtutes Intellectuales, quia constat Pœnitentiam non esse in intellectu, cùm eius proprius actus sit dolor. Pœnitentia ergo non est virtus Theologica, quia non est Fides neque Spes, cùm istæ virtutes inueniantur etiam in peccatore, non pœnitente; neque est Charitas, quia Charitas habet proprium actum diligere Deum propter summam bonitatem, & per modum amicitiæ tendit in illum, non autem proprius eius actus est satisfacere, & recompensare debitum pro peccato (sed hoc pertinet ad distinctum motiuum formale;) sicut reddere cultum Deo pertinet ad aliam virtutem distinctam à charitate, scilicet ad Religionem, licèt vtraque (tam Religio quàm Pœnitentia) possint imperari à charitate, quia ex amore finis imperantur media; præter istas autem virtutes Theologicas non datur alia quarta virtus Theologica, iuxta illud Pauli, *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc*, 1. Cor. 13. 13. Et generalis ratio id suadet, Quia virtus Theologica respicit directè Deum, seu aliquid diuinum tanquam obiectum quod attingit, & materia circa quam versatur, Pœnitentia autem solùm respicit Deum vt obiectum, cui debitum reddit; pro materia autem & obiecto quod respicit, actus humanos (verbi gratia confessionem & contritionem) quibus hoc debitum Deo reddit: sicut Religio respicit pro materia cultum,

Pœnitentia non virtus Theologica.

A Deum autem pro obiecto, cui reddit illum; & ideo non est virtus Theologica; ergo nec Pœnitentia.

Pœnitentia non cõmunis virtus moralis.

Quod verò inter virtutes morales Pœnitentia non sit virtus per se & directè moderatiua passionum, probatur, Quia Pœnitentia non offert Deo directè & per se dolorem sensibilem, qui est passio, nec contritio est dolor sensibilis, sed spiritualis, quia procedit ex motiuo spirituali, id est, ex amore diuino & affectu expiandi peccata, vt sunt offensa Dei; & est in subiecto spirituali, scilicet in voluntate, ergo non pertinet ad ipsam moderari passiones sensibiles directè & per se, licèt ex consequenti moderari possit dolorem sensibilem, qui
B excitari solet ex dolore voluntatis; *Ne scilicet abundantiori tristitia aliquis absorbeatur*, vt inquit Paulus 2. ad Cor. 2. 7. Relinquitur ergo quod Pœnitentia debeat pertinere ad virtutes quæ sunt ad alterum; & in his, vel potest pertinere ad iustitiam commutatiuam communiter dictam, vel ad iustitiam legalem, quæ respicit debitum boni communis per obseruantiam legis; vel ad religionem, quæ respicit debitum diuini cultus & ius diuinum. Ad iustitiam commutatiuam communem non potest pertinere, quia hæc iustitia per se respicit debitum & ius æquale personarum, & per se tendit ad faciendam recompensationẽ æqualem, licèt in exercitio aliquando non reddat æqua-
C le ex impossibilitate aliqua, vel impedimento debitoris; quod omnino se habet per accidens; recompensatio autem ad Deum ex sua natura respicit ius diuinum, quod per se est inæquale ratione personæ, & irrecompensabile à creatura, & non solùm per accidens ex defectu materiæ; & sic requirit speciale motiuum & virtutem talis recompensatio. Si enim erga parentes datur specialis virtus, quæ est Pietas, ad reddendum illis debitum; & similiter erga Principes & superiores datur specialis virtus, quæ est Obseruantia; quanto magis requiritur specialis virtus pro reddendo debito iuris diuini, quod longè altius & difficilius est.

Non iustitia communis commutatiua.

D Ad iustitiam etiam legalem non pertinet, Quia motiuum iustitiæ legalis est obseruatio boni communis & legum, ideo enim legalis appellatur, quia legum obseruationem intendit, secundùm quod hoc spectat ad debitum boni communis; hoc autem bonum commune est aliquid inferius bono diuino, siquidem bonum commune est bonum creatum prouisum à Deo, & sub eius gubernatione contentum; Pœnitentia autem respicit offensam factam Deo & ius diuinum læsum, quod reparare intendit; ergo respicit aliquid altius bono communi; ergo habet distinctam difficultatem & motiuum à iustitia legali, quia distinctum ius & debitum respicit, ergo est distincta virtus. Ad Religionem autem non pertinet, vt expressè docet
E sanctus Thomas in 4. dist. 14. cit. Quia Religio respicit pro obiecto cultum diuinum vt reddendum Deo tanquam supremo principio & benefactori, non verò respicit id quod reddendum est Deo vt offenso; imò habent contrarias conditiones istæ virtutes, quia Deus vt benefactor supponitur, seu respicitur vt placatus, quia vt Benefactor; Pœnitentia verò respicit ipsum vt placandum, quia vt offensum & punitorem; & sic offert illi, non cultum tanquam benefactori, sed placationem & recompensationem per modum punitionis & vindictæ de scelere commisso; hæc autem sunt diuersa obiecta & motiua, scilicet colere Deum, vel placare; respicere illum vt offensum,

Non iustitia legalis.

Non Religio.

vel vt benefactorem; Vnde si donum Timoris distinguitur à Religione, quia licèt teuereatur Deum (quod videtur pertinere ad quendam modum cultus) tamen quia respicit Deum vt potentem infligere malum, non autem sub ratione benefactoris, distinguitur Timor a Religione; ergo multo magis Pœnitentia, quia respicit Deum non sub ratione benefactoris, sed offensi & punitoris, distinguetur à Religione.

Soluuntur Argumenta.

Sed obiicies primò, Nam contritio est præcipuus actus Pœnitentiæ; sed ad eliciendum istum actum sufficit charitas; ergo frustra ponitur pro illo distincta virtus Pœnitentiæ. Maior est certa, Quia contritio numeratur inter actus Pœnitentis à Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. & 4. & constat, Quia est actus doloris maximè expiatiuus peccati, & disponens hominem ad remissionem illius, ergo maximè pertinet ad virtutem expiatiuam, quæ est Pœnitentia. Minor probatur, Nam formalis ratio motiua contritionis respicit charitatem, non imperantem, sed vt elicientem; siquidem ratio formalis contritionis est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, quæ summa dilectio non se habet vt circunstantia finis imperantis, sed vt ratio formalis illius actus, siquidem est de intrinseca essentia illius; per illud enim motiuum distinguitur essentialiter ab attritione; ergo non est à charitate vt imperante, sed vt eliciente. Patet consequentia, Quia virtus imperans non comparatur ad actum imperatum tanquam dans illi essentialem & formalem rationem, sed solùm accidentalem & extrinsecam; siquidem imperans solùm mouet ex parte finis, alliciendo & efficaciter mouendo, non autem concurrit ex parte obiecti specificando; ergo non præbet essentialem specificam rationem actui, ergo si Contritio dolet propter Deum summè dilectum, tanquam propter rationem qua specificè distinguitur ab Attritione, dilectio illa non est imperans, sed specificans Contritionem; ergo charitas est propriè & specificatiuè elicitiua contritionis; & sic non requiritur virtus Pœnitentiæ distincta ad eliciendam illam.

De Charitate.

Secundò arguitur ad probandum Pœnitentiam non esse distinctam virtutem à Iustitia; Nam iustitia per se respicit recompensationem debiti; & si fiat in vindictam alicuius delicti, fit a iustitia vindicatiua, quæ est species quædam commutatiuæ. Quod autem restituat, vel recompenset totum debitum integrè, vel partim, per accidens se habet, cùm hoc fit ex defectu materiæ. De se enim Iustitia inclinat ad restituendum totum debitum, si facultas suppetat; sed Pœnitentia respicit recompensationem diuinæ offensæ tantum, quantum potest; etsi de facto non reddat totum, non est ex defectu inclinationis, sed ex impossibilitate materiæ: & similiter respicit expiationem peccatorum per modum vindicationis; ergo non est necesse distinguere illam à Iustitia commutatiua vel vindicatiua. Nec refert. Quod Pœnitentia recompensat, & satisfacit Deo; Iustitia verò communitati vel hominibus; quia Deus & homines se ùm se habent, vt obiectum *cui* Iustitiæ, non vt obiectum *quod* specificatiuum; ergo ex hac parte non mutatur species Iustitiæ essentialiter & specificatiuè, Itaque specifica ratio iustitiæ saluatur in hoc, quod est reddere debitum ad æqualitatem, quantum est ex parte ipsius virtutis & inclinationis eius, licèt de facto non reddatur æquale ex aliquo impedimento, seu impossibilitate debitoris: differentia verò personæ cui fit recompensatio (scilicet quod sit Deus, vel homo) materialiter se habet, nec pertinet ad differentiam obiecti specificatiui.

Non distingui Pœnitentiam à Iustitia, argumenta.

Tertiò in fauorem sententiæ Caietani arguitur, ad probandum non distingui Pœnitentiam à Religione; Nam in Pœnitentia non offertur aliquid Deo distinctum à cultu diuino; ergo non est aliquid specialiter distinguens à religione. Consequentia patet, Quia propria specificatio religionis est exhibitio cultus diuini; ergo virtus quæ non respicit aliquid distinctum à cultu, non est aliquid distinctum à Religione. Antecedens verò probatur, Quia cultus non est aliud quàm honor alicui debitus; recompensatio autem iniuriæ est honor, qui fit offenso, siquidem per iniuriam aufertur honor; ergo satisfactio illius est restitutio honoris; ergo cultus, quia est honor restitutus: vnde præcipuus actus Pœnitentiæ, qui est humiliatio hominis ad Deum, est etiam actus religionis, quia religio non aliter Deum honorat, quàm subijciendo illi hominem; ergo ad eandem virtutem pertinet submissio hominis facta Deo offenso, & Deo benefactori; Tum etiam, Quia ad remissionem peccatorum obtinendam, semper adhibentur aliquæ cæremoniæ religiosæ, siue Sacrificia, siue Sacramenta, tam in Lege Antiqua, quàm in Noua; ergo signum est expiationem peccati fieri à virtute religionis, quia fit cæremoniis religiosis; Tum denique, Quia ad religionem non solùm pertinet cultus & reuerentia, sed etiam gratitudo erga Deum, & fidelitas, & aliæ similes virtutes, quæ hoc ipso quod reddunt debitum Deo, pertinent ad virtutem religionis: ergo similiter Pœnitentia, quia reddit debitum Deo vt offenso, non excedet rationem formalem religionis, quia reddi hoc debitum offenso vel benefactori, non variat essentialem rationem debiti. Et patet à simili, Quia per eandem virtutem iustitiæ commutatiuæ seruatur ius integrum alterius, & restituitur læsum; redditur debitum in commutationibus voluntariis (vt emptione & venditione) & debitum in offensis; ergo similiter per eandem virtutem conseruatur honor diuinus, & restituitur læsus. Aliis rationibus mouetur Caietanus ad ponendum, quod Pœnitentia non est virtus specialis, & sunt a nobis adductæ & solutæ suprà, ideoque hîc omittimus.

Non distingui à Religione, item argument.

Ad primum Respondetur ex doctrina sancti Thomæ in hac quæst. art. 2. ad 1. Quod Contritio non est actus elicitus à Charitate, sed à Pœnitentia, licèt imperari possit à Charitate. Et ad probationem minoris dicitur; Quod Contritio est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum; sistendo in ipsa displicentia peccati, & dilectione Dei secundùm se, nego; accipiendo dolorem & modificando dilectionem per modum expiationis & vindicationis peccati, concedo; & sic est propter Deum summè dilectum, tanquam propter finem impetrantem & dirigentem, non tanquam propter rationem formalem specificam, si dilectio Dei consideretur solùm absolutè & secundùm se: Vt autem pertinet essentialiter ad Pœnitentiam, non sumitur summa illa dilectio solùm secundùm se, sed vt modificata & determinata ad dolorem de peccatis per modum satisfactionis & recompensationis. Et cùm instatur, Quia per hoc distinguitur specificè Contritio ab Attritione, Quia

Contritio actus charitatis, non elicitus, sed imperatus.

est propter Deum summè dilectum, Respondetur, Ex hoc præcisè, quod est propter Deum summè dilectum absolutè & secundùm se, nego; per hoc quod est esse propter Deum summè dilectum, vt modificatur & determinatur ad satisfaciendum pro peccato, transeat; Charitas autem elicitiuè non elicit ipsum diligere, nisi diligendo Deum absolutè & in se, & eodem modo dolet atque detestatur peccatum sibi oppositum: sed dolere de illo sub tali modo, scilicet vt cui est satisfaciendum, vel cuius vindicanda iniuria, sic pertinet ad speciale motiuum; atque ita dilectio Dei absolutè considerata est diuersæ speciei à Pœnitentia, & imperat illam. Vt autem modificata & determinata ad eliciendum dolorem per modum expiationis & satisfactionis, constituit essentialiter aliam speciem virtutis, scilicet Pœnitentiam.

Et hoc ipsum contingit in aliis Virtutibus & peccatis: Nam Virginitas est virtus specialis distincta à Castitate communiter dicta, per hoc quod sit voto firmata, vt notat sanctus Thomas 2. 2. quæst. 152. art. 3. Quia solùm ratione voti potest reddi illicitum matrimonium, à quo etiam abstinet virginitas, & non castitas communis; & tamen votum est actus religionis, qui est alterius virtutis à virginitate: Et sic quando consideratur religio absolutè & secundùm se, distincta virtus est à virginitate, illique imperat: si verò consideretur votum inquantum modificat & determinat materiam illam castitatis, ita vt reddat illicitum etiam matrimonium ex amore castitatis, sic specialem virtutem constituit. Similiter adulterium est distincta species luxuriæ quatenus addit deformitatem iniustitiæ erga vxorem alienam; quæ iniustitia si consideretur absolutè & secundùm se, est distinctæ speciei à luxuria; si autem consideretur vt modificans materiam luxuriæ, constituit speciem illius, quatenus aliquis ex libidine & concupiscentia sic effrænatur, vt etiam iniustitiam velit committere.

Votum vt spectet ad speciem castitatis.

Adulteriũ, vt ad speciem luxuriæ.

Et si inquiras, Quid est in dolore Pœnitentiæ iste modus & ratio expiationis, & quid addit supra simplicem affectum charitatis, quod distinctam difficultatem faciat? siquidem qui habet simplicem displicentiam peccati ortam ex charitate, sufficienter satisfacit Deo; etsi accedat ad Sacramentum cum illo dolore, fructum Sacramenti habebit; quid ergo necesse est specialem virtutem Pœnitentiæ constituere, solùm pro illo modo expiatiuo? Respondetur, Charitatem secundum se solùm importare simplicem amorem diuinæ bonitatis prout est in Deo, & displicentiam de peccato prout est contra Deum, siue sit proprium, siue alienum peccatum, indifferenter; dolor autem Pœnitentiæ vt expiatiuus, addit duo super hunc amorem & dolorem charitatis; primum est, detestari peccatum, vt proprium & à se commissum determinatè; Ea enim quæ propria sunt & à nobis facta, difficilius detestamur, & correctionem nobis impositam & pœnam pro delicto, difficilius sustinemus. Vnde charitas procedit sub ratione formali altiori & abstractiori (nempe dolendo de peccato vt abstrahit à proprio vel alieno) Pœnitentia verò magis contractè & determinatè procedit, scilicet dolendo de peccato vt proprio & corrigendo.

Motiua specialia Pœnitentiæ, quibus distinguitur à Charitate.

Secundò addit specialem rationem Pœnitentia supra charitatem, quatenus facit quandam adæquationem per modum iustitiæ, tum in ratione culpæ, tum in ratione pœnæ; quia & offert Deo

A cor contritum & confractum pro offensa facta, & imponit sibi pœnam, vel acceptat pro satisfactione; Ad charitatem autem, licèt pertineat amare Deum, & detestari peccatum absolutè, non tamen facere istas adæquationes & mensuras; quia non tendit ad Deum sub ratione iusti & vindicatiui, sed sub ratione boni amabilis; licèt ex tali amore imperetur ille dolor vt expiatiuus est & satisfactiuus. Quod si aliquis cum illo dolore simplici elicito à charitate accedat ad Sacramentum iustificabitur: immò etiam ante Sacramentum per actum charitatis iustificatur, quia eminenter & virtualiter est Pœnitentia, non tamen formaliter; & ideo non superfluit Pœnitentia; Quia præter eminentialem illum dolorem & virtualem, requiritur etiam formalis & proprius; sicut etiam B charitas virtualiter implet totam legem, nec tamen superfluunt aliæ virtutes morales, quæ specialia præcepta adimplent ex specialibus motiuis.

Ad secundum Respondetur, Quod iustitia communiter dicta respicit debitum humanum, quod est inter homines; debitum autem diuinum non potest respicere, quia debitum diuinum est altius & superius, & per se & ab intrinseco non potest reddi æquale: Quod si aliquando iustitia commutatiua reddit aliquid inæquale & minus pro debito, hoc solùm est per accidens, ex impotentia debitoris & defectu materiæ, non ex diuersitate rationis formalis, seu inclinationis ex parte ipsius C virtutis, sicut contingit quando debitum est per se superius & inadæquabile, sicut est debitum diuinum: Hac enim ratione cogimur ponere aliquas virtutes præter iustitiam, ad reddendum debitum inæquabile, vt Pietas pro parentibus, Obseruantia pro superioribus, Religio pro Deo. Et cùm dicitur, Quod hæc differentia solũ est ex parte personæ, seu obiecti *cui*, non ex parte rationis specificæ; negamus hoc, quia refunditur diuersitas obiecti *cui*, in obiectum specificum, quatenus ex ordine ad talem personam ita superiorem, nascitur diuersum debitum & diuersum ius: Sicut aliud est ius superioris in inferiores, aliud ius vnius particularis in alium; ius enim superioris per se D ex natura sua adæquari non potest ab inferiori; ius autem particulare adæquari potest, licèt aliquando per accidens, & in ipso facto non adæquetur: ius autem est obiectum iustitiæ; vnde ex diuersitate iuris nascitur diuersa ratio specifica iustitiæ ex parte obiecti.

Pœnitentia vt distincta à iustitia.

Speciales virtutes ex ratione debiti altioris.

Quod si dicatur, Ius læsum, quantumcumque sit superius & diuinum, semper inducere debitum iustitiæ commutatiuæ; Quia licèt Deus sit excellentior omni creatura, nec debitum illius possit adæquari, tamen habet strictum & proprium ius ne lædatur à creatura; ergo læsio illius speciale debitum fundat strictæ & rigorosæ iustitiæ, vt resarciatur; quod si non sit, hoc erit ex impossibi- E litate materiæ, quia non habemus quod reddamus, non ex inæqualitate iuris stricti & rigorosi.

Respondetur, Ex parte Dei fundari strictum & proprium ius ne lædatur, multo magis quàm quilibet homo respectu alterius, quantum ad proprietatem iuris & dominij quod Deus possidet, ne lædatur; cæterùm propter eminentiam suam, non patitur fundari ex parte creaturæ reciprocum ius reddendi æquale, propter inferioritatem personæ, & bonorum quæ possidet, quæ respectu Dei nihil sunt; & sic non solùm ex defectu materiæ, sed per se ex defectu iuris fundati in inferioritate personæ & bonorum, non potest reddi æquale, nec ad id

Impossibilis virtus in homine inclinans ad reddendum Deo æquale.

dari inclinatio & virtus aliqua in homine.

Dices, Per pœnam potest reddi æquale culpæ, vt cùm iudex punit reum iuxta qualitatem delicti; ergo homo per pœnam potest reddere æquale ipsi culpæ; verbi gratia, supplicium æternum quod meruit.

Respondetur, Quod in delicto seu culpa sunt duo; alterum ex parte ipsius peccatoris, quatenus peccatum infert damnum ipsi peccanti, amittendo gratiam, & recedendo à Deo; alterum ex parte ipsius Dei, quatenus est illius offensiuum per modum injuriæ; Et quantum ad primum, potest culpa adæquari per pœnam, quatenus peccatum damnificatiuum est & tollit gratiam: secundum verò non potest adæqualitatem recompensari, quamdiu persona offendens inferior est ipsi offenso, sed solum potest per humiliationem & confractionem cordis (quæ est contritio) disponere vt Deus misericorditer dimittat peccatum. Vnde neque Deus, neque iudex quando puniunt ad æqualitatem delicta, puniunt in illis nisi id quod damnificatiuum est, non præcisè quod est offensiuum personæ, si sit persona superior; hæc enim iniuria per exhibitionem honoris, non per pœnam recompensatur.

Æquale culpæ vt damnificat hominem, non vt est offensa Dei.

Ad tertium Nego antecedens; Ad primam probationem Respondetur, Sub alia ratione reddi honorem & cultum Deo per Religionem, & per Pœnitentiam; Quia vt docet sanctus Thomas in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 5. Religio respicit honorem debitum Deo, qui debetur ei quatenus aliquid ab illo recipimus; Pœnitentia autem ex eo quod ei detrahimus, eumque offendimus; vnde oportet quod iste honor & cultus recompensatiuus sit major, vel alterius rationis à primo, qui solùm est honoratiuus; quia plus debet qui offendit, quàm qui solùm beneficium accepit: Vnde restitutio honoris diuini debet fieri per dolorem cordis, & pœnalitatem operis; cultus verò per religionem exhibitus, fit per laudes & deuotionem & gratiarum actionem, aliasque similes actiones, quæ magis ad gaudium & solennitatem pertinent: Itaque conueniunt tam Religio quàm Pœnitentia in reddendo honore & cultu ipsi Deo, quasi in quodam prædicato generico; differunt verò in diuersa ratione formali huius cultus, & diuersa ratione debiti, quia Pœnitentia per modum vindictæ & satisfactionis pro malo commisso; Religio autem non procedit Vindicando, nec respiciendo malum, sed tantùm redditionem boni pro beneficiis à Deo acceptis. Sicut etiam distinguitur Religio à dono Timoris, quia licèt timor respiciat reuerentiam Dei (quæ etiam videtur pertinere ad honorem & cultum) tamen Timor respicit Deum refugiendo quasi potentem infligere malum; Religio autem accedendo, quasi ad potentem benefacere, tanquam ad creatorem; & sic distinguitur Timor à Religione.

Pœnitentiæ alia ratio & Religionis.

Timoris doni alia ratio ac Religionis.

Ad secundam probationem Respondetur, Quod expiatio peccatorum fit cæremoniis vel Sacrificiis, quantum ad rationem Sacramenti, vel quantum ad satisfactionem pœnæ, quæ fit per Sacrificia, sicut etiam per alias res pœnales, vt orationem, ieiunium, &c. non tamen actus virtutis Pœnitentiæ formaliter consistit in illis cæremoniis aut Sacrificiis; licèt quando illa fiunt, etiam concurrat actus religionis ad illa facienda; imperatur tamen à Pœnitentia, quæ dirigit illas cæremonias ad expiationem peccatorum.

Ad tertiam probationem Respondetur, Quod

A omnia illa quæ pertinent ad honorem & cultum Dei vt benefactoris, fundant eandem rationem debiti, pertinentis ad religionem, vt est gratitudo pro beneficiis acceptis, oratio, deuotio, &c. Quæ verò fundant debitum respectu Dei vt offensi, vel potentis infligere malum, fundant aliam rationem debiti, scilicet Timoris, vel Pœnitentiæ; eo quod Deus vt potens infligere malum, attingitur à Timore, non per accessum & cultum, sed per reuerentiam & resilientiam in propriam paruitatem; Deus autem offensus attingitur vt placabilis per dolorem cordis, & vindicationem peccati; & sic diuersum ius attenditur in Deo offenso, quàm in Deo benefactore.

B Et ad exemplum de Iustitia, quæ vnica sufficit ad recompensandum offensas, & ad commutandum pro debitis voluntariis ad conseruationem iuris & ad reparationem læsi; Respondetur, Sufficere vnam justitiam, vbi est vnicum ius & debitum; scilicet quando ad æqualitatem potest reddi vtrumque: tunc enim ipsum ius æqualitatis pariformiter currit in redditione pro offensa & pro commutatione, Cùm tantum respiciat æqualitatem rei ad rem, cui per accidens, & materiale quod illa res adæquanda sit recompensatio offensæ, vel redditio commutationis; at verò quando ius seu debitum non est primò & per se inter rem & rem, sed nascitur ex persona; & inæqualitas C personæ non potest fundare æqualitatem recompensæ, tunc non est idem ius, neque idem modus debiti in offensis recompensandis, & in aliis redditionibus exhibendis; Nam in benefaciendo creaturis, fundatur ius recognitionis ad Deum tanquam ad supremum Dominum, quod est ius dominatiuum in subditos, à quibus tamen non potest adæquari, quia supremus Dominus est; at verò quando Deo fit iniuria, & læditur ius quod habet, vt sit finis vltimus nostrarum actionum, non solùm attenditur ius dominatiuum, sed ius proprietatis & possessionis; quia Deus in omni proprietate & rigore possidet honorem suum, non minus quàm homines honorem quem habent, li- D cèt propter suam eminentiam honor diuinus non possit ad æqualitatem recompensari: Sicut ergo quando læditur honor alicuius, non agitur contra illum iure dominatiuo, tanquam superioris in subditum, sed iure proprietatis læso, quod de se petit strictam recompensationem; ita quando læditur honor diuinus, non agitur contra creaturam solùm iure dominatiuo, sed iure proprietatis læso; & ideo de se postulat, vt per iustitiam commutatiuam ei recompensetur, quod in homine puro est impossibile, sed solùm in Christo, qui habet personam æqualem personæ offensæ: pertinet tamen ad imperfectam iustitiam (quæ est Pœnitentia) conari ad satisfactionem saltem petendo E veniam, & talis iustitia non respicit solùm ius dominatiuum, quod respicit religio, sed ius proprietatis læsum, quia Deo anteposuit creaturam per peccatum, quod tamen perfectè non potest resarciri.

Ius diuersum respectu Dei læsi & benefactoris, non vna virtute reddendum.

Et dictis colligitur, Diuerso modo operari Pœnitentiam ad remotionem & destructionem peccati, quàm reliquæ Virtutes, & Gratia ipsa; Nam in peccato plures respectus considerari possunt, & secundùm illos diuersimodè à diuersis virtutibus respicitur & tollitur. Et pro præsenti consideratione possumus distinguere tres respectus; Nam primò habet peccatum determinatam speciem contrariam determinatæ virtuti; vt peccatum in-

Peccati diuersæ rationes, secundum quas à diuersis tollitur.

iustitiæ opponitur iustitiæ; intemperantia, temperantiæ, &c. Secundò causat in Anima maculam, tollentem lucem rectitudinis gratiæ in Anima, & per consequens potentias ipsas deordinans à recta subiectione ad rationem; & tertiò facit iniuriam Deo, quatenus ipsum non habet, neque æstimat tanquam finem vltimum. Et quantum ad primum, tollitur peccatum per oppositam virtutem; sicut per temperantiam, intemperantia; per iustitiam, iniustitia: secundum tollitur per gratiam iustificantem & rectificantem Animam: Tertium tollitur per remissionem & condonationem Dei, qui sua misericordia & intuitu Sanguinis Christi reconciliat homines; & ad hoc disponit & operatur Pœnitentia, quatenus cum contritione & dolore cordis, atque spe veniæ accedit ad Deum, & ei submittitur pro condonatione obtinenda; quia non potest aliam recompensationem purus homo exhibere Deo, nisi humiliare se detestando peccatum ad obtinendam remissionem. Quare licèt peccatum tollatur per gratiam quantum ad maculam, & per condonationem quantum ad remissionem offensæ (quæ condonatio in ipsa gratiæ infusione & largitione inuoluitur) & per virtutem oppositam, quantum ad speciem vitij & peccati oppositi; tamen adhuc est locus Pœnitentiæ, vt operetur ad destructionem peccati per modum recompensationis & expiationis, quatenus per dolorem cordis disponitur ad impetrandam istam gratiam; Et ita concursus & influentia vnius virtutis vel gratiæ ad remouendum peccatum & vitium oppositum, non tollit concursum Pœnitentiæ; sed quodlibet istorum concurrit in diuersa linea & ordine, & sub diuerso respectu; sicque præter omnes virtutes, quæ opposita sibi vitia formaliter expellunt, necessaria fuit alia specialis virtus (nempe Pœnitentia) quæ operatur ad tollendum peccatum inquantum iniuria, offerendo Deo recompensationem & satisfactionem, saltem imperfectam, qua disponatur homo ad obtinendam remissionem plenam à Deo.

Quomodo Pœnitentia sit species Iustitiæ?

Pœnitentia, species imperfecta, Iustitiæ commutatiuæ & reductiuè.

Dico tertiò, Pœnitentia est species Iustitiæ, & continetur sub Iustitia Commutatiua, non tanquam perfecta species eius, sed imperfecta, & reductiuè ad illam pertinens. Quod sit species Iustitiæ docet sanctus Thomas in art. 3 huius quæstionis, Quia Pœnitentia non solùm est cessatio ab offensa, & resipiscentia quædam, vt volunt Hæretici huius temporis, sed est emendatio & vindicatio peccati commissi, offerendo Deo satisfactionem, quam potest; tum pro culpa, petendo veniam; tum pro pœna, tolerando afflictionem; ergo habet veram rationem iustitiæ, quia est ad alterum cum quadam commutatione & vindicatione. Quod verò contineatur sub iustitia commutatiua, docet ibidem sanctus Thomas ad 3. Quia fit secundùm commutationem quandam; vt scilicet pro offensa fiat voluntaria emendatio, ratione cuius Deus remittit offensam; faciendo tamen gratiam & fauorem, quia illa emendatio & recompensatio est imperfecta; Ex quo deducimus, Quod Pœnitentia (vt supra dicebamus) non respicit præcisè in Deo ius dominatiuum, sicut Religio, sed ius proprietatis læsum; ideoque recompensatio talis iniuriæ fieri debet secundùm modum iustitiæ commutatiuæ; perfectæ quidem in Christo, imperfectæ autem in nobis per Pœni-

A tentiam, quæ reductiuè est iustitia commutatiua, quia non est species eius perfecta, sed imperfecta.

Et hoc dicimus in tertia parte conclusionis; videlicet quod est species imperfecta, & reductiuè pertinens ad iustitiam commutatiuam, quod affirmat sanctus Doctor art. 3. cit. in corp. Vbi inquit, *Quod iustum quod inuenitur in Pœnitentia, est secundum quid, quia non facit æquale simpliciter, sicut iustum politicum, seu ciuile, quod dicitur inter æquales: sed reddit quod potest (scilicet humiliationem & emendationem) & quasi iustum: sicut inter superiorem & inferiorem.* Iustitia enim simpliciter dicta requirit duas B conditiones, scilicet quod ius seu debitum, quod reddit, sit rigorosè & propriè debitum, & quod illud cum æqualitate recompenset, Vnde virtutes quæ sunt ad alterum, si non seruant vtramque conditionem, dicuntur deficere à iustitia perfecta simpliciter, & sunt partes potentiales iustitiæ; Pœnitentia autem non differt a ratione debiti proprij & rigorosi, quin potius propriissimè illum supponit, quia iniuria facta Deo violat maximum & iustissimum ius, quod Deus habet vt non offendatur, sed summo modo honoretur; deficit autem à ratione æqualis, quia non potest purus homo reddere ad æqualitatem Deo id quod debet, cùm ius læsum sit infinitum (id est, contra perso- C nam infinitam) humiliatio autem quæ fit per Pœnitentiam, sit humiliatio personæ finitæ, de quo tractari solet 3. p. quæst. 1. art. 2.

Soluuntur Argumenta.

Objicies contra hanc conclusionem, ex duplici capite; primò ex vno extremo, Ad probandum Pœnitentiam reddere æquale, saltem ex parte rei exhibitæ, licèt aliunde non perueniat ad rigorosam iustitiam, quia totum hoc habet homo ex bonis creditoris (scilicet à Deo) & sic non satisfacit ex propriis; Secundò ex alio extremo, Ad probandum Pœnitentiam nullo modo esse satisfactiuam, & sic non esse speciem seu partem iu- D stitiæ. Et ex primo capite objicitur sic; Quia per Pœnitentiam elicitur actus contrarius, qui est dolor formatus charitate; iste autem actus tantum bonum reddit Deo, quantum mali intulit peccatum; ergo satisfacit ad æqualitatem, quantum est ex parte rei exhibitæ: Maior supponitur vt certa; minor probatur; Totum malum quod intulit peccatum, fuit auersio à Deo fine vltimo, & conuersio ad creaturam, vnde sequuta est offensa Dei; sed contritio conuertit à creatura ad Deum vt finem vltimum, amando ipsum super omnia, & dolendo de eius offensa super omnia, ex quo sequitur summus honor Dei, siquidem respicit ipsum tanquam summum principium, cui per totalem & summam seruitutem humiliatur E homo, ergo reddit tantum, quantum abstulit. Nec sufficit dicere, Quod totum hoc quod homo reddit Deo est aliàs debitum, etiamsi non peccasset, vnde non potest per talem exhibitionem recompensare obligationem ortam ex peccato. Nam contra est, Quia licèt ante peccatum sit debita Deo humiliatio hominis, & amor Dei super omnia, tamen dolor ille vt contritio de offensa Dei, non est debitus ante peccatum; quia non tenetur aliquis conteri nisi peccet; ergo Pœnitentia aliquid reddit, quod ante peccatum non debebatur; & hoc est aliquid supernaturale, & tantum bonum, quantum abstulit.

Pœnitentiam esse speciem perfectam iustitiæ, argumenta.

Confirmatur, Quia Christus Dominus reddit Deo æqualem satisfactionem pro peccato à iustitia commutatiua elicitam, (vt nos admittimus) & tamen non aliter reddit hanc recompensationem, quàm merendo nobis gratiam & auxilium, quo actum charitatis & contritionis eliciamus, vt intrinsecè iustificemur à peccato; posita enim gratia, sine vllo nouo fauore tollitur offensa; ergo signum est quod ipsa gratia & actus contritionis de se reddunt æquiualens pro peccato, quia intrinsecè illud emendant; licèt, quia Pœnitentia non meretur ipsam gratiam & auxilia, sed supponit esse donata à Deo, non fiat iustitia rigorosa; Christus autem, quia non supponit ista auxilia in nobis, sed meretur ea, dicitur satisfacere ex perfectâ & rigorosa iustitia.

Nullo modo iustitiæ speciem esse, argum.

Secundò Arguitur ex alio extremo. Ad probandum quòd Pœnitentia nullo modo sit satisfactio pro peccatis, etiam imperfectè; Nam ipsa iustificationis gratia, quæ sanctificat impium, datur omnino gratis; ergo non supponit aliquam satisfactionem; sed contritio antecedit ipsam gratiam iustificantem, cùm sit dispositio ad illam, ergo talis contritio non potest esse satisfactio pro offensa Dei. Primum antecedens est certum, Quia ipsa sanctificatio & infusio gratiæ est beneficium omnino indebitum peccatori, siquidem vsque ad illud instans homo est peccator, & offensus Deo; ergo quæcumque gratia est illi indebita, quantumcumque per bona opera se disponat; quia omnes illæ dispositiones, vsque ad illud instans iustificationis, compatiuntur cum peccato; ergo gratia quæ datur in illo instanti, datur peccatori; quia iustificat ipsum à peccato; ergo datur omninò gratis, sicut dicitur Rom. 3. 24 *Iustificati gratis per gratiam ipsius*. Consequentia verò probatur, Quia si præcedit aliqua satisfactio, non omninò gratis remittitur offensa: opponuntur enim dari omninò gratis, & dari ex satisfactione; siquidem satisfactio ex natura sua aliquod debitum extinguit, aliàs non esset satisfactio; ergo si est satisfactio imperfecta, saltem aliquale & imperfectum debitum extinguit; ergo non datur omninò gratis.

Nec dici potest, Quod datur omninò gratis respectu meriti, non respectu satisfactionis; Meritum enim supponit gratiam in subiecto, quæ est principium merendi, dans valorem ipsi actui; satisfactio autem non supponit gratiam in subiecto, quia non fit in bonum ipsius satisfacientis, sed in bonum offensi; & sic non præsupponit ex suo conceptu dignitatem in satisfaciente, sicut meritum supponit in merente; quia non ordinatur adhoc, vt ipsi satisfacienti aliquid reddatur, sed offenso. Contra enim est, Quia satisfaciens licèt non recipiat, inquantum satisfaciens est; sed offensus sit, qui recipit ab illo; tamen facta satisfactione fit sibi remissio offensæ, & extinguitur debitum, saltem imperfectè; ergo ex vi satisfactionis non fit remissio culpæ omninò gratis, sed dignus est satisfaciens vt sibi remittatur offensa; & ad hoc tendit essentialiter satisfactio, vt fiat sibi remissio culpæ; ergo licèt non mereatur gratiam, tamen dignus est remissione culpæ. Et confirmatur, Quia Pœnitentia est pars iustitiæ erga Deum; ergo aliquod debitum inducit Deo ad remissionem culpæ; ergo Deus non illam omnino gratis remittit supposita Pœnitentia.

Ad primum Argumentum, Negatur minor, Ad probationem distinguitur maior, Totum malum quod intulit peccatum fuit auersio à Deo fine vl-A timo; distinguo, totum malum fuit auersio, vt offensiua Dei & damnificatiua peccatoris concedo; vt solum damnificatiua peccatoris, nego: Vtrumque enim facit peccatum, & damnificat peccantem, destruendo rectitudinem & gratiam; & offendit Deum, non habendo ipsum pro fine vltimo. Distinguitur etiam minor, Contritio conuertit hominem ad Deum finem vltimũ, subiiciendo Deo offenso personam finitam, concedo; subiiciendo ei personam infinitam, nego; Vnde non reddit quantum abstulit, quia abstulit à persona infinita ius suum, reddit verò humiliationem personæ finitæ, quæ semper est debita Deo, etiamsi homo non B peccasset; & sic recompensatio offensæ manet insoluta. Et ad replicam, Quod offert aliquid quod non debebat nisi peccasset, scilicet dolorem & contritionem de peccato; Respondetur, Quod etsi non deberet Deo contritionem, si non peccasset, tamen reddere tenebatur id, vnde contritio habet valorem (scilicet affectum charitatis & subiectionem ad Deum, vt ad finem vltimum) hoc enim ante peccatum tenebatur reddere Deo; addit verò post peccatum dolorem & tristitiam de illo, sed dolor iste non reddit honorem Deo offenso, quia dolet, sed quia summè amat, & pro fine vltimo habet Deum; hoc autem tenebatur facere, etiamsi non peccaret: totus ergo valor satisfactio-C nis ex aliàs debitis desumitur; ergo non est perfecta satisfactio, quia non possumus duplici debito vnico pretio satisfacere, & per rem aliàs debitam nouum debitum extinguere.

Pœnitentia, non satis reparat Dei offensam.

Læsa persona infinita, subiicit finitam.

Aliàs debitũ, id quod offert.

Ad confirmationem Respondetur, Nego quod Christus Dominus solùm satisfecerit merendo nobis gratiam & auxilia, sed exhibendo Deo offenso tantum honoris per humiliationem personæ infinitæ, quantum ab eo per peccatum fuerat ablatum de honore infinito; quia per offensam hanc persona infinita Dei fuit humiliata, & postposita creaturæ in ratione vltimi finis. Vnde satisfactio adæquata debet esse per hoc, quod persona similiter infinita humilietur ipsi Deo, sustinendo pœ-D nam, quam Deus offensus taxaret; & hoc fecit Christus. Per hoc autem quod meruit nobis auxilia & gratiam, quibus nos operaremur, non poterat fieri satisfactio; quia hoc non esset satisfacere Christum, & pati pro peccatis nostris, sed dare nobis principia quibus ipsi satisfaceremus; sicut qui alicui debitori dat pecuniam, qua satisfaciat creditori, talis non dicitur propriè satisfacere, sed ille cui donatur pecunia; ita Christus Dominus propriè non satisfecisset pro nobis, cùm tamen perpetuò clamet Scriptura, Christum redemisse nos, Gal. 3. 13. & passum esse pro peccatis nostris 1. Petr. 2. 21. & posuisse Deum in eo iniquitates omnium nostrum Isai. 53. 6. & sic propriissimè satisfecerit, quia propriissimè redemit nos, E & fuit fideiussor peccatorum; quod non ita propriè saluatur, si solùm obtinuit nobis principia, quibus nos satisfaceremus pro peccatis.

Christi satisfactio, quam ipse obtulit, nō quod nobis satisfaciendi vim meruit.

Imò non poterat illa satisfactio esse æqualis; quia hæc æqualitas non attenditur penes æqualitatem operum cum peccatis, aut gratiæ cum exclusione maculæ; sed penes æqualitatem personarum (scilicet offensæ & satisfacientis) quæ humiliari illi debet; quod nunquam inuenitur, nisi ista persona satisfaciens æqualis sit offensæ Oportuit nihilominus Christum mereri nobis gratiam & auxilia, præter satisfactionem à se exhibitam Deo, quia illa satisfactio, etiamsi de se sit sufficientissima, tamen non applicatur nobis efficaciter & de facto,

Meruit Christus nobis gratiam & auxilia, vt nobis applicaretur sua satisfactio.

nisi nos velimus illi incorporari & communicare, quod non potest esse si volumus in peccato manere; sed oportet illud excludere, quod non fit sola fide, sed operibus & charitate; cùm fides sola etiam sit in peccatoribus. Et ideo istam charitatem & gratiam, & reliqua auxilia debuit Christus Dominus promereri; non quidem vt per nostra opera aliquid adderemus satisfactioni Christi ex parte valoris & sufficientiæ, sed ex parte applicationis, qua Christus Dominus noluit omnibus dare & mereri, sed illis tantùm quibus prærordinatum est.

Fauor condonans culpá in gratia, quod ex diuina voluntate gratificante.

Quod verò dicitur in Argumento, Gratiam se sola sine vllo fauore extrinseco tollere peccatum, & remittere offensam, Respondetur, Quod sine nouo fauore superaddito, & consequuto post ipsam gratiam, verum est quod gratia tollit & remittit culpam, non tamen sine fauore antecedenti, & causatiuo ipsius gratiæ, Gratia enim est effectus diuinæ voluntatis, vt nobis gratæ & placatæ. Ex eo enim quod Deus reconciliatur, & placatur nobis, infundit gratiam, quæ habet aliquos effectus physicos, & alios morales; physicos, respectu sanctificationis, & emundationis Animæ à macula peccati; & sic renouat nos interiùs, & facit sanctos per illam participationem diuinæ naturæ; morales, respectu offensæ Dei, inquantum tollit peccatum in ratione offensæ, condonando illud; & sic est effectus diuinæ voluntatis condonantis offensam; & sub hac ratione procedit à fauore diuino, id est, ab ipsa voluntate vt fauorabili nobis; quia fauor est condonatio delictorum, & ideo non indiget superaddito fauore, quia supponit ipsum.

Gratia aliter infusa & in esse physico, nō remitteret offensam.

Si tamen poneretur casus possibilis vel impossibilis, quod infunderetur gratia vt forma physica est, & non procederet à voluntate Dei condonante offensam, talis homo maneret sine peccato in ratione maculæ, & haberet emundationem interiorem ab illo, non tamen haberet effectus morales quantum ad remissionem offensæ, quia Deus nollet illam remittere, licèt animam exornaret gratia; & talis homo non obtineret gloriam, licèt haberet gratiam, quousque remissa esset offensa, quia sine hac remissione non potest stare beatitudo, Quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus: Illa autem gratia haberet tunc ius ad gloriam, sed impeditum, sicut detinentur Animæ in Purgatorio, licèt habeant gratiam, quousque sit soluta tota pœna; immò post solutam totam pœnam detinebantur Animæ Patrum in Lymbo, quousque esset facta plena satisfactio per Christum; ita quod si Christus non veniret, nunquam glorificarentur; Sed de his latius in Materia de Incarnatione & de Iustificatione.

Iustificatio gratis, etsi Pœnitentia satisfaciente imperfectè, quod ex acceptus gratis.

Ad secundum Respondetur, Non contrariari hoc, quod est dari nobis iustificationem omnino gratis, & tamen præcedere Pœnitentiam in ratione satisfactionis, & per modum dispositionis; Nam gratis iustificantur adulti, & tamen per dispositiones antecedentes, quæ conducunt ad obtinendam gratiam, licèt imperfectè: Itaque duplici ratione fit omninò gratis iustificatio & remissio culpæ, non obstante quod præcedunt tot dispositiones, & contritio ipsa satisfactiua, saltem in aliquo priori naturæ; Primò quidem, Quia ipsamet contritio & dilectio, per quam quis disponitur ad gratiam, ab ipso Deo misericorditer tribuitur; & sic homo nihil offert de suo pro illa iustificatione, nec recompensat propriè Deo ex parte personæ, quia totum illud prouenit à Deo; & consequenter quando in vi talis satisfactionis gratis à Deo acceptæ soluitur debitum, omninò gratis dicitur solui. Et hanc rationem assignat sanctus Thomas 1. p. quæst. 21. art. 4. ad 1. Seruat tamen Deus adhuc in tali opere aliquem modum iustitiæ, inquantum relaxat culpas propter dilectionem, & aliquid æqualitatis & recompensæ interuenit, saltem ex parte rei oblatæ, licèt non ex parte personæ satisfacientis, quia totum illud gratis accepit a Deo.

Secundò dicitur fieri gratis Iustificatio, Quia adhuc positis illis conditionibus & satisfactione, Pœnitentiæ non adæquant debitum neque offensam, inquantum est iniuria personæ infinitæ; Vnde remanet ipsi omnino liberum talem satisfactionem acceptare; quod si acceptat, est ex mero fauore. Quando autem debitum aliquod est diuisibile, bene stat quod qui reddit partem, extinguat debitum partialiter; vt si debentur centum, & redduntur decem, pro illa parte extinguitur debitum, & ita non fit omninò gratis, quia datur aliqua satisfactio eiusdem rationis; quando autem debitum consistit in indiuisibili, vt honor, vel ius ad aliquid, & non restituitur id, quod ablatum est, nec pars illius, quia indiuisibile est, sed aliquid inferioris rationis; tunc si creditor acceptat, omnino gratis acceptat, quia ex solo suo fauore dependet illa commutatio gratuita inter suum debitum, & rem illam oblatam; Vnde non opus habemus recurrere ad illam distinctionem de merito & satisfactione, licèt distinctio vera sit.

Quod indiuisibile debitum, nec nisi acceptantis satisfactionem voluntate extinguitur.

Ad confirmationem Respondetur, Pœnitentiam esse partem potentialem & imperfectam Iustitiæ; Et cùm infertur, Ergo aliquod debitum inducit Deo: distinguo, Aliquod debitum ex suppositione & beneficio Dei sic acceptantis, transeat; ex vi ipsius personæ satisfacientis, nego; Vnde adhuc stat quod omninò gratis detur; quia quando tota obligatio fundatur in beneficio ipsius creditoris, non in actione aut valore ipsius debitoris, totum manet intra limites puræ gratiæ, & solùm seruatur modus quidam & forma iustitiæ secundùm quid & imperfectè, quatenùs contritio quæ redditur, & gratia quæ confertur, aliquam proportionem seruant in ordine supernaturali.

Debitum in Deo ex suppositione eius acceptationis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

In quo genere causæ Contritio expellat Peccatum?

IN art. 2. huius quæst. 85. solut. ad 3. docet sanctus Thomas, *Quod qualibet virtus specialis formaliter expellit habitum vitij oppositi: sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subiecto: sed Pœnitentia expellit omne peccatum effectiuè, inquantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex diuina gratia homine cooperante.* Circa quæ verba oritur difficultas, Primò, Cur dicatur Pœnitentia effectiuè, & non formaliter expellere peccatum; cùm Contritio, quæ est præcipuus actus Pœnitentiæ, sit formata charitate, & ita expellat peccatum formaliter, quia ille actus est amor amicitiæ; ergo qui habet illum, formaliter est amicus Dei per talem actum; sed formalis amicitia formaliter expellit peccatum & offensam Dei, quia implicat esse amicum & esse

offensum siue inimicum; ergo id quod formaliter facit amicum, facit non esse inimicum; ergo non esse peccatorem. Potius ergo debuit S. Thomas dicere, Quod Pœnitentia formaliter expellit peccatum, quam quod effectiuè?

Secundò est difficultas ex parte ipsius efficientiæ, Quomodo verificetur quod Pœnitentia effectiuè expellit peccatum? Nam nulla causa efficiens expellit aliquam formam, nisi attingendo aliam, quæ formaliter expellat illam; sed Pœnitentia non producit effectiuè aliquam formam expellentem formaliter peccatum; ergo neque effectiuè expellit ipsum. Maior est certa, Quia expulsio, seu corruptio est effectus secundarius agentis, non primarius; siquidem corrumpere est destruere; nulla autem causa effectiua primò & per se destruit, sed primò & per se facit, & ex consequenti destruit; quia si solùm destruit, nihil facit; ergo si per se efficit, per se aliquam formam vel effectum debet causare, vnde consequitur quod alia forma destruatur, quæ cum ista non compatitur. Minor verò probatur, Quia forma expellens peccatum est gratia in essentia Animæ, & virtutes in potentiis; sed Pœnitentia non producit effectiuè gratiam & virtutes, quia gratia solùm fit a Deo effectiuè & physicè, vt dicitur 1. 2. quæst. 110. art. 1. ergo, &c.

Nec sufficit dicere, Quod Pœnitentia expellit peccatum effectiuè instrumentaliter, vel solùm moraliter; Contra enim est, Quod efficientia instrumentalis conuenit Pœnitentiæ Sacramento, non Pœnitentiæ vt virtus, & extra Sacramentum, de qua solùm agimus hîc. Neque etiam moraliter, Quia moralis efficientia, nec propriè est effectiua, cùm tamen sanctus Thomas dicat, Pœnitentiam effectiuè expellere peccatum; nec conuenit solùm Pœnitentiæ, sed cuicumque alteri, quod possit habere rationem conditionis requisitæ, vel pacti vel congruitatis ad expulsionem peccati, quia totum hoc in genere morali est. Dices, Concurrere Pœnitentiam effectiuè physicè, non quidem producendo gratiam, sed disponendo subjectum vt illi infundatur & vniatur; & consequenter physicè expellere peccatum oppositum gratiæ; sicut homo dicitur effectiuè generare hominem, & expellere oppositam formam à materia, quia disponit illam ad recipiendam Animam rationalem, nec tamen illam producit, sed producendo physicas dispositiones, expellit physicè dispositiones oppositas, & oppositam formam. Sed contra, Tum quia homo generans, licèt non producat Animam, tamen physicè vnit illam ad materiam; Pœnitentia autem non vnit gratiam subiecto, hæc enim ex ipso subiecto educitur, & ipsa eductione vnitur per inhærentiam; Tum quia homo producit physicè dispositiones vltimas ad introductionem Animæ, quæ habent naturalem & necessariam connexionem cum illa; Pœnitentia autem non habet physicam & necessariam connexionem cum gratia, sed solùm ex misericordia diuina, quia auertentibus se à peccato, vult misericorditer gratiam infundere; ergo non potest dici quod physicè expellit peccatum; quia non producit aliquid habens physicam repugnantiam cum illo; Nisi enim Deus infunderet gratiam, Pœnitentia non expelleret peccatum; Gratia autem infunditur misericorditer, & gratuito beneficio pœnitenti, non ex debito naturali, sicut infunditur Anima corpori disposito & organizato.

Propter hæc & similia Argumenta, variè lo-A quuntur Auctores in hac parte; Et multi per vnum extremum tenent, Contritionem formatam charitate non effectiuè, sed formaliter iustificare; quæ est opinio Vasquez in 2. tom. 1. 2. quam nos in Materia de Iustificatione reiicimus. Alij in alio extremo negant Actum Pœnitentiæ esse formam iustificatiuam, sed solùm dispositiuam ad gratiam; Et aliqui solùm illi tribuunt rationem dispositionis moralis, alij verò physicæ. In præsenti duo suppono, Primum, Non esse actum Contritionis formam iustificantem, sed solùm disponentem ad gratiam, vt in Materia de Iustificatione tractatum est; neque enim hîc est locus disputandi illam quæ-B stionem, licèt disput. sequent. aliquid de illa attingemus. Secundum est, Non posse negari moralem efficientiam Pœnitentiæ respectu iustificationis, quia Pœnitentia operatur per modum satisfactionis & expiationis ad remissionem peccati; satisfactio autem pertinet ad genus morale, quia respicit peccatum sub ratione debiti remittendi, & offensæ satisfaciendæ, quod totum fit secundùm moralem æstimationem & exigentiam iuris, non secundùm aliquam physicam actionem destruentem ipsum debitum; vt etiam videmus in satisfactionibus humanis.

Pœnitentiam formaliter iustificare, opinio; dispositiuè solùm, alia opinio.

Pœnitentia effectiuè moraliter expellit peccatum, opinio sancti Thomæ.

Et præterea peccatum, licèt physicè relinquat maculam, & priuationem intrinsecam ipsius gra-C tiæ in Anima, tamen multos etiam effectus morales relinquit, vt hominem denominari peccatorem voluntarium, ex actu voluntario præterito non retractato; & Deum denominari offensum, ex actu iniuriæ præterito; quem actum & denominationem inde ortam non potest tollere Pœnitentia effectiuè & physicè, sed moraliter, quia non sunt aliquid physicum, sed morale, seu denominationes rationis ex actu prætetito relictæ; ergo oportet fateri hanc efficientiam moralem Pœnitentiæ, quam sanctus Thomas præcipuè videtur designasse in illis verbis supra relatis, cùm dixit, *Quod Pœnitentia effectiuè expellit omne peccatum, inquantum operatur ad destructionem peccati, prout est* D *remissibile ex diuina gratia, homine cooperante:* si enim Pœnitentia effectiuè expellit sub illa formali ratione (scilicet, prout peccatum est remissibile ex gratia Dei) ergo formalis ratio efficiendi in ipsa est aliquid morale, scilicet peccatum vt remissibile, id est, sub ratione remissionis, quæ est condonatio; sed ipsa remissio & condonatio solùm moraliter expellit peccatum, quia non est actio physica, sed moralis; ergo à fortiori ipsa Pœnitentia, quæ solùm expellit peccatum vt remissibile, moraliter expellet illud. Imò ex hoc posset aliquis inferre, quod secundùm sententiam sancti Thomæ nullo modo Pœnitentia tollit peccatum physicè, sed moraliter; quia non possumus majorem efficientiam tribuere Pœnitentiæ; nec E sanctus Thomas attribuit, quàm ipsi remissioni, vt remissio & condonatio est peccati; siquidem dicit sanctus Thomas, Quod Pœnitentia operatur ad destructionem peccati, vt remissibile est; ergo in eadem linea & ordine Pœnitentia expellit effectiuè, in quo ipsa remissio peccati; sed remissio & condonatio solùm moraliter expellit peccatum, ergo & Pœnitentia, quæ dicitur operari ad destructionem peccati vt remissibile.

Nihilominus adhuc iuxta hæc principia sancti Thomæ valde probabile est Pœnitentiam physicè expellere peccatum; Quia licèt condonatio & remissio Dei extrinseca morali modo expellant peccatum, quia directè tollunt illud inquantum est iniuria

Operari Pœnitentiam physicè mediatè ad iustificationem, probabile.

iniuria & offensa Dei (qui est effectus moralis) A tamen Pœnitentia expellit physicè mediatè & remotè, quatenus expellit physicè dispositiones aliquas, à quibus peccatum dependet, licèt non expellat physicè immediatè, id est, producendo ipsam gratiam, aut vniendo illam subiecto. Vnde non est necesse recurrere ad effectum aliquem physicum, in ipsa gratia producenda, vel vnienda subiecto: in hoc enim nullum video fundamentum, quo possimus physicam influentiam Pœnitentiæ tribuere, quia gratia à solo Deo physicè producitur, tanquam à causa principali; per modum autem causæ instrumentalis, conuenit hic effectus Pœnitentiæ inquantum Sacramentum est, B vel pars Sacramenti, non autem extra Sacramentum; vt præcisè actus virtutis est. De hoc enim nullo fundamento constat; neque hîc agitur de tali modo instrumentali operandi, sed de expulsione peccati à Pœnitentia in virtute propriæ suæ naturæ. Neque etiam est fundamentum, vt dicamus per Pœnitentiam vniri gratiam Animæ physica vnione, sicut ab homine generante vnitur Anima corpori; quia homo format corpus disponendo & organizando illud, ea dispositione physica & naturali, quæ requiritur vt Anima infundatur; at verò Pœnitentia non format neque disponit Animam vt physicè recipiat gratiam, quia ipsa gratia immediatè educitur ex potentia obedientiali Animæ, & illi vnitur per inhærentiam, sicut C quodlibet accidens, sine hoc quod præcedat alia entitas naturalis, aut supernaturalis inter Animam & gratiam.

Quare Pœnitentia solùm potest physicè operari ad expulsionem peccati mediatè & remotè, quatenùs destruit affectum & inclinationem voluntatis ad conuersionem contrariam Deo, & auersionem à fine vltimo, à qua necessariò dependet ipsa ratio & denominatio peccati & offensæ Dei; & introducit physicè oppositam determinationem voluntatis, quatenùs illam conuertit ad Deum, quod non fit sine aliqua mutatione physica; Nec tamen Pœnitentia facit istam conuersionem & D mutationem voluntatis sub omni consideratione & respectu, sed sub ratione iusti vindicatiui, expellendo oppositum affectum, quatenùs iniquus & iniustus erat Deo; & hoc est destruere peccatum effectiuè, quatenùs remissibile est à Deo, homine cooperante, vt dicit sanctus Thomas. Conuersio enim & auersio, quæ relinquitur ex peccato, non solùm opponitur conuersioni, quatenus fit per charitatem, sed etiam quatenùs tollit iniustam & iniuriosam auersionem à Deo, quia vtrumque habet ex ipsa ratione peccati, & auersionis ab vltimo fine. Sicut ergo à charitate expellitur physicè peccatum, quatenùs illi opponitur conuersio dilectionis Dei super omnia, quam determinationem introducit charitas, licèt non producat E gratiam; ita expellitur physicè à Pœnitentia, quatenùs elicit actum expiationis & satisfactionis, quo mutatur voluntas ne sit impia & iniusta erga Deum; & hoc est physicè expellere peccatum, introducendo illam determinationem & affectum voluntatis, & expellendo oppositam conuersionem quatenùs est iniusta & offensiua Dei. Nec tamen producit, vel vnit ipsam formam iustificantem, quæ est gratia; sicut etiam fit à charitate, & aliis virtutibus, quæ physicè operantur ad destructionem peccati, non producendo gratiam, sed mutando voluntatem.

Dices, Hæc expulsio non videtur effectiua, sed formalis, quatenùs quælibet virtus expellit vitium oppositum sibi, quod sanctus Thomas in verbis supra citatis, docet fieri formaliter à virtutibus, à Pœnitentia autem dixit effectiuè expelli peccatum; nos autem reducimus hanc expulsionem Pœnitentiæ ad expulsionem formalem, quatenùs contrariatur determinationi & effectui voluntatis ad peccandum.

Pœnitentia, effectiuè in se, formaliter in effectu expellit peccatum.

Respondetur, Hanc expulsionem fieri effectiuè à Pœnitentia, vt à principio eliciente effectiuè actum contritionis, & mutante ipsam voluntatem, quatenus iniusta & iniqua erat; & hoc effectiuè fit à Pœnitentia; non tamen ex hoc tollitur, quod ipse effectus productus a Pœnitentia, formaliter destruat oppositam determinationem voluntatis. Sicut calor existens in igne effectiuè expellit frigus, quod est in ligno; quod non tollit quin formaliter tollatur per calorem receptum in ipsomet ligno; Sic Pœnitentia, vt est principium elicitiuum contritionis effectiuè operatur ad destructionem peccati; non tamen ex hoc negat sanctus Thomas, quod detur aliquid à Pœnitentia relictum, quod formaliter se habeat ad istam destructionem; Nam hoc ipso quod effectiuè operatur, oportet quod habeat effectum; & ille effectus formaliter se habebit ad destructionem peccati; non quidem producendo ipsam gratiam (quæ formaliter immediatè expellit) sed conuertendo voluntatem, quæ conuersio & mutatio formaliter reddit voluntatem conuersam, seu detestantem peccatum, mediatè autem, & remotè ipsum peccatum expellit: Ponit autem sanctus Thomas, differentiam inter reliquas Virtutes & Pœnitentiam, quod aliæ virtutes expellunt vitia opposita sibi formaliter & immediatè, quia contrariantur eis; Pœnitentia autem non solùm expellit oppositum vitium, quod est Impœnitentia, formaliter & immediatè, sed etiam operatur ad expulsionem omnis peccati effectiuè, producendo aliquid quod mediatè & remotè ipsum expellat.

Soluuntur Argumenta.

Nec in effectu immediatè formaliter, sed dispositiuè; ideo solùm effectiuè, absolutè.

Ad difficultates à principio Respondetur; Ad primam, in qua quæritur, Cur Pœnitentia dicatur expellere effectiuè, & non formaliter, peccatum. Dicimus ideo esse, quia Pœnitentia non est forma sanctificans formaliter, sed solùm dispositiuè, vt modò suppono ex Materia de Iustificatione; Quia etsi actus contritionis & charitatis formaliter nos conuertant ad Deum, non tamen formaliter conuertunt Deum ad nos, nec ponunt in Anima lumen gratiæ, quod ex conuersione Dei ad nos infunditur; sicut lux, ex conuersione luminosi diffunditur ad corpus, non ex motu & conuersione corporis illuminati habetur: Hic enim motus formaliter non illuminat, sed dispositiuè; quod magis manifestatur, considerando quod contritio est actus elicitus ab homine, non ipsa remissio & condonatio personæ offensæ; & sic oportet quod præter actum contritionis, qui elicitur à persona offendente, detur aliquid causatum à persona offensa, quo remittatur peccatum; collatio autem auxilij ad eliciendam contritionem, non est condonatio & remissio peccati, quia compatitur cum peccato tale auxilium, quousque actus charitatis de facto sit elicitus; ergo antecedenter ad ipsum actum, in illa prioritate in qua recipitur auxilium ad eliciendum, nondum est remissum peccatum; ergo collatio talis auxilij formaliter non

est remissio peccati: Et cùm dicitur, Quod ille actus contritionis & charitatis formaliter constituit amicum Dei, cùm sit formaliter actus amoris amicitiæ; distinguendum est, Formaliter ex parte affectus & dispositionis, concedo; formaliter ex parte effectus & condonationis diuinæ, nego; Neque enim sufficit ad restitutionem amicitiæ quod offendens amet, sed requiritur quod offensus condonet; licèt per amorem illum & affectum disponatur offendens, vt offensus ei condonet.

Pœnitentia effectiuè mediatè expellēs peccatum.

Ad secundam difficultatem, Distinguitur maior, Nulla causa efficiens expellit aliquam formam, nisi effectiuè producendo eam, quæ formaliter expellit, distinguo; Quæ formaliter expellit mediatè vel immediatè, adæquatè vel inadæquatè, transeat; quæ formaliter expellit immediatè tantùm, nego. Ad minorem dicitur, Quod Pœnitentia non producit ipsam formam quæ immediatè expellit peccatum (scilicet gratiam) sed producit effectiuè id, quod mediatè & remotè expellit peccatum, scilicet conuersionem voluntatis ad Deum per actum contritionis, qui etiam postquam transactus est, relinquit voluntatem determinatam ad talem conuersionem; & talem mutationem voluntatis physicè introducit Pœnitentia; & hoc est expellere peccatum effectiuè mediatè, tollendo conuersionem ad creaturam, quatenus iniusta est & iniqua, & inquantum peccatum est offensiuum Dei, & remissibile à Deo, homine cooperante.

Ad replicam Respondetur, Exemplum illud de homine generante, & expellente oppositas dispositiones ad introductionem Animæ, non in omnibus tenere; quia Pœnitentia non vnit gratiam subiecto, sicut homo generans vnit Animam rationalem corpori; sed tenet, quantum ad expulsionem peccati mediatam & remotam, ex parte alicuius dispositionis in voluntate, à qua dependet peccatum, vt est offensiuum Dei; Nam etiamsi homo non vniret corpus Animæ rationali, nec diceretur generare hominem, tamen si produceret dispositiones aliquas ordinatas (saltem mediatè) ad talem formam, quibus destrueret oppositas dispositiones, diceretur physicè expellere illas, & consequenter formam oppositam Animæ, provt à talibus dispositionibus, licèt non diceretur physicè generare hominem: Sunt enim distincti effectus, generare hominem vniendo Animam corpori, & expellere dispositiones contrarias; & sic operari mediatè ad expulsionem formæ substantialis præcedentis: hoc enim secundum præcisè fit per introductionem contrariarum dispositionum, expellentium alias oppositas, non per introductionem ipsius formæ substantialis; Sic ergo licèt Pœnitentia non assimiletur homini generanti quantum ad primum effectum, vniendi Animam physicè & generandi hominem, quia reuera non vnit physicè gratiam Animæ; tamen in secundo effectu assimilatur illi, scilicet introducendo dispositionem oppositam dispositioni peccati, scilicet affectum & conuersionem voluntatis ad Deum, quatenus tollit iniustitiam & inæqualitatem voluntatis iniquæ.

Vnde sequitur quod operetur ad expulsionem peccati, quatenus peccatum dependet à voluntate sic iniusta & iniqua. Et licèt forma præcedens non expellatur nisi per introductionem alterius formæ de nouo genitæ, tamen hoc est in genere causæ formalis & immediatæ, non in genere causæ effectiuæ, mediatè & remotè operantis ad expulsionem illius formæ, per introductionem dispositionis contrariæ, tollentis illam a qua dependet forma corrumpenda; Et sic Pœnitentia, licèt non introducat physicè gratiam immediatè, tamen expellit peccatum effectiuè mediatè, introducendo in voluntate dispositionem & affectum contrarium omni peccato, quatenus conuertit voluntatem ad Deum.

Expulsio peccati quasi in genere causæ materialis; tollendo indispositionē subiecti ad gratiam.

Ad secundam probationem Respondetur, Probare quod Pœnitentia non vnit gratiam subiecto physicè & immediatè, sicut homo introducens vltimam dispositionem necessitantem ad formam rationalem, vnit illam materiæ, quia Pœnitentia non est dispositio necessariò connexa cum gratia ex vi physicæ entitatis, sed ex misericordia Dei infundentis illam; nec se habet, vt dispositio actiua ad producendam vel vniendam gratiam; sed disponit quasi passiuè, vt illa posita Deus gratiam infundat; sicut posito diaphano in medio, luminosum illuminat illud, nec tamen diaphaneïtas producit lucem, sed disponit passiuè vt recipiatur in medio. Non tamen probat Argumentum, quod Pœnitentia non concurrat physicè effectiuè ad expulsionem peccati, modo explicato, scilicet mediatè, quatenus facit conuersionem & mutationem voluntatis iniquæ, à qua dependet ipsum peccatum. Et quando sanctus Thomas dicit, *Effectiuè expellere peccatum, quatenus remissibile ex diuina gratia*: non loquitur de sola expulsione morali, eo modo quo remissio & condonatio intelligitur expellere sine infusione physica gratiæ; sed addidit sanctus Thomas, *Quatenus remissibile est, homine cooperante*: Cooperatur autem homo, quatenus conuertit se, & mutat voluntatem in ordine ad Deum, tollitque oppositam determinationem & duritiam voluntatis, à qua dependet conseruatio peccati; & hoc physicè facit, & sic saltem mediatè & remotè expellit peccatum; vel, vt loquitur sanctus Thomas, *Operatur ad destructionem peccati*: quia peccatum à voluntate dependet; quia intantum est peccatum, inquantum voluntarium; Mutata ergo voluntate, tollitur id à quo peccatum dependet ex parte hominis, & disponitur vt etiam tollatur ex parte Dei, ipso remittente offensam, & infundente gratiam homini sic disposito.

QVÆSTIO LXXXVI.

De Effectu Pœnitentiæ quoad Mortalium Peccatorum remissionem.

Omnia peccata tolli Pœnitentia, Nullum mortale tolli sine illa.

IN art. 1. ostendit sanctus Thomas, Nullum esse peccatum, quod in hac vita per Pœnitentiam deleri non possit; quia Pœnitentia operatur virtute gratiæ & misericordiæ diuinæ, quæ sufficiens est ad omnia peccata exhaurienda in homine viatore. In secundo art. docet, Non posse peccatum mortale tolli sine Pœnitentia, quia non potest tolli offensa non sublata causa, vnde procedit; procedit autem ex voluntate auersa à Deo; Ex hoc enim Deus manet offensus, quia auertimur ab illo; ergo nisi mutetur ista auersio voluntaria, non tollitur offensa Dei; Non mutatur autem nisi per voluntatem contrariam, quæ est detestatio illius auersionis; & hæc est Pœnitentia. In art. 3. docet, Vnum Peccatum Mortale sine alio remitti non posse; Quia nullum peccatum mortale tollitur, nisi per gratiam, quæ sola potest tollere maculam & offensam illius; si autem remaneret aliud peccatum mortale in subiecto, non posset cum illo stare gratia, quia gratia & peccatum simul non sunt; ergo non potest tolli vnum peccatum mortale sine alio, quia non potest tolli sine gratia.

Non tolli vnum sine alio.

Reatus pœnæ temporalis manens, illo sublato.

In art. 4. docet, Quod remissa culpa potest remanere in homine reatus, seu obligatio ad aliquam pœnam temporalem; Quia licèt remota offensa & culpa non maneat aliquis debitor pœnæ æternæ, potest tamen ratione conuersionis ad bonum commutabile, in quo nimis sibi indulsit, manere debitor alicuius pœnæ, si non perfectè doluit, vel afflictus est ex tali nimietate; sed quia conuersio est finita, etiam pœna illi correspondens finita est. In art. 5. docet, Quod remissa culpa non statim tolluntur omnes reliquiæ peccatorum prauæ dispositionis, seu pronitatis ad peccandum, vt ipsa experientia constat; quia istæ dispositiones pertinent ad illam conuersionem ad bonum commutabile, erga quod potest manere inclinatio aliqua vel dispositio, licèt non maneat ordinatio ad illud vt ad finem. In art. 6. docet, Quod remissio culpæ est effectus Pœnitentiæ; tum Pœnitentiæ vt est Sacramentum (inquantum illic ex opere operato virtus diuina operatur ad infundendam gratiam) tum Pœnitentiæ vt est Virtus, inquantum per hanc Pœnitentiam disponitur subiectum ad gratiam, & ordinatur ad claues Ecclesiæ.

Item peccati reliquiæ.

QVÆSTIO LXXXVII.

De remissione Venialium.

Venialium remissio, ipsa à Pœnitentia.

QVATVOR docet sanctus Thomas in hac quæst. Primum, Requiri etiam ad remissionem peccatorum Venialium Pœnitentiam, licèt non ita perfectam sicut ad remissionem Mortalium, quia de peccatis mortalibus requiritur detestatio actualis, cum diligentia ad recordandum de singulis, vt de singulis pœniteat; ad remissionem autem venialium sufficit detestatio virtualis, quatenus alicui displicet quidquid retardat affectum in Deum, licèt de illo peccato in speciali non cogitet. Secundò docet in 2. art. Non requiri ad remissionem venialis infusionem gratiæ habitualis, sed sufficit aliquem motum gratiæ, seu charitatis excitati, quia peccatum veniale non opponitur gratiæ habituali, quia non destruit illam, sed feruori seu motui illius. Tertium in art. 3. docet, Quod per aspersionem Aquæ benedictæ, & alia similia Sacramentalia, remittuuntur venialia peccata, inquantum ista fiunt cum aliquo motu detestationis peccati, vel motu reuerentiæ in Deum, vel in res diuinas. Quartum in art. 4. docet, Quod existenti in peccato mortali non remittitur veniale nisi remittatur mortale; quia veniale peccatum remittitur per feruorem & motum charitatis, cui opponitur, necessariò supponentem ipsam gratiam & charitatem; qui autem est in peccato mortali, neque gratiam habet neque charitatem, & sic nec feruorem.

Non necessaria ad eam gratiæ infusio.

Sacramentalia remittunt venialia.

Nisi remisso mortali, veniale nō remitti.

DISPVTATIO XXXV.

De remissione Peccati Mortalis & Venialis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Peccatum Mortale nullo modo sine Pœnitentia possit remitti?

Non dimitti peccatum absque Pœnitentia.

LOquendo de facto, & secundùm potentiam Dei ordinariam, facilè constat resolutio dubii; Nullo modo posse remitti peccatum mortale sine Pœnitentia: Hoc enim manifestissimis Scripturæ testimoniis constat, Lucæ 13. 5. *Nisi Pœnitentiam egeretis, omnes simul peribitis*. Ezech. 18. 30. *Conuertimini, & agite Pœnitentiam ab*

omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis iniquitas in ruinam. Act. 8.22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forté remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Extat etiam definitio Concilij Trident. sess. 14. cap. 4. *Fuit,* inquit, *quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius:* ergo sine Pœnitentia nullo tempore data fuit peccatorum remissio hominibus lapsis.

Ratio sancti Thomæ. Ratio verò sancti Thomæ in art. 2. præter diuinam ordinationem & institutionem, quæ est præcipua & fundamentalis ratio, ea est, Quia offensa Dei procedit ex auersione voluntatis humanæ à Deo; ergo requiritur ad remissionem huius offensæ, quod mutetur ista auersio voluntaria, quæ est ratio fundamentumque illius offensæ; hæc autem auersio tollitur per gratiam Dei, quæ in hoc differt à gratia hominis, quod gratia hominis non mutat, nec imprimit aliquid in altero, gratia verò diuina causat bonitatem in homine; quia gratia Dei est bona voluntas eius, qui est causa vniuersalis omnis boni; ergo talis gratia causat oppositam voluntatem detestandi & nolendi peccatum, cum proposito emendæ; quæ detestatio pertinet ad Pœnitentiam; ergo impossibile est sine Pœnitentia peccatum remitti.

Exagitata ratio sancti Thomæ. Videtur tamen hæc ratio sancti Thomæ parum efficax & diminuta; Quia licèt voluntas Dei sit causa omni boni creati, tamen ex hoc retorquetur argumentum; Deus est causa omnis boni; ergo etiam moralis boni & moralis effectus, & non solùm physici; ergo cùm remissio Dei sit condonatio quædam, etiam causat effectum condonationis offensæ, quæ in remissione & ablatione peccati interuenit, qui est moralis effectus; restat ergo sancto Thomæ probare, Cur non possit diuina voluntas & gratia ita causare hunc effectum moralem, quod non causet physicum, & quare repugnet separari hos effectus? ita quod solùm moralem causet effectum, id est, extrinsecam condonationem offensæ, sine immutatione physica cordis, & conuersione eius ad Deum, quæ est actus Pœnitentiæ. Itaque bene probat sanctus Thomas Quod gratia diuina debet causare aliquid, sed quod necessariò debet causare aliquid physicum, & non sufficiat causare aliquid morale, vnde probat? diminuta ergo est ratio ipsius.

Secundò, Nam dato quod debeat causare aliquid physicum, quare non sufficit infundere gratiam habitualem, non causando actum in voluntate, sed solùm habitum infundendo, vt si infunderet dormienti? Et dato, quod debeat causare actum, cur non sufficit actum dilectionis Dei causare, sed requiritur actus Pœnitentiæ doloris, seu detestationis vindicatiuæ, quæ est propriè actus Pœnitentiæ? ergo vndique deficit ratio sancti Thomæ, neque efficaciter infert absque Pœnitentia non posse remitti peccatum ex gratia Dei, cùm iam multis viis possit instari illa ratio, quod scilicet debeat causare aliquid in Anima, & quod hoc aliquid debeat esse Pœnitentia, & motus eius.

Vindicata eius ratio; tollendum fundamentum offensæ, vt ipsa connaturaliter tollatur. Efficax nihilominus est ratio sancti Thomæ, supponendo quod connaturaliter, modo proportionato, & iuxta exigentiam naturæ rerum, non tollitur aliqua offensa, nisi tollatur eius fundamentum & origo; quod significat sanctus Thomas art. 2. illis verbis, *Offensa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est auersa à Deo: vnde requiritur ad remissionem diuinæ* A *offensæ, quod voluntas hominis immutetur, & conuertatur, &c.* vbi ly *procedit*, insinuat fundamentum offensæ, quod est auersio; & ly *requiritur*, etiam indicat exigentiam connaturalem & debitam; posito autem fundamento & indignitate subiecti, ex qua oritur denominatio offensi, Deus debet iudicare hominem illum esse sibi offensum, & indignum sua amicitia & reconciliatione, loquendo iuxta connaturalitatem subiecti; quia manente fundamento offensæ ex parte hominis (scilicet auersione) connaturale est remanere offensam, & iudicare hominem indignum amicitia diuina; ergo loquendo de facto, & iuxta exigentiam re- B rum, efficax est ratio sancti Thomæ. Quod si gratia & voluntas diuina causat totum bonum creatum, & peccatum non remittitur nisi ex gratia Dei, quod non potest remitti sine immutatione interiori voluntatis, quia voluntate immutata manente, semper manet fundamentum offensæ; immutatio autem ab ipsa gratia causari debet, quia gratia Dei, cùm sit bona eius voluntas, omnis boni causa est; & cùm ex ista gratia, seu bona Dei voluntate, remittatur nobis peccatum, oportet quod si connaturaliter & iuxta naturæ exigentiam remittatur, quod causet immutationem aliquam in nobis, sine qua non tollitur fundamentum indignitatis & offensæ; & consequenter non C potest modo connaturali remitti peccatum, nisi interueniente ista immutatione ex gratia Dei; quæ immutatio non est alia, quàm detestatio illius auersionis iniustè factæ contra Deum, & dilectio ipsius Dei super omnia, quod pertinet ad motum Contritionis seu Pœnitentiæ.

Ex quo soluuntur instantiæ allatæ. Ad primam enim, Concedimus diuinam voluntatem & gratiam esse causam omnis boni, tam moralis quàm physici, quod interuenit in remissione peccati; Et cùm infertur; Vnde ergo probat sanctus Thomas, Non posse separari hunc effectum moralem ab illo physico, nec sufficere quod diuina voluntas causet effectum moralem extrinsecum, sine reali & intrinseca mutatione peccatoris per Pœnitentiam? D Respondetur, Optimè id inferri ex præsupposita & subintellecta conditione requisita ad talem remissionem, scilicet quod tollatur indignitas offendentis, & fundamentum offensæ erga Deum, quia manente fundamento offensæ, non potest connaturaliter & iuxta exigentiam rerum, ipsa offensa tolli; & hoc fundamentum est voluntas ipsa auersa à Deo; ergo gratia remittens offensam iuxta istam connaturalem exigentiam, ita debet causare effectus morales in condonando, quod etiam tollat physicos, vt fundantes istam offensam moralem; alias non perfectè, neque connaturaliter tolleret & remitteret offensam: & sic non possunt separari isti effectus, si remissio fit iuxta connaturalem modum & exigentiam ipsius, sicut de facto fit.

E Ad secundam & tertiam instantiam Respondetur, Quod non sufficit infundere gratiam habitualem sine actu immutante voluntatem; & quod iste actus non solùm debet esse dilectionis, sed etiam contritionis & doloris; Quia licèt vt gratia recipiatur in Anima physicè, nullas requirat dispositiones; tamen vt recipiatur voluntariè, requirit voluntatem ipsam disponi & immutari; Est autem connaturale cuicumque formæ, vt non recipiatur sine dispositionibus; & connaturale est gratiæ, vt recipiatur cum consensu & voluntate hominis, & non aliter; quia gratia conuertit hominem ad finem supernaturalem, quæ conuersio

ſine voluntate non fit. Vnde ſi gratia diuina connaturaliter, & modo proprio debet cauſare remiſſionem peccati, oportet quod non ſolùm infundat gratiam habitualem, ſed etiam diſpoſitiones, ſine quibus voluntas non immutatur, vt voluntariè gratiam recipiat; inter iſtas autem diſpoſitiones oportet vnam ex illis eſſe Pœnitentiam ſeu Contritionem, eo quod voluntas per peccatum facta eſt impia & iniuſta contra Deum; Vnde oportet, quod per modum iuſtitiæ & vindicationis reuertatur ad Deum; non ergo ſufficit ſola dilectio, vt præcisè talis, niſi etiam per modum iuſtitiæ & expiationis importet, quod directè pertinet ad Pœnitentiam, & hoc loquendo connaturaliter & iuxta exigentiam rerum.

Pœnitentia virtualis ipſa quandoque ſufficit, id eſt, actus charitatis.

An verò ſufficiat aliquando virtualis Pœnitentia, quæ in ipſo actu dilectionis continetur, tanquam in aliquo eminentiori, loquendo de facto? Reſpondetur ſufficere in aliquo caſu, vt quando aliquis non recordatur ſuorum peccatorum diſtinctè, & elicit actum dilectionis Dei ſuper omnia; talis iuſtificabitur ſine explicita & formali Pœnitentia, id eſt, ſine actu doloris; Quia cùm non recordetur peccatorum, non datur materia doloris & deteſtationis, quæ ſolùm ſunt peccata; & tamen habet dilectionem Dei ſuper omnia, cum qua non compatitur peccatum, quia vt dicitur 1. Petri 4. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Et 1. Ioan. 4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet*. Et iterum 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt;* non ergo ille qui elicit dilectionem Dei ſuper omnia manet in peccato, & tamen non habet formalem dolorem, ſed ſolùm actum amoris, qui eminenter eſt dolor Pœnitentiæ, eo quod ſic diligens habet motiuum dolendi de peccato per contritionem; contritio enim eſt ex motiuo dilectionis Dei ſuper omnia; ergo qui habet iſtam dilectionem, iam habet motiuum contritionis; ergo virtualiter contritionem habet; formaliter autem conuerſionem ad Deum vt ad vltimum finem, quia diligit eum ſuper omnia; ergo iuſtificatur.

Non iuſtificari virtuali Pœnitentia, qui ſibi cõſcius eſt peccati mortalis.

Sed quid, Si recordetur actualiter peccati mortalis, & non habeat dolorem, qui eſt formalis actus Pœnitentiæ, ſed tantùm dilectionem Dei ſuper omnia, ſufficiet ne ille actus dilectionis, qui eſt virtualis Pœnitentia ſine formali dolore, qui eſt Pœnitentia? Reſpondetur Non ſufficere; & negamus ſuppoſitum, Nempe quod in illo caſu habeatur verus Dei amor ſuper omnia, ſi non habeat formalem Pœnitentiam, & dolorem de peccato, quando recordatur illius; Ratio eſt, Quia in habentibus conſcientiam peccati mortalis, currit præceptum diuinum de Pœnitentia, quod certum eſt dari, cùm toties repetatur in Scriptura, *Pœnitentiam agite*, &c. Quod tanquam diſtinctum præceptum à præcepto dilectionis ponitur: Hoc enim obligat etiam eos qui non peccauerunt; præceptum verò Pœnitentiæ ſolùm obligat eos qui peccauerunt. Et licèt non ſtatim obliget, vel pro omni tempore; quia eſt præceptum affirmatiuum; tamen ſine eius impletione non poteſt peccatum remitti, aliàs fruſtra poneretur, quia remiſſo peccato non vrget præceptum Pœnitentiæ, quod ſolùm eſt ad obtinendam remiſſionem peccatorum. Cùm autem non obliget eum, qui obliniſcitur peccatorum, quia ſic eſt impoſſibile deteſtari ea; ſequitur quod obliget eos qui habent conſcientiam peccatorum.

Et huius ratio eſt; Quia naturale eſt, vt qui A recordatur peccatorum, quando conuertitur ad Deum, etiam recordetur ſe eſſe obligatum ad ſatisfactionem, & inſuper teneri ad confeſſionem; quam ſaltem in voto & implicitè tenetur deſiderare; ergo non poteſt diligere Deum ſuper omnia in tali caſu, vt oportet, niſi doleat de illa offenſa, velitque Deo ſatisfacere, quod pertinet ad Pœnitentiam formalem. Vnde Concil. Trident. docet, *Fuiſſe motum contritionis quouis tempore neceſſarium, ad impetrandam veniam peccatorum;* ergo ſi iſte, qui nunc recordatur peccati mortalis, vult habere veniam, non ſufficit elicere actum dilectionis, omiſſo motu Contritionis; ſed tenetur illum adhibere, aliàs non diligit vt oportet, quia B diligit, & non vult ſatisfacere, cognoſcendo ſe debitorem.

Quid de Abſoluta potentia Dei?

Oſtenſo quod connaturaliter & de facto non poteſt remitti peccatum ſine Pœnitentia, reſtat videre, An etiam eſſentialiter id ſit neceſſarium; ita quod nec de potentia abſoluta poſſit ſine aliqua Pœnitentia remitti peccatum. Et poteſt hoc in duplici ſenſu diſputari; Primò, An ſine vlla phyſica & reali mutatione ex parte hominis, poſſit per ſolam extrinſecam Dei condonationem peccatum remitti, Secundò, An dato quod requiratur aliqua realis mutatio in homine, ſufficiat aliqua C alia mutatio præter Pœnitentiam, etſi non ita connaturaliter remittatur peccatum, ſicut cum Pœnitentia? In primo ſenſu plures Auctores tenent, Poſſe ſine vlla mutatione reali ex parte hominis peccatum tolli per ſolam extrinſecam condonationem Dei. Pro qua ſententia citantur Scotus, Henric. Gabriel, Medina; ſatiſque ſignificat Bellarminus lib. 2. de Iuſtificatione. cap. 16.

Poſſe de potẽtia abſoluta remitti peccatum, ſine vlla peccatoris immutatione, opinio.

Fundamentum eſt, Quia peccatum præcedens nihil phyſicum relinquit in homine, ſed tantùm moralem quandam denominationem, per reſpectum ad peccatum præteritum, à quo homo etiam tunc denominatur peccator, quamdiu illi non remittitur offenſa; ergo per ſe & eſſentialiter non requiritur ad ablationem talis peccati aliquid phy- D ſicum, ſed ſufficit moralis condonatio & remiſſio Dei. Nec obſtat, quod requiritur vt qui offendit, retractet offenſam, & veniam petat, vt ei poſſit condonari; Hoc enim verum eſt, ſi connaturali modo id fiat; tamen eſſentialiter & abſolutè ſufficit voluntas offenſi remittentis illam iniuriam, ſiquidem offendens ſolùm remanet ſecundùm moralem æſtimationem auerſus, & inimicus offenſo, atque obligatus illi ſatisfacere pro iniuria; quod eſt eſſe reum, id eſt, obligatum pœnæ: huic autem obligationi poteſt alter cedere ſine vlla mutatione voluntatis offendentis, ſolùm nolendo illum habere & reputare pro reo, & ſibi obligato. Sicut etiam apud homines fieri poteſt; & ſicut po- E teſt aliquis abſolui à cenſuris, ſolùm quia Superior vult illam cenſuram tollere, etiam ſi ille qui eſt ligatus nolit voluntatem mutare; ergo ſimiliter poteſt Deus vincula omnia, & obligationem ſeu reatum peccatorum tollere, nulla facta mutatione in voluntate hominis, ſed etiam ipſo repugnante & nolente, Deo autem condonante & remittente.

Poſſe in multis caſibus, ſine mutatione, quæ ſit Pœnitentiæ, opinio.

Pro ſecundo ſenſu, Plures caſus numerantur, quibus poteſt Deus per aliquam mutationem hominis, non tamen per mutationem Pœnitentiæ, peccatum tolere & deſtruere. Primò per Vnionem

hypostaticam; Si enim Deus naturam hominis peccatoris assumeret ad suam personam, etiam ipso homine nihil operante, nec actum Pœnitentiæ eliciente, peccatum non maneret in illa natura sic assumpta; quia repugnat peccatum esse in homine, qui est Deus; sic enim Deus, seu persona illa diuina diceretur auersa à Deo, habendo humanitatem auersam per peccatum.

Secundò potest tolli peccatum per visionem Beatificam; Quia si homini existenti in peccato Deus daret visionem beatam, hoc ipso ille homo maneret beatus, quia videt Deum; ergo maneret sine peccato; nam peccatum non compatitur cum Beatitudine; siquidem beatitudo est gratia consummata, & perfecta vnio cum Deo; ergo si peccatum non compatitur cum gratia, multominus cum Beatitudine, quæ est gratia consummata; & tamen ille non elicit actum Pœnitentiæ, sed solùm visionis, vt supponimus, ergo bene potest sine Pœnitentia tolli peccatum.

Tertiò, Si Deus peccatori nihil operanti, sed dormienti vel amenti infunderet gratiam habitualem; illa gratia tolleret maculam peccati, & redderet hominem sanctum & gratum Deo, non minus quàm facit in paruulo, in quo tollit peccatum sine aliqua eius operatione per solam infusionem gratiæ; ergo similiter poterit Deus infundere gratiam adulto nihil operanti, & iustificare illum à peccato, non minus quàm paruulum; Nam etiam peccatum paruuli voluntarium est, voluntate primi parentis; & inquantum voluntarium tollitur per gratiam.

Quartò, Si Deus reducat hominem peccatorem ad statum puræ naturæ, reddatque illi rectitudinem naturalem sine supernaturali; talis non elicit actum Pœnitentiæ, quia Pœnitentia est virtus infusa & supernaturalis, qua caret status purè naturalis; & tamen ille homo non retinet peccatum, quia ponitur in statu rectitudinis naturalis, cui etiam peccatum contrariatur; ergo potest in tali casu sine Pœnitentia peccatum tolli.

Quintò, Potest Deus hominem peccatorem annihilare, & postea eundem reproducere sine aliqua Pœnitentiæ; tunc ex vi talis reproductionis ille non habebit peccatum, quia eius voluntas non reproducit illud, cùm nihil agat in sui reproductione, vt supponimus; nec Deus reproducens causat illud peccatum, quia Deus non potest esse auctor & causa proxima peccati, etiam habitualis, & quantum ad maculam, quia est auersio ab ipso Deo; ergo tunc ille homo non habebit peccatum.

Denique Deus de facto remittit peccatum sine perfecta & vltima dispositione ex parte voluntatis; ergo etiam potest sine aliqua dispositione illud remittere; ergo sine Pœnitentia, quia hæc solùm requiritur vt dispositio, non vt forma iustificans. Antecedens est certum, in eo qui iustificatur in Sacramento cum sola Attritione; Non enim attritio est vltima dispositio, quia hæc solùm est contritio formata charitate; Vnde extra Sacramentum non sufficit ad iustificationem, ergo sine vltima dispositione Deus remittit peccatum. Prima verò consequentia probatur, Quia si dispositio requiritur, maximè propter exigentiam formæ, quæ connexionem habet cum illa dispositione, eamque ex natura sua requirit; forma autem magis exigit vltimam dispositionem, quàm primam, quia habet immediatam connexionem cum illa, estque sibi magis proportionata & co-

A naturalis; ergo si potest poni forma gratiæ sine vltima dispositione, etiam sine prima; immò & ipsa contritio non est dispositio vltima ad gratiam physicè & entitatiuè, sed moraliter & ex parte voluntatis; neque habet necessariam connexionem cum gratia, sed solùm ex misericordia Dei volentis illam infundere sic disponenti se; ergo non repugnat sine tali dispositione Deum infundere gratiam & remittere peccatum.

Dicendum nihilominus est, Non posse culpam, quatenus malum voluntarium est, tolli, non solùm connaturaliter, sed etiam essentialiter, & per potentiam Dei absolutam, manente eadem numero persona, quæ peccauit, sine aliqua Pœnitentia, formali vel radicali, ex parte hominis; poterit tamen sine formali Pœnitentia, vel actu B voluntatis, tolli peccatum cum sola radicali Pœnitentia; vel etiam è conuerso sine habitu seu radicali Pœnitentia, poterit peccatum tolli stante Pœnitentia formali, vel actu æquiualenti. Hæc est communior sententia inter Thomistas, qui communiter requirunt aliquam immutationem realem in voluntate, vel in radice voluntatis, vt peccatum possit tolli, licèt non hanc vel illam immutationem determinatè, quos Auctores refert Nuño super hanc quæst. 86. art. 2. dub. 2. Et notandi sunt duo termini positi in conclusione, Nam primò dicimus non posse tolli culpam, quatenùs *malum voluntarium est*: quia si solùm attendamus C ad reatum, seu obligationem ad pœnam, quæ remanet transacto actu peccati, talis reatus sicut & ipsa pœna, cùm sit aliquid inuoluntarium, potest tolli vel suspendi à Deo, vel remitti sine aliqua mutatione ex parte hominis; quia ille reatus seu obligatio solùm est denominatio quædam rationis, non voluntaria, nec habentem voluntarium denominans; sed potius ipso nolente consequuta ex ordinatione superioris, destinantis istum peccatorem ad pœnam.

Peccatum vt voluntarium tolli non potest, sine Pœnitentia, manente eadē persona.

Et secundò dico, *manente eadem persona*, vt remoueamus illos duos casus supra positos, Quod scilicet persona diuina assumeret naturam hominis peccatoris, destruendo eius personalitatem; & D secundò si annihilet hominem peccatorem, & postea reproducat illum; Nam in primo casu, iam est altera persona, ab illa quæ peccauit, scilicet persona diuina, cui omne peccatum & denominatio peccati repugnet; Vnde non manebit peccatum in tali natura facta vnione hypostatica, quia peccatum non denominat naturam, nisi cum ordine ad personam peccantem, quia natura non peccat, & agit vt quod, sed suppositum; & sic destructa persona, quæ peccauit, non restat aliquod peccatum. In secundo autem casu discontinuatur persona & natura per annihilationem; reproducta autem tali persona, non reuiuiscit E actio præterita, nec voluntarium; quia omnes illæ denominationes in desitione illa defecerunt, quia cessauit voluntas, & ideo non consurgit vnum nouum voluntarium, vel denominatio voluntatis per voluntatis productionem, vel reproductionem, in qua solùm passiuè se habet voluntas, & merè materialiter, non per liberam elicientiam illius, quod de nouo non datur. His duobus casibus remotis, in reliquis, in quibus eadem persona manet sine discontinuatione, dicimus, Non posse peccatum tolli sine immutatione aliqua voluntatis radicali vel formali; Et in hoc sensu accipimus cum toto rigore dictum sancti Thomæ art. 2. Quod *impossibile est, sine Pœnitentia re-*

Vnione personæ diuinæ, abolettur omne peccatū.

Destructa item, seu annihilata persona.

mitti peccatum. Et idem significat 1. 2. quæst. 113. A art. 5. & aliis locis, quæ ibi citantur.

Fundamentum huius resolutionis est, Quia culpa est malum voluntarium, nec denominat hominem peccatorem nisi modo voluntario; ergo non potest tolli essentialiter hoc malum, & hæc denominatio, nisi voluntate mutata. Patet consequentia, Quia voluntate immutata, & manente sicut antea, non tollitur quod peccatum illud non sit voluntarium, siquidem eodem modo se habet sicut antea; ergo non tollitur per quamcumque extrinsecam denominationem vel immutationem, quod illa voluntas sit perseuerans in peccato; ergo neq; tollitur quod ab intrinseco, & inquantum voluntas, sit iudicanda indigna diuina gratia & amore, & quod habeat Deum offensum; quia intrinsecè habet auersionem à Deo: Si autem per illam extrinsecam condonationem tollitur culpa, etiam inquantum malum voluntarium, & Deus debet iudicare illum hominem vt non indignum, nec auersum à se, neque ipsum Deum manere offensum, quia offensa ablata est, vt supponit hæc sententia; ergo simul iudicabit illum hominem dignum & indignum, sibi offensum & non offensum; quæ sunt manifesta contradictoria.

Et hinc sumitur ratio a priori, Quia quando aliqua denominatio essentialiter dependet ab aliqua forma vel actu reali, non potest illa denominatio, etiamsi extrinseca sit, tolli, nisi ablato illo actu vel forma, à qua prouenit, & multo minùs si denominatio intrinseca sit. De denominatione intrinseca non est dubium, Quia essentialiter à forma dependet formalis denominatio & effectus, vt album ab albedine; Nec enim potest tolli album non separata albedine à subiecto: De extrinseca denominatione constat, Quia si paries est visus denominatiuè, non potest tolli illa denominatio, nisi cessante visione a qua prouenit. Si lex est facta, aut vox imposita, non potest tolli talis denominatio, nisi mutetur voluntas circa talem impositionem, quæ quidem mutatio non est intrinseca & realis, in ipsa pecunia vel voce imposita, sed in ipsa voluntate, à qua talis denominatio seu impositio prouenit. Et sic de omni denominatione. Hæc autem denominatio moralis & extrinseca, qua Deus denominatur offensus, non prouenit à voluntate Dei, sed à voluntate auersa peccatoris; sicut è conuerso, reatus seu obligatio, qua peccator remanet obligatus ad pœnam, prouenit à voluntate Dei, non à voluntate peccatoris, quare non sublata & mutata voluntate peccatoris, non potest tolli illa denominatio Dei offensi; quia est effectus formalis eius, licèt extrinsecus; sicut parietem esse visum à visione; sicut è contra, non sublata voluntate illa Dei, qua obligauit istum ad pœnam (quod est remissio illius) non tollitur denominatio talis reatus.

Nec obstat, Quod peccatum transiuit, transeunte actu; transiuit enim actualiter, sed remanet virtualiter in voluntate non retractata, & ex illa fit denominatio offensæ in Deo; & sic transiuit actus, sed manet voluntas auersa; aliàs si sufficeret transire actum peccati, vt tolleretur denominatio offensæ in Deo, statim ac quis peccauit, Deus non remaneret offensus, quod est absurdum; ergo indiget retractatione voluntatis, vt illa denominatio peccatoris tollatur, & offensa Dei remittatur in ratione offensæ voluntariæ.

Soluuntur Argumenta.

Vnde dissoluuntur Argumenta à principio posita; Et ad ea quæ ponuntur in primo sensu huius dubitationis, Respondetur, In primis falsum esse illud fundamentum, quod peccatum solùm relinquit effectus morales, seu denominationem extrinsecam; reuera enim multos intrinsecos effectus relinquit, tum priuatiuos, sicut est macula & priuatio gratiæ; tum positiuos, vt est conuersio ad finem creatum, cui remanet affecta voluntas, de quo latius tractari solet 1. 2. in Materia de Peccatis; reatus verò seu obligatio ad pœnam, est B effectus peccati non voluntarius. (Neq; enim peccator vult esse obnoxius pœnæ) sed mediante ordinatione diuina, quæ peccatorem destinat & ordinat ad pœnam; & si peccatum non relinqueret post se alium effectum, quàm istum, non est dubium quod posset tolli per solam extrinsecam condonationem Dei relaxantis istam obligationem; neque ista denominatio extrinseca nascitur ex ipso peccatore, sed ex ordinatione diuina; Vnde non est necessarius ad illam tollendã essentialiter loquendo aliquis actus realis ex parte peccatoris, sed ordinatio ipsa realis ex parte Dei, volentis talem obligationem relaxare & tollere: Cæterum in peccatore, præter istum reatum est alius effectus, & C moralis & extrinsecæ denominationis, ortus ex voluntate peccatoris, non ab ipso Deo; Licèt enim denominet Deum offensum, non tamen ab ipso, sed ab homine offendente oritur denominatio; sicut esse visum in pariete oritur à vidente; ideoque talis offensa voluntaria, est ratio à qua procedit (scilicet à voluntate hominis) & hæc denominatio tolli non potest, non sublata causa illius per mutationem voluntatis; sicut denominatio visi tolli non potest, nisi sublata visione; illa enim manente, paries non potest non denominari visus, quia est quasi effectus formalis eius extrinsecus.

Reatus pœnæ, sola Dei voluntate tolli potest, non offensa vt voluntaria.

Et ad exemplum de homine, qui potest remit- D tere offensam sine mutatione aliqua ipsius offendentis, Respondetur, Quod etiam apud homines, Offensa facta alteri, quantum ad id quod habet de culpa & de voluntario, remitti non potest ex sola extrinseca condonatione, immutata manente alterius voluntate; sed potest remitti quantum ad reatum & obligationem satisfaciendi, & quantum ad animum ipsius offensi, quod non sit malè affectus ad offendentem, sed illum amet, nec odio habeat; hoc totum potest tolli per solam voluntatem offensi, nihil ponendo intrinsecum in voluntate offendentis; quod tamen voluntas diuina non facit, cùm si amat, hoc ipso imprimit aliquid in eo, quem amat: Eodem modo Deus, potest sua voluntate sola remittere peccati E reatum, & obligationem ad pœnam, relaxando supplicium, & nihil immutando de voluntate offendentis; non tamen potest remittere offensam vt voluntaria & culpabilis est, & vt orta ex voluntate offendentis, nisi voluntas mutetur formaliter vel eminenter, seu virtualiter. Quod verò dicitur de censuris, faciliorem habet solutionem; Censura enim solùm est pœna Ecclesiastica, non culpa ipsa, licèt propter culpam feratur; pœna autem imposita tolli potest, etiam ipso reo inuito, & voluntate eius non mutata; quia non prouenit ex eius voluntate, sed a sola voluntate & ordinatione Superioris.

Ad ea quæ pro secunda parte obijciuntur, Respondetur, Quod in primo casu de Vnione hypostatica, non remanet eadem persona peccatoris, quæ ante vnionem hypostaticam peccauerat; ideoque non indiget mutatione voluntatis, facta mutatione personæ, quæ non potest peccato esse obnoxia, vt iam explicatum est; Nostra autem resolutio tantùm procedit, quando manet eadem persona. Ad secundum & tertium casum, Respondetur, Hîc non reperiri Pœnitentiam formalem, neque formalem voluntatis mutationem, sed eminentialem aut radicalem, quia gratia est radix voluntatis. Similiter posita Visione Beatifica in intellectu, rectificatur voluntas, etiamsi non infundatur charitas, nec resultet amor beatificus; quia voluntas radicaliter continetur in intellectu, & ab eius dictamine & apprehensione dependet; *Nihil enim volitum, quin præcognitum.* Et ita rectificato omni dictamine intellectus per summam vnionem cum Deo, & gratiam consummatam, virtualiter & in sua radice manet voluntas immutata, & conuersa ad Deum, licèt nondum formaliter sit in actu amoris, sed quasi in habitu & radice: Hæc autem immutatio sufficit ad remissionem peccati, & substituitur loco formalis Pœnitentiæ, & immutationis formalis voluntatis, quia est radicalis eius immutatio.

In Visione beatifica, virtualis Pœnitētia.

Ad quartum casum dicitur, Quod si reddatur hominis rectitudo naturalis, licèt non habeat Pœnitentiam formalem & supernaturalem, habet tamen naturalem detestationem peccati, explicitam aut implicitam & virtualem, qualis ille status naturalis secum compatitur; Nam eo modo quo illa naturalis rectitudo rectificauerit voluntatem, eo modo immutabit illam, immutatione conuenienti pro illo statu puræ naturæ, non sufficienti pro gratia; Vnde nec illud peccatum remittetur in ordine ad statum supernaturalem, quem destruxit, sed in ordine ad naturalem rectitudinem, quam vulnerauit; sicque illa non erit adæquata remissio, & simpliciter ablatio peccati, sed inadæquata, & secundùm quid, scilicet pro statu merè naturali; & in illo habebit voluntas immutationem aliquam illi statui conuenientem, scilicet ordinis naturalis.

Ad quintum casum dicitur, Iam supra explicatum esse, excipiendum esse illum casum, quia excipimus illum, Asserentes quod in vniuersum manente eadem numero persona formaliter, nequit peccatum remitti absque immutatione voluntatis; in illo autem casu, licèt sit eadem persona entitatiuè, non tamen est eadem continuatiuè, quia annihilatur & reproducitur, & illa desitione omninò perit, tam ipsa persona, quàm peccatum; & non manet eadem quantum ad mansionem continuationis. Quod autem postea reproducitur, non iuuat, quia peccatum non potest reuiuiscere, quia non datur causa reproductiua illius; non Deus, quia non est auctor peccati; non voluntas hominis, quia nihil agit de nouo, vt supponimus.

Attritio in Sacramento, sufficiēs voluntatis mutatio vt offensa doleatur.

Ad vltimum casum, Respondetur, Quod quando iustificatur homo in Sacramento cum sola Attritione, etiamsi non habeat vltimam dispositionem ad gratiam ex parte voluntatis, habet tamen illam quæ sufficit, vt si Deus gratiam infundat, voluntariè accipiatur, quia non ponit obicem, seu resistentiam gratiæ; & sic est sufficiens dispositio vt dicatur dari gratiam volenti & consentienti; & hæc mutatio sufficit pro dispositione voluntaria, A sine qua formaliter haberi non concedimus, nec posse Deum remittere peccatum, & iustificare hominem sine illa, infundendo gratiam: Cæterum si cum illa dispositione imperfecta Attritionis, Deus gratiam infundit, ipsa infusio gratiæ est mutatio sufficiens voluntatis, solùm radicaliter & eminenter, vt dictum est, & sic *fit ex attrito contritus*: non quia attritio mutetur in contritionem, sed quia effectum contritionis habet adiunctum (scilicet gratiam) atque adeò non sine mutatione interiori fit illa remissio, nec sine Pœnitentia, saltem radicali & virtuali.

B *Vnum Peccatum sine alio non remititur.*

Ex dictis colliges breuem resolutionem alterius dubij; An scilicet possit vnum peccatum mortale sine alio remitti & tolli? de quo agit sanctus Thomas in hac quæst. 86. art 3. Et de facto & secundùm potentiam ordinariam, certum est non posse; quia nullum peccatum mortale tolli potest sine gratia & dilectione Dei super omnia, saltem habituali; sed cum gratia non potest stare simul aliquod peccatum mortale, quia necessariò & essentialiter habet annexam priuationem gratiæ; ergo non potest vnum peccatum mortale tolli per infusionem gratiæ, (sicut de facto fit) alio peccato mortali remanente.

C De potentia verò absoluta, dicimus, Quod in nostra sententia, qua resoluimus, Non posse sine Pœnitentia formali vel eminentiali peccatum remitti, neque etiam posse tolli vnum peccatum sine alio, quia existente formali Pœnitentia, illa habet annexam gratiam, cum qua simul peccatum stare non potest; pósita autem eminentiali Pœnitentia, illa est ipsa gratia, vel gratia consummata, vt Beatitudo, vel eminentior gratia, vt Vnio hypostatica, & reliquæ similes mutationes, quæ multo magis repugnant cum peccato, quàm gratia ipsa; In altera autem sententia, Affirmante quod potest peccatum de absoluta Dei potentia remitti sine mutatione aliqua intrinseca hominis, & sine Pœnitentia aliqua, tum eminentiali quàm formali, sed per solam extrinsecam denominationem & condonationem, poterit vnum peccatum tolli sine altero; Quia non repugnat Deum condonare vnam offensam, & additionem maculæ, non sublata alia offensa distincta; neque in hoc vlla apparet implicatio; quia condonatio extrinseca vnius, non est opposita cum omni peccato, sicut gratia, seu forma intrinseca omni peccato repugnat.

D

Vt remitti possit vnū P. M. sine alio, vel nō possit, diuersa fundamenta.

E

Articvlvs Secvndvs.

Per quam formam tollatur Peccatum Veniale, tam ex opere operantis, quàm ex opere operato?

Svpponit titulus art. dupliciter Peccatum Veniale tolli; primò sine aliqua susceptione Sacramenti, vel alicuius sacramentalis, sicut est aspersio Aquæ benedictæ, & alia similia; sed per excitationem alicuius motus spiritualis in Deum, qui dicitur seruor charitatis. Secundò ex opere operato, sicut suscipiendo Eucharistiam, vel aliquod Sacramentum delentur peccata venialia, ex ipsa virtute Sacramentorum, quæ virtus dicitur

ex

ex opere operato, id est, ex virtute Sanguinis Christi, delere peccata; & similiter ex susceptione aliquorum Sacramentalium, id est, aliquarum sacrarum cæremoniarum, quas Ecclesia pro remissione venialium ordinauit. Et sic oritur duplex difficultas; Prima ex parte formæ tollentis formaliter maculam peccati venialis; secunda circa dispositionem requisitam ad tollenda ista peccata, præsertim quando tolluntur per Sacramenta vel Sacramentalia ex opere operato, quæ scilicet dispositio sufficiat ad illa tollenda?

Ex sancto Thoma in art. 1. & 2. huius quæst. 87. habemus tria; Primum est, Requiri Pœnitentiam aliquam (saltem imperfectam & virtualem) ad tollenda venialia; non formalem, sicut ad tollenda mortalia; Secundum est, Non requiri ad tollenda venialia aliquam infusionem gratiæ habitualis, vel aliquid habituale de nouo infusum, sed sufficere motum aliquem gratiæ vel charitatis; Tertium est in art. 2. ad 3. Quod macula peccati venialis non inducitur per priuationem gratiæ, sed per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale; & ad hanc maculam peccati venialis tollendam requiri aliquem actum procedentem ex gratia, per quem remoueatur inordinata adhæsio ad rem temporalem.

Quid sit forma delens Maculam Venialis?

Circa has conclusiones, & dicta sancti Thomæ, licèt aliquæ occurrant difficultates, quas statim proponemus; tamen antequam de illis agamus, oportet prius examinare, & assignare determinatè, Quænam sit forma tollens formaliter maculam peccati venialis? Nam licèt proponat sanctus Thomas, & resoluat, Quod peccatum veniale non tollitur per habitum gratiæ sanctificantis, sed per motum gratiæ; Non enim aliquid est habituale infusum de nouo Animæ, nec requiritur infusio gratiæ aut augmentum illius, quod optimè probatur ab ipso, Quia peccatum veniale non opponitur ipsi gratiæ, neque augmento illius, neque alteri habituali dono; quia in gratia & augmento gratiæ existens, secum compatitur peccatum veniale cum habitibus virtutum & donorum; Nam adhuc in perfectis viris sunt peccata venialia, nec tamen in eis gratia diminuitur, vel tolluntur virtutes.

Tamen circa positiuam formam tollentem maculam peccati venialis est difficultas, An sit ipsemet actus charitatis vel Pœnitentiæ, siue explicitus siue implicitus? An aliquid ex tali actu relictum? quod sanctus Thomas non explicat; & tamen sine hoc non possumus plenè discernere, & determinare quidnam sit forma tollens peccatum veniale. Et ratio est, Nam si ipsemet actus est forma tollens peccatum veniale; ergo iam Pœnitentia non requiritur ad remissionem peccati venialis, tanquam dispositio, sed tanquam forma; hoc autem est falsum, ergo. Sequela est manifesta, Nam non potest idem esse simul forma & dispositio ad seipsam, tanquam ad formam, quia dispositio antecedit causatque ipsam formam. Minor verò probatur, Nam actus ille Pœnitentiæ formalis siue virtualis, est actus voluntatis, ergo solùm potest formaliter tollere id quod in voluntate est; at verò macula peccati pertinet ad essentiam Animæ, & in ea est, sicut macula pecc. ti mortalis; ergo oportet aliquid ponere in essentia Animæ distinctum ab eo, quod in voluntate ponitur, quod solùm pertinet ad dispositionem.

Difficultas, per quam formâ deleatur P.V.

A

Confirmatur, Quia peccatum veniale habitualiter manet in homine, & transeunte actu remanet reatus; ergo non potest formaliter tolli per actum ipsum Pœnitentiæ, siquidem actus formaliter solùm opponitur actui, non autem remanenti post ipsum actum habitualiter. Ex alia verò parte vrgetur ratio, Quia si actus ipse non est forma, quæ formaliter tollit omne peccatum veniale, oportet pro forma, ipsi necessariò assignare aliquid habituale, cùm tamen sanctus Thomas quæst. 87. art. 2. ad 1. doceat, Quod *remissio Venialium est effectus gratiæ, per actum, quem de nouo elicit, non per aliquid habituale de nouo Animæ infusum;* ergo nihil habituale interuenit tanquam forma in remissione Venialium. Nec dici potest quod interuenit aliquid habituale, non infusum de nouo, sed acquisitum; Nam peccata Venialia opponuntur feruori charitatis, seu actui charitatis, vt docet sanctus Thomas, sed id quod est contra feruorem charitatis non tollitur per aliquid acquisitum, seu ordinis naturalis, sed per aliquid supernaturale, cùm feruor ipse charitatis aliquid supernaturale sit, præsertim cùm remissio peccati venialis sit donum gratiæ, quia illam petimus à Deo: Neque explicari potest, quid sit illud acquisitum quod relinquitur ex actu charitatis, vel Pœnitentiæ; si enim est habitus, vel aliqua habitualis dispositio, illa debet esse supernaturalis; ergo à Deo infusa, quia habitus supernaturalis non potest esse acquisitus; ergo falsò dicit sanctus Thomas, Non tolli peccatum veniale per aliquid habituale de nouo infusum Animæ.

B

C

In hac difficultate vix aliquid Auctores dicunt, sed communiter asseritur, Peccatum veniale tolli per actum charitatis seu Pœnitentiæ, implicitum vel explicitum, nihil distinguendo, An talis actus sit forma, vel dispositio; & si est dispositio, quid sit assignandum pro forma? Et videtur mihi distinguendum esse de actu; Nam potest sumi actus ipse vel præcisè prout est ipse actus secundus, qui citò transit, & dependet à sua potentia in fieri & conseruari; vel potest sumi actus simul cum effectu ex tali actu relicto, scilicet cum aliqua determinatione relicta à se in habitu charitatis & gratiæ, tollente adhæsionem illam & determinationem, quam relinquit peccatum veniale ad rem temporalem. Et quidem actus ille præcisè & nudè consideratus, non potest formaliter tollere peccatum veniale, quantum ad maculam, quæ relinquitur post transactum actum; quia actus ille formaliter non opponitur illi maculæ, sed solùm formaliter opponitur, vel actui contrario, vel negationi, seu priuationi talis actus: Actui quidem contrario opponitur contrariè; priuationi autem aut negationi, opponitur priuatiuè: illa verò macula, quæ transeunte actu peccati venialis remanet in homine, neque est sola cessatio aut priuatio actus boni (sic enim cessante actu, vel dormiente homine desineret peccatum veniale) neque etiam est actus contrarius, quia illa macula non est actus, sed remanet post actum, ad quem sequitur; non ergo formaliter nudus & merus actus bonus illi opponitur.

Peccatum veniale tolli formaliter per actum charitatis, aut Pœnitentiæ, ratione effectus ex eo relicti.

D

E

Si verò secundo modo consideretur actus, sic formaliter tollitur peccatum veniale & macula illius, quatenùs tollitur adhæsio illa voluntatis ad rem temporalem, sine subordinatione ad vltimum finem; & consequenter tollitur obligatio, seu obliquitas illa, qua voluntas inclinatur ad

operandum aliquod peccatum veniale; Macula enim peccati venialis, vt docet sanctus Thomas hic art. 2. ad 3. inducitur per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale. Vnde non debet considerari actus in se solùm, & quatenus durat in actu secundo, sed secundùm id quod relinquit transacto actu; scilicet secundùm voluntatem conuersam & determinatam ad operandum non inordinatè, nec cum adhæsione ad rem temporalem: per id enim formaliter tollitur illa macula, & adhæsio praua relicta ex peccato veniali.

Sed inquires, Quid est hoc quod relinquitur ex actu illo præterito? Nam habitus esse non potest; tum quia vnus solus actus non generat habitum; tum quia peccatum veniale non tollitur per aliquid habituale de nouo infusum; tum quia ille habitus deberet esse supernaturalis & gratuitus, atque adeo non potest acquiri per actum; tum denique, quia non semper peccatum veniale generat habitum, si vno tantum vel altero actu fiat; & tum non generat habitum, & casu quo illum generet (vt quando aliquis consuetudinem mentiendi habet) tunc peccatum veniale potest tolli, quantum ad culpam & maculam, manente habitu illo vitioso inclinante ad mendacium; non ergo est habitus, id per quod peccatum veniale tollitur; præter habitum autem non apparet quid relinquat actus ille præteritus, nisi denominationem aliquam rationis, quatenus hoc subiectum denominatur conuersum, vel auersum ab actu præterito.

Respondetur, Ex illo actu non solùm posse relinqui habitum operatiuum similis actus, quem constat non nisi ex pluribus actibus generari, sed etiam relinquit alios effectus, vel priuatiuos vel positiuos quasi habitualiter, ita post actum ipsum, & eo transacto permanentes, a quibus subiectum denominari potest; Nam de priuatiuis effectibus constat in peccato, quod post ipsum manet priuatio gratiæ. De effectibus positiuis constat, quod ex actu quo finem intendimus, siue bonum siue malum, manet virtualis determinatio & intentio; quia homo manet tunc determinatus ad talem finem, & ex tali determinatione & conuersione operatur in subsequentibus actibus; quæ determinatio quid sit, & in quo consistat, latè explicatum est 1. 2. de Vltimo Fine. Sicuti ergo ex conuersione ad finem remanet homo habitualiter conuersus positiuè, non priuatiuè; ita in actu peccati venialis. Et ex adhæsione ad Deum causatur determinatio quædam in voluntate, quæ contrariam adhæsionem tollit, quatenus illa voluntas manet sine impedimento & adhæsione ad actum oppositum, per actum destruentem peccatum veniale, qui actus ex charitate & gratia fit. vt in exemplo quod affert sanctus Thomas manifestè apparet; Nam priuatio decoris potest dupliciter fieri; vno modo per priuationem intrinsecam ipsius pulchritudinis; verbi gratia, quia perditur debitus color, aut proportio membrorum; alio modo per superinductionem alicuius impedienti; verbi gratia, alicuius luti aut pulueris; & ad restaurandum priuationem intrinsecam coloris, requiritur quod generetur nouus color; ad tollendum vero impedimentum pulueris vel luti, non requiritur nouus color, sed tantùm requiritur extersio luti, & quod maneat color diuerso modo determinatus aut dispositus, siue expeditus vt videri possit, & elucere; ergo si diuersæ affectiones diuersam determinationem in voluntate relinquunt, etiam postquam actus ille transiuit, oportet quod illa determinatio formaliter tollatur per oppositam determinationem ex actu opposito relictam.

Determinatio quædã ex peccato veniali ipsa tollenda per contrariam determinationem relictam ex actu charitatis.

Concedimus ergo, Determinationem istam non esse habitum inclinantem ad actus, ex quibus est genitus; id est, Non esse habitum operatiuum, siquidem iste si est naturalis seu acquisitus, ex pluribus actibus generatur; si est supernaturalis, est etiam infusus; per vnum autem actum conuertitur voluntas ad bonum finem, manetque conuersa transacto actu, vt patet in actu dilectionis Dei; sicut è contra per vnum actum peccati manet auersa voluntas a Deo, & conuersa ad creaturam, etiam post eum transactum. Est ergo ista determinatio aliquid præter habitum operatiuum, & inclinantem ad similes actus; & sic potest esse vel quædam ordinatio, seu respectus in voluntate ad illum finem, ad quem per actum fuit conuersa; sicut ex actu generationis resultat & relinquitur relatio patris ad filium; ita in voluntate relinquitur respectus & ordo ad finem, quoties proponitur in apprehensione; vel est modus aliquis seu modificatio, qua voluntas remanet sic ordinata erga talem finem vel obiectum, aut actum faciendum, & ita hoc in idem refert cum primo, quia ille ordo, seu respectus voluntatis ad finem illum, non potest esse purus & prædicamentalis respectus, cùm non semper terminus eius sit existens in re, neque assignetur aliquod fundamentum, super quod proximè fundetur, si nihil relinquit talis actus, saltem tanquam modum aliquem, & passiuam quandam determinationem; ergo id quod relinquitur ex actu & conuersione illa, & modus ille seu relatio supernaturalis est, quando relinquitur ex aliquo actu supernaturali, sicuti ex actu charitatis vel Pœnitentiæ, vel alio simili, quo peccatum veniale tollitur; ex quibus patet ad rationes dubitandi pro hac parte.

His suppositis, Circa primum dictum sancti Thomæ est difficultas, quid intelligat nomine Virtualis Pœnitentiæ, quando dicit eam requiri ad deletionem venialis, cùm tamen ad remittenda peccata mortalia requirat Formalem Pœnitentiam; Nam si nomine Virtualis Pœnitentiæ intelligitur Pœnitentia, quæ non fit distincta de singulis peccatis, etiam illa non requiritur ad tollenda peccata mortalia; potest enim aliquis per actum charitatis sine recordatione alicuius peccati iustificari, vt supra admisimus; si autem nomine Pœnitentiæ Virtualis intelligatur actus charitatis, sequeretur ad remissionem venialis requiri elicientiam charitatis, cùm tamen per minutiores actus peccata venialia remittantur, vt per Orationem Dominicam, tunsionem pectoris, Aquam benedictam, &c. Et confirmatur, Quia talis Pœnitentia Virtualis plerumque non opponitur peccato veniali commisso; Quid enim oppositionis habet deuotio ad res diuinas, verbi gratia tunsio pectoris, vel Oratio Dominica cum mendacio otioso? cum imperfecto motu adulterij vel infidelitatis? ergo per talem Virtualem Pœnitentiam non tollitur peccatum veniale. Confirmatur secundò, Quia peccatum veniale transacto actu solùm relinquit reatum ad pœnam; neque enim explicari potest quid aliud relinquat, siue positiuum, siue per modum maculæ & priuatiuum; siue conuersiones & maculas multiplicari debeant, multiplicatis peccatis venialibus, siue non debeant; ad tollendum autem reatum pœnæ

Pœnitentia Virtualis, quid apud sanctum Thomam?

non requiritur Pœnitentia, & intrinseca mutatio voluntaris, sed sufficit extrinseca Dei condonatio, ergo non est necessaria Pœnitentia.

Virtualis Pœnitentia, affectus in Deũ ex quo displiceret veniale, si mẽti occurreret.

Respondetur, Sanctum Thomam nomine Virtualis Pœnitentiæ intelligere affectum aliquem in Deum, vel res diuinas tali modo, quod quidquid occurreret ei, quod eum a tali motiuo retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse. Sic docet in hac quæst. 87. art. 1. Itaque non requiritur affectus dolens directè & actu de peccato veniali, sed sufficit affectus non retardans in Deum, vel res diuinas; hic enim virtualiter includit displicentiam oppositæ retardationis: Si enim de facto fertur in Deum, implicitè excludit adhæsionem ad rem temporalem, quæ retardabat motum hominis in Deum; & sic est virtualis displicentia talis peccati, retardantis illum motum. Sicut in peccato mortali; quia totaliter homo auertitur à fine, requiritur quod totaliter conuertatur in finem; & quia in illa auersione voluntas iniqua & iniusta fuit contra Deum, requiritur dolor per modum iustitiæ & expiationis, ita quod de singulis doleat, nisi sint oblita. Oportet autem istum affectum saltem virtualem habere, quia ille affectus retardatiuus in peccato veniali, voluntarius fuit, & oportet ad illum tollendum interuenire affectum contrarium, etiam voluntariè, vt voluntariè peccatum illud, & eius macula expellatur; ideoque aliqua Pœnitentia necessaria est, & non sufficit quilibet bonus affectus, vt Aliqui dixerunt, vel cessatio ab illo peccato; quia requiritur ad eius expulsionem aliquid contrarietaris & oppositionis, quæ non inuenitur in quolibet actu bono, præsertim si solùm sit ordinis naturalis, vel si non sit affectus bonus voluntatis, sed solius intellectus; sed tamen omnis motus supernaturalis in voluntate, qui de se ordinatur ad iustificationem, idest, ad Deum, vel res diuinas, videtur habere oppositionem (saltem virtualem) cum peccato veniali, & ad illud expellendum sufficere.

Vnde Respondetur ad rationes dubitandi; Et ad primam dicitur, Quod nomine Pœnitentiæ Virtualis intelligitur, non solùm actus charitatis, quo mouemur in Deum, sed etiam affectus, quo mouemur in res diuinas, vt sanctus Thomas docet in hac quæst. 87. art. 1. & 3. Vnde non requiritur plus ad remissionem venialium, quàm mortalium; quia non requiritur semper detestatio explicita peccatorum, nec recordatio, aut cogitatio singulorum, sicut requiritur ad remissionem mortalium; nec requiritur actus altioris virtutis quàm Pœnitentiæ (scilicet actus charitatis) sed sufficit excitatio, aut motus ipsius affectus in Deum, qui virtualiter tollit adhæsionem ad res temporales, quæ per peccatum veniale erat contracta. Vnde nec sanctus Thomas citatus dixit requiri motum charitatis in Deum ad tollenda venialia; sed sufficere affectum, quo mouemur in res diuinas, quod etiam fit per motum aliquem religionis, circa ea quæ ad cultum Dei spectant, vt Oratio Dominica, tunsio pectoris, & alia Sacramentalia.

Ad remissionem venialiũ non necessarius actus charitatis, sed sufficere motũ religiosum in Deum, aut res diuinas.

Ad secundam Respondetur, Quod isti affectus ad Deum, vel res diuinas dicuntur opponi peccatis venialibus virtualiter, non quantum ad speciem actus (quia mendacium verbi gratia ex specie sua solùm opponitur veritati, seu veracitati) sed quantum ad effectum, quem relinquit, scilicet retardationem ad tendendum in Deum, & affectum ad res temporales, non subordinatum fini vltimo; in hoc enim omnia peccata venialia conueniunt, & hanc retardationem, seu impedimentum & adhæsionem tollit ille affectus ad Deum, vel res diuinas, quatenùs ex illo affectu displiceret ei, quidquid occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, vt docet sanctus Thomas hic art. 1. Quod si instes, Nam si hoc ita est, ergo quilibet actus bonus sufficiet delere peccatum veniale quodcumque; siquidem quilibet actus bonus est tendentia aliqua in Deum, quæ virtualiter est displicentia cuiuscumque impeditiui talis motus, atque adeo virtualiter est Pœnitentia. Quod si requiritur amplius, nempe contraria adhæsio respectu illius conuersionis, quam relinquit peccatum veniale (siquidem veniale aliquam conuersionem & adhæsionem causat ad res temporales) ergo oportet tolli per auersionem contrariam; ergo per Formalem Pœnitentiam, & non solùm per Virtualem, licèt conuersio illa non sit circa rem grauem, sed leuem; & similiter auersio.

Oppositio cum peccato veniali, quantũ ad effectũ relictum, non quantum ad speciem actus.

Respondetur negando consequentiam, Quia non quilibet actus bonus moraliter habet adiunctam illam dispositionem, vt si oppositum occurreret, ei displiceret; quia fortasè fit ita languidè, & ex occasione aliqua, vt si oppositum occurreret ei non displiceret: Et saltem illa opera bona, quæ fiunt ab infideli, vel existente in peccato mortali, possunt esse actus boni morales, verbi gratia eleemosyna ex naturali misericordia, aut exercitium iustitiæ ex motiuo naturali; tales actus non tollunt peccatum veniale, quia subiectum est in mortali peccato, & tamen sunt actus moraliter boni; si tamen illi actus fierent ab homine iusto ex imperio charitatis, illi sufficerent ad talem remissionem peccati. Et cum dicitur, Requiri conuersionem ad Deum, tollentem illam conuersionem ad rem temporalem, distinguo; Requiritur conuersio in Deum per modum vltimi finis, & per modum expiationis satisfacientis iniuriam nego; & hæc est Formalis Pœnitentia; requiritur conuersio virtualis in Deum, quatenus displicet ei id quod retardat affectum & motum ad Deum, transeat; sed hæc non est Pœnitentia Formalis, quæ non semper requiritur, sed est tantùm Virtualis.

Non quilibet actus bonus, virtualis displicentia effectus peccati venialis.

Ad tertiam rationem, quæ est secunda confirmatio, patet ex dictis, Quod peccatum veniale non relinquit reatum ad pœnam nudè & præcisè, sed reatum voluntarium, qui voluntarius esse non potest, nisi ex actu præterito voluntario, quo voluit sic adhærere rei temporali; Neque ille actus præteritus denominat hominem voluntariè peccatorem, postquam transiuit, nisi relinquendo aliquam conuersionem & adhæsionem ad rem temporalem, quæ tolli debet voluntariè ab homine, & non nisi per voluntatem contrariam; & hæc est Pœnitentia, saltem virtualis.

Si semper in infusione Gratiæ remittitur veniale?

Circa secundum dictum sancti Thomæ (scilicet non requiri habitualem gratiam de nouo infundi, vel augeri ad remissionem peccati venialis) non est aliqua difficultas, quia habitualis gratia non repugnat, neque etiam gratiæ augmentum, cum peccato veniali; ergo ex infusione gratiæ, aut eius augmento non tollitur peccatum veniale, neque ad eius remissionem necessaria est talis infusio; addit tamen sanctus Thomas in art. 2. *Quod in adultis nunquam contingit gratiam infundi, quin remittatur peccatum veniale; eo quòd non contingit*

esse infusionem gratiæ sine motu liberi arbitrij in eum, qui motus opponitur peccato veniali, vt dictum est. Et loquitur sanctus Thomas de lege ordinaria, & per se loquendo; Nam Deus bene potest homini adulto infundere gratiam de potentia absoluta, sine motu aliquo, & dispositione liberi arbitrij; sed tamen in hoc est difficultas; tum quia potest homo accedere ad aliquod Sacramentum viuorū (v.g. ad Confirmationem vel Eucharistiam) omnino distractus, aut etiam cum affectu ad peccatum veniale, & sine vlla actuali dispositione, & tamen recipit augmentum gratiæ; ergo non semper accipienti infusionem gratiæ remittuntur venialia, etiam de lege ordinaria. Et secundò vrgetur, Quia non tolluntur omnia peccata venialia, per illum actum, quo quis se disponit, quia non opponitur ille actus omnibus peccatis venialibus, neque est necesse omnia peccata venialia simul tolli, cùm possit vnum sine alio remitti; non est autem maior ratio quod tollatur illud, quàm illud; ergo non est certum, quod remittantur peccata venialia per quamcumque infusionem gratiæ.

Infusioni gratiæ, aut eius augmento, per se comes in adultis remissio venialiū, non semper absoluiè.

Ad primum Respondetur, admittendo illos casus; sed dicimus tunc non remitti peccata venialia ob impedimentum ex parte subiecti, non ex defectu causæ remittentis. Differentia autem sancti Thomæ procedit loquendo per se, & non in casu impedimenti & per accidens; sicut etiam est verum in omnibus Sacramentis dari gratiam, & tamen ex aliquo impedimento & per accidens potest non dari, vt constat in Sacramento Pœnitentiæ informi: sic per se & ab intrinseco infusio gratiæ, prout fit in adultis, ordinario modo est remissiua peccati venialis, quia est excitatiua motus contrarij talibus peccatis; si tamen subiectum ponat impedimentum & obicem, aut ex distractione, aut ex affectu ad veniale peccatum, hoc est per accidens. Similiter si Deus homini dormienti, aut nihil operanti gratiam infundat, talis recipit gratiam, non tamen vt adultus, sed vt paruulus, quo casu non loquitur S. Thomas.

Ad secundū Respondetur, Quod per quemcumq; bonum motum gratiæ remittuntur omnia peccata venialia, si homo non habeat affectum ad illa; tunc enim non ponit impedimentum: Si verò ad nullum peccatum veniale afficitur, sed per talem motum ita se habet, quod si occurreret quodcumque peccatum veniale, displiceret ei, omnia remittuntur; quia tamen possunt aliqua peccata venialia remitti sine aliis, vt si quis habeat affectum & adhæsionem ad vnum, & displiceat ei aliud, vel alia; aut ita sit affectus, quod si illa occurrerent, displicerent; illa remittuntur, quæ displicent, & non alia. Si verò non determinauerit ista præ aliis, & tamen habet affectum ad aliquod veniale, hoc non remittetur; de aliis verò illud, vel illa venialia remittentur, ad quæ ille actus relinquit hominem sine affectu & complacentia, saltem virtuali, ita quod si illa occurrerent, non faceret, nec placerent.

Quomodo remittantur venialia ex opere operato per Sacramenta?

Restat in art. 2. explicare, Quomodo Peccata Venialia tollantur ex opere operato per Sacramenta & Sacramentalia? Et de Sacramentis certum est quod tollunt & remittunt peccata venialia ex opere operato; nec in hoc est magna difficultas, quia virtus Sacramentorum, quæ operatur in virtute Passionis Christi (ideoque dicitur esse ex opere operato, id est, ex opere non à nobis elicito, sed à Christo operato in Passione sua) extendit se ad gratiam infundendam, & ad remittenda peccata mortalia, à fortiorique & multo magis ad venialia delenda, ad quorum remissionem sufficit motus seu affectus ad Deum & ad res diuinas. Et de vniuersis Sacramentis id tenet sanctus Thomas in hac quæst. 87. art. 3. Specialiter verò de Sacramento Baptismi constat tollere omnia peccata, tam originale, quam actualia omnia ante ipsum commissa, & ab omni pœna liberare, quod stare non posset nisi venialia deleret; illis enim remanentibus, non potest totam pœnam remittere, & immediatè in cœlum introducere: De Eucharistia etiam constat, specialem virtutem habere ad remittenda peccata venialia, ex dictis supra quæst. 79. art. 4. Quia Eucharistia maximè excitatiua est affectus charitatis, siquidem nutrit illam. Et denique de omnibus Sacramentis id probatur, Quia omnia habent infundere gratiam, siue primam siue secundam, & consequenter de se habent vim excitatiuam ad affectum bonum, illumque pro dispositione exigunt per se loquendo; ergo etiam per se habent tollere peccata venialia, quæ tali dispositioni seu affectui bono opponuntur. Itaque eo modo quo virtus Sacramenti se extendit ad rationem peccati mortalis, extendi etiam potest ad remissionem venialis; quæ quantum est de se, ac nisi is qui suscipit Sacramentum ponat obicem, habet vim ad hoc veniale remittendum; nempe, si non manet cum affectu formali, vel virtuali ad illud.

Sacramenta omnia, ex opere operato remittunt per se venialia.

Sed difficultas est in duobus; Primò, Quia Sacramenta ex opere operato solùm causant gratiam ipsam, vel augmentum eius, non motum vel excitationem aliquam erga Deum: illi enim motus vel excitationes pertinent ad dispositionem, qua recipitur Sacramentum, & ad opus operantis, id est, ad opus elicitum ab ipso suscipiente; sed gratia, vel augmentum gratiæ non opponuntur cum venialibus, nec tollunt illa; immò bene compatiuntur cum illis; ergo totum quod ex opere operato causatur à Sacramento, non est contrarium peccato veniali; ergo solùm remittuntur ratione operis operantis, seu ratione illius motus disponentis ad gratiam, non ratione ipsius gratiæ, quæ ex opere operato fit. Vnde etiam sanctus Thomas in hoc art. 2. docet, Quod quia in adultis non contingit esse infusionem gratiæ sine motu liberi arbitrij, (qui sanè pertinet ad rationem dispositionis) ideo non stat infundi gratiam sine remissione venialium; ergo non ad id, quod ex opere operato fit in Sacramentis (quod est gratia) sed ad ipsam dispositionem qua acceditur ad Sacramentum, (quod pertinet ad opus operantis) reducitur remissio venialium.

Videtur remitti ex opere operantis.

Secundò, Quia non potest bene discerni, An per quodlibet Sacramentum remittantur omnia venialia? an aliqua? An tota pœna illorum? an solùm culpa? Nam quod non remittantur omnia venialia, videtur certum, quia non semper habet homo affectum & dispositionem contrariam omnibus peccatis venialibus, sed cum affectu ad aliqua accedit ad Sacramentum; ergo neque remittuntur omnia; tum quia non remittitur tota pœna debita peccatis venialibus, aliàs per quamlibet receptionem Sacramenti, vel Aquæ benedictæ, statim quis euolaret ad cœlum si moreretur, vt arguit sanctus Thomas hîc art. 3. ad 3. Vnde etiam

constat, Quod licèt remittatur culpa, sed non tota pœna, in venialium remissione. Si autem dicatur, Solùm aliqua peccata remitti ex opere operato per Sacramentum; non potest esse maior ratio de his, quàm de illis; Neque enim Sacramentum habet maiorem contrarietatem cum aliquibus venialibus, quàm cum aliis. Matrimonium, verbi gratia, nullam maiorem contrarietatem habet cum his, quam cum aliis, sicuti Extrema-Vnctio. Et confirmatur, Quia qui ex propósito aliqua venialia omittit confiteri, illa non illi remittuntur ex opere operato talis Sacramenti; ergo neque ex vi aliorum Sacramentorum venialia remittuntur. Consequentia patet, Quia non magis operantur alia Sacramenta respectu omnium peccatorum venialium, quam Sacramentum Pœnitentiæ respectu peccatorum, quæ non confitemur, siquidem de vtrisque non fit mentio, neque applicatio ad tale Sacramentum. Antecedens verò probatur, Quia alia peccata venialia non fiunt materia illius Sacramenti; ergo non remittuntur per illud.

Remitti venialia in Sacramentis, & ex opere operato, sed non immediatè & sine opere operantis.

Ad primum Respondetur in primis, Quod multa Sacramenta causant gratiam sine actuali dispositione præcedenti; vt si quis accedat ad Sacramentum Eucharistiæ distractus, sine præuia dispositione, & sit in gratia, talis enim recipit effectum gratiæ sine dispositione præuia: Causant autem omnia Sacramenta etiam ex opere operato aliquem nouum motũ & excitationem, quatenus gratiam sacramentalem causant, secundùm quod dant aliqua auxilia opportuna ad effectus proprios Sacramentorum; & talia auxilia sunt excitatiua alicuius noui motus seu affectus; & hic bonus affectus non pertinet ad dispositionem antecedentem, sed subsequitur ad Sacramentum, cùm sit effectus eius; vnde ratione illius remitti possunt peccata. Et licèt aliquando in susceptione Sacramentorum non sentiantur illi boni affectus & animi excitationes, id erit per accidens ex aliquo impedimento subiecti, vel corporali, vt si sit sine sensibus, vel spirituali, vt si sit distractus; Quare negamus peccata venialia solùm remitti ex opere operantis in susceptione Sacramentorum, licèt verum sit, quod requiratur aliquod opus ipsius operantis, vt remittatur veniale; quia ex aliquo bono motu, seu affectu tollitur, tanquam per suum oppositum; sed hoc opus operantis duplici via potest causari à Sacramento in virtute operis operati; Primò quidem, quatenus ex opere operato datur aliquod auxilium, quo talis bonus affectus, seu opus operantis excitetur; quod auxilium semper datur per Sacramentum, nisi ponatur impedimentum ex parte subiecti. Secundò, quatenus ipsum opus operantis, quod de se non est sufficiens ad veniale delendum, potest virtute Sacramenti ad id reddi sufficiens; quomodo autem id contingat, amplius explicabitur, dum agemus de Sacramentalibus. Cùm verò dicitur à sancto Thoma, Sacramenta remittere venialia, quia infusio gratiæ non est sine motu liberi arbitrij, sufficienter intelligitur non solùm de motu antecedenti & disponente ad susceptionem Sacramenti, sed etiam causato à Sacramento.

Duplex opus operantis in Sacramento, quo remittantur venialia.

Remitti omnia venialia, ad quæ nullus affectus, peculiarius oppositis virtutibus ad quas dicatur auxilia.

Ad secundum Respondetur, Sacramenta de se habere virtutem ad remittenda omnia venialia, dummodo homo non ponat impedimentum vt aliqua remittantur; quia scilicet retinet complacentiam aliquam formalem vel virtualem ad aliqua venialia, vel ad omnia; si enim ad nulla retinet complacentiam, omnia remittentur; Nec tamen tota semper pœna remittitur, quia non semper conuersio ad Deum est tanta, quod adæquet totam conuersionem ad rem temporalem, cui adhæsioni pœna correspondet, cùm aliquando sit valde tepida conuersio ad Deum, ideoque parum de pœna remittatur. Tamen notandum est, Quod cùm Sacramenta specialius & connaturalius conferant ea auxilia, quæ conducunt ad suos effectus sacramentales, vt Confirmatio ad fortitudinem, Eucharistia ad amorem; Extrema-Vnctio ad spem, &c. specialius remittere habent ea peccata venialia, quæ sunt contra tales virtutes, aut cum illis maiorem dissonantiam habent, si oppositam repugnantiam non inueniant, possunt tamen alia remittere, si homo ex vi talium auxiliorum ad nulla habeat complacentiam formalem, neque virtualem.

Ad confirmationem Respondetur, Quod ille qui non vult confiteri venialia ex proposito, retinet complacentiam ad illa, saltem virtualem, ideoque ponit impedimentum ne remittantur; quod non ponit, qui accedit ad alia Sacramenta sine tali proposito; quia sic potest habere displicentiam de illis, saltem virtualem; nec ponit impedimentum vt non operentur auxilia data per Sacramenta illa contra venialia, & ideo non est simile.

Quid de Sacramentalibus dicendum sit?

Sacramentalia, quibus tribuitur remittere venialia.

Circa Sacramentalia, desumitur ex sancto Thoma hîc art. 3. quod consistunt in septem actionibus, quæ sunt *Benedictio Episcopi*, *Aspersio Aquæ benedictæ*, *Sacramentalis Vnctio*, *Oratio in Ecclesia consecrata*, *Confessio generalis*, *Tunsio pectoris*, *Oratio Dominica*: Alij addunt *Comestionem Panis benedicti*, *& Elargitionem eleemosynæ*: ex quibus quatuor priores fiunt cum aliquo motu nouo reuerentiæ in Deum, & erga res diuinas; tria verò posteriora fiunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; & concludit sanctus Thomas, Quod operantur ad remissionem venialium. Quod si intelligatur de remissione venialium ex opere operantis, id est, ex vi operis eliciti, seu motus boni in Deum, & affectus in res diuinas, certissima est eius doctrina, vt constat ex dictis; quod verò hæc Sacramentalia ex opere operato remittant venialia, non caret difficultate; & difficultas consistit in duobus.

Remitti venialia ex opere operato per Sacramentalia, difficile, quod non data Ecclesiæ hæc potestas.

Prima est, Nam cùm hæc Sacramentalia non sint à Christo immediatè instituta, & assumpta per modum instrumenti physici aut moralis ad venialia delenda, sed sint immediatè ab Ecclesia instituta, non apparet auctoritas Ecclesiastica ad instituendum aliquid, vt medium efficax ad remittenda ex opere operato venialia; Nam ex vsu Ecclesiæ constat nunquam exercuisse hanc potestatem extra Sacramentalia; si autem haberet talem potestatem, aliquando eam exercuisset, dimittendo venialia auctoritatiuè independenter à Sacramentalibus, sicuti sæpius remittit pœnas pro peccatis debitas immediatè per Indulgentias, & non interueniente opere operantis; signum ergo est non esse in Ecclesia potestatem ad remittenda venialia ex opere operato extra Sacramentum. Ex quo confirmatur, Quia sicut Christus donauit Ecclesiæ communicationem thesauri suorum meritorum, vt posset applicare illa pro debito pœnæ per Indulgentias, ideo Ecclesia exercet talem potestatem, ita etiam si dedisset potestatem Ecclesiæ (vt poterat) remittendi culpas veniales ex-

tra Sacramentum, exercuisset aliquando talem potestatem; nunquam tamen id est factum, ergo non agnoscit Ecclesia talem potestatem sibi collatam.

Secundò probatur ratione, Nam omnis remissio peccati ordinatur ad mundandam Animam, & sanctificandam per gratiam, quod non contingit in remissione pœnæ, quæ absque gratiæ infusione, vel motu operantis fieri potest, cùm dependeat à sola diuina voluntate, vt dictum est art. præced. Et augmentum gratiæ non datur extra Sacramentum, saltem secundùm legem ordinariam; Nam reconciliatio, quæ de nouo interuenit in remissione venalium, fit per nouum amplexum, quo Deus assumit hominem ad arctiorem amicitiam quàm antea, quod fit per gratiam; ergo cùm non constet de potestate Ecclesiæ ad conferendam gratiam extra Sacramentum, neque apparet quomodo Sacramentalia causent ex opere operato remissionem venialium ex instituto Ecclesiæ.

Secundò est difficultas in assignando firmo fundamento vt Sacramentalia ex sua institutione sint media efficacia ad delenda venialia ex opere operato. Nam actiones in quibus consistunt Sacramentalia, tantùm conducunt ad remissionem venialium, quatenus mouent Deum vt per inspirationem, ipse nos moueat, & remoueat adhæsionem ad rem temporalem; hoc autem non probat virtutem infallibilem & ex opere operato inesse sacramentalibus, aliàs etiam distractis remitterent peccata, vt contingit in Sacramentis non exigentibus dispositionem actualem præcedentem, & sic tollerentur venialia sine forma contraria, scilicet sine virtuali saltem displicentia peccatorum, quod est contra sanctum Thomam, vt diximus; Sacramentalia enim non opponuntur ex se cum peccato veniali, vt comestio panis benedicti, & similia; ergo Sacramentalia non remittunt ex opere operato peccata venialia. Confirmatur, Nam Benedictio Episcopi non potest ex opere operato remissionem infallibilem habere, cùm sit actio ipsius benedicentis, sæpiusque cadat super homines distractos vel inuitos, aut non habentes motum in Deum, & res diuinas.

Quod nulla diuina promissio, dandi per ea auxilia.

Denique currit hîc difficultas generalis, Quia non potest in remissione venialium distingui opus operatum ab opere operantis, siquidem hæc remissio non fit per infusionem alicuius doni habitualis, sed per elicientiam actus; omnis autem actus est opus operantis, siquidem ab ipso operante eliciuntur; ergo non potest remissio venialium fieri ex opere operato, vt distinguitur ab opere operantis; & sic non apparet quid addat Aqua benedicta, verbi gratia, vt dicatur ex opere operato remittere peccata, vltra actum elicitum ab operante. Dicere enim, Quod opus, seu actus ille, qui aliàs de se non sufficiebat tollere venialia, redditur sufficiens per aspersionem Aquæ benedictæ, omnino videtur impertinens, Quia motus ille, seu actus bonus, qui de se non sufficiebat tollere venialia, per coniunctionem ad Aquam benedictam non accipit nouam oppositionem cum illis peccatis venialibus, siquidem manet ille actus eiusdem naturæ ac antea; ergo per talem coniunctionem non tollit illa, vel peccata venialia tolluntur sine forma opposita, vel assignanda est quæ sit forma illis opposita, quam infundit Aqua benedicta, vltra illum motum & actum, quem sine Aqua benedicta aliquis habebat?

In hac quæst. sunt duæ præcipuæ sententiæ; A Prima affirmat ista Sacramentalia remittere venialia ex opere operato. Hanc tenent communiter Thomistæ; & addunt Aliqui, vt Petrus de Soto, quod licèt ex opere operato hæc sacramentalia remittant venialia, non tamen id facere immediatè, sed mediatè, prout excitant aliquem actum de se sufficientem ad illam remissionem. Secunda tenet solùm remittere venialia ex opere operantis, pro qua citantur antiqui, Alensis, Richardus & Alij; sequitur Suarez hîc disput. 12. sect. 2. vbi plures citat; immò sanctum Thomam, qui in hoc loco nunquam dixit remitti peccata venialia ab his Sacramentalibus ex opere operato; & clarius in 4. distinct. 16. quæst. 2. art. 2. quæst. 4. & distinct. 21. quæst. 2. art. 1. & quæst. 7. de malo, art. 12. Et fundamentum præcipuum est in hoc, Quia nec B de facto constat institutum esse aliquod Sacramentale ad remittenda venialia ex opere operato, nec videtur data esse potestas Ecclesiæ ad hoc, vt instituat signa sensibilia, quibus alligare possit infallibiliter illam vim operis operati ad remittenda peccata, licèt per modum intercessionis illam obtinere possit.

Remittere solùm ex opere operantis, opinio.

Dicendum tamen est, Sacramentalia, saltem illa quæ consistunt in aliqua consecratione & benedictione Ecclesiæ, remittere venialia ex opere operato, quatenus virtus diuina operatur in eis ex institutione & benedictione Ecclesiæ aliquem bonum motum, seu feruorem charitatis in Deum. C Itaque non consistit remissio ista ex opere operato in hoc, quod præscindamus ab omni opere elicito ab ipso operante, & infundatur aliquod habituale donum ex virtute illa diuina, quæ talibus Sacramentalibus conuenit, sed in eo, quod ex illa virtute diuina, seu ex opere operato Passionis Christi, proueniat vt inspiretur in homine bonus ille motus in Deum, si homo ille obicem non ponat; & ita neque Sacramentale aliquid, neque Sacramentum possunt tollere ex opere operato venialia, nisi infallibiliter excitando, & inspirando istum bonum motum; quia forma opposita venialibus non est habitus, vt supra diximus, sed aliquis actus, seu bonus motus in Deum; quem si infallibiliter operatur aliquod Sacramentale, dicitur D tollere venialia ex opere operato.

Remittere ex opere operato, quæ præcipuè in quadam consecratione consistunt, Auctoris opinio & S. Thomæ.

Sic ergo intellecta conclusio, Ostenditur, tum ex authoritate sancti Thomæ; tum ex ipsa Ecclesiæ institutione & traditione, quæ in hac parte est ratio huius assertionis. Sanctus Thomas quæst. 7. de Malo id affirmat art. 12. vbi inquit, *Quod voluntas, ad quam pertinet feruor seu actus charitatis, tripliciter inclinatur; aliquando ex sola ratione aliquid demonstrante, aliquando ex ratione simul & aliquo interiori instinctu; aliquando autem ex inclinatione habitus inhærentis; & illa causant charitatis feruorem, atque adeò re-* E *missionem peccati venialis secundùm tria prædicta, vt Sacramenta Nouæ Legis, quia ea ratio considerat vt salutares medicinas, & diuina virtus in eis secretius operatur salutem, & per se confertur habitualis gratiæ donum; Quædam verò sunt, quæ causant remissionem venialis peccati secundùm duo prædicta; non enim causant gratiam, sed explicant rationem ad aliquid considerandum, quod excitet charitatis feruorem; & piè creditur quod virtus diuina interius operetur, excitando dilectionis feruorem; & hoc modo Aqua benedicta, Benedictio Pontificalis, & huiusmodi Sacramentalia causant remissionem venialis; quædam verò sunt, quæ causant remissionem*

venialis solùm excitando charitatis feruorem per modum considerationis, sicut Oratio Dominica, Tunsio pectoris.

A Itaque in his Sacramentalibus distinguimus ea, quæ specialem considerationem & benedictionem Ecclesiæ habent ad sanctificationem nostram; & alia quæ consecrationem non habent, sed ipsa de se motum aliquem bonum includunt, & feruorem charitatis; prima sunt, vt Aqua benedicta, Benedictio Episcopalis, &c. alia sunt Oratio Dominica, quæ petit remissionem peccatorum, tunsio pectoris, confessio generalis, &c. De prioribus docet sanctus Thomas, Quod non solùm remittunt venialia excitando rationem ad considerandum, in quo maximè consistit id, quod fit ex

B opere operantis, sed etiam quia piè creditur virtutem diuinam interiùs id operari, quod vtique ad virtutem ex opere operato pertinet; eisdem enim verbis declarauit sanctus Thomas modum quo Sacramenta remittunt peccata ex opere operato, scilicet quia virtus diuina in eis secretius operatur. De eodem videri potest sanctus Thomas in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 4. præsertim ad 1. & 2. & locis supra citatis, in quibus docet hæc Sacramentalia operari remissionem venialis, inquantum excitant aliquem bonum motum, vel feruorem charitatis, & talis bonus motus prouenit à virtute diuina in his Sacramentalibus assistente.

C Ratio verò sumitur ex eo, quod hæc Sacramentalia dicuntur ex benedictione Ecclesiæ sanctificare, & mundare nos; non quidem à peccatis mortalibus (sic enim deberent gratiam infundere) sed à venialibus; quia non datur alia sanctificatio atque mundatio, nisi à peccatis mortalibus, vel a venialibus: sanctificationem enim à Legalibus impedimentis non dicuntur efficere, quia legalia illa iam cessauerunt; neque à censuris & pœnis liberant, quia ab istis solùm per absolutionem Ecclesiæ, non per aspersionem Aquæ benedictæ liberamur; sed non posset dici quod sanctificent & mundent nos, si solùm ex opere operantis, & modo morali excitant rationem seu considerationem ad bonum motum animi, & non

D ex opere operato, seu ex assistentia virtutis diuinæ intus operantis, quod est ex opere operato id facere; ergo ita dicendum est, quod ex opere operato remittant peccata venialia.

Alexander Papa. Maior est expressa in iure in cap. *Aquam sale,* de consecratione dist. 3. vbi Alexander primus, qui fuit quintus post D. Petrum, sic ait, *Aquam sale conspersam in populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur, quod omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Si enim cinis vitulæ aspersus sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale conspersa, diuinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. Et, si sale asperso per Elisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis*

E *diuinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat & purgat, &c. hoc est, multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatis versutijs homines defendit.* Ita Pontifex, qui cùm ita proximus fuerit temporibus Apostolorum, sine dubio traditionem Ecclesiæ in his verbis nobis tradidit, eamque ex locis Scripturæ probauit, & quos effectus spirituales habeat, explicauit, & in vertendis dæmonibus, & in sanctificandis atque mundandis peccatis; Eadem autem est ratio de aliis Sacramentalibus sic consecratis. Minor autem probatur, Quia si Aqua benedicta, & alia Sacramentalia per consecrationem Ecclesiæ hoc solùm obtinent; quod moraliter excitent bonum affectum, & non habeant virtutem diuinam assistentem, quæ ex opere operato id efficiat; non magis dicetur remittere venialia, quàm imagines pictæ, lectio aut concio sacra, aut qualibet alia excitatiua ad deuotionem, & ad bonum motum seu desiderium; ergo si aliquid specialiter habent ex consecratione & benedictione Ecclesiæ, requiritur quod id habeant ex speciali virtute (verbi gratia assistente & operante) atque adeò ex opere operato.

Dices, Quomodo virtus diuina (verbi gratia) assistens operatur mediantibus his Sacramentalibus, interiorem bonum motum? Nam Aqua benedicta non potest influere physicè & instrumentaliter in illum bonum motum, quia ille est actus vitalis procedens physicè ab illa potentia eliciente, & Deo causante, non ab alio instrumento; ergo Aqua benedicta solùm moraliter potest influere in talem actum, atque adeò per modum excitatiuum extrinsecum, sicut imagines, vel lectio sacra vel concio, aut quoduis simile obiectum extrinsecus propositum.

Respondetur, Virtutem diuinam, seu interiorem instinctum (vt vocat sanctus Thomas) operantem & mouentem ad eliciendum illum actum, etiam mediante illa Aqua benedicta posse causare illam interiorem immutationem cordis, siue sit actus ipse vitalis prælicitus, siue sit aliquid antecedens elicientiam actus, & determinans atque applicans ad illum; sicut enim non repugnat Deum eleuare ablutionem Aquæ in Baptismo ad causandum habitum gratiæ, & gratiam Sacramentalem cum quibusdam diuinis auxiliis; ita non repugnat eleuare aspersionem Aquæ benedictæ ad causandum aliquod auxilium, quod est qualitas vel motio transiens, aut aliquis concursus, quo moueatur voluntas ad eliciendum illum bonum motum in res diuinas, nisi homo ponat obicem, & resistentiam ex parte sua; & talis modus causandi est ex opere operato, non influendo in ipsam elicientiam actus, sed in ipsam motionem seu qualitatem auxilij, quod Deus dat homini vt eliciat talem actum.

Soluuntur Argumenta.

Ad difficultates à principio positas, Respondetur; Et ad primam dicitur, Constare de auctoritate Ecclesiæ ad instituenda hæc Sacramentalia pro remissione venialium, & sanctificatione nostra, ex ipsa traditione Ecclesiæ, explicata in textu allegato ex Alexandro Papa; Neque ad hoc requiritur quod aliquando vsa sit Ecclesia tali potestate remittendi venialia auctoritatiuè sine vsu alicuius Sacramentalis, quia cùm vtatur potestate accepta à Christo, & non constet nobis ex aliquo textu, vel traditione accepisse ad vtendum absolutè & pro libito, sed cum alligatione ad aliquod Sacramentale, ideo non potest Ecclesia alio modo vti ad remissionem venialium: sicut neque Christus Dominus voluit dari ipsam gratiam, & remissionem mortalium, nisi mediis Sacramentis. Neque verum est, Thesaurum Ecclesiæ, & Indulgentias pro remissione pœnæ distribui ab Ecclesia sine aliquo opere, quo Fideles illas lucrantur, verbi gratia orando, ieiunando, visitando Ecclesias, &c. sine vllo autem opere facto ab ipso lu-

Non est in Ecclesia potestas remittendi venialia quasi auctoritatiuè, & nisi per Sacramentalia.

Indulgentiæ possunt concedi, absque vllo lucrantis opere.

crante, non conceduntur ab Ecclesia. Et dato quod A absolutè posset Pontifex Indulgentias concedere sine vllo opere faciendo à lucrante, adhuc non est similis ratio de remissione peccati venialis; Quia ea Indulgentia & remissio pœnæ solùm fit per applicationem earum pœnalitatum, quas Sancti sustinuerunt, & quibus non indiguerunt pro se, neque determinatè applicauerunt pro isto vel pro illo, sed reliquerunt Ecclesiæ applicanda.

Vnde Pontifex concedens Indulgentias, nihil aliud facit, quam supplere intentionem applicandi illa opera satisfactoria Sanctorum, quæ non applicauerunt pro isto vel pro illo, ad quod non videtur requiri aliquod opus ipsius lucrantis absolutè loquendo, sed tantùm ipsius applicantis; Ad B remissionem autem venialium, requiritur aliquis motus bonus voluntatis, & iste non fit neque excitatur in nobis connaturali modo, nisi per aliqua sensibilia, quibus Anima excitari solet ad actus suos; & ideo conueniebat alligare hanc remissionem venialium aliquibus signis sensibilibus, quorum designationem Christus commisit Ecclesiæ, quia sic ipsa vtitur & facit. Ad probationem ex ratione, Respondetur, Ad remissionem venialium non requiri infusionem gratiæ habitualis, per quam fiat bonus motus in homine ad res diuinas; Ecclesia autem, licèt non acceperit potestatem ad instituenda Sacramenta, & infundendam gratiam habitualem, bene tamen ad operandum ex virtute diuina aliquam excitationem gratiæ actualis, & C ad sanctificandum per illum bonum motum à venialibus, vt ex allegato textu colligitur.

Assistentia infallibilis in Sacramentalibus diuinæ virtutis.

Ad secundam difficultatem, Respondetur, Quod actiones quæ fiunt in Sacramentalibus, obtinent à Deo ex benedictione & consecratione Ecclesiæ infallibilem assistentiam diuinæ virtutis, ad excitandum illum bonum motum, qui sufficiat ad delenda peccata; & ita hoc non fit per solam intercessionem, sed per assistentiam illam diuinæ virtutis, quod sanctus Thomas vocauit *interiorem instinctum*, loco supra citato. Neque sequitur ex hoc, Quod etiam distractis & inuitis remittuntur venialia; Quia ille qui est distractus, & non vult aut negligit habere bonum motum in res diuinas, ponit obicem ad remissionem venialium; & sic non mirum quod illam non obtineat; Nam etiam D Sacramenta habent infallibilem assistentiam virtutis diuinæ ad causandam remissionem venialium, & tamen si aliquis accedat distractus aut affectus peccato veniali, non consequetur remissionem illius: poterit tamen consequi gratiam, quia ad recipiendam istam, illa distractio & peccatum veniale non est obex, sicut est ad remissionem venialium; quia ista solùm tolluntur per aliquem bonum motum, qui impeditur per talem distractionem. Et cùm dicitur, Quod Sacramentalia non opponuntur venialibus; Dico, Non opponi formaliter, id est, tanquam formam oppositam, sed instrumentaliter, quatenus tanquam instrumenta causant id, quod formaliter opponitur venialibus (scilicet illum bonum motum interiorem) sicut etiam Sacramenta non opponuntur mortalibus nisi instrumentaliter, quia sunt instrumenta gratiæ; ipsa autem gratia formaliter opponitur.

Sacramentalia instrumentaliter opposita venialibus, non formaliter.

Ad primam confirmationem Respondetur, Benedictionem Episcopi esse quidem actionem ipsius, sed respicere pro subiecto, supra quod cadit moraliter, ipsos homines quibus benedicit; & sic potest assumi vt instrumentum ad causandum in omnibus illis bonum motum ad res diuinas; quia licèt Episcopus benedicens physicè distet ab illis, tamen Deus bene potest per rem distantem operari in alio gratiam, vel bonum motum, aut aliquid simile, si tamen illi homines sint distracti vel inuiti, ponunt obicem; & sic non causabitur in eis bonus motus, & remissio venialium. Ad secundam Respondetur, Bene posse dari opus operatum ad remissionem venialium, non quidem præscindentem ab omni opere operantis, sed causantem illum, quatenus causat bonum motum interiorem, quo venialia tolluntur; & tamen hic bonus motus causatur ab illo Sacramentali ex opere operato, quatenus media virtute diuina sibi infallibiliter assistenti ex Christi Passione, causat in nobis illum bonum motum; & hanc virtutem habet aqua benedicta ex consecratione & precibus Ecclesiæ, vt possit causare illum bonum motum. Potest etiam contingere, quod si aliquis accedat ad Sacramentalia cum aliqua deuotione, quæ non sufficiebat ad tollenda venialia, vel ad non tollenda omnia, accipiat ex aqua benedicta virtutem ad eliciendam maiorem deuotionem, magisque extendendam ad alia peccata; & sic plura vel etiam omnia remittit; non quia ille actus præcedens, cum quo accessit, maiorem oppositionem recipiat quàm ex natura sua habet, cum venialibus, sed quia vltra illum excitatur alius actus, maiorem extensionem & oppositionem habens ad alia peccata; & hic motus sic excitatus est forma, per quam illa venialia tolluntur.

Virtus assistens Benedictioni Episcopali.

Ad fundamentum pro secunda sententia allatum, patet ex dictis; Constat enim esse in Ecclesia talem auctoritatem, quia in textu supra allegato explicata est supra vnum Sacramentale (scilicet Aquam benedictam) & eadem est ratio in aliis, quæ similem consecrationem ab Ecclesia habent. Quæ enim sine consecratione vel benedictione Ecclesiæ dicuntur remittere venialia, non ex opere operato dicuntur id facere, sed ex opere operantis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXXXVIII.

De Reditu Peccatorum per Pœnitentiam dimissorum.

QVÆSTIO LXXXIX.

De Virtutum Recuperatione per Pœnitentiam.

DICET præcipuus effectus Pœnitentiæ sit restituere gratiam perditam, & consequenter virtutes, quæ gratiam consequuntur; tamen non potest iste effectus plenè explicari, nisi comparatiuè ad suum oppositum (scilicet peccatum) de quo oportet videre, An peccatum semel remissum possit per sequens peccatum reuiuiscere & redire, sicut per Pœnitentiam gratia amissa recuperatur. De peccatis ergo semel remissis ostendit sanctus Thomas in quæst. 88. Quod per sequens peccatum non redeunt, neque recuperantur formaliter & in se; possunt tamen virtualiter redire. Non possunt redire formaliter, quia macula, & auersio peccati non habetur formaliter, nisi mediante conuersione ad bonum commutabile, ex quo sequitur auersio à Deo; sequens autem peccatum non facit illam conuersionem, qua quis antè peccauerat; potest enim peccare in diuersa materia: Et dato quod peccet in eadem, fit distinctum numero peccatum, & sic illud præcedens peccatum iam remissum non redit. Dicitur autem peccatum remissum redire virtualiter, quia in peccato sequenti inuenitur quædam aggrauatio ex ordine ad peccatum remissum, scilicet ingratitudo; & quia hæc aggrauat ex comparatione ad peccatum remissum, dicitur illud peccatum redire virtualiter ratione talis aggrauationis. Hæc autem ingratitudo dupliciter sumitur; Primò generaliter, prout fit contra ipsam beneficium remissionis prius acceptum; & sic omne peccatum iteratum post remissionem, habet ingratitudinem: Secundò specialiter, quatenus aliqua ingratitudo non solùm est contra beneficium, sed etiam contra formam beneficij præstiti; vt est odium fraternum, quo aliquis non vult remittere iniuriam aut debitum proximo, sicut Deus nobis remittit. Et similiter qui docet se pœnituisse, aut contemnit confiteri, vel contemnit ipsam fidem, dicitur habere specialem ingratitudinem, quia excludit à se modum & formam, qua debet se in Deum conuertere, & beneficium illud recipere.

Non redeunt peccata semel dimissa formaliter.

Ingratitudo generalis & specialis.

De recuperatione verò Gratiæ & aliarum Virtutum, distinguit sanctus Thomas, quæst. 89. id, quod est gratiæ de nouo datæ, & id quod est meriti per priora opera habiti, quod impeditur per subsequens peccatum, ne consequatur suum præmium; & hoc est opera illa mortificari; id est, impediri ne consequantur suum effectum. Et de primo docet, Per Pœnitentiam restitui gratiam & virtutes, quia per Pœnitentiam infunditur gratia, & sic omnia ista recuperat pœnitentia, non tamen semper in eadem æqualitate & gradu, quo fuerant antea; quia quandoque homo tepidiùs resurgit per Pœnitentiam, quàm fuerat antea dispositus. Et de secundo docet, Merita bonorum operum impediri, seu mortificari per peccatum sequens, ne consequantur præmium; reuiuiscere autem per Pœnitentiam ad suum antiquum valorem, quatenus remoto impedimento peccati, recuperant efficaciam perducendi ad gloriam; & hoc est reuiuiscere; licèt ex dispositione Pœnitentis, si remissa sit, possint minorem gratiam sortiri, & sic minus præmium essentiale consequi; opera autem bona facta extra statum gratiæ, nunquam reuiuiscunt, quia numquam habuerunt vitam, & sic non manent in acceptatione Dei, tanquam efficacia ad perducendum in gloriam; ideoque talia opera non dicuntur mortificata, sed mortua.

Per Pœnitentiam restitui Gratiam, & Merita reuiuiscere.

DISPVTATIO XXXVI.

De Recuperatione Gratiæ, & Reuiuiscentia Meritorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo dicatur Gratia restitui per Pœnitentiam, & An peccata per sequens peccatum redeant.

RECUPERARI per Pœnitentiam Gratiam amissam, quantum ad ipsam speciem gratiæ, tam certum est, quantum est certum per Pœnitentiam nos iustificari, & iustificationem ipsam fieri in nobis per infusionem Gratiæ: Recuperari etiam Virtutes infusas constat, Quia gratia sine Virtutibus non est: Consequuntur enim ad illam, vt communiter sentiunt Doctores; & significat Trident. sess. 6. cap. 7. Dum inquit, *Quod in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, Fidem, Spem & Charitatem;* Charitas autem sine aliis virtutibus esse non potest; quia qui est rectificatus circa finem, oportet etiam rectificari circa media, sine quibus

ad talem finem non tenditur. Solùm potest esse dubium de aliquibus Virtutibus, quæ videntur irrecuperabiles, sicut est Virginitas & Innocentia; illa quidem, quia consistit in totali inexperientia rei venereæ; ista verò, quia consistit in integritate mentis ab omni peccato. De Virtutibus etiam acquisitis constat non recuperari per Pœnitentiam, quia istæ virtutes per consuetudinem plurium actuum acquiruntur; contingit autem Pœnitentem vnico solum actu iustificari, nec plures actus virtutum exercere.

Per Pœnitentiam recuperari omnes virtutes infusas, quantum ad formale, non sẽper quoad materiale.

Respondetur Pœnitentiam restituere omnes Virtutes, etiam Virginitatem, quantum ad id quod est formale in virtutibus, id est, quantum ad ipsum habitum cum inclinatione & proposito erga tales virtutes; non tamen semper restituere id, quod materiale est in virtutibus, quia aliquando materia circa quam versantur est irrecuperabilis, sicut est in Virginitate; Nam experientia, quam aliquis semel habuit in materia luxuriæ, non potest tolli, ita quod reddatur inexpertus; Virginitas autem habet pro materia totalem inexperientiam veneris. Vnde docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 152. art. 3. ad 3. Quod *Virginitas reparari potest per Pœnitentiam, quantum ad id quod est formale in virtute, non autem quantum ad id quod est materiale in ipsa: Non enim si quis magnificus absumpserit diuitias, per Pœnitentiam peccati restituuntur diuitiæ: & similiter ille, qui Virginitatem perdidit, per Pœnitentiam non recuperat Virginitatis materiam, sed recuperat Virginitatis propositum.* Ita sanctus Thomas. De Virtutibus acquisitis dicimus, Illas non recuperari per Pœnitentiam, sed infusas, quæ gratiam ipsam concomitantur; acquisitæ enim per assuetudinem operum, non per actum Pœnitentiæ acquiruntur.

Restat ergo difficultas circa ipsam Gratiam amissam per peccatum, An reparetur per Pœnitentiam, non quidem quasi illa entitas numero gratiæ, quæ amissa est, iterum reproducatur; sed quod similis gratia infundatur Pœnitenti, quæ erat antea; ita quod non solùm detur illi gratia correspondens præsenti dispositioni, sed vltra illam etiam dentur illi gradus gratiæ, qui antea erant? Non verò per peccatum de nouo commissum, redeat peccatum iam remissum, ita quod & ratione illius peccator puniatur. Videtur enim par ratio currere de vtroque; Nam non minus perditur gratia per peccatum, quàm peccatum deleatur per gratiam; Nec minus dicitur Ezech. 18. 24. de Iusto peccante, quod *omnes iustitiæ illius non recordabuntur*: Quàm de Peccatore Pœnitente, quod *omnium iniquitatum eius Deus non recordabitur amplius*; ergo pari modo loquendum est de recuperatione gratiæ per Pœnitentiam, & de reditu peccatorum per lapsum. Vnde hoc ipsum significat Scriptura, Quod peccata iam dimissa redeant, cùm dicitur in Psalm. 108. 14. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius.* Et iterum 78. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Et 3. Reg. 17. 18 Dixit mulier ad Eliam, *Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ.* Et Matth. 18. 34. Seruus cui fuerat debitum dimissum, per peccatum sequens *traditur tortoribus donec reddat vniuersum debitum.* Similiter ex parte conuersionis, qua Pœnitens conuertitur, & qua Peccator labitur, non minus efficax est vna quàm altera ad ordinandum

De Gratia difficultas; videri eandem rationem ac de peccato.

A hominem in finem; ergo neque est minus efficax ad recuperandum bonum amissum, quàm peccatum remissum.

Quod si recurratur ad voluntatem Dei, qui pro suo arbitrio sic disposuit; scilicet in Pœnitentia recuperari gratiam, non autem redire peccatum remissum; Contra hoc est, Quia hoc deberet nobis constare per reuelationem Dei, cùm tamen Scriptura æqualiter videatur loqui de reditu peccatorum, & de recuperatione virtutum. Et præterea, Hoc non est reddere rationem propter quam peccata non redeant, & tamen gratia recuperetur, nisi solam voluntatem Dei extrinsecam; vnde saltem de potentia absoluta, & iuxta B naturas rerum, peccata semel remissa redire possunt, sicut gratia perdita.

Denique confirmatur, Quia si Pœnitentia restitueret gratiam perditam, totam deberet restituere, & non solùm partem; at non semper restituitur tota gratia, quia iuxta sanctum Thomam in hac quæst. 89. art. 2. & 5. ad 3. Non semper homo resurgit in æquali gratia, in qua antea fuerat; sed in ea gratia, quæ correspondet dispositioni præsenti; ergo non tota gratia restituitur, sed solùm gratia similis in specie, non autem in ea æqualitate & gradu, in quo antea fuerat; hoc autem modo etiam peccatum remissum dicitur redire, quia C potest homo simile peccatum committere; immò cum maiori grauitate, quàm antea; ergo potest simile peccatum in specie redire, sicut redit similis gratia; & sic pari passu currunt.

Dicendum tamen est, Peccata semel remissa nunquam redire formaliter, & in se, ita quod eius macula reponatur in homine, aut quod propter illud peccatum puniatur; redire autem gratiam amissam, quia restituitur tota illa gratia, & ratione illius gloria, nisi homo ponat impedimentum. Quæ conclusio est communis sanctorum Patrum & Scholasticorum. Et quantum ad restitutionem gratiæ & meritorum per Pœnitentiam, deducitur communiter ex illo Pauli ad Hebr. 6. 9. D vbi loquens cum Fidelibus, qui prolapsi fuerant, sic inquit, *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora salutis, tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis & ministratis.* Si ergo Deus non obliuiscitur operis boni, facti ante peccatum, quando postea Pœnitentiam agimus, ergo remunerat illud, & sic redit de nouo ille fructus. Quo etiam sensu intelligitur illud Ioël. 2. 25. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta*, &c. vbi Glossa inquit, *Non faciam perire vbertatem, quam cum perturbatione animi perdidistis.* Videndus est sanctus Augustinus lib. E de Vera & falsa Pœnitentia cap. 4. Hieron. ad Gal. 3. 4. super illa verba, *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* Et ibi Chrysost. & communiter Doctores Scholastici in 4. dist. 14.

Non redire peccata semel remissa, redire verò gratiam & merita amissa.

E contra verò de peccatis semel remissis, quod non iterum redeant, nec puniantur propter sequens peccatum, deducitur in primis ex illo Ezech. 18. 22. *Si impius egerit Pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Et Nah. 1. 9. *Consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio.* Vnde sumptum est commune prouerbium, *Non punit Deus in idipsum bis:* Si autem peccata redirent per sequens peccatum, Deus recordaretur eorum, &

Non tamen hic sensus Scripturæ, sed semel funditus perdendos,

bis puniret: semel quando remisit per Pœnitentiam, & iterum quando redeunt illa peccata. Sumitur etiam ex illo ad Rom. 11. 29. *Sine Pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei;* id est, beneficia irreuocabilia; remissio autem peccati est donum Dei; ergo semel datum non reuocatur, ita quod pro illo Deus puniat. Idem sumitur ex Patribus, vt constat ex verbis sancti Prosperi in Responsione ad secundam obiectionem Gallorum; *Qui recedit*, inquit, *à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed tamen non in id, quod remissum est, recidit: neque in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur.* Idem docuit Benedictus II. Extrauaganti *Inter cunctas*, vbi definit, *Absurdum esse, vt quis peccata per Pœnitentiam dimissa rursus debeat confiteri: & vt debitor liberatus, adhuc maneat ad soluendum obligatus.* Et Gelasius Papa in cap. *Finali*, de Pœnitentia distinct. 4. *Diuina*, inquit, *clementia: dimissa peccata in vltionem vlterius redire non patitur:* Si autem peccata remissa redirent, vtique vt punienda in vltionem redirent.

Ratio autem pro reuiuiscentia gratiæ & meritorum sumitur à sancto Thoma in art. 5. quæst. 89. ex eo, quod efficacia quam habent bona opera ad perducendum in vitam æternam, conuenit illis etiam postquam actu non existunt, quatenus manent in acceptatione diuina, qui ea acceptauit vt sibi grata; ista autem acceptatio perpetua est in Deo ex parte sua, quia opera illa bona fuerunt & grata, sed impeditur eorum remuneratio ex parte subiecti, quatenus per peccatũ superueniens homo redditur indignus vita æterna, & priuatus gratia, sine qua non est capax gloriæ; remoto ergo tali impedimento per Pœnitentiam, subiectum manet capax illius præmij; & aliàs cum illa opera fuerint accepta Deo, & in eius acceptatione maneant, suam remunerationem accipient; quod non currit in peccato, quia peccatum nunquam fuit acceptum Deo, sed potius odio habitum à Deo: vnde satisfacto peccato, & ablato per gratiam, non restat neque in ipso subiecto neque in acceptatione diuina aliquid, propter quod puniatur. Si autem reuiuiscunt merita præterita ex diuina acceptatione, vt iterum præmientur, etiam gratia illis correspondens debet reuiuiscere; quia gratia illa est tota ratio, & principium à quo illa opera habent valorem meriti. Et dato quod gratia non habuerit merita (sicut in infantibus) adhuc per sequentem Pœnitentiam debet illa gratia redire, quia non solùm ipsa opera, sed etiam ipsa persona redditur grata & accepta Deo per gratiam, & reddit subiectum dignum vita æterna; ergo non minus debet perseuerare acceptatio personæ sublato impedimento peccati, quàm acceptatio operum.

Ratio autem ad probandam quod peccata remissa non redeant, ea est, Quia auersio peccati & eius macula & reatus pœnæ, non possunt homini imputari de nouo, nisi de nouo reddantur voluntaria; auersio autem non est voluntaria nisi mediante aliqua conuersione ad creaturam, cui illa auersio annexa est; sed quando homo de nouo peccat post peccatum remissum, illa prior conuersio peccati remissi non est in homine de nouo, neque illam reproducit, quia solùm habet conuersionem peccati, quod de præsenti committit; ergo si non redit conuersio peccati remissi, neque redit auersio & macula eius, neque de nouo est voluntaria; ergo neque pro illa puniri potest, quia non punitur quis, nisi pro peccato voluntario.

A

Confirmatur primò, Quia si quis peccauit peccato infidelitatis vel desperationis, & postea pœniteat, & iterùm labatur in peccatum luxuriæ; vel per tale peccatum redit prior infidelitas, vel non; si non redit, habetur intentum; si redit, ergo amittit fidem per peccatum luxuriæ, quod est omninò absurdum, cùm ex vi talis peccati nulli articulo fidei discredat. Et confirmatur secundò, Quia si redirent peccata remissa, non possent iterum tolli nisi per aliquod Sacramentum, non aliud quàm Pœnitentiæ: ergo teneretur homo iterum confiteri illa peccata, quod est absurdum. Et si rediret peccatum originale (est enim eadem ratio de illo atque de aliis) deberet rursus tolli per aliquod Sacramentum; non per Pœnitentiam, quia illa non ordinatur contra peccatum originale, sed solùm contra actualia commissa post Baptismum; ergo per Baptismum: ergo Baptismus deberet iterari in omni peccante post Baptismum, quod est hæreticum.

B

Dices, In aliquo casu potest redire pœna æterna peccati iam remissi; ergo & ipsa culpa. Patet consequẽtia, Quia pœna æterna non datur nisi habenti reatum pœnæ æternæ; nec habet talem reatum nisi qui habet culpam; ergo si redit pœna æterna, redit & culpa. Antecedens verò probatur, Si alicui remittitur peccatum mortale, & relinquitur pœna temporalis soluenda in Purgatorio; si antequam illam satisfaciat, incidat in aliquod peccatum mortale, & statim moriatur, ille debet soluere priorem pœnam temporalem peccati remissi, non in Purgatorio, quia ipse est damnatus ad infernum, & in Purgatorio non sunt nisi Iusti; ergo debet illam soluere in inferno; ibi autem nulla est pœna temporalis, quia nulla est redemptio, aliàs reciperet ille damnatus aliquam alleuiationem, si aliquid de pœna quam incipit pati finiretur temporaliter, possetque illa pœna temporalis per suffragia Ecclesiæ & sacrificia tolli, cùm tamen suffragia non prosint damnatis; ergo illa pœna durabit in perpetuum. *Pœna temporalis pro peccato remisso, an æterna in inferno?*

C

D

Ad hoc Argumentum Aliqui concedunt illam pœnam temporalem illo casu reddi æternam per accidens, sine hoc quod redeat culpa, quia ille homo per peccatum sequens, & mortem constituit se incapacem satisfactionis temporalis pro aliqua pœna, & sic impossibile est illam pœnam finiri, non ex eo quod Deus imputet culpam iam remissam, sed ex illo statu, quem accipit homo per damnationem æternam. Cæterum quia hoc videtur valde durum, vt pro culpa iam remissa sine nouo reatu accipiat quis pœnam æternam, cùm solum debeat temporalem, quod est contra iustitiam. *Opinio affirmans.*

E

Melius Respondetur cum sancto Thoma in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. ad 5. vbi relata hac priori solutione, & rejecta, subdit, *Et ideo Alij dicunt, quod pœna cuius aliquis est debitor post culpam remissam, in inferno punitur temporaliter: Nec propter hoc sequitur quod in inferno sit redemptio: quia pœna quæ soluitur, non redimitur; Neque est inconueniens, quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur vsque ad diem iudicij, sicut etiam augetur (ex consortio scilicet damnatorum) neque in eis prosunt suffragia Ecclesiæ, etiam pro illa pœna temporali, quia cùm* *S Thomas negans.*

sint extra gremium Ecclesiæ, non communicant eius meritis & suffragiis.

Soluuntur Argumenta.

Ad rationes dubitandi à principio Respondetur; Et ad primam dicitur, Quod in illo loco Ezechielis dicitur Deus non recordari iniquitatum Pœnitentis, neque meritorum peccatoris, quantum ad hoc quod vtrumque deletur & tollitur, seu impeditur per Pœnitentiam & per peccatum; modus autem specialis quo peccata tolluntur per Pœnitentiam, ita vt etiam si quis de nouo peccet, non puniatur pro illis, & modus quo merita mortificantur, ita quod remoto peccato iterum reuiuiscant, non exprimitur in illo loco, sed in aliis à nobis allegatis; Neque enim oportet, quod in eodem loco Scripturæ omnia exprimantur, sed debent diuersa loca comparari inter se.

Ad id quod adducitur ex Psalm. Respondetur, quod iniquitates parentum dicuntur redire in memoriam pro filiis, non quantum ad culpam, sed quantum ad aliquam pœnam temporalem, qua solet Deus castigare peccata parentum; Et de hac pœna loquitur Propheta, cùm dicit, *In memoriam redeat iniquitas patrum eius*: id est, pœna iniquitatis: Et de eadem intelligitur illud, *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*: id est, pœnæ pro iniquitatibus antiquis, siue propriis siue parentum. Et simili modo possunt accipi illa verba viduæ ad Elisæum, quod loquebatur de memoria iniquitatum quantum ad pœnam temporalem, qua Deus castigabat illam in morte filij, vel fortasse illa mulier habebat peccata non remissa, & loquebatur de illis.

In parabola verò Matth. 18. de illo à quo exigitur totum debitum propter peccatum sequens, Respondetur, Quod exigitur totum debitum peccati jam remissi, non quia formaliter redeat, sed virtualiter; id est, non ratione peccatorum remissorum, sed ingratitudinis adiunctæ, quando de nouo peccat; per quam vel adæquat grauitatem peccatorum præteritorum, vel permittitur cadere in peccata æquè grauia; & sic totum debitum exigitur in grauitate, non in formalitate & existentia peccati remissi.

Ad rationem Respondetur, Quod etsi conuersio Pœnitentiæ æquè sit efficax ad tollenda peccata, sicut conuersio peccati ad tollendam gratiam, peccata semel extincta, & remissa neque manent in subiecto, neque in acceptatione diuina, vt rursus imputentur; gratia autem & merita, licèt per peccatum interrumpantur in subiecto, remanent tamen in acceptatione diuina; & ita datur locus vt remoto peccato iterum reuiuiscant. Et licèt Deus possit oppositum facere, nec illam gratiam restituere, quia peccator etiam hac misericordia est indignus; tamen magnum habet fundamentum in ipsis naturis rerum, vt Deus illam gratiam restituat; tum quia pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum; tum quia ipsa bona opera, ex eo quod semel Deo placuerunt, nunquàm Deo displicent, nec Deus illa abiicit a sua acceptatione, licèt peccatorem abiiciat, quando est in peccato; vnde illo remoto per Pœnitentiam, maximè congruit naturæ talis meriti, vt Deus iterum præmiet & viuificet illud: at verò peccatum semel remissum ita deletur per gratiam, quod neque in se manet in subiecto, neque in acceptatione Dei, quia nunquam illi placuit; neque in acceptatione iustitiæ diuinæ ad illud puniendum, quia diuina iustitia non potest punire, nisi illud quod non est satisfactum, & supponendo reatum pœnæ in subjecto; iste autem reatus non redit, quia non redit voluntaria conuersio illius peccati, ratione cuius auersio & macula & reatus voluntaria sunt, & alias est satisfacta illa injuria; ergo non possunt illa peccata sic remissa & satisfacta manere in acceptatione iustitiæ. Ad confirmationem, Respondebitur artic. sequent.

Articvlvs Secvndvs.

Vtrum per quamlibet Pœnitentiam reuiuiscant Merita quoad omnem quantitatem & gradum suum?

Licet certum sit Merita mortificata reuiuiscere per Pœnitentiam, vt diximus art. præcedenti, tamen de modo, quo ista merita reuiuiscunt, longa & difficilis quæstio est inter Theologos, quam non possum hîc operosius disputare, sed studebimus totam difficultatem, ad breuitatem reducere.

Punctus ergo difficultatis reducitur ad illud tertium Argumentum, quod ponit sanctus Thomas art. 5. quæst. 89. vbi inquit, *Quod opera in charitate facta, merentur gloriam secundum quantitatem gratiæ & charitatis; sed quandoque resurgit homo in minorem gratiam & charitatem: ergo non consequitur gloriam secundùm meritum priorum operum, & sic non reuiuiscit totum illud meritum mortificatum.* Maior à nullo negatur, Quia merita totum suum valorem habent à gratia; ergo secundùm quantitatem gratiæ & charitatis maioris vel minoris meriti sunt, & maior vel minor gloria eis correspondet. Minorem verò concedit ipse sanctus Thomas tum in art. 2. tum in art. 5. solut. ad 3. ergo stando in hac doctrina sancti Thomæ, non semper reuiuiscunt merita quoad totam suam quantitatem & gradum, sed plura manent euacuata. Dicere autem quod solùm reuiuiscunt ad præmium accidentale, (vt insinuat sanctus Thomas dicta solutione ad 3.) est idem, quod euacuare illa merita quoad substantiam suam, quia substantiale præmium est gloria essentialis; ergo si ad illam non reuiuiscunt, substantialiter euacuantur.

Propter hanc difficultatem Multi recedunt à sententia sancti Thomæ; Alij in ea explicanda laborant. Qui recedunt, dicunt, Per quamcunque Pœnitentiam totam gratiam antiquam & merita, quoad præmium essentiale, restitui, etiamsi Pœnitentia præsens sit valde remissa. Et fundantur præcipuè in tribus; Primò in ratione facta, Quia aliàs illa merita pro ea parte qua non reuiuiscunt ad præmium essentiale, simpliciter & substantialiter euacuarentur, & non redirent, quod est contra Scripturam. Secundò, Quia intelligunt contritionem, qua aliquis de præsenti resurgit, non esse dispositionem secundùm quam mensuratur gratia illa restituenda, sed solùm est remotio obicis & impedimenti, quo subiectum impediebatur consequi fructum illorum meritorum, quæ manebant in acceptatione Dei; sed impedimentum tollitur per Pœnitentiam, quia to-

Redire gratiam & merita, in tota sua quantitate per omnem Pœnitentiam, opinio.

taliter remittitur peccatum, ergo sublato hoc impedimento omnia illa merita, & gratia restituitur.

Et tertiò fundatur hæc sententia in doctrina magis generali, Quia existimat Augmentum gratiæ & charitatis non mensurari penes augmentum & intensionem physicam nostrorum operum, sed penes moralem; id est, penes meritum, ita quod si opera remissa charitatis merentur augmentum illius, statim datur ratione meriti, non expectata dispositione aliqua physica intensiori; quia posito merito de condigno, nihil est quod retardet eius præmium, nec aliquid deest operibus factis in gratia, quominus vita æterna suo tempore reddatur, vt determinat Trident. sess. 6 cap. 16. ergo cùm omnia illa merita antiqua verè fuerint merita in tanta quantitate, & manserint in acceptatione diuina, consequenter sublato peccato, à nulla physica dispositione magis vel minus intensa dependebunt, vt sibi detur tota illa gloria suo tempore, & gratia de præsenti. Hanc sententiam sequuntur plures ex Antiquis, vt Gabriel, Ochan, Marsilius, Richardus, Durandus; & ex Recentioribus latissimè Suarez in Opusculis relectione de Reuiuiscentia Meritorum, Vasquez, Torres, Granados & Alij.

S Thomæ opinio cōtraria, & fundamentum.

Sententia autem sancti Thomæ è contrario, supponit pro fundamento certo, Quod quantitas seu augmentum gratiæ & charitatis non infunditur actu & de facto, nisi existente dispositione proportionata illi augmento, non solùm per modum meriti, sed etiam per modum physicæ dispositionis, proportionantis subiectum ad illam formam; quæ dispositio si desit, non dabitur de facto illud augmentum, sed suo tempore, scilicet quando proruperit in actum feruentiorem, vt docet 1. 2. quæst. 114. art. 8. ad 3. & in 2. 2. quæst. 24. art. 6. ad 1. Quod fundamentum esse certum ostendimus in Materia de Charitate disput. 15. art. 2. & apertissimè traditur à sancto Thoma multis in locis, præsertim in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 3. in corpor. & in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 5. ad 2. & aliis locis, quæ ibi citantur; & communiter acceptatur à Thomistis, & à multis aliis Auctoribus; estque conueniens naturæ rerum, quia semper formæ recipiuntur in subiecto iuxta dispositionem & proportionem illius. Est etiam conformis definitioni Concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. dicentis, *Quod vnusquisque recipit iustitiam secundùm suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem.* Et non loquitur ibi de dispositione morali, seu meritoria, quia loquitur de prima confusione gratiæ, quæ non cadit sub merito dispositione præcedentium; ergo illa dispositio habet se vt physicè proportionans subiectum ad gratiam, non physicè illam efficiendo, sed subiectum præparando: Si autem in prima infusione gratiæ quantitas gratiæ quæ infunditur mensuratur penes dispositionem, eadem ratione cùm postea augetur, mensurabitur illud augmentum penes dispositionem subiecti; quia non est maior ratio de vno quàm de alio.

Hac ergo doctrina stante, quam ibi latè confirmauimus, oportet sanctum Thomam consequenter loqui in Reuiuiscentia Meritorum, Quod quando per Pœnitentiam reuiuiscunt, & tamen subiectum non disponitur, nisi remissè, & non conformiter ad totum augmentum gratiæ, quod antea existebat, non potest tunc de facto dari & A infundi tantum augmentum gratiæ, quantum fuit antea, & defectu dispositionis proportionatæ. Et prorsus eodem modo loquendum est tunc de his meritis mortificatis, & per contritionem remissam reuiuiscentibus, sicut de actibus remissis charitatis, qui merentur quidem augmentum gratiæ, & sunt merita, & non mortificata; & tamen iuxta sanctum Thomam non statim datur illis tale augmentum, sed suo tempore; scilicet quando homo prorumpit in actum feruentiorem, vt constat ex locis citatis. Eodem modo merita mortificata & per dispositionem remissam reuiuiscentia, non statim accipient totam quantitatem gratiæ, quæ antea erat in subiecto, sed iuxta dispositionem quam B habuerit. Cæterum quia semper est difficile deuorare illud inconueniens, Quod aliqua Merita maneant euacuata suo præmio essentiali, siue sint remissè facta, siue remissè iterum viuificata, ideo Interpretes sancti Thomæ diuisi sunt ad hoc explicandum.

Varij modi explicandi opinionem sancti Thomæ, de dispositione ad augmentum gratiæ.

Alij semper, & in toto rigore dicunt, Merita remissa solùm valere iuxta suam quantitatem, non verò augere gratiam, respectu cuius remissè se habent, sed solùm valere ad præmium accidentale, non verò ad aliquod augmentum essentiale; quæ est sententia Bañez 2. 2. quæst. 24. art. 6. Alij dicunt, Contritionem, qua aliquis resurgit, esse C dispositionem ad duplicem gratiam; scilicet ad eam quæ de nouo datur in vi præsentis dispositionis, iuxta quantitatem illius (scilicet contritionis) & ad restituendam antiquam in eadem intensione & quantitate: Ita quod si aliquis resurgat per contritionem vt octo, recipit gratiam vt 16. octo de nouo, iuxta præsentem dispositionem; & octo de gratia antiqua & restituta. Ita tenet Nuño in hac quæst. 89. art. 5. in secunda difficultate, & multi id sequuntur. Alij dicunt, Tam meritò remissè facta, quàm remissè viuificata de præsenti solùm augere gratiam moraliter; id est, in ratione meriti & iuris ad habendam aliam maiorem D gratiam suo tempore; physicè autem & entitatiuè solùm recipere illud augmentum gratiæ, quando prorumpit in actum feruentiorem; quia tamen potest contingere quod homo in hac vita non eliciat talem actum feruentiorem; vel si eliciat, illi actui correspondebit augmentum gratiæ iuxta suam latitudinem tantum; vnde actus remissus, qui antecessit, semper manet frustratus parte sibi debita: ideo dicunt, quod tales actus remissi, vel merita remissè viuificata, accipient suum augmentum essentiale ratione actus feruentioris, qui elicitur ab Anima separata à corpore; quia talis actus iam non est meritorius, quia est extra viam; est tamen dispositio pro meritis factis E in via; vt recipiant physicè augmentum gratiæ & gloriæ: quam solutionem docent plures Thomistæ, Nuño, Aluarez, Montesinos, & Alij, quos citauimus in Materia de Charitate disput. 25. art 3.

In hoc puncto probabilior resolutio secundùm mentem sancti Thomæ mihi videtur componenda ex his duabus vltimis solutionibus. Dico ergo, Quod Pœnitentia seu contritio habet duplicem causalitatem, & rationem mensurandi, seu disponendi subiectum ad gratiam; Vnam respectu gratiæ de nouo dandæ iuxta illam; & ad hanc comparatur tanquam dispositio propria & per se, ad illam formam; aliam respectu gratiæ antiquæ restituendæ & viuificandæ; & respectu huius se

Auctoris opinio; dispositionem præsentem vt causam per accidens, pro sui ratione restituere plus aut minus.

habet contritio vt causa remouens prohibens, quæ tamen non semper remouet totum impedimentum adæquatè, sed aliquando plus, aliquando minus. Licèt enim impedimentum quoad ipsam substantiam gratiæ sit peccatum, quod totaliter deletur & tollitur, tamen quantum ad augmentum & quantitatem gratiæ, non solùm peccatum est impedimentum, sed etiam defectus dispositionis, quia non est proportionata augmento gratiæ, cùm sit remissa; quare iuxta quantitatem dispositionis contritionis, in qua homo resurgit, datur augmentum gratiæ præsentis, quod per se correspondet illi dispositioni de nouo; & iterum datur tantum de gratia antiqua, quod correspondet illi contritioni, vt causa per accidens, sicut dictum est in secunda solutione; si autem præter istam gratiam restitutam, adhuc remaneat alia, quæ tali dispositioni remissæ non potuit correspondere, redibit illa, quantum ad præmium essentiale, quando habebit homo feruentiorem dispositionem, saltem in exitu huius vitæ, sicut de actibus remissis docet vltima solutio.

Quod hæc sit mens sancti Thomæ, probatur, Quia in primis infundi gratiam de nouo iuxta quantitatem dispositionis apertè docet in hac q. 89. art. 2. vbi inquit, *Quod secundùm quod motus liberi arbitrij in Pœnitentia est intensior vel remissior, secundùm hoc Pœnitens consequitur maiorem, vel minorem gratiam.* Et constat etiam ex Trident. dicente, *Quod consequitur vnusquisque gratiam iuxta propriam dispositionem*: contritio autem in Pœnitentia est propria dispositio. Quod verò eadem Pœnitentia respectu gratiæ antiquæ restituendæ se habeat vt causa per accidens, & remouens prohibens, manifestè docetur à sancto Thoma in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. vbi inquit, *Quòd sicut ventus auferens nubem, nobis solem restituit: ita Pœnitentia tanquam remouens prohibens, gratiam gratum facientem, & omnes virtutes nobis restituit.* Et idem docet solut. ad 1. & 2. ipso exemplo Solis indicat hanc causam remouentem prohibens, non vnico & indiuisibili modo remouere, sed aliquando plus, aliquando minus; sicut ventus aliquando plus, aliquando minus remouet nubes, & sic plus vel minus Solis restituit; & sicut aperiens ostium potest plus vel minus aperire, & sic plura vel pauciora admittere. Quare si ista duo loca coniungamus, apertè colligitur, quod in sententia sancti Thomæ, Pœnitentia habet duplici modo disponere ad duplicem gratiam, scilicet ad restituendam antiquam vt causa per accidens & remouens prohibens, & ad introducendam nouam tanquam dispositio per se; ergo non repugnat eidem dispositioni diuersos gradus correspondere, quia non est dispositio effectiua gratiæ, sed purè dispositiua; Deus autem, qui est gratiæ collator, super illum gradum gratiæ quem dat de nouo, iuxta illam dispositionem, infundit alios gradus ex antiqua gratia, iuxta dispositionem remouentis prohibentis.

Quod verò existente remissa contritione, in qua homo resurgit, non restituatur tota gratia antiqua, si sit magna, sed solùm de facto restituatur iuxta quantitatem contritionis, constat in doctrina sancti Thomæ; Tum ex generali ratione, qua docet per actus remissos non dari statim augmentum gratiæ, licèt mereantur illud, nisi quando quis prorumpit in actum feruentiorem, vt patet 1. 2. quæst. 114. art. 8. ad 3. & 2. 2. quæst. 24. A art. 6. ad 1. Tum specialiter loquendo de Reuiuiscentia Meritorum in hac quæst. 89. art. 5. ad 3. & clarissimè in 3. dist. 31. quæst. 1. art. 4. quæst. 3. ad 4. Et hoc totum est propter fundamentum supra positum, Quia gratia non recipitur physicè in subiecto, nisi iuxta proportionem dispositionis, qua quis disponitur ad gratiam, & non solùm propter rationem meriti; Vnde non existente hac dispositione, non recipitur secundùm augmentum de facto & in actu in subiecto.

Sed quia potest contingere, quod aliquis in tota vita non eliciat illum actum feruentiorem, vel statim moriatur, Nunquid illa gratia non restituta perpetuò peribit, aut illa merita remissa B carebunt perpetuò suo præmio? In hoc casu nihil expressè docet sanctus Thomas, sed solum ponit generalem doctrinam, quod illud augmentum dabitur suo tempore; id est, quando prorumpet in actum feruentiorem; & quod illa merita præterita remissè viuificata valebunt ad gloriam accidentalem, quæ mensuratur actibus magis, quam habitu charitatis, vt docet sanctus Thomas loco citato ex 3. sent. Cùm ergo pro isto casu nihil expresserit sanctus Thomas, discurrendum est in illo iuxta principia huc vsque ab ipso tradita, vel alibi data.

Dicimus ergo, Valde congruere pietati diuinæ, quod pro istis meritis remissis, vel remissè C viuificatis, accipiat homo in alia vita actum ita feruentiorem, quantum exigitur vt illa merita suum sortiantur effectum in augmento gratiæ; Et ad hoc adducimus in Materia de Charitate citata insignem locum sancti Thomæ in Additionibus quæst. 93. art. 3. vbi inquirens Quomodo mansiones in cœlo distinguantur penes diuersos gradus charitatis, inquit, *Quod principium distinctiuum mansionum siue graduum charitatis, est duplex; scilicet propinquum & motum: propinquum est diuersa dispositio quæ est in Beatis, ex qua contingit diuersitas perfectionis apud eos in operatione Beatitudinis: sed principium remotum est meritum, quo per tale præmium consecu-* D *ti sunt talem Beatitudinem; primo autem modo distinguuntur mansiones secundum charitatem patriæ, quæ quanto in aliquo fuerit perfectior, tanto reddit capaciorem diuinæ charitatis, secundum cuius augmentum augebitur perfectio visionis diuinæ; secundo verò modo distinguuntur mansiones secundum charitatem viæ; actus enim noster non habet quod sit meritorius ex ipsa substantia actus, sed solùm ex habitu charitatis, quo informatur.*

Actu feruentiori in instanti separationis disponi Animã ad augmentum pro omnibus actibus remissis, vel meritis remissè viuificatis.

Ita sanctus Thomas; Ex quo loco constat, quod sicut præter meritum quod habetur in via, oportet quod actus charitatis mensuret mansiones Beatitudinis, prout charitas illa est in patria; ille E actus charitatis solùm mensurabit augmentum Beatitudinis, tanquam dispositio, non tanquam meritum, quia ibi omne meritum cessat; ergo mensurat tanquam physica dispositio; & sic datur locus feruentiori actui eliciendo in patria, tanquam dispositioni physicæ ad augmentum illud requisitæ. Cui loco coniungendo id, quod docet citatis locis ex 1. 2. & 2. 2. *Quod sicut vita æterna redditur suo tempore* (licèt modò mereamur illam) *ita & augmentum, quod per actus remissos meretur, dabitur suo tempore, scilicet cùm aliquis sufficienter fuerit dispositus*; valde verisimilis fit ista solutio, Quod tunc pro-

ximè disponitur homo ad tale augmentum, quando in alia vita prorumpit in actum feruentiorem; quia quando in hac vita prorumpit, ille actus est etiam meritorius, & accipit gratiam sibi correspondentem; vnde actus remissi carebunt dispositione feruentiori, quæ requiritur ad augmentum, quovsque detur aliquis actus intensior, & non meritorius noui augmenti, quod solùm inuenitur in patria; nec sanctus Thomas, vnquam dixit, Hunc actum feruentiorem, in quem prorumpunt actus remissi, debere esse in hac vita, & non in alia.

Soluuntur Argumenta.

Solùm possunt vrgeri duo contra hanc solutionem; Primò, Quia assumimus rem incertam; Vnde enim constat Animam separatam semper prorumpere in actum feruentiorem omnibus remissis, quos habuit in hac vita, verbi gratia si exercuit mille actus meritorios remissos, aut alius exercuit centum; vnde constat quod Anima separata vnius eliciat actum intensum, vt mille, & alia vt centum? Nam totum hoc est diuinare. Secundum est, Quia potest contingere quod aliquis qui habuit plures actus remissos in hac vita, tamen quando moritur exeat ita purgatus, vel propter Martyrium, vel propter alias expiationes, quod in ipso instanti separationis videat Deum; C & tunc actus charitatis, quem elicit, erit feruentissimus, imò necessarius, & non liber; non tamen iste potest esse dispositio ad maius augmentum gratiæ vel gloriæ, quia iste actus procedit & regulatur per visionem Beatificam; ergo illa visio procedit in toto suo augmento & statu, quem semper habitura est, quia est visio æterna; & non potest crescere aut mutari; ergo actus charitatis ab illa visione procedens, non potest esse dispositio & mensura, vt sibi detur tanta intensio in visione.

Respondetur ad primum, Non esse incertum id, quod assumimus, sed probabilissimis principiis & coniecturis fundari; Nam ex vna parte constat Animam separatam, præsertim in D gloria, multo perfectius & intensius operari, quàm dum est in corpore, retardante illam in suis actibus; quia *Corpus quod corrumpitur, aggrauat Animam.* Sapient. 9. 15. Rursus Deus, qui illa merita acceptat, & tanquam viuificata habet, etiam debet dare omnia, quæ ad talem meritorium præmiationem sunt necessaria; & sic cùm sit valde consonum rationi, quod formæ recipiantur iuxta dispositionem subiecti, vtique dabit Deus illam dispositionem requisitam, ne merita defraudentur præmio. Et cùm dispositiones feruentiores in hac vita agant ratione meriti, suumque præmium seorsum habeant, optimè discurritur, quod feruentior actus, qui requiritur vt talia merita physicè assequantur augmen- E tum gratiæ, erit ille qui datur in alia vita; pertinetque ad ipsum complementum meritorum, vt tam feruens actus detur in alia vita, quantum de augmento gratiæ & gloriæ petunt illa merita; quia actus ille regulatur à visione gloriæ illius intensionis, vel proportionatè ad illam datur.

Ad secundum Respondetur, Non esse inconueniens, quod in diuerso genere causæ, actus charitatis in patria sequatur ad visionem regulatiuè, seu effectiuè; præcedat verò visionem dispositiuè, A quia iuxta illam mensurantur diuersæ visiones, seu mansiones Beatitudinis: Sicut etiam in naturalibus, vltima dispositio præcedit formam in genere causæ dispositiuæ, & subsequitur illam in genere causæ effectiuæ, cùm hoc totum fit in eadem duratione, & instanti reali. Est exemplum manifestum in Anima Christi, quæ in primo instanti suæ conceptionis habuit visionem gloriæ, vt omnes Theologi fatentur cum sancto Thoma, 3. part. quæst. 34. art. 3. & in eodem instanti recepit gratiam, & sanctificationem accidentalem per propriam dispositionem, quia non est sanctificatus Christus more paruulorum sine actu suo; sed B perfectè tanquam adultus; ille ergo actus charitatis, quo dispositus est Christus ad illam gratiam & gloriam, processit à visione Beatifica tanquam à regulante; vel supposuit illam visionem à fortiori, si processit à scientia infusa, quæ est effectus visionis Beatificæ (Nam à fide non potuit procedere, cùm non fuerit in Christo) & tamen ille actus charitatis per modum dispositionis antecessit gratiam eius habitualem, & gloriam. Eodem ergo modo potest intelligi in Beatis actus charitatis secundùm diuersos respectus, vt procedens à visione tanquam effectus illius, & vt præcedens visionem tanquam eius dispositio: & secundùm primam considerationem, habet rationem fruitionis & præmij; iuxta secundam, rationem dispositionis distinguentis mansiones.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ, patet ex dictis; Ad primum enim dicitur, Quod merita viuificantur simpliciter, & quantum ad præmium substantiale; sed tamen hoc præmium & augmentum gratiæ non datur de facto & entitatiuè, nisi iuxta dispositionem proportionatam ad tale augmentum, vel in hac vita, vel in alia; si verò totaliter remoueretur illa dispositio, illa merita tantum valerent ad præmium accidentale; & in hoc sensu loquitur sanctus Thomas, quando docet, *Quod si homo resurgit per dispositionem remissam, merita illa non valent nisi ad præmium accidentale:* quod verissimum est in sensu formali; id est, quantum est ex vi dispositionis remissæ. Accedente verò dispositione feruentiori & proportionata, nunquam negat sanctus Thomas dari illud augmentum, & præmium substantiale, vt patet in ista quæst. 89. art. 2. ad 2. Quod verò iste feruentior actus detur in hac vita, vel in alia, nunquam negauit sanctus Thomas.

Ad secundum fundamentum Respondetur, Pœnitentiam etiam se habere vt causam remouentem prohibens, vt diximus ex sancto Thoma; sed tamen non omnis causa remouens prohibens, remouet adæquatè & totaliter impedimentum, sed aliquando plus, aliquando minus, vt ostendimus; Et ita se habet Pœnitentia respectu gratiæ antiquæ. Neque obstat, Quod peccatum quod erat impedimentum totaliter tollitur; iam enim diximus, Quod ad habendam illam maiorem quantitatem, seu augmentum gratiæ, non solùm peccatum est impedimentum, sed etiam defectus dispositionis proportionatæ & requisitæ ad recipiendum de facto & entitatiuè ipsum augmentum gratiæ; & hic defectus dispositionis non plenariè tollitur in eo, qui remissè resurgit.

Ad tertium Respondetur, Quod operibus remissè factis, vel remissè viuificatis, verè promeremur vitam æternam, & augmentum gratiæ &

gloriæ, vt sumitur ex Concil. Trident. sess. 6. A can.32. nec aliquid illis deest, quominus eandem vitam æternam, & idem augmentum promeruisse dicamur; scilicet quantum ad vim & rationem meriti; quantum autem ad actualem exhibitionem præmij, & augmenti, quando & quomodo detur, & à quibus conditionibus vel dispositionibus dependeat, Concilium nihil docet, sed relinquit disputationi Theologorum. Immò cùm Concilium dicat, *Gratiam dari vnicuique iuxta eius dispositionem*; consequenter etiam innuit dari augmentum secundùm dispositionem subiecti; quæ dispositio ad augmentum, vel in hac vita, vel in alia datur; Et sic nunquam fraudamus merita, etiam remissa, suo præmio; sed dicimus hoc augmentum & præmium non semper statim dari, sed suo tempore (scilicet quando adest dispositio proportionata illi augmento sic intenso) quæ dispositio semper dabitur saltem in alia vita. Quare nec aliquid ponimus contra Concilium, B sed semper iuxta illud; quia nec defraudamus merita, etiam remissa, suo præmio essentiali, nec negamus quod gratia & augmentum illius detur iuxta dispositionem propriam & proportionatam illi augmento, quæ dispositio saltem dabitur in alia vita.

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ, quibus vel ipſe ſcitè Auctor vſus eſt,

VEL HÆRETICIS OBIICIENTIBVS, EX SCHOLÆ VSV ERVDITE RESPONDET.

Primus numerus pag. notat; alter colum.

Ex Libro Geneſis.

3.23. HOc nunc vs ex oſſibus meis, 58. C. 2.

8.20. Obtulit holocauſta ſuper altare, 278. B. 2

12. 3. Benedicentur in te omnes cognationes terræ, 66. C. 2.

14. 18. Et Melchiſedec Rex Salem protulit panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, 218. B. 2. 278. E. 2.

15. 6. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, 164. C. 1.

17. 14. Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur Anima illa de populo ſuo, 164. A. 2.

22. 2. Offeres illum ibi in holocauſtum, 278. C. 2.

Ex Libro Exodi.

22. 20. Qui immolat dijs, occidetur, præter Domino ſoli, 277. E. 2.

Ex Libro Leuitici.

26. 39. Propter peccata Patrum ſuorum affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas, 295. E. 2.

Ex Libro 1. Regum.

15. 22. *Melior eſt obedientia, quàm victimæ,* 278. *B.* 2.

Ex Libro 3. Regum.

17. 18. *Ingreſſus es, vt rememorarentur iniquitates meæ, 354. E.* 1.

Ex Libro Pſalmorum.

4. 6. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ,* 278. *D.* 1.

8. 6. *Gloria & honore coronaſti eum, &c.* 2. *A.* 1.

18. 13. *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo,* 309. *D.* 1.

22. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus omnes qui tribulant me,* 265. *E.* 1.

31. 5. *Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei,* 298. *A.* 1.

39. 7. *Sacrificium & oblationem noluiſti,* 278. *B.* 2.

49. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me,* 278. *E.* 1.

50. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus,* 278. *E.* 1.

50. 21. *Acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta,* 278. *B.* 2.

73. 12. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ,* 2. *A.* 1.

78. 8. *Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum,* 354. *E.* 1.

103. 15. *Et panis cor hominis confirmet,* 265. *C.* 1.

108. 14. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius,* 354. *E.* 1.

109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum,* 192. *C.* 2.

Ex Libro Prouerbiorum.

5. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringetur,* 304. *A.* 1.

8. 35. *Præparatur voluntas à Domino,* 87. *B.* 2.

Ex Libro Sapientiæ.

9. 15. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam,* 359. *D.* 1.

Ex Iſaïa.

1. 13. *Ne offeratis vltra ſacrificia veſtra,* 278. *C.* 2.

Ex Ezechiële Propheta.

18. 22. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor,* 359. E. 2.

Ex Daniële.

3. 40. *Sicut in holocauſto arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo, vt placeat tibi,* 288. *C.* 1.

12. 11. *Et à tempore, cùm ablatum fuerit iuge Sacrificium, & poſita fuerit abominatio, dies mille ducenti nonaginta,* 280. E. 1.

Ex Oſee.

6. 6. *Miſericordiam volo, & non Sacrificium,* 278. *B.* 2.

Ex Ioële Propheta.

2. 25. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta,* 359. *D.* 2.

Ex Nahum Prophera.

1. 9 *Consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio*, 359. E. 2.

Ex Zacharia.

9. 17. *Quid est bonum eius & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* 265. A. 2. 279. D. 2.

Ex Matthæo.

16. 19. *Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris super terram, &c.* 294. B. 2. 299. E. 2.

18. 18. *Amen dico vobis, Quæcunque ligaueritis super terram, &c.* 294. B. 2. 299. E. 1.

26. 26. *Accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite & manducate, &c.* 256. E. 2.

26. 28. *Hic est enim Sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, 268. E. 1.

Ex Marco.

14. 25. *Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis*, 217. C. 1.

16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, 77. C. 2. 295. C. 1.

Ex Luca.

3. 3. *Venit prædicans Baptismum Pœnitentiam remissionem peccatorum*, 295. D. 1.

6. 9. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, 138. E. 2.

8. 46. *Ego sensi virtutem de me exiisse*, 138. E. 2.

13. 5. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, 299. E. 1.

20. 25. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, 277. D. 2.

22. 20. *Hic est Calix nouum Testamentum in meo sanguine*, 264. A. 1. 283. A. D.

Ex Ioanne.

1. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, 75. A. 2.

1. 17. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est: &, De plenitudine eius nos omnes accepimus*, 157. A. 2. 279. D. 2.

3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum*, 164. A. 2. 210. E. 2.

4. 24. *Veri adoratores in spiritu adorabunt Patrem*, 279. B. 2. 281. B. 1.

6. 52. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*, 264. D. 1.

6. 54. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, 210. D. 2.

6. 55. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die*, 265. C. 2.

6. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: &c.* 198. C. 1.

6. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*, 264 D. 2.

6. 58. *Qui manducat me, viuet propter me*, 264. A. 2. D 2.

6. 59. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, 76. C. 1. 198. C. 2. 266. D. 2. 383. A. 1.

9. 5. *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi*, 266. E. 1.

15. 3 *Iam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis*, 76. E. 2.

16. 29. *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis*, 234. A. 2.

20. 22. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur, &c.* 76. C. 1. 294. B. 2. 299. E. 2.

Ex Libro Actorum.

4. 12. *Non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri*, 157. A. 2. 211. C. 2.

8. 22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum; si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*, 294. E. 1.

10. 38. *Qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes*, 2. A. 1.

14. 14. *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines*, 274. A. 1.

15. 9. *Fide purificans corda eorum*, 76. E. 2. 77. C. 2.

19. 18. *Multi credentium veniebant, confitentes peccata sua*, 294. E. 1.

Ex Epistola ad Romanos.

1. 16. *Virtus Dei est in salutem omni credenti*, 76. C. 1.

1. 17. *Iustus ex fide viuit*, 77. C. 2.

3. 1. *Quid ergo amplius est Iudæo? aut quæ vtilitas est Circuncisionis? &c.* 164. B. 1.

3. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, 158. C. 1.

3. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*, 73. C. 1. C. 2.

3. 28. *Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus Legis*, 77. C. 2 158. B. C. 1. 164. C. 1.

4. 2. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*, 158. B. 1.

4. 11. *Signum accepit Circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei*, 157. B. 2. 164. B. 1.

4. 15. *Lex enim iram operatur*, 158. B. 1.

4. 25. *Resurrexit propter iustificationem nostram*, 137. C. 2.

5. 13. *Peccatum non imputabatur, cùm lex non esset*, 158. B. 1.

6. 4. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, 155. D. 1.

6. 23. *Gratia Dei vita æterna*, 158. E. 1.

7. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum*, 158. E. 1.
8. 14. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*, 158. E. 1
9. 4. *Quorum est adoptio filiorum*, 158. E. 1.
10. 10. *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem*, 65. E. 2.
13. 7. *Reddite omnibus debita: cui tributum tributum: cui vectigal vectigal*, 277. D. 2.
13. 10. *Plenitudo Legis est dilectio*, 158. E. 1.

Ex Epistola prima ad Corinthios.

1. 21. *Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes*, 31. E. 2.
5. 3. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, &c.* 316. B. 2.
10. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* 284. B. 2.
10. 17. *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus*, 26. E. 1.
10. 18. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* 285. A. 2.
11. 23. *Accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis, &c.* 285. D. 1.
11. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, 265. A. 1. 294. A. 2.
11. 29. *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini*, 202. E.
13. 13. *Nunc manent Fides, Spes, Charitas: tria hæc*, 329. E. 1.

Ex secunda ad Corinthios.

1. 22. *Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, 165. E. 1.
2. 6. *Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis & consolemini*, 294. A. 2.
3. 6. *Littera occidit: spiritus autem viuificat*, 77. C. 1.

Ex Epistola ad Galatas.

2. 21. *Si ex Lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est*, 157. B. 1.
3. 19. *Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, 65. D. 1.
3. 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis*, 75. A. 1.
3. 4. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*, 359. E. 2.

Ex Epistola ad Ephesios.

1. 4. *Elegit nos in ipso*, 58. D. 1.
1. 13. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto*, 165. E. 1.
3. 17. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris; in charitate fundati & radicati*, 1. A. 2.
5. 2. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*, 174. E. 2.
5. 25. *Mundans lauacro aquæ in verbo vitæ*, 76. C. 1. 77. A. 1. 295. C. 1.

Ex Epistola ad Philippenses.

2. 12. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini: Deus enim est qui operatur in vobis velle & perficere*, 87. B. 2.
3. 21. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, 155. D. 1.

Ex Epistola ad Colossenses.

1. 15. *Ipse est primogenitus omnis creaturæ*, 58. D. 1.
2. 14. *Delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, 32. E. 2.

Ex prima ad Timotheum.

1. 15. *Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere*, 1. B. 1.
4. 10. *Ipse est Saluator omnium hominum*, 157. A. 2.

Ex secunda ad Timotheum.

1. 6. *Vt resuscites gratiam, quæ in te est, per impositionem manuum mearum*, 77. A. 1.

Ex Epistola ad Titum.

3. 6. *Saluos nos fecit per lauacrum*, 76. C. 1.

Ex Epistola ad Hebræos.

1. 1. *Locutus est nobis in Filio*, 65. C. 1.
5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*, 274. E. 2. 277. B. 1. 278. B. 2. 282. A. 1.
6. 4. *Impossibile est rursus renouari ad pœnitentiam*, 295. E. 1.
6. 9. *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis & ministratis*, 154. D. 2.

7. 11. *Si consummatio erat per Sacerdotium Leuiticum, quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron dici? Translato enim Sacerdotio, necesse est vt & Legis translatio fiat*, 280. C. 2. 282. A. 2.

7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit Lex*, 77. C. 2. 157. C. 1.

7. 24. *Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium*, 192. C. 2.

9. 7. *Semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia*, 164. A. 2.

9. 9. *Solummodo in cibis & in potibus, & in variis baptismatibus & iustitiis carnis, vsque ad tempus correctionis impositis*, 159. E. 2.

9. 15. *Noui Testamenti Mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hæreditatis*, 264. A. 2.

9. 26. *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit*, 174. E. 2. 283. C. 1.

9. 28. *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, 174. E. 2.

10. 1. *Vmbram Lex habens futurorum bonorum*, 74. A. 2.

10. 4. *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*, 164. C. 2.

10. 14. *Vna hostia consummauit in æternum sanctificatos*, 282. A. 2.

13. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt*, 280. B. 2.

13. 16. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*, 258. E. 1.

Ex Catholica Iacobi.

5. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, 298. B. 2.

Ex prima Petri.

2. 5. *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum: offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum*, 278. B. 2.

3. 2. *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed &c.* 76. D. 2.

Ex Petri secunda.

1. 4. *Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*, 1. A. 2. 172. B. 1.

Ex Ioannis prima.

3. 9. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet*, 172. B. 1.

Ex Libro Apocalypsis.

3. 3. *In mente habe qualiter acceperis & audieris; & serua, & pœnitentiam age*, 294. A. 2.

13. 8. *Agnus occisus ab origine mundi*, 73. C. 1. 157. A. 2.

Finis Indicis locorum Scripturæ.

INDEX RERVM,

QVÆ IN HOC TOMO DE SACRAMENTIS, ex Scholæ vsu, clarè ac solidè Auctori explicantur, certaque amussi doctrinæ ac mentis S. Thomæ.

A.

GRATIA Adami à Christo, vt eius intrat prædestinationem, non vt primò data, 58.1. Cognitus illi Christus vt consummator gratiæ, non vt Redemptor. Matrimonium eius, signum Christi speculatiuum, non practicum. 58.59

Attritio, non ipsa Virtutis alicuius actus, sed ex diuina motione, 90. Remouens prohibens in Sacramentis viuorum, non præparatio ad maiorem gratiam, quàm sit ipsius Sacramenti, 91. In aliis, & vt in termino Contritio, etiam dispositio. 92

B.

AD Baptismum eiusque effectum ac gratiam in illo, dispositio in adulto cum solo Orig. sola fides. Alioqui, & cum Mortali, necessaria saltem vera & supernaturalis Attritio, vt & in Pœnitentia. Sufficit tamen hæc virtualis. Ad valorem in adulto, necessaria eius suscipiendi saltem virtualis intentio, 86.87. Paruulorum Baptismo tinctorum eadem gratia quocumque Ministro tingantur. 93

In Baptismo additio, *& in nomine Beatæ Virginis*; quod inualidet, aut non inualidet, ex intentione proferentis est, 50.c.1. Quid in illo, interrogatio conscientiæ ad Deum, 77.E.1. Verbum vitæ in eo consecratorium, non concionatorium. 77.E.2

Baptismi character potentia passiua, vt validè & Sacramentaliter recipi possint alia Sacramenta. 180

C.

CEnsurarum potestas & forensis tradita Matth. 16. & 18. non ipsa remittendi peccata. 300.C.1.

Imprimi Characterem indelebilem in Anima per Sacramenta, fides docet, 165. Character potentia; vindicatus sanctus Thomas, 166.173. 174. 175.176. 177.178. Character verum efficit Sacramentum, sed non semper bene, vnde nec habitus: Per se primò ordinatus ad diuina tradenda aut recipienda. 167.173.174.177.178

Character potentia ministerialis: hinc reductiuè in genere, 167.183.185. 186 Quid pro formali? Aliquid rationis, Durand. voluit, quod videtur damnatum esse. Character res absoluta, fundans relationem: signum, non ex aliqua impositione, sed ex natura sua. 168

Character qualitas est, non modus; ex adiuncto Sacramento signum & secundariò, non ipse per se. 169. Distinctiuus, non ipsa distinctio; deputatio realis à Deo, & forma in sua entitate accidentalis, vi cuius debeatur concursus, vt eo Minister vtatur, cùm voluerit. 170. 171. 172. 174. 175. 176.

Characteris effectus à conditione morali dependens, in Confirmatione, Pœnitentia, &c. 176.

Character, alius potentia actiua, alius passiua; quid hæc in illo. 179. 180. 181.182. 183. vide Baptismus, Confirmatio, Ordo.

Character, Christi character: Est in potentia Animæ (nempe in intellectu) atque in eo indelebiliter, 187. 188. 189.190. 191. 192.193. Suarez friuola quæstio, An Character sit qualitas intensibilis. 194

Tria duntaxat Sacramenta imprimunt Characterem, Baptismus, Confirmatio, Ordo: nulla Vetera. Scoti opinio singularis, quod imprimeret Circuncisio. 194.195.196

Christi Passio futura, causa finalis gratiæ Patrum, non efficiens: ipsa existens, etiam efficiens & causa physica, non solùm moralis. Eius Resurrectio, causa efficiens nostræ resurrectionis. 71. 72. 73

Circuncisio & Legis Naturæ remedium, gratiam paruulis conferebant ex opere operato passiuè; adultis solùm ex opere operantis, per fidem Iesu Christi; nec aliter reliqua vetera Sacramenta, 158.159.160. Quid hæc differant? Opus operatum actiuè siue efficientia physica. 161.162. Circuncisionem characterem impressisse, Scoti opinio. 195

Confirmationis Character actiuus & passiuus. Illius fidei professio ac defensio, quasi ex officio, tùm nec digna & ex fide virtute, sed actus ex circumstantia malus est. 183

Consecratio. Vide Eucharistia.

Contritio, vltima dispositiò ad gratiam, ex Dei misericordia, non ipsa sufficiens & à se. 88

E.

EVcharistia, verum Sacramentum, à reliquis distinctum. Sancti Thomæ ratio vindicata, 198. Eucharistia, verus Animæ cibus & eius vita. Augmentum distinctum ab eo qui est proprius Confirmationis. 199

Eucharistia essentialiter & in recto, species consecratæ, pro quibus supponit. Christi Corpus extrinsecè connotatum, vt in eis contentum & adoratum. Verba consecrationis, ipsa pars Sacramenti & forma intrinseca (etsi efficiens) in genere signi. 200.201. 202

Christi Corpus Sacramenti effectus; in eo Res & Sacramentum; vnum cum Sacramento, vnumque Sacramentum. Eius Caro, cibus in quem conuertamur, non ipsa signum aut Sacramentum. 201.202. 203

Sacerdos, Eucharistiæ causa efficiens: eius materia remota, & proxima; remouenda illa, hæc ponenda. Eucharistia vnum specie Sacramentum, vt vnum conuiuium vnaque refectio: vnitas numerica, quæ & vnde. 204. 205. 206. 209.
Quælibet species ipsa Sacramentum essentialiter. Easdem gratiam vtraque conferri, ac vnâ, quod totus in qualibet Christus; Auctoris sententia: verius fortè, aliam & aliam vtraque præstari, vt non est tota significatio in vna; nulla tamen hinc laïcos gratia necessaria priuari, aut affici iniuria. 207. 208
Eucharistiæ ipsa realis sumptio non necessaria absolutè vt medium, 210. Baptismi & Eucharistiæ in necessitate discrimen, 211. Eucharistia necessaria in voto, & non necessaria. Quid illud Eucharistiæ votum, sine quo non est salus. Eucharistia finis & consummatio omnium Sacramentorum, 211. 212. 213. 214. 215. 216.
Vtraque necessariò consecranda species, iure diuino, in quo nihil relaxare Ecclesiæ liceat; nulla cogat necessitas. Dispensasse aliquando, commentitium. Iuris diuini relaxatio, qualis ei concessa. Excepta semper intelligitur Sacramentorum substantia. 218. 219. 220. 221
Eucharistiæ materia certa & dubia. Fermenti ritus aut Azymi, accidentalis; sub graui præcepto cuique seruandus, pro ritu suæ Ecclesiæ. Nec satis cautè, qui Græcos in Azymo cogunt facere. 222. 223
Aqua vino miscenda ex Ecclesiæ præcepto. Diuinum videtur Cyprianus velle; sed largè, pro eo quod est fundatum in Christi exemplo, 226. Quid illa fiat, variæ sententiæ: Tunc solum verti in Sanguinem, cùm prius fuerit conuersa in vnum, Auctoris sententia, ipsa magis Innocent. III. probata. 227. 228. 229
Eucharistiæ veritas, & Transubstantiatio, veraque conuersio Elementorum in Corpus & Sanguinem Christi stabilita, 233. & seq. Ritè ex ipsis verbis Dominicis illata, 237. & seq. Vera manducatio Discipulis intellecta, nec correcta. Adoranda Eucharistia. 235
In Eucharistia, figura cum veritate, 236. Conuersio totalis, ipsa formalis in Eucharistia; in ea mutatio metaphysica, etsi vera & realis, 240. 247. Terminus, Christi Corpus vt ex pane, & cum noua dependentia, quod sit reproductum, 240. 241. 242. Diuina virtute potest quodlibet in quodlibet conuerti, vno ipso Deo excepto, 243. & seq.
Transubstantiatio, alia à creatione actio. Eius subiectum & non subiectum. Panem non annihilari, vna sancti Thomæ ratio euincit, 248. 249. 250. 251.
Christi Corporis in Sacramento vera præsentia: eius singularis modus, nec oculo corporeo vlla virtute visibilis, 252. 253. Sed nec Angelus videre potest naturali lumine, 254. 255.
Christus Dominus consuetis verbis consecrauit & Ecclesiæ traditis: quibus scilicet significatur conuersio elementorum in Corpus & Sanguinem Christi. Reliqua, ad substantiam formæ pertinere possunt: non tamen sunt de essentia. Græcorum inuocatio quò spectet post verba Dominica, 256. 257. 259. 260. Causant physicè conuersionem. 261. 262
Eucharistiæ effectus, Gratia; sed non prima: quandoque & prima per accidens, ex communi ratione Sacramenti suique eminentia, 264. 265. 268. 269. Gloria, resurrectio corporum, mitigatio fomitis: Non est tamen horum omnium causa physica, 265. 266. Pœnarum remissio illi propria vt est Sacrificium. Causat in ipsa tractione specierum. Remissio venialium, eius ex opere operato effectus, sine etiam formali actu charitatis. 266. 267
Eucharistiæ effectus proprius, gratia cibans: communis, ipsa gratia, si desit in subiecto, nec obex ex malitia sit, vel ignorantia excusauerit. Dispositio per se & per accidens ac permissiuè, 82. 83. 84. Ei, qui sibi conscius sit P. Mort. necessario præmittenda confessio, iure diuino à Paulo promulgato. 271. 272
Eucharistiæ capax omnis baptizatus. Data olim paruulis; nunc pro periculo irreuerentiæ illis negata. Amentibus per interualla lucida, vel etiam in extremis, cùm ad eam antè deuotionem habuerint, secluso irreuerentiæ periculo, dari debet, 270. 273. Ieiunij naturalis legem excusat Viatici necessitas: potestque sæpius iterari in eadem ægritudine, ac quoties ægroto ipsa deuotio ac necessitas prudenter suaserit, ac per dierum aliquot interualla. 272
Vnicum verum in Ecclesia Sacrificium, nempe Eucharisticum. Vexatus pro eo Malachiæ locus & Danielis, 279. 280. Pauli solutus, de vna Christi oblatione Iteratio Sacrificij vt imperfecta. Sacrificium Eucharisticum, ipsum spiritalis cultus, à Christo primùm in Cœna exhibitus, & ab eo Ecclesiæ traditus 281. 282. 283
Sacrificium Eucharisticum, ipsum non consummatiuum nostræ salutis, sed Sacrificium Crucis. Tota eius ratio in consecratione posita, qua mystica Christi immolatio est: sumptio, solùm connotata, vt ad quam ordinetur immolatio, 284. 285. 286. Eadem hîc consecrandi actio & offerendi; ponendi victimam & immolandi. 287
Sacrificium Eucharistiæ propitiatorium & impetratorium. Impetratio ipsa non infallibilis; ad omnia se extendit. Remissio pœnæ proprius per se effectus, non remissio peccati aut infusio gratiæ. Incertum remittere venialia directè, 287. 288. 289
Sacrificij Eucharistiæ valor infinitus. Determinatio effectus ex dispositione eius pro quo offertur, non ex Ministri voluntate, 289. Prodest, pro quibus offertur (Viuis & Mortuis) in gratia constitutis: peccatoribus solùm per modum impetrationis, 290. Vide, Missa. Vide, Sacrificium & Sacramentum.

F.

Fides iustificans, ipsa fides viua & charitate formata: Fides, Lex Euangelij, 77.
Fides causa gratiæ vt dispositio; Sacramenta vt instrumenta. 78

G.

Gratiæ eductio de potentia Animæ, non creatio, 107. 108. Obedientialis ad eam potentia, & quæ illa. Nulla actio media, vt non sit eductio vel creatio. Non educi lucem & species, improbabilis Cabreræ opinio. 110. 111
Gratiæ ipsa substantia à Sacramentis, non sola eius vnio cum Anima: Instrumentalis in eam influxus: instrumenti præuia motio, vt subijciatur principali agenti, non vt aliquid circa gratiam disponat. 94. 95. 106
Gratiæ Sacramentalis peculiaris perfectio intrinseca; eique peculiarius debita auxilia. Educitur Gratia de potentia Animæ vt accidens & vt

qualitas, non vt gratia & participatio diuini esse. 140. 141. 145. 146
Gratia sacramentalis necessaria: idem habitus ac gratia communis, modo ab ea distincta, 145. 146. 147. eius hic modus & formalitas: quid auxilij nomine. 147. 148. 149. 150. 151. 152

I.

STatus Innocentiæ perfectio, per subiectionem ad Deum, & ab eo recipiendo, non per Sacramenta. In eo signa externa, sed speculatiua, non gratiæ practica. 57. 58. 59. 60
Eius status nulla ignorantia quasi priuatiuè: scientia à Deo, per sensibilia, vt obiecta, non vt media. 60. 61. 62. 63
Status irreparabilis; Incertum an vlla in eo Pœnitentia. Fuissent Sacrificia: quid illa à Sacramētis differant: in patria, nulla ipsa futura. 62. 63
Instrumenti operatio præuia: verè agat necesse est, vt subiiciatur principali agenti. 109. Creationis instrumentum esse non potest. 110. Virtus in eo spiritualis, seu magis ad spiritale, ipsa motio & quid intentionale. 112. 113. 122. 123. 124
Virtus instrumenti nec qualitas permanens, nec potentia obedientialis actiua, nec sola assistentia extrinseca; sed motio intentionalis. 113. 114. 115. 116. 1.7. 118. &c.
Motio in instrumento, ipsa causæ principalis actio illi imprimens, sibique illud subiiciens. Motio præuia, ipsa virtus instrumenti in actu primo, nec alia virtus instrumenti propria. 118 119
Instrumenti virtutis præuia, non ipsa potentia obedientialis: ipse modus agendi creaturæ ex subiecto, à quo nec ipsa abstrahunt diuina instrumenta. Actio creatiua, ipsa substantia. 141. 142.
Motionis terminus in instrumento, forma aliqua, quorundam sententia. Virtus vt forma, agentis principalis; instrumenti, vt motio, 110. 121. Motio instrumenti & auxilium præueniens, diuersa. Virtus in instrumento, actiuè & passiuè. 122. 123.
Virtus instrumenti, ipsa causæ principalis in esse intentionali. Actus primus simul cum secundo, ex vno influxu agentis principalis. 134. Dei imperium virtualiter transiens. Intelligentia, verè cœlo imprimit. 135. In instrumentis diuinis nullus per se necessarius motus proprius. 136
In instrumentis gratiæ, virtus nec corporea, nec ens propriè, sed ad incorporeum. Aliis, entitatiuè corporea, virtualiter spiritualis. 133. 133 Instrumenta naturalia & conjuncta, ipsa à se eleuata; non separata, aut etiam phantasma. 125. 135. Vsus instrumenti, ipsa eius eleuatio. Motio, ipse motus instrumenti realiter, formaliter quid præuium. 133
Iustificatio in Sacramentis, ipsa gratuita, etsi quis dispositus accedat; nec sibi ipse auctor illius, sed à Deo misericorditer impetrat. Eius nobis Deus auctor, etsi non sine nobis. 87, 88

M.

MAtrimonij Materia ipsa Tridentino non mutata; sed quæ erat, quasi corrupta. Materia semper eadem, verus & legitimus consensus; idemque forma, vt acceptatio. Cani opinio, Formam esse verba Sacerdotis conjungentis Sponsos, nec aliàs Matrimonium Sacramentum esse. 34. 35
Matrimonium nutu solo confici potest, & in absentia, quod illa sit ratio contractus; & contractum Dominus ad esse Sacramenti eleuauerit. 301. D. 1. 314. D. 1. 316. D. 1
Ministri sanctitas nihil ipsa directè confert in Sacramento ad majorem gratiæ effectum: sed solùm impetrando aliqua auxilia, aut magis præparando, vt quis deuotius illud recipiat. 93
Missarum stipendium vt vacet Simoniæ labe: ex eo obligatio quasi ex iustitia. Potest & diues Sacerdos accipere: nec pauper pluribus vno Sacro potest satisfacere, etsi aliàs id concessum est, possitque etiamnum ex iusta causa, Ecclesia indulgere. Totum stipendium quod acceperis, illi tribuendum per quem onus imples; nisi titulo Beneficij iuueris. 291. 291. 29[illegible]

O.

OPinio probabilis in Sacramentis, quam sequi liceat: Aliud à dubio. In dubiis tutior pars eligenda, non tutior opinio, aut magis probabilis: Opiniones in Sacramentis probabiles, ipsæ tutæ. Quæ opinio & probabilitas dubium excludat. 51. 52
Ordinis Character potentia actiua; inchoatiuè in Minoribus, in Sacerdotio perfectè. Characteris potestas ipsa instrumentaria; non tamen purè obedientialis. Minister necessitatis in Baptismo, sine Charactere præstat, quod ex illo Sacerdos, quasi ex proprio munere. 181. 182

P.

PEccatum Mortale non remittitur sine Pœnitentia; probatque ratio S. Thomæ: quandoque tamen ea virtualis sufficit, id est, actus Charitatis; sed non cùm quis sibi conscius est peccati mortalis. 340. 341
Nec de potentia absoluta tolli potest sine Pœnitentia, vt est voluntaria Dei offensa, manente eadem persona: secus reatus pœnæ. Visione beata eminenter tollitur & in radice; multò magis Vnione hypostatica. 342 343. 344
Peccatum veniale Pœnitentia virtuali tollitur, tum ex opere operantis, tum ex opere operato per Sacramenta & Sacramentalia: nunquam tamen [illegible] hæc immediatè, sed ex feruore aliquo charitati[illegible] vel motu religioso in Deum aut diuina, qui sit peccati venialis virtualis displicentia, vt retardat affectum in Deum. 344. 345 346. 350. 351. &c.
Peccatum Veniale concomitans, susceptioni Sacramenti eiusque effectui non omnino officit: secus Mortale, sæpe etiam cùm quis de illo attritus acced[illegible]t. 90
Petrus Oxomensis, non rectè sentiens de Pœnitentiæ Sacramento, probante Sixto IV. damnatus. 298. C. 2.
Pœnitentiæ Sacramentum à reliquis distinctum, Fides docet, 294. 295. Ioannis locus de illo vindicatus. 296. Omni tempore & statu, post peccatum, necessarium: Vt Sacramentum Nouæ Legis à Christo immediatè post Resurrectionem institutum. 298. 299
Sacramenti Pœnitentiæ forma necessariò in verbis posita. *Absoluo te*, sola necessaria & sufficientia: haud tamen facilè preces, aliaque ex Ecclesiæ vsu & pro Sacramenti majestate, omittenda. 300. 301. Inuocatio Trinitatis; Sacerdotis arbitrio relicta: Omittens *à peccatis tuis*, videtur grauiter peccare. 302
Sensus formæ, *Sacramentum absolutionis impendo*, sententia sancti Thomæ. Præsumptuosum illi & penè erroneum, proferendam esse modo deprecatiuo aut optatiuo. Vera sunt eius verba etiam in Sacramento informi, & cùm iam

per contritionem charitate formatam remissa sunt peccata, vel aliàs expiata. 303.304.305.306
Sacramentum Pœnitentiæ, Pœnitentis Confessione constat & Sacerdotis Absolutione, proque illis supponit: Peccata materia remota & circa quam, ipsa destruenda & connotata. 306.307 Tenetur dubius An commiserit, vel An sit mortale, quod commisit, confiteri: quod est dubium facti, non legis. 308.309
Contritio seu Attritio supernaturalis ex motiuo & principio necessaria, vt sit pars Sacramenti: non tamen sufficiens vt disponat ad illius effectum, nisi dolor ipse sit cum spe veniæ & efficaci emendationis proposito: quod cùm ignoranti bona fide absit, fit Sacramentum informe. 310. 311. 312. 313. 310. 321. &c. Fictio vt tollatur. 324. &c.
Nulla est absolutio sacramentalis in absentia; idque ex ipsa Christi institutione & tribunalis natura, quod exercetur in hoc Sacramento: Absoluendus tamen Moribundus, quem testentur, qui adsunt, Pœnitentiam expetiisse priusquam sensibus destitueretur; fuit hæc perpetua praxis Ecclesiæ; nec illi Clem. VIII. detractum voluit sua Constitutione. 313. 314. 315. &c.
Habet & Pœnitentia, quod sit Res & Sacramentum; idque illi cum reliquis Nouæ Legis Sacramentis commune est: Contritionem scilicet vt subordinatur Absolutioni, & significat dandam gratiam ex ipsa vi Sacramenti. 316.317.318.
Pœnitentia Virtus, species Iustitiæ est, sed imperfecta; ex se non inclinans ad faciendum æquale, quòd illud creaturæ ad Deum offensum impossibile est. Ac nec Charitas, nec Religio est; sed ipsa per se virtus ex speciali motiuo. 330.331 333.334.
Pœnitentia effectiuè moraliter expellit peccatum. Operari eam physicè mediatè ad iustificationem, probabile: Effectiuè in se, formaliter in effectu; sed quasi materialiter & mediatè, disponendo subiectum vt sit capax gratiæ à Deo recipiendæ, & cooperando in sua i[illegible]ficatione. 336.337.338.
Per Pœnitentiam reuiuiscunt Merita, reditque deperdita Gratia: non autem per sequens peccatum redeunt peccata remissa. Pro ratione dispositionis, qua quis resurgit, plus aut minus recipit de gratia amissa: totum verò, cùm in instanti separationis, se Anima per actum feruentiorem plenè disponit. 353.&c.
Potentia obedientialis actiua repugnat, non passiua. Potentia vitalis passiua formaliter, radicaliter actiua. 126. Tota virtus formalis actiua à principali mouente. 127. Vnde repugnet potentia obedientialis actiua, non passiua. 128
Potentia obedientialis ipsa creatura: passiua & materialis in ordine ad receptionem, actiua in ordine ad effectum ex virtute recepta & eleuante. 129. Passiua, respectu Dei cui obedit; actiua, respectu eius ad quod obedit. 130
Potentiæ vitales ipsæ causæ principales supernaturalium actuum; quod se moueant, quod effectus eis assimiletur; etsi in eis habitus vel auxilium est tota ratio formalis agendi. 131

S.

SAcramentum analogum attributionis 1. D. 2. Vt hic sumitur in genere signi, ex ipsa ratione talis analogi; scilicet in genere causæ formalis. 3. 1. 2. Ratio signi ipsa generica & per se in Sacramentis. 4. 1. 2.
Sacramenta Nouæ Legis speciali ratione causæ: Ratio hæc in illis subordinata rationi signi. 4. D. 1. Ratio causæ quasi differentialis, vt ex peculiari institutione Christi, & vt causant modo Sacramentali. 5. B. C. 1. 2. 10. 1. 2. 19. 20.
Sacramentum, ens rationis; reale ex fundamento, sicque verè existens. 6. 1. 2. Signum ad placitum & ex impositione; supposita tamen aliqua aptitudine ex similitudine: formaliter relatio rationis; non denominatio extrinseca. 7. 1. 2. 8. 1. 2.
Sacramentum, non simpliciter ens rationis, sed pro formali, & secundum quid. Materia, eius tota substantia, & ex qua ens rationis vt in materia reali, non vt cognita. 9. 1. 2. 10. Vnum per se, etiam materialiter & definibile. 11. 1. 23. 1. 2.
Sacramentum, signum sacrum tam ex parte rei significatæ, quàm significantis. 11. E. 1. 2. Ex hoc altero, ritus sacer & cerimonia, actus Religionis quasi materialiter & objectiuè. 5. D. 2. 11. 1. Conditio per se annexa Sacramento, non ipsa eius ratio. 12. 1. 2.
Sacramentum, ex communi sua ratione, nec causa legalis, nec veræ sanctitatis: cuius vna ratio, esse signum. 13. 1. 1. Deputatio ad diuinum cultum, per modum signi. 14. 1. 2. Signum practicum, sed non effectiuum 15. B. C. 1. 16. C. 1.
Sacramentum, vi sua signum practicum, quasi actiuè & ad finem dirigens, non vt medium ordinatum passiuè. 17. 1. 2. 18. Quid practicum & intellectus practicus, vnde signum practicum. Ibid.
Sacramentum, signum rei sacræ pertinentis ad hominem, eumque sanctificantis. 21. Definitio hæc per verum genus & differentiam: Per eam exclusa signa rei sacræ, vt non sint Sacramenta. 21. 1. 2. Signa gratiæ demonstratiua, etiam Vetera. 23. E. 2.
Sacramentum quid vniuocum ad Noua & Vetera. 24. 25. Analogum sancto Doctori in Sent. ex aliorum sententia. 16. Non signum vnius rei tantum: Omnia significant Auctorem sanctitatis & formam, & ad quem finem fiat; nec ex hoc signa ambigua aut analoga. 26. 27. 28. 29.
Expressius significatum in omnibus Gratia & Forma sanctificans; etiam in Eucharistia: Alij affirmant; alij negant. 30. 1. Sacramentum res sensibilis essentialiter; nec signum formale, sed instrumentale. 31. 32.
Sacramentorum res determinatæ per diuinam institutionem. In Lege Naturæ determinatio, ex interiori instinctu. Determinatio hæc, ex ipsa ratione Sacramenti & essentialis. 33. 34. Vide Matrimon. Non in omnibus Sacramentis æqualis determinatio 35. 36
Sacramenta Nouæ Legis, rebus constant & verbis, vt materia & forma. Horum vna & indiuisibilis significatio, ipsa in verbis expressior. Etiam in Matrimonio & Pœnitentia, res & verba. 37. 38. 39
Materiæ & formæ in Sacramentis vera vnio & realis: exque illis Sacramentum vnum realiter. 40. Forma, non quid extrinsecum, ipsa pars formalius expressiusque significans, cui cum parte altera sacramentalis vna significatio aduenit. 41. 42. Forma verborum vt pars & manens in Eucharistia. 43
In Sacramentis necessaria determinata verba, sic

quasi formaliter, & vt idem sensus perseueret. 44. 45. Quæ corruptio verborum aut mutatio Sacramentum tollat. 46. 47

Additio, quæ & qualis Sacramentum inualidet, nouique ritus intentio. 47. 48. Forma ambigua determinanda, vt sit valida. Intentus error aut hæresis cum vitiosa prolatione, formam tollit: priuatus error generali intentioni non officit. 49

Mutatio, vel additio in formis Sacramentorum, ex se culpa grauis: Leue quidam putant, omissionem particulæ *enim*, & additionem, *Quod pro vobis tradetur* Opinio in Sacramentis vt tuta, & excludens dubium. In illis nunquam ludicrè agendum. 52

Necessarium fuit ad humanam salutem institui Sacramenta; ad eam scilicet congrua, non tamen simpliciter necessaria. 53. 54. 55.

Sacramenta ante peccatum non necessaria, siue congrua. 56. Non debuisse esse in statu innocentiæ, multiplex ratio. 57. Sacramenta incongrua, nec vlla futura durante statu innocentiæ. 58. 59. 60. 61.

Sacrificia in eo futura, signaque alia practica, modò non Sacramenta. Sacramentorum finis, nostra sanctificatio, sine quo nec Sacramenta. 61 62. 63.

Sacramentum Legis naturæ contra originale, quasi tessera Religionis intrandæ. A Deo per instinctum, non immediatè: Necessarium necessitate præcepti & medij. Eius eadem ratio, causando gratiam, ac Circuncisionis: Antiquatum vt illa, Christi morte. 64. 65. 66. 67

Potestas instituendi Sacramenta quasi auctoritatiuè ex instinctu, longè alia à Christi potestate Excellentiæ. 67. 68. Fuit & Pœnitentia pro actualibus, ipsa necessaria. Eius à nostra discrimen. 69 70. Christi Passio vt veterum Sacramentorum causa? 71. 72

Sacramenta post Christum, ipsa expressiora & plena: nec eadem cum veteribus. 74. Sacramenta Nostra causare gratiam, fide certum. 75. 76. Quid in eis opus operatum? Non excludit propriam dispositionem in adultis. Hæreticorum de Fide excitante vexata argumenta. 76. 77. 78.

Sacramenta, alia viuorum, alia mortuorum. Ipsa Sacramenta viuorum ex ratione generica causant primam gratiam. 80. 81. Christi in eis institutio, vt quantum subiectum est capax, gratiam producant. 81. 83. 84. 85. Ipse gratiæ status sufficiens dispositio, vt Sacramenta viuorum gratiam augeant. In adultis fides sufficit cum solo Orig. in Baptismo: cum Mortali necessaria saltem Attritio & Pœnitentia. 86. 87. 88. 89.

Sacramenti effectus ex Dei promissione determinatus; major aut minor pro suscipientis conatu & dispositione: status gratiæ, solùm remouens prohibens, non dispositio ad majorem gratiam pro sui ratione: itemque Attritio in Sacramentis viuorum. 90. 91. Vera dispositio in aliis, & vt in termino iam Contritio. 92

Sacramentorum virtus & operatio in instanti extrinseco. Variæ exagitatæ sententiæ. 93. 94. 95 96. Ipsum in eo præsens Sacramentum in sua virtute seu effectu relicto. Qui in illo instanti moriatur, illius effectu caret. 97

Sacramentorum effectus recedente fictione, omnibus Sacramentis communis. In eo Sacramenta causæ physicæ. Baptismi obex vt tollatur Pœnitentiâ. 98. 99. 102. 103. 104

Sublato obice, dari gratiam ipsam minimam Sacramenti, non pro conatu ipsum amouentis, sententia verior. 100. 101. Virtus relicta, in vi cuius Sacramentum, quod præteriit, operatur. 102. 103. 140

Sacramenta verè attingunt & producunt gratiam; non eius solam vnionem cum Anima. 104. 105 140. Eius productio vera eductio, non creatio. Ad eam potētia obedientialis passiua in Anima, non actiua. 107. 108. Sacramenta eius producendæ instrumenta, S. Thomæ in Summa sententia. 107. Vide instrumentum, & Gratia.

Virtus in Sacramento, nec corporea, nec ens propriè, sed ad incorporeum: Aliis, entitatiuè corporea, virtualiter spiritalis. Character non virtus instrumenti in actu primo, sed deputatio, quid diminutum & potentia ministerialis. 123 124. 132.

Sacramenta, & Christi Humanitas, vera & physica instrumenta gratiæ. 137. 138. Gratia in Sacramentis, vt in instrumentis & signis, ac intentionaliter. 152. Continentia moralis sufficit ad fidem. 153

Sacramentorum virtus præcipuè ex Passione Christi. Ea consummata Sacramentorum virtus, etsi ante illam inchoata. 154. 155. Initiatio religionis in Cœna, in Passione consummatio; quando & Sacramenta ex Christi latere. 156

Sacramenta vetera iustificabant virtute fidei Passionis Christi, non ipsa à se. 157. 158. De Circuncisione quoad paruulos variæ sententiæ: verius contulisse gratiam ex opere operato passiuè; adultis solummodo ex opere operantis. 159 160. Quid opus operatum actiuè & passiuè: Opus operatum actiuè absque efficientia physica saluari potest. 161. 162

Sacrificium Religioni coæuum. Proprius diuinitatis cultus. Actus Religionis exterior; materialiter & præsuppositiuè cerimonia quædam. Ex se publica functio: possit & priuatus instituere spectato iure naturæ. Correlatum cum Sacerdotio: Eius veritas ex illius veritate: ipsum iuris diuini naturalis; determinatio iuris positiui. 173. 174. & seq.

Sacrificium propriè & impropriè. Propriè, rei externæ & permanentis oblatio cum eius immutatione. 178. Explicata eius definitio. Vna illi essentialis actio rei immutatiua in honorem Dei. Multiplex Sacrificij diuisio. 179

V.

VErbum viuificans, Euangelium ratione interioris virtutis, ipsa eadem in Sacramentis operans. Verbum vitæ in Sacramentis, consecratorium, quo accedente ad elementum fit Sacramentum. 77

Poterant minutiora alia adscribi, vel etiam sub aliis titulis eadem ipsa sæpius repeti: sed hæc sub communibus digesta titulis, *Sacramenti, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, &c.* vna quasi serie abundè sufficient, cunctaque facilè notatu digna ob oculos ponent. Menda leuiora sunt, quàm vt morari admodum possint. Paucula hæserunt marginibus. Quod semel obrepsit *affirmatiua*, pro *negatiua*, iam in Quæstionum serie animaduersum.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE : A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra; SALVT. Noſtre cher & bien amé ANTOINE BERTIER, Marchand Libraire de noſtre bonne ville de Paris; Nous a fait remonſtrer qu'il a acquis à grands frais vn Liure manuſcrit, qui traite *De Sacramentis in genere, & de Euchariſtia, deque Pœnitentiæ Sacramento*, composé par le Pere Iean de S. THOMAS, Religieux Dominiquain, en ſon viuant Confeſſeur de Sa Majeſté Catholique, lequel Liure il deſireroit faire imprimer, s'il nous plaiſoit luy accorder nos Lettres de Priuilege ſur ce neceſſaires; de crainte que quelqu'autre Libraire enuieux de ſon trauail, ne vouluſt à ſon prejudice imprimer ledit Traité *des Sacremens*, & l'vnir & incorporer auec les autres volumes de *Theologie*, déja imprimez de cét Autheur, ce qui luy cauſeroit ſa ruïne. A CES CAVSES, deſirans fauorablement traiter ledit Expoſant, & luy donner moyen de joüyr des fruicts de ſon labeur, Nous luy auons permis & permettons de noſtre Grace ſpeciale, pleine puiſſance & authorité Royale, par ces preſentes, d'imprimer ou faire imprimer ledit Manuſcrit *des Sacremens* dudit P. Iean de S. THOMAS, en tel volume & caractere, & autant de fois que bon luy ſemblera; & iceluy vendre & diſtribuër par tout noſtre Royaume & terres de noſtre obeïſſance, pendant le temps & eſpace de ſept années, à commencer du iour & datte qu'il ſera acheué d'imprimer; Faiſant tres-expreſſes inhibitions & deffences à tous Libraires & Imprimeurs, & à tous autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer par toutes les Terres & Seigneuries de noſtre obeïſſance, ledit Liure durant ledit temps, ſans le conſentement & permiſſion dudit Expoſant, ou de ceux qui auront charge, ceſſion & pouuoir de luy, ſur peine aux contreuenans de confiſcation des exemplaires, & de ſix mil liures d'amende, applicables vn tiers à Nous, vn tiers aux Pauures Enfermez, & l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & intereſts enuers luy : Voulons en outre, Que ſi quelqu'vn par malice ou enuie, faiſoit imprimer ou contre-faire ledit Liure, ſous pretexte que ſe puiſſe eſtre, que le premier Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, par ledit Expoſant, ſaiſiſſe & tranſporte les feüilles ou exemplaires contre-faits, & donne aſſignation aux contreuenans en vertu des preſentes, en noſtre Conſeil. A la charge de mettre deux exemplaires dudit Liure en noſtre Bibliotheque, & vn en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur Seguier, Cheualier, Chancelier de

France, auant que de l'exposer en vente, à peine de nullité des presentes. SI VOUS MANDONS que du contenu en ces presentes, vous fassiez & souffriez joüyr pleinement & paisiblement ledit Exposant, ou ceux qui auront pouuoir ou cession de luy, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ny empeschement. Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour l'execution des presentes tous Exploits requis & necessaires, sans demander autre permission. CAR tel est nostre plaisir, nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, prise à partie, & Lettres à ce contraires. DONNÉ à Paris le quinziéme iour du mois d'Avril, l'An de Grace mil six cent soixante-trois; Et de nostre regne le vingtiéme. Par le Roy en son Conseil. LE GROS.

Registré sur le Liure de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de Paris, suiuant l'Arrest du Parlement du 8. Avril mil six cent cinquante-trois. Fait à Paris le 16. Février 1667.

Signé S. PIGET, Syndic.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 7. Avril 1667.

Les Exemplaires ont esté fournis.